844 G. 6

Possedute

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
8
47. G
6

Digitized by Google

8. 47. G. 6

R. P. PETRI
DE BVGIS,
E' SOCIETATE IESV,
TRACTATVS
DE
MYSTERIO INCARNATIONIS,

Digitized by Google

Digitized by Google

Assistentia Germaniae S. J.

R. P. PETRI DEBVGIS, TOLOSATIS, E SOCIETATE IESV,

Sacræ Theologiæ in Burdigalenſi Collegio Profeſſoris emeriti.

TRACTATVS DE MYSTERIO INCARNATIONIS, DVODECIM LIBRIS COMPREHENSVS;

Quorum quilibet, poſt ſcholaſticæ ſubtilitatem diſputationis, morali, ſeu myſtica meditatione clauditur, ad pios voluntatis excitandos affectus.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



LVGDVNI,
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXVIII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

REV.SSIMO IN CHRISTO PATRI
IOAN.PAVL.DE OLIVA,
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI.

QVANDOQVIDEM me totum, quantuluſcunque ſum, illi Societati debeo, quæ ſe moderandam, regendamque veſtræ Paternitati commiſit, & quæ me olim (cùm adoleſcentulus vix limen Philoſophiæ ſalutaſſem) in ſinum ita ſuum recepit, vt perpetuis amantiſſima parens complexa ſit beneficiis; non aliò, tanquam exoticum, transferendum eſſe iudicaui fructum eius qualiſcunque doctrinæ, quam illa velut in ſuo fundo ſeuit, adhibitáque culturâ frugiferam ſperauit eſſe. Hunc igitur fructum in manus Veſtræ Paternitatis depono, licèt forſitan chordũ, & tardiorem, quàm legitima tempeſtiuitas, & multorum expectatio popoſcerat. Verumtamen (quamvis, vt diutiùs matureſceret, plures à me preſſus in annos fuerit) verendum etiamnum eſſet, ne crudior, & ſua iniucundus acerbitate videretur, niſi nobilitas argumenti ipſum diuinæ ſapore ſuauitatis condiret. Nec enim pio Lectori ſapere Tractatus is non poterit, qui de ſuauiſſimo Myſterio æternæ Sa-

Digitized by Google

pientiæ humana carne veſtitæ inſtitutus ſit. Porrò huius iuuare poteſt iucundi ſaporis opinionem, quòd in ipſius Operis inſcriptione nomen Veſtræ Paternitatis appareat, cuius ſumma eminet apud omnes authoritas, ob eam ſapientiam, quæ quòd rerum ſit diuinarum per altiſſimas rationes ſapidiſſima ſcientia, in ſacris Scripturis vulgò טֵעֵם, quaſi quis ſaporem, guſtumque dixerit, appellatur. De iſta verò Paternitatis Veſtræ ſapientia, necnon de eius in Dei Eccleſia iuuanda meritis, cùm potiùs foret integro volumine, quàm voluminis præfatione dicendum; id vnicum (quoniam plura in eam ſententiam dicturo ſuâ mihi modeſtiâ ſilentium imperauit) proferam, talem nimirum illius eſſe, tantamque ſapientiam, vt cùm magnam accipere commendationem ipſa ex eo poſſit, quòd tantæ præſit Sapientium multitudini, quantam in Societate ad omnes longè, latéque populos Euangelico ſale condiendos videmus; non minorem Societas ipſa commendationem apud eos, qui aliquo vſu cum Veſtra propiùs Paternitate verſantur, accipiat, quòd à tali Viro gubernetur, & ab eodem, illuminatione deflua, non ſecus ac inter Angelos, à ſuperiore inferior Hierarchia, perficiatur.

R. Veſtræ PATERNITATIS

Humillimus, & obſequentiſſimus in Chriſto ſeruus

PETRVS DEBVGIS.

APPRO

APPROBATIO
D.D. Rectoris Majeſtatis Eccleſiæ Burdigal.

EGO infrà ſcriptus fidem facio, ac teſtor, me diligenter euoluiſſe Tractatum *de Verbi Diuini Incarnatione, à Reuerendo Patre Petro Debugis Societatis IESV, in Collegio Burdigalenſi ſacræ Theologiæ iampridem Profeſſore*; nihilque in eo Opere aduertiſſe Fidei catholicæ, aut bonis moribus repugnans, plurima verò quæ reconditiorem doctrinam, inſignemque pietatem ſapiant; digniſſimumque cenſeo, quod quamprimùm in lucem edatur, in gratiam Candidatorum ſacræ Theologiæ, & Verbi Diuini Præconum vſum. In cuius rei fidem ſubſcripſi. Burdigali, die 16. Septembris, anno Domini 1667.

AMELIN, in ſacra Theologia Doctor, & Rector Majeſtatis Eccleſiæ Burdigalenſis.

APPROBATIO
D.D. Theologorum Societatis IESV.

NOS infraſcripti Societatis IESV Theologi legimus Opus, cui titulus eſt, *Petri Debugis Toloſatis, ex Societate Ieſu Theologiæ Profeſſoris emeriti, de Diuini Verbi Incarnatione Tractatus, &c.* In quo reperimus omnia Fidei Catholicæ conſentanea, ſoliditatem inſuper cum ſubtilitate, & eruditionem cum pietate coniunctam. Quam lucubrationem meritò cenſuimus dignam eſſe, cui prælum incumbat. Datum Burdigalæ 3. Septemb. anno 1667.

CLAVDIVS BATIDE. DAVID BRISSEAV.

ANTONIVS POIRIER.

Licentia Reuerendi Patris Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ.

REMONDVS BAILE, Præpoſitus Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ, poteſtate ad id mihi facta ab admodum Reuerendo Patre noſtro Ioanne Paulo OLIVA, Generali eiuſdem Societatis IESV, facultatem concedo, vt R. Patris Petri DEBVGIS, ex eadem Societate Theologi, Tractatus

Tractatus de Myſterio Incarnationis, trium ex noſtris Theologorum, aliorumque multorum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Officij noſtri Sigillo munitas dedimus. Lemouicis. 8. Auguſti an. 1667.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

NOS REMVNDVS BAILE, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ, iuxta priuilegium conceſſum à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1605. Ludouico XIII. 14. Februarij 1612. & Ludouico XIV. 23. Decembris 1630. quo prohibetur omnibus Librariis, & Typographis, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſu imprimant: PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, PETRO BORDE, & SIMONI BOE', Bibliopolis concedimus, vt hunc Tractatum de Myſterio Incarnationis imprimere poſſint. Datum Lemouicis 8. Auguſti an. 1667.

REMVNDVS BAILE.

Loco ✠ Sigilli.

SERIES

Digitized by Google

SERIES LIBRORVM, ET CAPITVM,

Quibus totus hic Tractatus de Diuini Verbi Incarnatione abſoluitur.

PROOEMIVM.

Quàm ſublime, arduumque Myſterium ſit Incarnatio diuini Verbi? Quod huius operis obiectum? Quæ tanti myſterij varia nomina? Quæ eſſentia?

LIBER PRIMVS.

De poſſibilitate, & exiſtentia Incarnationis. pag. 1

CAP. I. *QVOMODO ſe habeat naturalis cognitio circa poſſibilitatem Incarnationis.* ibid.

II. *Veram Dei Incarnationem, vnionemque hypoſtaticam in germano Meſſiæ, ſeu Chriſti conceptu includi.* 5

III. *An abſolutè, & nulla facta ſuppoſitione fuerit neceſſarium decerni à Deo vnionem hypoſtaticam?* 7

IV. *Reſpondetur rationibus contrariæ ſententiæ.* 10

V. *An fuerit conueniens Verbum incarnari?* 14

VI. *De ſumma diuinæ bonitatis per vnionem hypoſtaticam communicatione, & eius incomprehenſibilitate. Moralis, & pia conſideratio.* 17

LIBER II.

Contra Iudæos negantes veniſſe Meſſiam. pag. 19

CAP. I. *MEſſiam iam veniſſe ex Danielis cap. 9.* ibid.

II. *Probatur item Meſſiæ aduentus ex Iacobi prophetia Gen. cap. 49.* 23

III. *Probatur idipſum ex aliis Scripturæ locis.* pag. 26

IV. *Ex eo, quem in mundo videmus rerum aliquarum euentu, & primò ex iis, quæ Religio Chriſtiana in mundo mirabiliter operata eſt, probatur euidenti ratiocinatione, Meſſiam veniſſe.* 27

V. *Probatur idem ex iis quæ Iudæi toto diſperſi orbe calamitosè patiuntur.* 28

VI. *Quibus Deus in Meſſiæ venturi gratiam beneficiis Iudæos affecerit: & quantum hi admiſerint cùm ingrati in Deum animi, tum in verum Meſſiam impietatis crimen. Pia conſideratio.* 30

VII. *De Iudæorum poſt ſuam diſperſionem obſtinato in Chriſtum, & Chriſtianos odio.* 33

LIBER III.

De neceſſitate Incarnationis. 36

CAP. I. *AN incarnatio ſaltem ex aliqua ſuppoſitione fuerit neceſſaria.* ib.

II. *Exponuntur aduertenda quædam ad ſatisfactionis condignæ, & rigidè iuſtæ naturam intelligendam.* 38

III. *Examinantur conditiones quæ ad iuſtam rigoroſamque ſatisfactionem requiruntur.* 40

IV. *Puram creaturam non poſſe pro peccato mortali ſatisfacere Deo condignè.* 44

V. *An pura creatura poſſit condignè ſatisfacere pro ſuo peccato veniali: & vtrum pro eo quod non foret Dei offenſa, ſed tantùm contra rationem.* 48

VI. *Creaturam quæ ſit etiam Deus, poſſe pro aliorum peccatis per opera intrinſecam condignitatem habentia ſatisfacere æqualiter.* 50

VII. *Expeditur difficultas, num Deus pro omni peccatoris debito condignam potuerit à Chriſto ſatisfactionem accipere.* 57

VIII. *Chriſti opera ſatisfeciſſe pro peccatis hominum in ſummo iuſtitiæ rigore.* 59

IX. *De incarnationis ob condignam pro peccatis ſatisfactionem neceſſitate. Pia conſideratio.* 65

ê LIBER

LIBER IV.

De cauſis Incarnationis. 67

CAP. I. *De cauſa efficiente incarnationis.* ib.

II. *An ad incarnationem requiſita fuerit vlla cauſa diſpoſitiua.* 69

III. *An, & quomodo SS. Patres antiqui potuerint mereri incarnationem.* 71

IV. *De merito B. Virginis circa incarnationem, & circa ſuam maternitatem.* 75

V. *An B. Virginem, vt foret digna Mater Dei, præſeruari oportuerit à peccato originali.* 79

VI. *An B. Virgo, quemadmodum vt foret digna Dei Mater, libera fuit à contrahendo peccato originali; ſic etiam debuerit libera eſſe à debito contrahendi.* 82

VII. *Satisfit eorum fundamentis, & obiectionibus, qui contra duo ſuperiora capita B. Virginem aſſerunt vel contraxiſſe, vel habuiſſe proximum debitum contrahendi orig. peccatū.* 85

VIII. *An Chriſtus aliquo modo meritus ſit, mererive potuerit vnionem hypoſtaticam.* 86

IX. *Soluuntur quædam contra tertiam præcedentis capitis concluſionem obiectiones.* 90

X. *Cauſam incarnationis finalem fuiſſe redemptionem hominum, & extinctionē peccati.* 92

XI. *Moralis circa incarnationis cauſas conſideratio.* 93

LIBER V.

An Chriſtus fuiſſet, etiam Adamo non peccante, venturus. 96

CAP. I. *De natura, motiuiſque decreti, quo Deum aſſerimus incarnationis futuritionem ſanxiſſe.* ibid.

II. *Chriſtum independenter ab hominis peccato & redemptione prædeſtinatum fuiſſe ob ſuam intrinſecam excellentiam.* 97

III. *Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe independenter à peccato vt Caput Angelorum.* 100

IV. *Chriſtum fuiſse Caput primorum parentum antequam peccarent.* 101

V. *Probatur ex ſingulari Beatiſſimæ Virginis ſanctificatione, Chriſtum independenter ab Adami peccato fuiſſe venturum.* 102

VI. *Probatur ex ſcriptura Chriſtum non veniſſe propter ſolum peccatum.* 104

VII. *Item probatur ex Sanctis Patribus.* 106

VIII. *Expenditur propria Suaris opinio.* 107

IX. *Soluuntur argumenta ex ſcriptura, & Patribus ſumpta, quibus fulcitur ſententia negans venturum fuiſſe Chriſtum, Adamo non peccante.* 109

X. *Soluuntur argumenta ſumpta ex ratione.* 110

XI. *Moralis conſideratio circa incarnationem vt abſtrahentem ab hominum peccatis.* 113

LIBER VI.

De modo vnionis hypoſtaticę ſecundùm ſe. 115

CAP. I. *Vtrum indiuiſibiliter eadem actione, qua producitur vnio hypoſtatica, producatur & humanitas.* ibid.

II. *Qui ſint huius actionis vnitiua, ſeu incarnatiuæ termini.* 119

III. *Quomodo vnio hypoſtatica non fiat vel in eſſentiis naturarum, vel in aliquo accidente, nec ſit ſolum moralis.* 122

IV. *Vtrum vnio hypoſt. ſit modus pluſquā ratione ratiocinata diſtinctus ab humanitate.* 124

V. *Quomodo vnio hypoſtatica ſe habeat ad Verbum, & vtrum illud afficiat, ac immutet.* 129

VI. *Quid, & quàm perfecta ſit vnio hypoſtatica.* 132

VII. *Moralis conſideratio circa vnionem hypoſtaticam, & relatos ad eam effectus, ſiue in naturæ, ſiue in gratiæ, ſiue in gloriæ ordine.* 135

LIBER VII.

De duobus immediatis hypoſtaticæ vnionis extremis. 138

CAP. I. *In quo conſiſtat ratio ſubſiſtentiæ creatæ, itemque ſubſiſtentiæ increatæ.* ib.

II. *Explicatur accuratiùs, ac probatur modus, quo ſubſiſtentia diuina creatam impediuit in Chriſto ſubſiſtentiam.* 144

III. *An ſola Filij perſona, & ſecundùm quam ſui rationem aſſumpſerit humanitatem.* 145

IV. *Vtrum natura diuina ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, & abſtrahens à Perſonis, vnire ſibi naturam creatam poſſit.* 150

V. *An tres Perſonæ diuinæ tum ſigillatim, tum ſimul ſumptæ poſſint aſſumere naturam vnam, aut plures.* 152

VI. *An hypoſtaſis aliqua creata poſſit alienam terminare naturam.* 153

VII. *Qualem humanitatem perſonalitas Verbi aſſumpſerit.* 154

VIII. *Quæ partes humanitatis fuerint aſſumptæ.* 156

IX. *Quis fuerit ordo in partium aſſūptione.* 160

X. *An Deus rem quamcumque creatam ſibi poſſit hypoſtaticè vnire.* 163

XI. *Super hypoſtatico humanitatis cum diuinitate coniunctæ ſtatu moralis conſideratio.* 166

LIBER VIII.

De humanæ in Chriſto naturæ perfectionibus quoad animam. 168

CAP. I. *Vtrum Chriſtus quà homo per Verbi ſanctitatem conſtituatur formaliter ſanctus.* ibid.

II. *Qualem humanitas abſtractè ſumpta contrahat ſanctitatē ex vnione hypoſtatica.* 169

III. *An, & ad quid in Chriſto detur gratia habitualis.* 173

IV. *Quanta*

Digitized by Google

IV. *Quanta, & qualis ſit in Chriſto gratia habitualis.* 175
V. *Quæ virtutes, & Spiritus S. dona, & gratiæ gratis Datæ reperiantur in Chriſto.* 178
VI. *Circa illam, quam Chriſtus ex vnione hypoſtatica naturalem habuit Dei filiationem, atque ſanctitatem, pia conſideratio.* 183

LIBER IX.

De humanæ in Chriſto naturæ perfectionibus quoad intellectum. 185
Cap.I. *An Chriſtus ſcientiam creatam habuerit, & qualem.* ibid.
II. *Quando in Chriſto ſciẽtia beata cæperit.* 187
III. *Quàm perfectè Chriſtus eſſentiam diuinam videat.* 189
IV. *An, & quomodo creaturas poſſibiles Chriſtus per ſcientiam in Deo cognoſcat.* 191
V. *An, & quomodo creaturas ſecundùm exiſtentiam Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat.* 194
VI. *An Chriſtus ſcientiã habuerit inditam, aut infuſam, ſiue per ſe, ſiue per accidens.* 199
VII. *Quorum obiectorum ſcientiam habuerit Chriſtus infuſam.* 200
VIII. *De actibus ſcientiæ Chriſto infuſæ.* 203
IX. *De habitibus, & ſpeciebus ſcientiæ Chriſto infuſæ.* 206
X. *De ſcientia Chriſti acquiſita, ſeu experimentali.* 209
XI. *Quàm craſſis ex ignorantiæ tenebris, & ex quanta, quamque inueterata morum corruptione mundũ Chriſtus eripuerit cæleſtis ſcientiæ ſuæ luce. Moralis conſideratio.* 211

LIBER X.

De humanæ in Chriſto naturæ perfectionibus quoad voluntatẽ & potentiam externã. 214
Cap.I. *Non ſolùm diuinam, ſed & humanam reperiri ſimul in Chriſto voluntatem.* ibid.
II. *An Chriſtus circa res etiam à Patre præceptas libertatem habuerit ſufficientem ad meritum.* 217
III. *Proponitur, & ſoluitur prima difficultas duobus conſtans argumentis contra Chriſti libertatem vniuerſam circa quoſcumque, etiam non præceptos actus.* 218
IV. *Explicatur altera, & præcipua circa Chriſti libertatem in rebus ipſi præceptis difficultas ſumpta ex impeccabilitate.* 221
V. *Refelluntur quædam ſuperioris difficultatis ſolutiones ad conciliandam Chriſti libertatem cum impeccabilitate.* 223
VI. *Impeccabilitas Chriſti, quatenus fundata præciſè in vnione hypoſtatica, conciliatur cum libertate.* 225
VII. *Soluitur obiectio facta contra doctrinam præcedentis capitis, in quo per vſum ſcientiæ media libertas Chriſti cum impeccabilitate conciliatur.* 226
VIII. *Impeccabilitas, quatenus fũdata in viſione beatifica conciliatur cũ libertate Chriſti.* 230
IX. *Exponitur celebris, & latiùs patens ratio impeccabilitatem Chriſti vtrocumque modo ſpectatam (hoc eſt ſiue in vnione hypoſtatica, ſiue in viſione beata fundatam) conciliandi cum libertate.* 232
X. *Excitatur quædam recens difficultas contra modum explicandi libertatem Chriſti per temporis circunſtantiam.* 236
XI. *Proponuntur alij modi quibus nonnulli cum probabilitate defendunt Chriſti libertatem in acceptanda, ſubeundaque morte.* 238
XII. *De Chriſti merito.* 240
XIII. *De externa Chriſti potentia.* 246
XIV. *De humana Chriſti voluntate vt reparatrice corruptæ voluntatis noſtræ, & cauſa bonorum omnium quà hominibus, quà Angelis collatorum. Pia conſideratio.* 249

LIBER XI.

De humanitatis defectibus à Verbo aſſumptis. 250
Cap.I. *De defectibus humanitatis Chriſti quoad corpus.* ibid.
II. *Num veros aliquos defectus humanitas Chriſti habuerit in intellectu.* 252
III. *Vtrum humanitas Chriſti habuerit in voluntate defectum peccabilitatis.* 253
IV. *Vtrum Chriſtus ſuſceperit aliquem in appetitu ſenſitiuo defectum.* 258
V. *Vtrum Chriſtus ſuſceperit veram, & propriam rationem ſerui reſpectu Patris.* 261
VI. *Vtrum Chriſtus quà homo dici poſſit filius adoptiuus; an verò, & quomodo filius naturalis Dei.* 263
VII. *Quomodo Chriſtus, vt nos ſibi diuinitatis participatione ſimiles redderet, voluerit ſuſceptis naturæ humanæ defectibus ſimilis nobis eſſe. Moralis conſideratio.* 267

LIBER XII.

De propriis in hoc Myſterio loquendi modis, & variis Chriſti officiis. 268
Cap.I. *An, & quomodo Chriſtus dicendus ſit habere vnitatem quoad eſſe, velle, & operari.* 269
II. *De communicatione idiomatum.* 271
III. *Examinatur opinio Durandi circa hanc propoſitionem,* Deus eſt homo: *necnon quadã alia de Chriſto propoſitiones controuerſa.* 274
IV. *De Chriſto Capite, & Mediatore.* 278
V. *De Chriſto Sacerdote, atque Propheta.* 280
VI. *De Chriſto Rege.* 284
VII. *De ſpirituali Chriſti regno, deque politico eius Numine in ciuitate Dei gubernanda. Moralis, & pia conſideratio.* 285

ẽ 2 TOTIVS

Digitized by Google

TOTIVS HVIVS MYSTERII PROSPECTVS, ET COMPENDIARIA EXPOSITIO,

EX SYMBOLO S. ATHANASII.

SED neceſſarium eſt, vt qui vult ſaluus eſſe, Incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm Diuinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licèt Deus ſit, & homo; non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus autem non conuerſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus.

PROOEMIVM

Digitized by Google

PROOEMIVM.

AD HVNC TRACTATVM

De Diuini Verbi Incarnatione.

Quàm ſublime, arduúmque Myſterium ſit Incarnatio Diuini Verbi? Quod huius Operis obiectum? Quæ tanti Myſterij varia nomina? Quæ eſſentia?

DE incomprehenſo Diuini Verbi humanam carnem induentis Myſterio, ſermonem cùm inſtituiſſet Hierotheus apud Dionyſium *de diuin. nomin. cap. 2.* res eas ipſas, quas celebraturus, & explicaturus erat, vt auxilio ad ſe enarrandas forent, inuocauit, plenâ ſacri horroris interpoſitâ tali parentheſi, ἵλεω δὲ εἴη τὰ θεῖα ἡμῶν, τὰ ὑπὲρ νοῦν, ϗ λόγον ὑμνούμενα: *Vtinam verò*, inquit, *propitia ſint, quæ hoc loco laudamus, & mentem, orationémque ſuperant.* Nobis in eodem nunc argumento verſantibus, ac nobiliſſimam Theologiæ partem aggredientibus documentum præbens & exemplum, quantâ ſit religione tam ſublimis tractanda materia: & admonens non aliunde, quàm ab ipſo difficultatum obiecto, ad ipſas ſuperandas difficultates ſumi opes, animúmque poſſe.

Ergo tantarum diſputationum ritè venerati obiectum, & ea nobis propitia ſperantes, quæ euoluturi ſumus, arcanis ad hunc expiatis affectibus, velut excalceatis animi pedibus, accedamus de Diuini Verbi Incarnatione Tractatum; in quo ſcilicet myſticus apparet humanæ naturæ rubus, tanto Diuinitatis ardore circumfuſus, vt non aliunde mentis petendum ſit nobis lumen, quàm ab illa ipſa, quâ radiatus lambitur, flammâ. Vadam cum Moyſe, & videbo viſionem hanc magnam, quid ea ſit? quid denuntiet, atque portendat? Audiam profectô in ea; *Ego ſum Deus; vidi afflictionem populi mei; deſcendi vt liberem eum. Per ſuccenſum rubum*, inquit Gregorius Magnus *lib. 8. moral. cap. 2. quid ſignificabatur aliud, quàm quòd ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis, carnis noſtræ dolores, quaſi rubi ſpinas, ſuſciperet, & incorrupta humanitatis noſtræ ſubſtantiam, etiam in ipſa Diuinitatis flamma ſeruaret.*

Cùm in hoc Myſterio ſummam habeat admirationem, Deum voluiſſe fieri creaturam, quod iure Damaſcenus *lib. 3. de fide, cap. 1. nouum omnium nouorum, & ſolum ſub ſole nouum:* Leo autem Magnus *ſerm. de natiuit. omnium miraculorum cardinem & verticem* appellauit; maiore ſanè animos ſtupore defigit, quòd inter creaturas omnes Deus hominem, quem aſſumeret, elegerit; infimum ſcilicet naturæ intellectualis terminum, brutis affinem: & quòd, vt ait Apoſtolus, ſemen Abrahæ, prætermiſſis Angelis, fuerit ad hypoſtaticæ vnionis dignitatem euectum. Deus ille, qui ignis conſumens eſt, qui comburit montes, & deuorat cedros Libani, atque denſarum proceritatem ſyluarum, humili, abiectóque pepercit rubo. Hoc eſt, qui in ſublimes ſupra cœli verticem Angelos, protinùs vt peccarunt, iracundiæ ſuæ flammas conuertit, vilem naturæ humanæ fruticem vaſtis horridum peccatorum ſpinis, tam benigno fulgore inſedit, vt eum amoris ſui flammis inuoluens, non tantùm ſeruaret illæſum, ſed etiam ſpinis, ſordibúſque purgatum in Diuinitatem insereret. Atque ita ex rubo ſublime fieret *lignum vitæ, reddens fructum immortalitatis, & folia eius ad ſanitatem gentium. Apocal. cap. 22.*

Intelligis, mi Lector, nos in argumento verſari, quod quàm nobile apparet æſtimantibus, tam ſit explanantibus difficile. *Hoc ænigma eſt ſacratiſſimum* (ait Cyrillus Alexand. *ad Reginas*) *quod ſolâ veneratione ſuſcipiendum, nec humani iudicij trutina ſubiiciendum ſit.* Neque verò tantùm humanam, ſed etiam omnem Angelicam intelligentiam in hoc caligare

Digitized by Google

gare Myſterio, quod à ſæculis in Deo fuit abſconditum, teſtatur Dionyſius *cap.2. de diuin. nomin. Ieſu*, inquit, *diuina in noſtram ſimilitudinem formatio* (ἡ καθ' ἡμᾶς Ἰησοῦ θεοπλασία) *nullâ oratione explicari poteſt, & menti omni eſt inacceſſa, ipſi etiam primo Angelo.* Itaque ſi nobis (cùm linguæ hominum non modò inopes ſint, ſed etiam in hac mortalitatis barbarie inquinatæ, atque adeò tantis myſteriis impares) concederetur linguis Angelorum vti, nequaquam tamen vel eum ipſum ſatis eſſe locupletem experiremur ſermonem, cuius ſocietate inter ſe Cherubini, Seraphinique iunguntur, cùm de ſummis Diuinæ Gloriæ colloquuntur negotiis. Diuinum ſolum Verbum eſt, quod huius, quo ſeipſum humana carne veſtiuit, Sacramenti explicatam notionem queat euoluere. Neque illius Verbi minorem loquendi vim hoc Sacramentum, vt exponatur, requirit, quàm eiuſdem neceſſariam, vt exiſteret, habuerit vim agendi. Quare mirum non eſt, ſi tot contra hoc myſterium adeò reconditum extiterint hæreſes, & Sanctorum Patrum, atque Conciliorum in illius explicatione ſingularis omnibus ſæculis deſudarit induſtria. Quod quidem hi tam felici ſucceſſu præſtiterunt, vt quod alioqui per ſe maximis eſt difficultatibus obſtructum, idoneos ſit habiturum explicatus, ſi ipſorum inſiſtatur veſtigiis.

Sed dicet aliquis: ſi Myſterium hoc tantoperè ab omni, quà hominum, quà etiam Angelorum intelligentiâ, ſenſúque disjunctum eſt, quomodo potuerunt Patres, & Concilia tam felici ſucceſſu illud explicare? Reſpondeo. Poſt reuelationem à Deo propoſitam non potuit illud non aliquo modo cognoſci ſub terminis iis, quibus reuelatum, & annunciatum eſt; vnde conſequens fuit, vt ab Eccleſia, ſanctiſque eius Doctoribus exponi ſub iiſdem illis terminis poſſet. Qui tamen reuelationis termini tales ſunt, vt, ſi bene, & eo modo, quo illos orthodoxa fides explicat, ſumantur, manifeſtum ſit, nos in hac vita non poſſe proprium habere, diſtinctúmque huius Myſterij conceptum: ita vt queat illarum, quas continet, rerum, aut propria haberi ſpecies, aut ratio reddi, quæ omnem difficultatem expediat. Quare Concilium Epheſinum, poſtquàm tradidit explicationem Incarnationis, ait eam eſſe inenarrabilem. Tantùm igitur abeſt, vt explicatio Eccleſiæ circa hoc myſterium tollat eius imcomprehenſibilitatem, vt potiùs eam inducat. Etenim proptereà eſt incomprehenſum; quia illo modo factum eſt, quo docet Eccleſia: vt nempe Diuinitas, & humanitas in vna Perſona phyſicè vnirentur. Si quis enim illud alio, quàm Eccleſia, ſenſu exponeret; tollens v. c. hypoſtaticam vnionem, & duas inducens æquè perſonas, ac naturas, non foret ſupra captum noſtrum. Ex his conſtat, eas ſolas eſſe partes Doctoris Theologi, vt, quod de Myſterio iſto Eccleſia docet, enarret, atque oſtendat, quàm ſit in ſua obſcuritate credibile. Idque ab eo præſtari facilè poteſt, qui Sanctorum Patrum, Conciliorúmque veſtigia ſequi, nec ab eis deerrare ſtuduerit: quod ipſi cum Scholaſticis Theologis profitemur nos eſſe facturos, duce nominatim Sancto Thoma.

Qui cùm *in 1. part. ſuæ Theologiæ*, de vltimo fine vitæ humanæ, Deo nimirum vno ac Trino, & rerum omnium Creatore; *in ſecunda* verò, de iis cùm actibus, tùm habitibus, quibus humana libertas prædictum finem vel aſſequitur, vel amittit, diſputaſſet; iam tandem *in tertia*, de Chriſto, & Sacramentis diſſerit, quibus poſt peccatum, totiuſque naturæ lapſum erigimur, & ad Deum reducimur. Quia porrò tota de Chriſto diſputatio duas complectitur partes, vnam ſubtiliorem, & elimatæ Scholarum ſpeculationi magis accommodatam, quæ Incarnationis, ac vnionis hypoſtaticæ Myſterium ipſum ſecundùm ſe, illiúſque cauſas, extrema vnita; totum inde reſultans, & proprietates explanat: Alteram magis hiſtoricam, quæ geſtorum, paſſionúmque ipſius Chriſti expoſitione continetur; nos in priore potiſſimùm parte immorabitur, quam 26. quæſtionibus Sanctus Doctor proſequutus eſt; & quæ iure inſcribitur, *de Incarnatione*, hoc eſt, *de hypoſtatica humanæ carnis cum Verbo vnione.* Carnis autem hîc nomine intelligi debet natura humana integra ſecundùm Scripturæ phraſim vſitatam variis locis: vt cùm v. g. dicitur *Geneſ. cap.6. Omnis caro corruperat viam ſuam*; & *Lucæ 3. videbit omnis caro ſalutare Dei.* Nominatim verò apud Ioannem *cap. 1.* cùm totum hoc myſterium paucis vocibus explicatur, Diuinum Verbum aſſeritur *factum eſſe caro*; id eſt, *perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*; vt eſt in Athanaſij Symbolo.

Quamuis porrò hîc de Chriſto, qui & Deus, & homo eſt, diſputetur; quia tamen nec de Diuinitate, nec de humanitate illius agitur per ſe ſumptis, ſed tantùm prout copulatis mirabili eo nexu, quem incarnatio induxit, aut qui propriè ipſa eſt incarnatio; proptereà meritò Theologiæ iſta pars dicitur circa Incarnationem tota verſari. Nec enim de Chriſto, ſi quoad ſubſtantiam ſpectetur, diſputatur aliter, quàm prout coniunctim eſt Deus Verbum homo. Si autem ſpectetur ſecundùm attributa ſua, paſſiones, actiones, merita,

Digitized by Google

merita, ſatisfactiones, &c. Illa omnia non ſimpliciter vt Dei, nec ſimpliciter vt hominis, conſiderantur; ſed vt à Deo, ſimulque ab homine profecta, & vt θεάνδρικα. Ex quo fit, vt verè dici poſſit, de nulla re agi in hoc Tractatu, quàm vel de vnione ipſa, vnitionéve, hypoſtaticâ; vel de iis, quæ ipſam ſeu includunt, & continent, vt Chriſtus; ſeu terminant, vt duæ hinc, & inde naturæ; ſeu ſupponunt, & ab ea pendent, vt actionum, paſſionumve deivirilium infinitus valor, meritum, ſatisfactio, &c. ſeu denique ad eam comparantur tanquam ipſius cauſæ phyſicæ, morales, &c. Ex his patet iſtam Theologiæ partem optima ratione communiter dici habere pro obiecto Incarnationem, aut (quod eòdem recidit) conſtitutionem Chriſti, ſiue Chriſtum, prout per vnionem hypoſtaticam conſtitutum. Et quamuis ſecundùm eſſe rei, non Chriſtus ad Incarnationem, ſeu hypoſtaticam vnionem, ſed potiùs hæc ad illum refertur: Tamen intentio huius particularis Tractatus fertur eò maximè, vt perfecta diuinæ illius vnionis, vnitioniſque notitia tradatur; explicatis cum ipſa iis omnibus, quæ ad eam pertinent; & quæ in Chriſto exiſtunt conſequenter ad ipſam, atque adeò ſub Incarnationis nomine comprehenduntur.

Hoc verò Myſterium, quod fuit ſummum diuinæ prouidentiæ in æternitate conſilium, & omnium in tempore negotium ſæculorum, non ſolo Incarnationis, ſed & alio multiplici vocabulo ſancti Patres, & antiqui Theologi nuncuparunt, ob varios quos habet reſpectus, ſiue ad Deum Patrem, ad quem pertinuit omnia hîc velut œconomico quodam iure diſponere; ſiue ad Verbum æternum, quod humana carne veſtitum in terris apparuit; ſiue ad naturam humanam, quæ ipſi Verbo fuit intexta. A Græcis igitur appellari ſolet οἰκονομία, θεοφάνεια, θέωσις, σάρκωσις, ἐνανθρώπησις, ἐνσωμάτωσις. Sunt & alia quædam Græca minùs communia, quæ omitto, nomina. Apud Latinos autem Patres, præter ipſum, quod vſitatius eſt, Incarnationis nomen, appoſitiſſimè ad hanc rem excogitatum, alia item occurrunt vocabula Græcis illis ferè reſpondentia; nimirum œconomia, ſuſceptio, aſſumptio, humanatio, incorporatio, fœderatio, commixtio, conuentio, attemperatio humanæ carnis ad Deum, &c.

Demùm àntequàm diſputationes de iis, quæ circa huiuſmodi Myſterium explicanda incumbunt, ingrediamur, aduertendum eſt, vt meliùs qua de re toto hoc Opere diſſerendum ſit, intelligatur, Incarnationis vocem tripliciter poſſe ſumi. Vel enim primò actionem eam diuinam ſignificat, per quam vnio hypoſtatica producitur, & quæ propriè vnitio vocatur: vel ſecundò ſignificat illius actionis terminum, hoc eſt vnionem ipſam hypoſtaticam: vel tertiò complectitur totum ipſum hoc Myſterium tam in *facto eſſe*, quàm *in fieri*; id eſt omnia inuoluit, quæ aliquo modo ad vnionem prædictam referuntur, pertinéntve. Atque in hoc maximè ſenſu exiſtimo iſtum Tractatum, quem habemus in manibus, inſcribi *de Incarnatione*.

Quo ſenſu accepta Incarnatio, ſi catholico modo eius eſſentia explicetur, tria omninò continet, ex quibus verus, & qualem Eccleſia colit, exſurgit Chriſtus. Primò namque continet naturam diuinam; tum etiam ſecundò naturam humanam; tertiò denique vnam ſolam, eámque Diuinam, in qua duæ illæ naturæ phyſico nexu coniunctæ ſubſiſtant, Perſonam. Quæ perſonæ vnitas, vt non poteſt non eſſe, ſi vnio phyſica, & hypoſtatica inter duas illas naturas admittatur; ſic nullo modo intelligi poteſt, ſi talis vnio negetur. Atque cùm ex illis tribus totum Incarnationis myſterium eſſentialiter conſtet, ſi quis in eorum aliquo peccauerit, non poteſt eſſe Catholicus, Chriſtúmque neceſſariò diſſoluit, ac deſtruit. Neque potuit vnquam in hac materia vllus eſſe hæreticus, niſi quatenùs in aliquod illorum trium capitum impegit. In primum quidem impegit Arius, naturam in Chriſto diuinam inficians: impegerunt & inter Eutychianos illi, qui ſic vnam in Chriſto naturam agnouerunt, vt Diuinam affirmarent in humanam fuiſſe mutatam. In ſecundum offenderunt; cùm illi alij Euthychiani, qui naturam Diuinam ſolam in Chriſto agnoſcentes, aiebant naturam humanam à Diuinitate penitùs abſorptam, atque conſumptam, non ſecus ac ab igne ceram, aut à mari guttam mellis, quemadmodum apud Theodoretum Eraniſtes *dialog.* 2. explicat: Tum varij hæretici, qui naturam in Chriſto humanam integram, vel aliquam eius partem diuerſiſſimè negauerunt, vt Saturninus, Baſilides, Marcion, Manichæi, Apolinariſtæ, &c. quorum

Digitized by Google

quorum errores ſuis locis refellemus. In tertium denique caput Neſtorius Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus inſanuit, duas, reiectâ vnione hypoſtaticâ, fingens in Chriſto perſonas, diuinam vnam, quam Chriſtum; humanam alteram, quam Ieſum eſſe dicebat. Has verò perſonas, cùm duas Phyſicè eſſe aſſereret, fatebatur tamen poſſe dici vnam moraliter, ob eam, quæ inter illas eſſet, coniunctionem. Perſona enim humana ſe habet, inquiebat, vt Diuinæ Perſonæ templum, veſtimentum, inſtrumentum, atque huic arctiſſimè per amicitiam iungitur. Sed de his rebus omnibus veniet ordine diſputandi locus.

R. P. P.

Digitized by Google

R. P. P. DEBVGIS, E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

TRACTATVS DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

LIBER PRIMVS, De Poſſibilitate, & Exiſtentia Incarnationis.

LICET poſſibilitas obiecti circa quod hic Tractatus Theologicus occupatur, ſupponi potiùs debeat, quàm probari, abigendæ tamen ſunt nonnullæ, quæ contra illam primo aſpectu occurrunt obiectiones, ob tanti ſublimitatem Myſterij, cuius incomprehenſibilitatem exponi priùs attinet, quàm illius eſſentia, verúſque conceptus proponatur: Tunc eiuſdem etiam oſtendi debet quanta ſit ſiue neceſſitas, ſiue conuenientia.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo ſe habeat naturalis cognitio circa poſſibilitatem Incarnationis.

1. CVM Incarnationem factam re eſſe certum ſit fide diuina, vt infrà videbimus; dubitari non poteſt, quin ſit verè poſſibilis. Quare non illud quærit, ſed ſupponit Diuus Thomas: præſertim cùm id magis etiam probatum maneat ex ſolutione argumentorum, quæ fieri ſolent contra eſſentiam & conceptum vnionis hypoſtaticæ. Diſputari tamen poteſt, vtrùm hæc poſſibilitas per naturalem rationem cognoſci valeat? An verò è contra tam abſtruſa per ſe ſit, vt ipſam Incarnationem vel aliquo argumento impoſſibilem, vel ſaltem nullo poſſibilem eſſe demonſtrari poſſit?

Dicendum primò, nullam dari rationem qua euidenter demonſtretur Incarnationem eſſe impoſſibilem; ſic enim falſum demonſtraretur, contra naturam demonſtrationis, quæ debet ex veris procedere, nec poteſt niſi verum concludere. Addo prætereà, nequidem fallacem illam & apparentem poſſe

Digitized by Google

dari, quam Chriſtianus Theologus non ſoluat aliquo modo; ſaltem propoſitiones eas negando, quas nullus aduerſarius probaturus ſit: quod ſufficit vt aliqua argumentatio non appareat demonſtratiua. Et ſanè quis vnquam infidelis conuicit non poſſe naturam creatam ſua ſpoliari ſubſiſtentia, & ad diuinam euehi? aut repugnare diuinæ perſonæ, quòd naturam creatam terminet? Neque verò ad impoſſibilitatem alicuius rei ſapienter adſtruendam ſufficit eius obſcuritas, & reſpectu noſtri incomprehenſibilitas. Nam clarum eſt, non omnia, quæ ſunt nobis incomprehenſa, eſſe impoſſibilia; & diuinam omnipotentiam, longè captum humanum excedere: multóſque reperiri non tantùm ſupernaturales, ſed etiam naturales effectus, quos intelligere non valemus.

2. Quidquid in ſpeciem fortiùs contra poſſibilitatem huius myſterij proponi poteſt, reuocatur vel ad ſtatum naturæ aſſumptæ, quam ſua propria & connaturali ſpoliatam ſubſiſtentia, per alienam ſubſiſtere non videtur poſſibilius, quàm priuari ſua exiſtentia, & per alienam exiſtere: vel ad ſtatum aſſumentis Verbi; quod, ſi de nouo vnionem cum humanitate tam intrinſecam, & intimam ſuſcepit, videtur mutatum verè fuiſſe. Sed hæ difficultates expedientur inferiùs, vbi docebitur longè diuerſam eſſe rationem ſubſiſtentiæ, atque exiſtentiæ, & illam eſſe quoddam iſtius complementum, ac velut ſufficientiæ ſubſtantialis exercitium, quod per diuinam potentiam definere, & amitti poteſt, eadem ratione, qua cæteri multi à ſuis ſubiectis indiſtincti modi. Docebitur etiam, quomodo Verbum diuinum nec vnionem, quam terminat, in ſe recipiat; nec per eam, aut per humanitatem ſibi coniunctam perficiatur, ac mutetur.

3. Dicendum ſecundò nullam item dari rationem naturalem, qua humanus, vel angelicus intellectus euidenter demonſtrare, aut etiam probabiliter cognoſcere queat incarnationem eſſe poſſibilem. Ita communius Doctores *in 3. diſtinct.* 1. & ſancti Patres: Inter quos eleganter Concilium Toletanum vndecimum de hoc myſterio loquens: *Si ratione*, inquit, *oſtendi poſſet, non eſſet mirabile; ſi exemplo, non eſſet ſingulare.* Probatio concluſionis ſumi debet ex eminentia tanti myſterij, quod iure apud Dionyſium *de Diuin. nominibus cap.* 2. Hierotheus vocat, *nouitatum omnium ſupereminentem nouitatem*, iuxta illud Ieremiæ *cap.* 31. *Nouum creauit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Hoc myſterium eſt, quod Diuus Paulus vocat, *abſconditum à ſæculis in generationibus*: Nec non, *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo*: Item, *Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Sanè cùm intellectus creatus cognitione ſua omnipotentiam Dei non adæquet, nec potentias creaturarum obedientiales comprehendat; minimè exiſtimandus eſt poſſibilitatem eius obiecti naturaliter aſſequi; quod & in omnipotentia diuina ſummum, & in potentiis creaturarum obedientialibus abſtruſiſſimum ac ſupernaturaliſſimum eſt. Confirmatur: nam ex parte naturæ, quæ eſt hypoſtaticè aſſumibilis, non poteſt vllis naturalibus viribus cognoſci ſeparabilitas propriæ ſubſiſtentiæ. Quamuis enim Angelum concederemus videre clarè in ſubſtantiis creatis ſubſiſtentiam, & exercitium quoddam earum ſufficientiæ; non tamen inde ſequeretur illum iudicare tale exercitium eſſe ſeparabile, & ceſſare poſſe per vnionem aliquam hypoſtaticam. Quot enim ſunt quæ Angelus in naturis cognoſcit, quæ tamen iudicare non poteſt eſſe ſeparabilia, & per aliquid alienum ſuppleri poſſe? Cuius rei exemplum habes in figura & vbicatione, quam nemo dixerit Angelum eſſe iudicaturum, poſſe in aliquo corpore per alienam figuram aut vbicationem ſuppleri.

4. Ex parte verò diuinæ perſonæ totum hoc myſterium longè obſcurius intellectui creato relinquitur. Nam creatura nulla iam datur (quidquid ſit de poſſibili) quæ ſuis viribus naturalibus Perſonarum diuinarum multiplicitatem, & earum virtualem à Diuinitate diſtinctionem cognoſcere poſſit, ac multò minùs earumdem cum naturis creatis vnibilitatem; præſertim verò talem, quæ non importet mutationem in ipſis diuinis Perſonis, quæ reapſe vnirentur. Non mihi probatur hîc obſeruatio Patris Delugo *diſput.* 1. *ſect.* 5. aſſerentis, ex eo quòd Angelus naturaliter Trinitatem cognoſcere nequeat, confici quidem, nequaquam ab eo ſine reuelatione potuiſſe cognoſci incarnationem, qualis facta eſt, in vna ſcilicet Perſonarum trium diuinarum: at non confici, nequiuiſſe illam cognoſci, prout dicit, vnionem naturæ humanæ cum perſonalitate diuina, præſcindendo ab eo quod perſonalitas in Deo ſit vna, vel multiplex; ſit abſoluta, vel relatiua. Nam Philoſophi Gentiles, inquit, cognouerunt naturaliter Deum eſſe perſonam; & in hoc non errabant; licet ignorarent, qualem perſonalitatem haberet: Cur ergo Angelus idipſum cognoſcens, non poſſet naturaliter cogitare de vnione inter naturam humanam, & perſonalitatem diuinam, atque adeò percipere incarnationem Dei ſub conceptu communi Incarnationis diuinæ? Non probo, inquam, quod hic Author ait. Nam Reſpondeo: quamuis Angelus poſſit naturaliter cognoſcere, quod & Philoſophi potuerunt, Deum habere rationem perſonæ: Non tamen iudicare potuit abſque reuelatione perſonalitatem eius à natura diuina virtualiter realiter eſſe diſtinctam, & illi aliquid poſſe conuenire, quod naturæ non conueniat. Atque adeò neſcire potuit, quòd quemadmodum natura ipſa diuina, non autem perſonalitas, eſt de facto (ſicut nobis quidem reuelatione conſtat) communicabilis ad intra; ſic vice verſa, perſonalitas immediatius, quàm eadem natura diuina communicari, vnirique poſſit humanitati ad extra. Aliquid ſimile nobis planè conſentiens inuenies apud Martinum Perez, *diſputat.* 1. *ſect.* 2. *numero* 7.

5. Obiicies: cùm ex prima concluſione dari nequeat demonſtratio qua conuincatur impoſſibile eſſe hoc myſterium; nonne poſſet inde Angelus concludere illius poſſibilitatem, ſic argumentando? Quidquid non demonſtratur impoſſibile, debet cenſeri Deo poſſibile. Atqui incarnatio non demonſtratur impoſſibilis. Ergo, &c. Reſp. Licèt verum ſit non dari demonſtrationem, per quam oſtendatur quædam in incarnatione contradictio; fieri tamen poteſt, vt Angelus non adiutus lumine ſupernaturali, talem aliquam exiſtimaret dari demonſtrationem, quam etſi Chriſtianus homo, ſuppoſita reuelatione myſterij poſſit, vt prima concluſione dictum eſt, ſoluere, negando propoſitiones quæ nequeant probari euidenter; non tamen poſſet eam ſoluere prædictus Angelus. Carens enim reuelatione, multas propoſitiones putaret eſſe admittendas, quas nos eſſe reiiciendas aduertimus, vtpote myſterio contrarias. Ad-

Digitized by Google

do prætereà, quod etſi talis Angelus circa hoc non deciperetur, ſed certus eſſet nullam verè contradictionem demonſtrari, & aduerteret inſufficientiam probationis contra incarnationem ſibi occurrentis; non tamen inde certò concluderet nullam aliunde eſſe contradictionem. Neque poteſt angelica ratiocinatio inniti Maiori argumentationis propoſitæ in obiectione. Quæ maior neganda omninò eſt: nec enim neſcit Angelus multa eſſe verè impoſſibilia Deo, quę occultata, & craſſis circumfuſa tenebris non poſſit ipſe deprehendere: cùm non bona ſit huiuſmodi ſequela, contradictio nulla apparet: Ergo nulla eſt, nec latêre poteſt. Igitur dico in præſenti materia, quod Angelus carens reuelatione diuina, vel incideret in errorem, aliqua ſpecie & ſimilitudine contradictionis deceptus; vel ſuſpenderet ſuum quoad huius myſterij poſſibilitatem iudicium, nihil habens in alterutram partem pronunciare; vel denique ad ſummum in aliqua [illegible] ſuſpicione probabilitatis parum certus hæreret.

6. Non bene Arriaga in præſenti, poſtquam abſolutè conceſſit poſſibilitatem cuiuſpiam rei clarè & ſcientificè oſtendi ſolutione obiectionum contra illam factarum, ex illo principio; *Deus poteſt facere quidquid non inuoluit contradictionem*: ait, à ſolutione quam Chriſtiani dare poſſunt, argumentorum quæ contra incarnationem fiunt, non prouenire ſolùm, vt non ſciatur eſſe eius implicantiam aut impoſſibilitatem, ſed etiam vt ſciatur implicantiam non eſſe; ſiue quod idem eſt, vt ſciatur eſſe poſſibilitatem. Quandoquidem per ſolutionem argumentorum non fit, vt per puram ſcientiæ carentiam (qualis eſt in bruto aut lapide) dicamur non ſcire huius myſterij repugnantiam; ſed fit, vt habeamus poſitiuam cognitionem, qua noſcamus argumenta contraria nihil probare, atque adeò poſſibile eſſe hoc myſterium. Vnde concludit, ſi præciſè conſiderentur argumenta omnia, quæ proponuntur contra incarnationem, & eo modo, quo à Theologo fieri poteſt, ſoluantur; manere planè certam ipſius incarnationis poſſibilitatem. Quod ſi maneat incerta talis poſſibilitas, id ait inde eſſe, quod neſciatur, num quædam alia proponi poſſent argumenta, quæ non ſint eodem modo ſolubilia. Non bona videtur Authoris huius ratiocinatio. Nam poſtquam argumenta ſibi propoſita Chriſtianus Theologus eo modo, quo in prima concluſione diximus, ſoluerit; nempe illas propoſitiones negando, quas aduerſarius nullus probare poſſit, conſtat illum non habere propterea euidentiam de talium propoſitionum falſitate, nec certum eum eſſe aliter, quàm fide diuina de huius veritate myſterij: quantumvis conſtaret nulla eſſe alia in contrarium argumenta, præter illa quæ iam dicto modo ſoluta fuerint.

7. Obiicies prætereà: Poſtquam facta fuit incarnatio, videtur Angelus potuiſſe naturaliter eam cognoſcere. Cùm enim in humanitatibus naturaliter ſubſiſtentibus intueatur illarum ſubſiſtentiam, neceſſarium eſt, vt in humanitate Chriſti aduertat aliquod diſcrimen, & abſentiam propriæ ſubſiſtentiæ. Vnde facile fuit ipſi intelligere quandam ſubſiſtentiam alienam ſubſtitutam fuiſſe, & quidem ſupernaturalem ac increatam. Nam omnem creatam, cùm ſit tantùm aliquis modus, ineptam ad id eſſe ſatis apparet. Atque prætereà ſi quæ creata ſubſtituta fuiſſet, ipſam videret. Reſp. primò, Angelum fortè non videre naturaliter in ſubſtantiis creatis rationem ſuppoſiti: quamuis enim exiſtimem hanc eſſe poſitiuum aliquod ſufficientiæ, ac totalitatis ſubſtantialis exercitium, vt dicam in loco; non tamen perinde certum eſt, eam eſſe naturali cognitioni expoſitam. Sanè actio in agente verum eſt exercitium; & tamen quis indubitate aſſerat illam intuitiuè ab Angelo cognoſci, adeò vt ſi duorum ignium æqualiter manui applicatorum vnus calefaciat, & alter per miraculum ab agendo ſuſpendatur, poſſit Angelus vnum ab altero diſcernere, & in vtro ſit actio pronunciare? Non eſt verò facilius, vt Angelus aliquid videns iudicet certò illud eſſe verè totum (in quo ratio ſubſiſtentiæ conſiſtit) nec eſſe cuipiam rei inuiſibili & ſupernaturali vnitum, aut non eſſe ens incompletum, habens rationem partis, & ordinem ad aliquid aliud, atque adeò carens exercitio ſubſiſtendi. Reſp. ſecundò: Licèt quis fateri velit ſubſiſtentias naturarum videri ab Angelo, & per conſequens animaduerſum eſſe diſcrimen, quod erat in humanitate Chriſti, ob defectum propriæ & naturalis ſubſiſtentiæ: non tamen propterea dicendum erit, ab ipſo viſam eſſe vnionem hypoſtaticam, aut certò intellectam. Neque enim aliud in tali caſu potuit naturaliter Angelus certò iudicare, quàm ibi deeſſe proprium ſubſiſtendi modum, aut ſibi occultari diuino quodam conſilio.

8. Inſtabis: Cùm potentia obedientialis non diſtinguatur ab eſſentia ipſius rei, cui ineſt; ſequitur, quòd Angelus intuens naturam humanam, videat in ea potentiam obedientialem quam habet, vt à verbo ſuſtentetur, ac per conſequens poſſibilem eſſe incarnationem, quâ poſſibilitate cognita neceſſe fuit, vt aduertens in humanitate Chriſti non apparere ſubſiſtentiam naturalem, agnoſceret certò incarnationem re exiſtere. Reſp. Angelum dum naturam aliquam intellectione ſua penetrat, non cognoſcere illam in ordine ad omnes effectus, ad quos ſupernaturaliter eleuari poteſt; imò nec in ordine ad omnes poſſibiles eius effectus naturales; v. g. ad actus naturales fidei, per quos hæretici multi aſſentiuntur Trinitati, & huic ipſi myſterio incarnationis, &c. Alioqui enim cognoſceret Angelus naturaliter talium actuum obiecta. Quod hic diximus, confirmatur ex eo, quòd certum videatur diabolum, qui tentauit Chriſtum in deſerto, vt exploraret, num Dei Filius eſſet, ignoraſſe incarnationem. Nam alioqui nunquam talibus tentationibus illum aggreſſus fuiſſet. Non tamen videtur dubium, quin poſteà ex tot tantiſque prodigiis, atque miraculis certi fuerint moraliter dæmones Chriſtum eſſe Filium Dei, præſertim cùm id Chriſtus ipſe ſatis apertè prædicaret; in eiuſque rei confirmationem, in confirmationem item ſibi traditæ poteſtatis, quæ ſolius Dei eſt, remittendi peccata, nonnunquam miracula patraret: vt cum apud Matthæum *cap. 9.* dixit ſuſcitando mortuum: *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, adoleſcens tibi dico, ſurge*, &c. Quamuis neceſſarium non ſit dæmones agnouiſſe illius hominis cum Deo vnionem eſſe phyſicam, & verè hypoſtaticam. Puto enim illos, vt ſuperiùs indicaui, non poſſe in hominibus videre ſubſiſtentiam naturalem, atque adeò nec eius in Chriſto defectum: potuerunt igitur in eum errorem incidere, quem aliquot poſt ſæculis Neſtorio inſpirarunt, Chriſtum arctiſſimo dumtaxat amicitiæ vinculo fuiſſe cum Deo copulatum, & quidem arctiori quàm alios Prophetas; hominem eſſe Dei ferunt, &c. Quod ex eo confirmatur: quia licèt odio, & amentia excæcati, tantum virum curauerint crudeli morte affici: *Nunquam* tamen, *ſi cognouiſſent*, vt loquitur Diuus Paulus 1. *Corinth. Dominum gloriæ*, per Iudæos furoris ſui miniſtros, *crucifixiſſent*. Imò exiſtimo, vt ha-

Digitized by Google

betur ex S. Ignatio, atque ex S. Hieronymo *in cap. 1. Matth.* illum referente, impediuiſſe Deum, ne dæmones agnoſcerent Mariæ Ioſepho deſponſatæ virginitatem, & partus admirabilis ſacramentum, quod & aſſeruit S. Leo *ſerm. 2. de Natiuit.*

9. Ex dictis euidens manet, intellectum ſiue humanum, ſiue angelicum, nulla potuiſſe ratione naturali, nec demonſtratiua, nec probabili affirmare poſſibilitatem incarinationis. At Suarez *diſp. 3. ſect. 1.* & quidam alij vltra noſtram, ac D. Thom. concluſionem progreſſi, Myſterium hoc adeò retruſum, atque abditum eſſe exiſtimant, ſibi vt perſuadeant, ni reuelatio acceſſiſſet, ne quidem venturam Angelo in mentem aut ſuſpicionem fuiſſe. Imò ſi fortè illi otioſè cogitanti in mentem veniſſet, ipſum eam cognitionem, velut de re chimerica, contempturum. Mihi tamen illud totum, vt ex vna parte videtur probabile ob infinitam diſtantiam, & diſproportionem, quæ inter Deum, creaturámque reperitur; ſic ex altera parte inexploratum eſt. Quamuis enim Incarnatio ſit Myſterium æternitatis à ſæculis abſconditum, velut diuinæ Sapientiæ excogitatio præcipua, & maximè ſupernaturalis, inter Dei inuentiones, de quibus ait Iſaïas *cap. 12. Notas facite in populis adinuentiones eius*; & ſit magnum illud Conſilium, cuius ipſe Chriſtus iuxta LXX. Interpretes vocatur Angelus ac nuncius: *Vocabitur*, inquit idem Iſaïas *cap. 9. nomen eius admirabilis, magni conſilij Angelus.* Sit etiam magnum illud Sacramentum pietatis, quod ait Apoſtolus, *Manifeſtatum eſſe in carne, & iuſtificatum in ſpiritu.* Nihilominus ſi Angeli, vt Suarez ipſe cum quibuſdam aliis fatetur, cognoſcunt ex vna parte creatam ſubſiſtentiam, & ex altera Deum in ſe ſubſiſtentem, abſtrahendo ab hoc quod ſubſiſtentia ſit vna, vel multiplex; non apparet, cur non poſſit illorum alicui venire in mentem, vt dubitet, aut quærat; Num ſubſiſtentia diuina poſſet naturam humanam ſibi vnitam ſuſtentare loco ſubſiſtentiæ creatæ. Sicut Theologi, cùm ſciant hominem ſuam habere intellectionem, & Deum item ſuam; quærere potuerunt, an de potentia abſoluta poſſit intelligentia diuina reddere hominem formaliter intelligentem: nec fortè defuerint, qui de figura corporis alieni idem quærerent. Vide Ioan. de Lugo *diſp. 1. ſect. 1.* Non placet quod hac in re dicit Arriaga, eos Theologos, qui, cùm per intelligentiam diuinam poſſemus fieri intelligentes, quæſierunt; id non feciſſe, niſi cognitione Incarnationis adiutos, poſtquam conſideraſſent in hoc Myſterio naturam humanam potuiſſe fieri ſubſiſtentem per diuinam ſubſiſtentiam.

10. Dicendum tertiò poſſe myſterium Incarnationis ſuppoſita reuelatione diuina, ita per vires humanas, & multò magis angelicas explicari, & probari, vt veriſimile reddatur. Nam poſtquam ſemel fidei beneficio noſter intellectus ſibi hoc Myſterium perſuaſit, non habet ampliùs difficultatem, & repugnãtiam, quæ circa illud ex ipſis terminis, & prima fronte oritur; quam difficultatem rationes naturales, cùm adhuc integra eſt, vincere non poſſunt. At verò poſtquam talis difficultas per fidem ſemel domita, & ſublata fuit, facilè intellectus, pio præſertim affectu inclinatus, inducitur ad rationes, quas ipſe tum ex aliis Fidei myſteriis, tum aliunde excogitauerit, admittendas. Rationes huiuſmodi varias inuenies apud SS. Patres, & Theologos. Bernardus argumentum ſumit ex myſterio Trinitatis. Quemadmodum enim vna diuina natura poteſt in pluribus ſuppoſitis eſſe; ita non videtur impoſſibile, vt plures naturæ ſint in vno ſuppoſito. Iuſtinus, Leo Magnus, Cyrillus argumentantur ex coniunctione ſpiritualis animæ cum corpore. Cùm enim duo hæc extrema, quæ videntur eſſe valdè diſproportionata, iungantur naturaliter, ita vt anima ſubtilis, incorporea, ſimplex, viua, &c. carnem craſſam, multiplicem, vita deſtitutam, &c. eleuet, ad ſe trahat, ſibi ſubſtantialiter vniat, &c. non videtur negandum, quo minùs Verbum diuinum, & natura humana, quantumuis eſſe appareant extrema diſproportionata, poſſint ſupernaturaliter vniri. Theodoretus ſimilitudinem affert arboris vnius alteri inſitæ, nec non candentis ferri. Similitudines illas animæ, arboris, ferri eleganter, luculenterque explicat Leſſius. *Quemadmodum enim*, ait, *per vnionem cum anima, quantumvis diſſimili, à ſeque diſtante, caro fit ſpiritualis, pulchra, viua, mobilis, &c. vt omnis honor, qui animæ defertur, ſimul etiam deferatur carni. Rurſus caro non geſtat animam, ſed anima carnem: vnde hæc ad illius hypoſtaſin eleuata videtur, atque omnes operationes animæ, & carnis tribuuntur, communicanturque promiſcuè vni & eidem homini animato ſimul & carnali, &c. Similiter, etiamſi infinita ſit diſtantia non loci, ſed gradus, & ſpeciei inter naturam diuinam & humanam: tamen hæc ſic illi copulatur, vt ab ea ineffabiliter eleuetur, perficiatur, diuinizetur, & vtriuſque idiomata vtrique mirabiliter communicentur. In Chriſto enim*, inquit S. Leo, *nihil eſt alterius naturæ, quod non ſit vtriuſque (in concreto ſcilicet ſumptæ,) &c.* Prætereà exemplum affert in hanc ipſam rem inſitionis laudatus Author. Si enim nobiliſſimo trunco pyri, vnum naturalem ramum habenti, inſeratur ramus pruni, vtraque natura inconfuſa in trunco vnitur, atque ſubſiſtit, & in eo, velut in vna hypoſtaſi (quæ hypoſtaſis non vtrique illi naturæ, ſed ſoli pyro ſit naturalis, prunum autem extraneam aſſumpſerit) fit vna arbor, quæ pyroprunus dici poſſit, in qua ramus inſitus, ex fibris ac venis trunci, ob vnionem cum iis velut ſubſtantialem, attrahat, hauriatque ſuccum: ita vt & prunus pyra, & pyrus pruna dici poſſit producere; excreſcente porrò pruno, pyrus quodammodo dici poteſt aruiſſe, &c. In promptu cuilibet eſt hæc applicare ſingula myſterio Incarnationis, & eius in illis quandam velut adumbrationem, ac rudem aduertere, linearemque picturam. Quemadmodum & in ignitione ac ferro candente: nam ignis totum ferrum penetrat, occupat, & ad ſuam puritatem atque nitorem attrahit, ſibique tam intimè vnit, vt vix vnum diſtingui queat ab altero; ſalua tamen vtriuſque naturæ diſtinctione, vt vix item vtriuſque diſtinguantur proprietates; ſed vnius operationes alteri communicentur, ſplendeat ſcilicet ferrum & vrat, ignis verò ſecet, denſus & grauis ſit, cadat deorſum, &c. Ita Diuinitas totam humanitatem penetrat, & ſibi adſtringit, ſuoque radiatam ſplendore, ac imbutam numine, participem facit infinitatis per mirabilem communionem idiomatum: cùm interim ipſa eius infirmitates aliquo modo ſuſcipit, &c. &c.

11. Inter Theologos etiam Durandus hoc argumentum affert. Quia ſuſtentare naturam aliquam perfectio eſt non indigna Verbo diuino, ſi imperfectionem potentiæ paſſiuæ & materialis remoueas, vt de facto remouetur ab hoc myſterio, in quo Verbum non paſſiuè (licèt nec efficienter) ſed altiori quodam terminandi modo ſuſtentat humanitatem. Valet etiam ad probandam incarnationis poſſibilitatem apud intellectum fide iam inſtructum hæc ratio: quòd acutiſſima ingenia nullam hactenus potuerint oſtendere contradictionem. Ex dictis apparet, vt non poſſimus (ſuppoſita etiam fide de hoc Myſterio) rationem naturalem inuenire, qua illud probemus: Rationes tamen congruas deſumi poſſe

aliquas

Digitized by Google

aliquas ex rebus naturaliter cognitis, ad mitigandam aliquo modo eam difficultatem, quæ ad factam rei tantopere ab hominum intelligentia ſenſúque diſiunctæ propoſitionem, primo aſpectu ſe offert. Nec audiendus eſt Ariaga *diſp. 1. ſect. 3.* id negans. Præter rationes congruas, quibus ſuppoſita reuelatione, veriſimilis redditur poſſibilitas incarnationis, afferri ſolent quædam conuenientiæ, quibus conficitur exiſtentiam tanti Myſterij decuiſſe bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam ac potentiam Dei. Qua de re Diuus Thomas *q. 1. art. 1.* aliique *hoc loco* Theologi, & nos *capitib. ſeqq.*

12. Petes, vtrum tam alta dari poſſit reuelatio, aut etiam viſio beatifica, vt illa ſuppoſita intellectus valeat ſuis viribus medium quoddam demonſtratiuum inuenire ad euidenter probandam incarnationis poſſibilitatem. Reſpondent aliqui nullum tale medium reperiri poſſe intrinſecum, quod ex natura rei talem coniunctionem cum incarnatione habeat, vt ex illo poſſit inferri. Dixi, intrinſecum, & ex natura rei: nam medium extrinſecum (qualis eſt teſtificatio diuina) patet ita cognoſci poſſe, vt ex eo euidenter colligatur incarnationis poſſibilitas, imò & exiſtentia. Crediderim etiam nihilominus multa per reuelationem, aut per viſionem beatificam exhiberi creatæ menti poſſe, quæ talem habeant cum poſſibilitate vnionis hypoſtaticæ connexionem, vt ipſa ex iis cognitis, tanquam ex medio intrinſeco, inferri poſſit euidenter. Talia ſunt tres ſubſiſtentiæ diuinæ diſtinctè cognitæ; potentia, quæ illius eſt productiua; cauſa eiuſdem in Deo idæalis, &c.

CAPVT II.

Veram Dei Incarnationem, vnionémque hypoſtaticam in germano Meſſiæ, ſeu Chriſti conceptu includi.

1. ANTEQVAM Meſſiam, ſeu Chriſtum veniſſe monſtremus, operæ pretium videtur, vt proprium, germanúmque conceptum exponamus ipſius Meſſiæ; quem & Iudæi expectant, & nos veniſſe pro certo habemus; vt quis, & qualis ille ſit, de quo nobis inſtituta diſputatio eſt, intelligatur. Ille autem eius erit verus, legitimúſque conceptus, qui veram in ipſo incarnationem, hoc eſt vnionem mirabilem, quâ Deus carnem ſibi copulauit, admittet. Itaque re idem eſt Meſſiam veniſſe, & veram incarnationem extitiſſe, hæc tamen duo diſtinguenda ſunt nobis propter Iudæorum errorem; qui, quòd eum, quem expectant, Meſſiam, negent Deum eſſe debere, non putant ad eius aduentum vnionem hypoſtaticam neceſſariam eſſe. Et qui ab illis per argumenta euicerit, Meſſiam de facto veniſſe, non propterea obtinuerit incarnationem extitiſſe: ſed ei ſecundus in Meſſiæ diuinitate probanda ſupererit labor. Aduertendum item eſt non paucos, qui Chriſtianam fidem profitebantur, extitiſſe hæreticos: qui quamuis Chriſtum aliquo modo Deum, & hominem faterentur; ſic tamen totum hoc myſterium explicarent, vt propriam, & qualem Eccleſia Catholica tenet, incarnationem deſtruerent, cùm in Chriſto vel impropriam diuinitatem, vt Ariani; vel fictam humanitatem, vt Valentiniani, & Manichæi; vel vtriuſque naturæ confuſionem, vt Eutychiani; vel duplicem perſonalitatem, vt

Neſtoriani; vel communem toti Diuinitati, ſublatò perſonarum diſcrimine, vnionem hypoſtaticam, vt Sabelliani, aut aliquid ſimile monſtroſum inducerent. Quare non contra ſolos Iudæos pro incarnationis veritate, ſed etiam contra varios hæreticos Theologo propugnatio ſuſcipienda eſt. Sed & contra Ethnicos congrediendum; quibus & Dei incarnatio, & omnia quæ de Chriſto prædicamus, pro anilibus habentur delirationibus. Ipſi denique in ſua fide non tuendi ſolùm, ſed & docendi, firmandique ſunt Catholici, vnde intelligis non eandem hic ſeruandam eſſe cum omnibus palæſtram in Meſſiæ, & incarnationis probanda exiſtentia. Nam aliter procedendum eſt cum Catholicis per omnia fidelibus; aliter cum Ethnicis per omnia infidelibus; aliter cum Iudæis, qui Meſſiam nec adhuc natum, nec Deum futurum credunt; aliter denique, atque aliter cum vario hæreticorum grege, qui Meſſiæ iam nati Myſteria diuerſimodè corruperunt.

2. Ac primò, quod attinet ad Catholicos nulla cõtentio neceſſaria eſt. Hi enim, ſi ſuum nomen ſaluum eſſe velint, Chriſtum verum Deum & verum hominem vnica Verbi perſonalitate ſubſiſtentem, iam ante mille ac ſexcentos annos veniſſe credunt: eiuſque verã ex humanitate, Diuinitateque conſtitutionem, tum à Conciliis Nicæno, Epheſino, Chalcedonenſi, &c. tum à toto Nouo Teſtamento ita clarè percipiunt, vt cum illis nulla hîc difficultas, quæ Theologicam operam requirat, ad probandam exiſtentiam veræ incarnationis ſuperſit. Legantur ſolùm, quæ iam laudaui Concilia: euoluatur Noui Teſtamenti Codex, qui paſſim de Chriſto vt homine, veróque Deo (quemadmodum paulò poſt videbimus) diſſerit. Si quis autem ad explicandas in hoc Myſterio Theologicas ſubtilitates aliquid deſiderat, integrum habet hunc de Incarnatione Tractatum, quo abundè omnia explanantur.

3. Quod ad Ethnicos pertinet: Illis, cùm Chriſtum nec veniſſe, nec venturum putent, probanda ſunt prima tam ſublimis fidei fundamenta; non Scripturis, cùm non ſint iis credituri, niſi fortè Sibyllinis; non rationibus naturalibus, cùm nullæ ſint, quæ euidenter Deum hoc Myſterium vel voluiſſe, vel potuiſſe oſtendant; ſed communibus credibilitatis argumentis, de quibus diſputatur 2. 2. *in tract. de fide.* Nec aliud hoc loco dicendum videtur. Quare iam Ethnicos relinquamus. Moneo tamen, iis Prophetiis quas contra Iudæos ex antiquo Teſtamento proferimus, Ethnicos (licèt apud eos ſacræ Literæ nullam alioquin authoritatem habeant) poſſe eatenus conuinci, quatenùs conſtat huiuſmodi Prophetias, non fuiſſe à Chriſtianis confictas, ſed deſumptas à Iudæorum, qui Chriſti ſunt hoſtes, libris: Atqui impoſſibile eſt, quæ Chriſto contigiſſe nouit totus orbis, fuiſſe tanto ante literis expreſſa, niſi numine afflante, ac per conſequens teſtificante.

4. Contra Iudæos duo nobis ad perfectam incarnationis probationem euincenda ſunt. Nempe Meſſiam, qualem venturum diuina Oracula prænunciarunt, duplici conſtare natura per vnionem cum Verbo hypoſtaticam copulata, vtpotè Deum ſimul & hominem: præterea, illum ipſum Meſſiam ex Maria Virgine pridem ortum accepiſſe. Et quidem hoc poſterius, quia prolixiorem habet diſputationem, ad ſequentis libri capita reiiciemus. Prius autem, quod ad hypoſtaticam vnionem adſtruendam ſpectat, hoc capite tractabimus, contra ipſos Iudæos ſimul & quoſdam hæreticos. Cùm enim hæretici variè ſinceritatem Incarnationis corruperint, ſunt eos inter nonnulli, qui Diuinitatem in Chriſto

Digitized by Google

perinde ac Iudæi negauerint. Quare horum & illorum error eadem ſimul opera confutatus manebit illis rationibus, quibus vnionem verè extitiſſe in Chriſto hypoſtaticam conuincimus: eas verò rationes in hunc includimus ſyllogiſmum, qui contra omnium in hac materia errores, etiam eorum qui veram in Chriſto humanitatem negant, ita procedit.

5. Si Meſſias verè eſt homo & Deus, neceſſarium eſt duas naturas, humanam & diuinam in eo coniunctas eſſe hypoſtaticè per veram Incarnationem: Atqui certum eſt illum eſſe verè hominem & Deum: Ergo, &c. Maior eſt indubitata. Non enim poteſt verè ac propriè vna eadémque perſona homo eſſe ſimul & Deus, niſi conſtituatur per humanitatem, & diuinitatem hypoſtaticè coniunctas actione, quam incarnationis nomine intelligimus. Minor quoad priorem partem, quæ eſt de humanitate Meſſiæ, conceditur à Iudæis. Certúmque eſt non alium à Deo promiſſum, neque à Prophetis prænunciatum fuiſſe Meſſiam, quàm qui foret ex ſemine Abrahæ, de femore Iacob, filius Dauid; & quoad naturam ſimilis Moyſi, fratérque Iudæorum, vt Moyſes ipſe teſtatur, cum ait; *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus. Deuteron. cap.* 18. Illi autem hæretici, qui veram in Chriſto humanitatem non agnouerunt, conuincuntur præterea manifeſtiſſimis Noui Teſtamenti, quod admittunt, teſtimoniis, quibus illius ex muliere natiuitas, ætatis incrementa, humanæ operationes, & tum corporis, tum animæ paſſiones, mors, aliáque eiuſmodi indicantur, quæ non poſſunt, niſi in verum hominem conuenire. Habetur, inquam, ex Euangeliis eundem habuiſſe animam humanam, vtpotè quæ triſtaretur, *Marci* 14. quæ turbaretur, *Ioan.* 12. habuiſſe humanum ſpiritum, carnem, oſſa, *Ioan.* 19. *& Luc.* 24. quare non rarò eædem Scripturæ Chriſtum expreſsè appellant hominem: vt *Ioan.* 8. *Quæritis me interficere*, ait de ſe Chriſtus ipſe, *hominem, qui veritatem vobis loquutus ſum.* Eundem appellant hominem Iudæi, *Ioan.* 10. *Tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum:* & cæcus viſu accepto, *Ille homo, qui dicitur Ieſus.* Item centurio diuinitùs illuſtratus; *Verè hic homo filius Dei erat.* Paulus etiam eodem, quo Adamum, modo Chriſtum hominem vocat, *ad Rom.* 5. *verſ.* 15. *Sicut per vnum hominem*, &c. *multò magis gratia Dei in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti.* Alia omitto plurima ſimilia. Locum elegantem non omittam Vincentij Lirinenſis contra illos hæreticos, qui cum veram in Chriſto admittant Dei Perſonam, volunt tamen eum humanitatis, qua careat, actiones fictè imitando, geſſiſſe hominis velut in ſcena perſonam. Cauendum nobis ait eſſe, ne dicamus quòd Deus Verbum ſolâ imitatione actionis, quæ ſunt naturę noſtræ, quaſi adumbratus homo ſuſceperit, ſicut in theatris fieri ſolet; vbi ſic aliorum officia aut opera patrantur, vt tamen hi, qui agunt, non ſint ipſi, quos agunt. *Abſit à nobis hoc ſceleratum ludibrium. Abiiciatur tota perſona illius intelligentia, vbi aliud eſt, & aliud ſimulatur. Abſit vt hoc fallaci modo Deus Verbum hominis perſonam ſuſcepiſſe credatur. Sed ita potiùs, vt ipſe caro, ipſe homo exiſteret, non ſimulatoria perſonâ, non imitatiuâ, non denique qua cum actione deſiſteret.*

6. Secunda pars minoris, in facto ſuperiùs ſyllogiſmo, Meſſiam Deum eſſe verum affirmabat, eíque cum Iudæis nonnulli repugnant hæretici. Sed contra vtroſque faciunt multa Veteris Inſtrumenti loca. Et quidem Paulus *in Epiſt.* ad ipſos Iudæos ſcripta vim facit magnam obiecto Dauidis eo loco *ex Pſal.* 2. *Filius meus es tu; Ego hodie genui te.* In quo Pſalmo ſermonem eſſe de Meſſia ſupponit Apoſtolus, vt rem indubitatam apud ipſos Iudæos ſui temporis; quod etiam ſupponitur *Act. cap.* 4. Cùm autem Meſſiam Deus filium ſuum ibi vocat, intelligit naturalem. Talem enim propriè ſignificat nomen Filius, & non eſt cur impropriè ſumas. Significant item talem illa Pſalmi 109. verba, *Ex vtero* (hoc eſt, ex ſubſtantia mea) *genui te.* Diuinitatem in Meſſia probant etiam loca omnia Scripturæ Veteris; in quibus ille nomine tetragrammato, & Dei proprio inſignitur: vt *Ierem.* 23. *hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*, יְהוָה צִדְקֵנוּ Plurima ſimilia videre potes apud Galatinum *lib.* 3. quorum locorum authoritati derogare non poteſt, quòd Moyſes, vt ſupra retulimus, dixerit *Deuteron. cap.* 18. Meſſiam fore Prophetam ſimilem ſibi, & fratrem Iudæorum, & ſuſcitandum à Deo, vt loquatur ipſe populo, Deum loquentem audire nolenti. Ibi enim duntaxat ſignificatur Meſſiam ex ſtirpe naſciturum Iudæorum, atque futurum Moyſi in natura ſimilem, & in officio Prophetæ, ac Legiſlatoris; atque Deum populo non per ſuam diuinitatem cum fulgetris & ſignis, vt antea, ſed per ipſius Chriſti humanitatem, prædicationémque loquuturum. Non tamen ideò negatur illum fore etiam Deum, atque in multis Moyſe ſuperiorem. Et à Iudæis peto, num quem expectant Meſſiam, velint nulla in re eſſe Moyſe perfectiorem?

7. Aduersùs hæreticos eadem veritas Diuinæ in Chriſto Naturæ oſtenditur multis etiam aliis ex Nouo Teſtamento locis. Vt cùm Thomas *Ioan.* 20. Chriſtum adorans exclamauit; *Dominus meus, & Deus meus*; quam confeſſionem Chriſtus approbauit. Et cùm Paulus *ad Rom. c.* 9. dixit; *Ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus.* Legi poteſt totum Caput primum & ſecundum Epiſtolæ ad Hæbreos. Eandem veritatem Chriſtus ipſe non rarò prædicabat, & quidem tam apertè, vt Iudæi de lapidatione in eum ideò facienda cogitarent. Nam *Ioan.* 8. cùm dixiſſet, *Antequam Abraham fieret, Ego ſum*; *Ioannis* item 10. poſtquàm pronunciaſſet, *Ego & Pater vnum ſumus*; ſuſtulerunt lapides Iudæi: rationémque reddiderunt; *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia; & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Valde item expreſsè Ioannes *Epiſtolæ* 1. *c.* 5. cùm dixiſſet Ieſum Chriſtum natum eſſe ex Deo, in fine concludit; *hic eſt verus Deus*, vbi Arianorum frangitur obſtinatio, qui fatebantur Chriſtum fuiſſe quidem Deum, ſed æquiuocè, & non verum. Denique inſignis eſt, tanquam præcipuum in hac materia fundamentum, ille ex *Euangelio Ioan. c.* 1. locus; *Verbum caro factum eſt.* De quo Verbo dictum anteà fuerat, *Deus erat verbum.* Manifeſtum autem eſt iſto loco Euangeliſtam loqui de vero Deo; & aſſerere, quòd verbum illud caro factum, is ipſe Deus ſit, apud quem in principio erat idem ipſum Verbum. Nec valet quicquam inepta, & Grammaticum ſolum ſapiens obſeruatio Eraſmi admonentis, quòd, cùm in Græco dicitur ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, deſignatur Pater Deus cum articulo; vt nimirum ſignificatio Θεοῦ attollatur altiùs, ac verus Deus denoteretur: Cùm autem ſubditur, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, Filius deſignatur Deus ſine articulo. Nihil, inquam, id valet: Atque iſtæ in articulis & nominibus argutiæ Theologum malum produnt, & Grammaticum non ſat bonum. Nam nec articulus neceſſarius eſt nomini Θεός, ad verum Deum in Scriptura deſignandum; vt patet inferiùs *eodem cap.* cùm dicitur, *Deum nemo vidit vnquam*; Item, *Fuit homo*

miſſus

Digitized by Google

miſſus à Deo: Nec etiam alibi deeſt ille articulus, cùm dicitur Chriſtus Deus, vt *Ioan.* 20. *verſ.* 28. Porrò cùm Ioannes initio ſui Euangelij articulum nomini Dei præfigit, πρὸς τὸν Θεόν, non ſignificatur Deus, vt communis tribus perſonis ſecundùm naturam, ſed vt eſt nominatim Pater; atque ideò fuit opus articulo. Deinde verò cùm ſubdit, *Deus erat verbum*, non poſuit articulum, quia ſignificatur Deus ſecundùm naturam, & vt communis tribus Perſonis, ac per conſequens de ipſo verbo prædicabilis. In iis enim Euangeliſtæ verbis, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, nomen Θεὸς eſt prædicatum, λόγος autem ſubiectum: quare iſtud ſumitur pro ſuppoſito, illud autem pro natura, quam ſignificat tribus communem Perſonis: quo ferè modo vniuerſalia iuxta Logicos, prædicantur ſeruata ſua vniuerſalitate.

8. Ex dictis probatum manet, veram eſſe in Chriſto humanitatem, contra quoſdam hæreticos; & veram pariter Diuinitatem, tum contra Iudæos, authoritate veteris Teſtamenti; tum contra quoſdam alios hæreticos, authoritate Teſtaméti vtriuſque. Sed attendendum eſt, ambas illas naturas non quocunque modo inuicem copulatas eſſe: Non enim vniuntur morali, quâ Neſtorius volebat, coniunctione; quo modo vniri duo, v.g. ſolēt amici, quorum dicitur cor vnum, & anima vna. Vniuntur igitur eo phyſico nexu, qui in humanitate ſubſiſtentiam propriam non habente ſic recipitur, vt terminetur immediatè, non ad Diuinitatem, ſed ad ſecundam eius hypoſtaſin. Quod nexus hypoſtatici genus importatur, cùm dicitur, *Verbum caro factum eſt.* Nam ſi Verbum fuiſſet amicitia ſola, aut alio morali modo coniunctum cum homine ſuam creatam ſubſiſtentiam habente, non diceretur magis factum eſſe homo, quàm Ionathas factus eſſe Dauid, quando illius anima eſt huius conglutinata animæ. Igitur vt Verbum caro factum eſſe verè ac propriè dicatur, oportet carnem à Verbo aſſumptam eſſe vera vnione hypoſtatica, fundante communicationem idiomatum inter duo illa extrema: qualis propria communio inter amicos non reperitur. Atque ita perſpicuum eſt quod huius capitis titulus proponebat, veram Dei Incarnationem, ſiue vnionem hypoſtaticam in Chriſti conceptu includi.

CAPVT III.

An abſolutè, & nulla facta ſuppoſitione, fuerit neceſſarium decerni à Deo vnionem hypoſtaticam.

1. VNIONEM hypoſtaticam (quam huius libri *cap.* 5. videbimus fuiſſe valdè conuenientem) neceſſariam abſolutè, nullâque facta ſuppoſitione fuiſſe, non quidem phyſicè, ſed moraliter defendit P. Iacobus Granadus *in* 1. *part. tract.* 2. *de volūtate Dei, diſp.* 3. vbi obiecta diuinæ potentiæ, quæ inter ſe æqualia non ſint (hoc eſt, in quibus eligendis maior ſit, minórve perfectio) diſtinguit: primò quidem in ea, in quibus non abitur in infinitum, ſed certus quidem terminus reperitur; cuiuſmodi ſunt illa, inquit, quæ ſpectant ad extrema contradictoriè oppoſita, v.g. incarnatio, non incarnatio; prædeſtinatio, non prædeſtinatio; exiſtentia mundi, non exiſtentia mundi, &c. Secundò autem in ea, in quibus abitur in infinitum, vt ſunt multitudo indiuiduorum alicuius ſpeciei, perfectio ſpecierum ſub aliquo genere, inchoatio mundi in hoc inſtanti temporis, aut aliis infinitis inſtantibus, quæ antecedere, vel ſubſequi potuerunt, &c. Atque in hoc ſecundo rerum genere ait Deum non neceſſitari ad faciendum id, quod ſit optimum, ſeu perfectiſſimum; cùm nempe in iis rebus optimum nullum determinari poſſit. Quamcunque enim hominum multitudinem, v. g. aut animalium varietatem creaſſe Deus ſupponatur, interrogari poterit, cur non maiorem; atque ita aggregando ſemper eadem in infinitum, ſupererit facienda interrogatio, &c. In priori autem rerum genere, in quo datur aliquid optimum & perfectiſſimum, aſſerit Deum à ſua bonitate naturali neceſſitari moraliter ad id eligendum, quod optimum eſt. Nempe habere quidem ad oppoſitum faciendū aliquam potentiam metaphyſicam, vel phyſicam, quæ ad ſaluandam libertatem ſufficit; non tamen habere moralem. Quomodo dicimus S. Paulum efficaciſſimæ ſuæ vocationi reſiſtere potuiſſe phyſicè, non tamen moraliter: quo etiam modo omnes poſſumus cum auxiliis gratiæ ordinariis ſuperare quaſcunque tentationes, occaſionéſque peccandi venialiter: quod etſi phyſicè poſſit, nunquam tamen euenit.

2. Probat hic Author ſuam illam, quæ verè noua & ſingularis eſt, ſententiam, adductis quibuſdam primùm authoritatibus; ex ipſoque ait, colligi Ariſtotele, *Naturam* (atque adeò naturæ parentem) *facere ſemper optimum, quod poteſt. Id quod preſtat* (inquit Philoſophus 8. *Phyſicor. cap.* 6. *text.* 56.) *in natura eſſe, modò poſſit, arbitramur.* Affert deinde quædam SS. Patrum teſtimonia, quæ videre potes. Præcipuè verò attendenda ſunt illa verba D. Auguſtini *lib.* 3. *de libero arbitr. cap.* 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.*

3. Probationes etiam adducit ex ratione deſumptas. Nam quiſquis aliquem efficaciter, & perfectè amat, vult ei procurare maximum, quod poteſt bonum; atque ſi non procurat, cùm facilè poſſit, cenſetur ab amore eatenus deficere. Ergo cùm Deus perfectiſſimè ſe amet, neceſſitatem habet, ſaltem moralem procurandi ſibi maximum, quod poteſt bonum extrinſecum per creaturarum productionem. Conſtat autem eò maius procurari Deo bonum, maioremque gloriam, quò perfectiorum eſt creaturarum productio. Confirmatur: Quia diuinus intellectus non poteſt non iudicare, meliùs eſſe ad ipſius Dei gloriam, vt perfectiſſimæ creaturæ, quàm vt minùs perfectæ producantur. Atqui voluntas diuina intellectui diuino debet penitus conformari, cùm & hic perfectiſſimus, & illa rectiſſima ſit. Præterea Deus eſt infinitum bonum: Ergo eſt ſui diffuſiuus infinitè, & quantùm poteſt. Item Deus eſt præſtantiſſimus artifex, non tantùm in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo; id enim maiorem denotat in artifice præſtantiam, ſi non tantùm norit ac poſſit eximia opera in lucem edere, ſed etiam reipſa in lucem edat. Denique argumentum ſumitur à poſteriori, ex mirabili mundi pulchritudine, rerúmque concinnitate: fecit enim Deus in natura, quod melius erat, & optimo modo vniuerſa exequutus eſt, vt inductione patet in omni rerum ordine.

4. Hæc ſententia meritò communiter improbatur, eámque fuſè refutant de Lugo *diſp.* 2. *ſect.* 1. & *ſeqq.* atque Ariaga tum hîc *diſp.* 2. *ſect.* 3. tum *in* 1. *part. diſp.* 27. *à num.* 2. *vſque ad* 48. In ea verò in primis reprehendendum occurrit, quod ad præſentis explicationé difficultatis obiecta diuinæ potentiæ, quæ inter ſe inæqualia ſint, in duas pro mero arbitrio partes tam inutiliter diuidat, vt eadem diuidendi ratione

Digitized by Google

ſeruata contrarium omnino, quàm ipſe Granadus intendat, conficiatur; nimirum & incarnationem non eſſe Deo moraliter neceſſariam; & ex aduerſo cuiuſcunque ſpeciei (puta Angelicæ, verbi cauſâ) creationem eſſe neceſſariam. Ait enim, in iis quidem quæ contradictoriè opponuntur dari optimum, ad quod à bonitate ſua determinari Deum oporteat; atque ita debuiſſe neceſſariò incarnationem, vtpotè meliorem non incarnatione, à Deo ſeligi, ac decerni: In aliis autem, quòd abeant in infinitum, non poſſe inueniri perfectiſſimum, quod Deus eligat; quamcunque enim ſpecierum, v. c. varietatem aut perfectionem producat, poterit maiorem, ac maiorem in infinitum. Cùm, inquam, prædicta rerum diuiſione facta hic Author Deum ab incarnatione abſtinere non debuiſſe, nec moraliter potuiſſe concluſerit; quid vetat quin pari iure, & eadem ſeruata diuiſione procedéndique ratione, concludam non potuiſſe in incarnatione inueniri rationem optimi, ad quam Deus determinaretur; & è contrà rationem optimi inueniri in cuiuſcumque ſpeciei perfectione, putà in humana, vel angelica natura? quod ſic oſtendo. Certum eſt Deum in omnibus operibus ſuis quærere ſuam glorificationem; atque glorificationum, quas Deus eligere poſſit, nullam eſſe tantam, quin maior, & maior dari poſſit in infinitum. Ergo cùm incarnatio glorificationes inter diuinas (ſub quarum genere patet ipſam conſiderari poſſe) nequeat eſſe ſumma; quid erit, cur Deus neceſſariò debeat ad illam determinari? Simul verò contra eundem Granadum conficiam determinari neceſſariò Deum debere ad creationem Angelicæ v. g. naturæ. Nam iuxta ipſum, in iis quæ contradictoriè opponuntur datur optimum, ad quod Deus determinari debeat. Ergo cùm creatio Angeli, & non creatio Angeli ſint contradictoria, non minùs quàm incarnatio, & non incarnatio; tam potero ego aſſerere quòd Deus ad creationem Angeli determinari debeat, quàm tu id aſſeras de incarnatione. Nec refert, quòd ſupra creationem Angeli poſſibiles ſint in infinitum aliæ perfectiorum naturarum creationes: Nam ſunt etiam ſupra incarnationem, quam Deus elegit, aliæ profectiores vniones hypoſtaticæ (puta cum naturis Angelicis) atque infinitæ aliæ res, quæ ad glorificationem Dei maiorem facere poſſent.

5. Impugnatur etiam ea Granadi ſententia ex eo quòd plurimum deroget libertati Dei: ſiue primò neceſſitas illa, & determinatio moralis conſideretur in ſe ipſa, & in effectu quaſi formali, quem habet in voluntate diuina; ſiue ſecundò conſideretur in ſua cauſa; ſiue tertiò in quibuſdam ex ea conſectariis abſurdis. Nam quod attinet ad primum, in omni voluntate, quantum admittitur neceſſitatis antecedentis, tantum, eademque proportione de libertate demitur, vt per ſe conſtat. Igitur cùm antecedens aſſeritur in voluntate diuina neceſſitas, quæ moralis ſit, licèt non phyſica, clarum eſt in Deo non relinqui plenam, perfectámque libertatem, quæ tum moralis ſit, tum phyſica. Idque dum concedunt ac profitentur aduerſarij, magnam ponunt imperfectionem in Deo: valdéque minuunt dominium, quod habet in creaturas. Cùm enim ille ſolus ſit perfectè Dominus cuiuſpiam rei, qui poteſt illam ponere, non ponere, deſtruere, conſeruare, &c. Quomodo Deus illarum erit plenè perfectéque Dominus creaturarum, quas ei ex principio intrinſeco ſuæ bonitatis ſic eſt moraliter impoſſibile non ponere, vt infallibiliter eas de facto nunquam omittat producere; & quas ſi omitteret, oporteret ipſum aliud habere bonitatis genus, quàm ſit illud, quod ei naturale eſt, & à quo ad eas producendas neceſſitatur moraliter? Quomodo eſt perfectè Dominus omnis mundi, ſi ab omnis mundi creatione abſtinere non potuit; & cùm quem creauerit, non poſſit ita deſtruere, vt nullum alium condat? Inde etiam ſequitur, quòd vt vidimus quædam dari iuxta hanc ſententiam, entia, à quibus condendis abſtinere Deus moraliter nequeat; ita concedendum ſit, dari quædam phyſicè poſſibilia, quæ ſaluo bonitatis ſuæ eſſentiali principio, ponere nunquam moraliter poteſt. Exempli causâ, cùm phyſicè poſſet Deus vnionem nullam hypoſtaticam decernere, phyſicè etiam poterat per Scripturam Sacram, aut aliter reuelare nullam eſſe, nec fore aliquando vnionem hypoſtaticam. Illa ergo reuelatio de nunquam futura vnione, illa ſcriptura, & noſter fidei circa illam actus (qui phyſicè tam poſſibilis eſt, quàm decretum de nulla vnione hypoſtatica vnquam futura) tam neceſſariò debuit nunquam poni, quàm neceſſariò incarnatio debuit poni. Atque ita, vt incarnatio non eſt plenè in dominio Dei, vtpote moraliter neceſſaria: ſic nec eſt plenè in dominio Dei reuelatio, aut Fidei diuinæ actus de nunquam extitura incarnatione; vtpote moraliter impoſſibilis. Non enim magis eſt in ipſius Dei poteſtate facere, vt talis reuelatio, & fidei circa illam actus, qui eſt ens verè reale, exiſtentiam accipiat, quàm ſit in meæ poteſtate vitare omnia peccata venialia.

6. Vt prædicta neceſſitas moralis, ſi conſideretur in ſe, & in effectu formali, quem habet in voluntate diuina, tollit à Deo libertatis perfectionem, plenúmque dominium in creaturas: Ita ſecundò ſi conſideretur in ſua cauſa non minorem facit iniuriam Deo. Etenim moralis (vt experimur in noſtra voluntate) neceſſitas prouenit ex debilitate ipſius voluntatis non ſat valentis ſuperare difficultatem quam patitur in aliquo obiecto. Patet autem, quàm ſit abſurdum, ſi quis dicat offerri poſſe Deo difficultatem, quam eius vis volitiua non niſi ægrè ſuperare poſſit. Nec valet ſi dicas illam neceſſitatem moralem oriri in Deo non ex imbecillitate voluntatis, ſed ex ſumma perfectione bonitatis, ac liberalitatis, & ſumma propenſione ad ſui communicationem; ita vt è contra foret imbecillitas voluntatis, ſi Deus tali propenſioni bonitatis ſuæ reſiſteret. Quemadmodum non deberet dici corroboratio voluntatis in eo qui videt Deum clarè, ſi poſſet non amando reſiſtere illius amabilitati, & attractioni. Id, inquam, non valet: Deus enim tale eſt obiectum, vt nulla queat dari ratio eum clarè viſum non amandi. In præſenti autem negotio non eſt ita, ſed longè aliter. Nam cùm nullæ creaturæ fruſtrà contineantur in omnipotentia phyſica diuina, & omnes contineantur vt ſubiacentes perfecto Creatoris dominio: non eſt dicendum, talem eſſe bonitatem Dei, quæ ſic ſuperet vim ipſius Dei volitiuam, vt & ex vna parte impediat, ne ſit vnquam de facto efficax decretum ad aliquas (bonas nec inuoluentes peccaminoſitatem, qualem inuoluit, v. c. odium Dei, &c.) condendas creaturas; quæ nimirum lateant quaſi aliquo modo impoſſibiles in omnipotentia Dei, producibilitatem habentes tantùm irritam, inefficacem, atque inutilem: Et ex altera parte faciat, vt aliquæ ſint res quæ tam parum ſubſint dominio Dei, vt earum exiſtentiam impedire Deus magis non poſſit, quàm nos poſſimus impedire exiſtentiam omnium omninò peccatorum venialium. Sanè cùm in Dei eſſentia omnia ſint ordinatiſſima, patet oportere, vt potentiæ executiuæ reali,

Digitized by Google

veræ ac perfectæ reſpondere poſſit actus voluntatis efficax moraliter poſſibilis; qualis neceſſarius eſt vt ipſa executiua potentia vel applicetur vt in actum reducatur, vel ſuſpendatur pro dominio, quod Deus habet in creaturas quaſcumque, etiam perfectiſſimas.

7. Si tertiò neceſſitas moralis, quæ in diuina voluntate adſtruitur, conſideretur in conſectariis quibuſdam & abſurdis, quæ ex illa oriuntur, apparet omninè improbabilis. Siquidem ex ea ſequitur inanes ac ſuperuacaneas eſſe illas omnes orationes quas ad Deum pro re quæ melior ſit ipſa, quàm non ipſa, fundimus: Atque ita non potuiſſe priſcos Patriarchas, niſi ſuperſtitiosè, petere Meſſiæ aduentum & incarnationem; cùm ſecundùm aduerſariorum ſententiam impoſſibile moraliter Deo eſſet illam omittere. Quàm enim riſu foret ille dignus, qui hominem videns ad aliquam rem faciendam propetare ac ruere, ita vt nullatenùs impediri queat; multis ab eo lachrymis, & aſſiduo repetitóque efflagitatu contenderet, vt eam ipſam rem facere vellet? aut qui, v. c. matrem aliquam amore filij vnici flagrantem obteſtaretur enixiſſimè, eum vt filium velit eſſe ſaluum, nec de illo cogitet ſuffocando? & ex contrario, quàm inconſultæ, & inconſideratæ forent illius preces, qui quod ſciret eſſe moraliter impoſſibile, poſtularet? v. g. ſi te quis obſecraret vt ſua cauſa vitares per annum integrum omnia peccata venialia? Videant aduerſarij quid ſibi voluerit Chriſtus *Marci* 14. cùm patrem his verbis precatus eſt; *Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer Calicem hunc à me.* Sanè dubium non eſt, quin Chriſtus ſciret hominum per crucem redemptionem, melius quid eſſe, quàm non redemptionem. Et tamen clarum eſt, eum non iudicaſſe Patrem ſic determinatum eſſe circa illam, vt moraliter impoſſibile eſſet ipſam omitti, ſibique quod petebat concedi. Quare cùm dixit; *omnia tibi poſſibilia ſunt*, non loquebatur de poſſibilitate phyſica, quæ ſit moralis impoſſibilitas. Alioquin fuiſſet orationis illius ab eo inſtitutæ ſenſus talis; Pater transfer calicem hunc à me; quandoquidem id tibi eſt ita poſſibile phyſicè, vt moraliter ſit planè impoſſibile, & ſciam te nunquam id eſſe facturum. Præterea hîc addendum eſt, quòd vt neceſſariæ non forent in aduerſariorum ſententia pro vlla re, quæ melior ſit ipſa, quàm non ipſa, noſtræ preces; ſic & ſine fundamento forent gratiarum actiones poſt illa bona à Deo accepta, ad quæ largienda Deus erat ita determinatus ac neceſſitatus moraliter, vt niſi à ſumma bonitate diſcederet, naturæque ſuæ vim inferret, ea negare non poſſet. Hæc meliùs intelligentur, magiſque roborabuntur *num. ſeq.*

8. Denique contra doctrinam Granadi fortiùs etiam illud occurrit, quòd ex iis quæ *ſect.* 6. docet conficiatur Deum carere libertate circa decernendam v. c. incarnationem, non ſolùm, vt ipſe putat, morali, ſed etiam phyſica. Concedit enim *eo loci n.* 31. Deum non fore Deum, ſi non vellet quod melius eſt: quia velle Deum id quod melius eſt, oritur, inquit, ex propria illius natura & perfectiſſimo ſuæ bonitatis amore. Quare ſi vellet id quod minùs bonum eſt, conuinceretur habere aliam naturam, minúſque perfectè ſuam bonitatem amare; quod eſt non eſſe Deum. Contra quam doctrinam in promptu eſt ſic argumentari. Si nolle id quod melius eſt (puta incarnationem) ſit Deum, non eſſe Deum; ſanè ſicut Deus nullam potentiam habet nec moralem, nec phyſicam, vt non ſit Deus; ita nec vt nolit incarnationem: cùm inquam, per te nolle incarnationem, & non eſſe Deum ſint idem: quando enim duo ſunt eſſentialiter connexa, ita vt vnum nequeat vllo modo ab altero ſeparari; qui non habet ad illorum vnum phyſicam potentiam, non habet etiam ad alterum. Nec valet quod author iſte reſpondet, poſſe fieri, vt quod phyſicè eſſentialiterque neceſſarium eſt, ſe habeat inſeparabiliter & conuertibiliter cum eo quod eſt phyſicè liberum, ſeu contingens, moraliter tamen neceſſarium; quia ſcilicet, quod eſt moraliter neceſſarium, tam infallibilem habet exiſtentiam, ac illud quod eſt neceſſarium phyſicè & eſſentialiter: Quare duo, quorum vnum habeat moralem duntaxat, alterum verò phyſicam neceſſitatem, poſſunt à Deo arctè & inſeparabiliter connecti; vt ſi illud deforet, illud non poſſet eſſe. Cuius in rei probationem exemplum affert ſuo, vt ait, iudicio manifeſtum, ſic argumentando: Homo habet neceſſitatem phyſicam vt ſit homo, ſiue non habet potentiam phyſicam vt non ſit homo: neceſſitatem verò habet tantùm moralem & non phyſicam, vt ſi ſpeciali careat priuilegio, peccet aliquando venialiter. Et illæ duæ neceſſitates, nempe phyſica, vt ſit homo, & moralis, vt peccet aliquando venialiter, ſic ſunt inter ſe coniunctæ; vt ſi homo ſpeciali priuilegio deſtitutus, nunquam peccaret venialiter, non eſſet homo. Quare vitioſa eſt, inquit, hæc argumentatio: Si homo priuilegio carens, nunquam venialiter peccaret, non eſſet homo: ſed non habet potentiam phyſicam, vt non ſit homo: Ergo non habet potentiam phyſicam, vt non peccet venialiter. Sic prædictus author philoſophatur, ſed malè: falſum enim eſt, id quod habet abſolutam, phyſicamque neceſſitatem exiſtendi, poſſe tam arcte & inſeparabiliter colligari cum eo quod non habet phyſicam, ſed tantùm moralem exiſtendi neceſſitatem; vt ſi iſtud eſſe deſineret, illud ſimul foret deſiturum. Quare falſa eſt illa propoſitio, & mera hallucinatio ipſis vel auribus reſpuenda, quod Deus ſi nollet, v. g. incarnationem, non eſſet Deus. Quod attinet ad exēplum hominis neceſſitati ad peccandum venialiter; dico negandam eſſe illam propoſitionem, quam Granadus ſupponit vt certam; ſi homo priuilegio carens nunquam peccaret venialiter, non eſſet homo. Quamuis enim neceſſitate non tantùm morali, ſed phyſica & omnimoda, homo liberum arbitrium tale habeat, vt imbecillum ſit in actu primo; atque adeò propter illam neceſſitatem phyſicam verum ſit, ſi homo haberet naturale arbitrium carens imbecillitate in actu primo, non eſſet homo; tamen non idem eſt de peccato in actu ſecundo, ad quod homo nullam habet neceſſitatem phyſicam, quin imò habet potentiam phyſicam (cui gratia abſolutè ſufficiat ordinaria) ad nullo modo peccandum; habet & fundatam in ea potentia obligationem. Cui obligationi ſi ſatisfaceret, naturam ſuam nec deſtrueret, nec deſtructam ſupponeret; ſed eam perficeret, ac viribus, quas ipſa illi antecedenter ſuppeditat, vteretur. Quare illa duo ſe compatiuntur, maleque ſupponuntur ſe habere contradictoriè, neceſſitas moralis peccandi aliquando venialiter, & nunquam in actu ſecundo peccare venialiter. Atque ita manente natura hominis & neceſſitate morali peccandi venialiter, poteſt homo abſque eo quòd deſinat eſſe homo, & deſtruatur arbitrij infirmitas illi intrinſeca, & velut eſſentialis, nunquam in actu ſecundo peccare venialiter. Malè ergo ſupponit vt certum Granadus quod homo non eſſet homo, ſi priuilegio carens nunquam peccaret venialiter. Iam ſupereſt vt rationibus contrariæ ſententiæ, quas *n.* 2. *&* 3. propoſuimus, reſpondeatur.

CAPVT

CAPVT IV.

Reſpondetur rationibus contrariæ Sententiæ.

1. GRANADVS pro ſua ſententia quaſdam primò adducit authoritates Patrum, & ipſius etiam Ariſtotelis, qui 8. *Phyſicorum lib.* arbitratur, id quod præſtat & excellit in natura, quantum poſſibile eſt, reperiri. Quod quidem Philoſophi dictum non habet difficultatem. Cùm enim tota natura conſtet iis tantùm cauſis, quæ quatenùs naturales ſunt, operantur ſemper neceſſariò, & quantùm poſſunt; mirum non eſt ſi ipſa natura dum per illas cauſas operatur, faciat ſemper optimum quod poteſt. Ad Patrum teſtimonia. Reſpondeo primùm, quando illorum aliqui dicunt velle ſemper Deum quod eſt optimum & conuenientiſſimum, intelligi id debere non tam ex parte rerum quas Deus vult, quàm ex parte ipſiuſmet Dei; quia ſemper prudentiſſimè ac decentiſſimè operatur. Quare nec Auguſtinus eo loco, qui magis vrgere videtur, deſumpto ex *cap. 5. libri 3. de libero arbitrio*, aliud vult, quàm Deum omnia facere ſine vlla inordinatione, ac ſine vllo defectu. Ita vt nihil vera ratione nobis occurrere melius poſſit, quàm vt fiat voluntas eius. Præterea cenſendum eſt Deum operari omnia conuenientiſſimè ad finem quem ſibi propoſuit. Aliquo enim ſibi propoſito fine obligatur ad media eligenda conuenientiſſima. Et in eo caſu valet quod ait idem Auguſtinus *lib. 1. contra aduerſarium legis & prophetæ: Non eſſe ita deſipiendum, vt homo videat meliùs aliquid fieri debuiſſe, & Deum credat facere noluiſſe.* Sequitur Deus ſemper excellentiſſimas infinitæ ſapientiæ rationes, quæ rationem omnem noſtram ſuperant; ita vt ex præcepto eiuſdem Auguſt. *lib. 3. de libero arbitrio*, debeamus vbique pronuntiare, Deum id feciſſe hic & nunc, quod nobis vera ratione melius occurrerit; imò id feciſſe quod longè, quàm in mentem nobis veram rationem ignorantibus, venire poſſit, meliùs ſit atque ſapientius. Deus enim non poteſt operari vnquam, niſi *mirabilia magna*, vt loquitur Dauid *Pſal. 135.* Itaque de qualibet re iudicare debemus, vt ait Vaſquez *in 1. p. diſp. 107.* meliùs fuiſſe, illam eo modo, quo facta eſt, fieri à Deo; quamquam ſi aliter is feciſſet, illud etiam tunc melius eſſe dicere deberemus. Quæ enim excellentiſſima diuináque ſunt, ita ſe habent, vt eorum quodlibet nominatim poſſit moraliter dici omnium optimum: quemadmodum Eccleſia de ſanctorum Pontificum quolibet canit; *Non eſt inuentus ſimilis illi.* Atque eo modo loqui ſolent ad communem hominum captum ſancti Patres; nec limata ſcholarum ſubtilitate ſemper explicandi ſunt.

2. Porrò aduertendum eſt, quòd bonorum omnium creatorum poſſibilium illa eligi ac poni melius ſit, quæ Deus voluntate ſua infinitè ſanctâ eligere ponereque voluit, & quidem eo ipſo quòd ita voluit. Quare D. Anſelmus *in proleg. cap. 11.* ſic alloquitur, *Id ſolùm iuſtum eſt, quod vis. Non enim Deus* (ait Auguſt. *lib. 2. hypognoſt. cap. 6.*) *quando operatur, conſulit quicquam aliud quam ſuam voluntatem.* Quod egregie ſignificat Apoſtolus *Epheſ. 1.* vbi Deum circa omnia etiam optima (qualis eſt prædeſtinatio, de qua eo loco diſputat) liberum eſſe docet; cùm illum aſſerit operari omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, hoc eſt, quamuis præcedat multiplex in ipſius intellectu conſilium, & omnimoda perfectiſſimáque cognitio; tamen vltimum ac ſummum operandi conſilium eſt eius voluntas: quomodo voluntas dicitur vulgo eſſe ratio vltima regum. Quamobrem cùm aliquid quod melius fieret nobis occurrere videtur, non tale debet recta ratione iudicari, niſi omnibus ſecundum inſcrutabile Dei conſilium penſatis: id nimirum ſemper cauendo, excipiendóque, niſi Deus habuerit aliquam rationem ſuperiorem id omittendi, quod nobis eam rationem ignorantibus videtur eſſe melius; & illud eligendi, quod ipſe, ſuam ad id voluntatem, & electionem adiungendo, fecerit eſſe maius bonum alio quocumque non volito, nec electo. Nihil enim melius in omnibus Dei operibus, quàm quod ab eo volita ſint, & *exquiſita in omnes voluntates eius.* Quare penſandum hic eſt non eandem eſſe Dei & creaturarum agentium conditionem. Liberæ enim creaturæ, propter rationes quæ non habent in Deo locum, debent eligere conuenientiora. Primò vt Dei ſeu præceptis, ſeu conſiliis ſe conforment. Secundò quia cùm illarum perfectio nequeat ab ipſarum induſtria ſoli proficiſci, oportet eam quærant à rebus extra ſe poſitis; quarum cognitione, & affectu meliores euadant, prout eæ res altioris erunt ordinis. Tertiò quia creaturæ poſſunt implere quod perfectiſſimum eſt, cùm offerri eis non repugnet ſummum ac perfectiſſimum; nec ipſis proponantur, ſicut Deo talia obiecta, quorum perfectio in infinitum procedat, & in quibus non ſit aliquod ſummum.

3. Inter argumenta quæ Granadus ex ratione deſumit, & nos *cap. præced. num. 3.* retulimus, primum illud occurrit: Quòd non poſſit is qui aliquem efficaciter ac perfectè amat, non ei velle, quæ ſint opportuniſſima, aut non procurare quantum maximum poterit bonum. Idque illuſtratur exemplo Beatorum, quibus perfectiſſima dilectio, qua Deum clarè à ſe viſum proſequuntur, neceſſitatem imponit, & phyſicam ad non peccandum, & moralem ad volendum ſemper id, quod ei acceptius eſt, atque glorioſius. At Deus omni efficacitate, perfectionéque poſſibili ſe ipſum amat. Ergo cùm & norit per ſummam ſapientiam quid ſibi ſit melius, & queat per omnipotentiam illud ſibi procurare; dubium eſſe non poteſt, quin id ſibi procuret; illas creaturas producendo, quæ meliores & ad ſuam gloriam accommodatiores ſint, inter quas incarnatio valde ſublimem locum tenet. Quare fatendum videtur hanc fuiſſe à Deo neceſſitate morali eligibilem. Reſpondeo argumentum illud non eſſe validum. Nam licèt quis alterum efficaci perfectóque amore proſequatur, & ad quantumuis amoris actum inclinetur: non tamen perinde inclinatur ad amanda & volenda illi bona, quæ maiora ſint. Aliud eſt enim amabilitas eius perſonæ quæ proponitur amanda amore amicitiæ; & aliud amabilitas boni extrinſeci, quod proponitur amandum amore concupiſcentiæ; & vt ipſi amatæ perſonæ procurandum. Fierique poteſt vt perſona quidem quæ amatur, ſummam perfectionem habeat, & tantam amabilitatem quæ nos ad ſui amorem rapiat ac neceſſitet (qualem de facto Deus amabilitatem reſpectu ſui, & eorum à quibus clarè inſpicitur, habet:) at verò bonum extrinſecum, quamuis maius ſit cæteris, ac perfectius; quia tamen infinitè perfectum non eſt, non habeat ſimilem amabilitatem. Accidit enim non rarò, vt bona inferioris perfectionis trahant magis hic & nunc voluntatem; & perſonæ alicui optentur, ac procuren

Digitized by Google

procurentur, ſummo quidem in ipſam perſonam amore amicitiæ, ſed mediocri in ipſamet bona amore concupiſcentiæ. Sic mater filio leue aliquod commodum maiori amore amicitiæ, maiorique in perſonam complacentia deſiderat, quàm ſummum incolumitatis bonum homini externo, & ignoto. Cùm ergo Deus amare ſe dicitur ſummo amore, intelligendum quidem eſt, quod ab amabilitate ſua intrinſeca neceſſitatur ad eliciendum actum perfectiſſimum ſummi amoris amicitiæ erga ſe: at non eſt neceſſarium, vt perinde neceſſitetur ad volendum ſibi bonum extrinſecum maximum omnium, quia nullum eſt, cuius negatio non poſſit aliquando eſſe eligibilis, vt per eam locus detur hìc & nunc alicui minori bono incompoſſibili cum illo. Cui quidē minori bono dum adhæret volūtas, non ideò prodit minorem amorem amicitiæ erga perſonam; dūmodo tale minus bonum non ob defectum liberalitatis, neque ad vitandā aliquam maioris boni acquirēdi difficultatē, ſed ex peculiari in ipſummet affectu eligatur.

4. Inſtabis, dum creatura quædam Deum amat ſummo amore (quemadmodum faciunt in cœlo Beati) neceſſitatur, ſi non phyſicè, ſaltem moraliter ad volendum quæ Deo magis placent, & perfectiora ſunt. Creatura item quæ ſeipſam perfectè amat, neceſſitatur ex ſuppoſitione talis amoris velle ſibi ac procurare, quod ſibi maximè expedire cognoſcit. Ergo Deus cum perfectiſſimè ſe amet, non poteſt moraliter non velle, quæ perfectiora, & ſibi glorioſiora cognoſcit. Reſpondeo, vt hæc inſtantia valeret in creaturis, non tamen valere in Deo: nec eandem eſſe Dei rationem, quæ eſt creaturæ ſeu amantis Deum, ſeu diligentis ſeipſam; primò enim omittendum hìc non eſt, creaturarum intellectum poſſe inter illa, quæ Deo placent cognoſcere aliquid ſummum ac optimum, cùm eius cognitio non procedat in infinitum; Dei autem intellectum, licèt cognoſcat infinitas creaturas categorematicè, nihil tamen poſſe intra tale infinitum cognoſcere tam perfectum, quo perfectius, ac perfectius non videat. Vnde ſequitur vt creatura, quæ Deum ac ſe ipſam perfectè amat, poſſit ex illo amore velle Deo ac ſibi, quod optimum cognoſcit; non poſſit autem Deus, qui quodcumque elegerit, reperietur elegiſſe aliquid imperfectius infinitis alijs à ſe cognitis, quæ omiſerit. Nec poteſt (quicquid argutius in contrarium conetur Delugo *diſp. 2. num. 61.* Deo imputari, quod minoris boni electionem fecerit, licèt enim ſi elegerit v. c. obiectum bonum vt ſex, verum ſit quòd poterat eligere bonum vt octo, &c. Tamen non benè ait prædictus Author defectum imputari poſſe Deo. Nam item ſi eligeret vt octo, poſſet vt decem; atque ſi vt decem, poſſet vt viginti, & quidquid eligeret, poſſet itidem melius ac melius in infinitum: quare cùm ſit ei abſoluta neceſſitas non eligendi omnium optimum, quia nullum tale eſt, ſed id accipiendi, quo melius accipi poſſet (nullum enim eſt in tota poſſibilitate bonum, quo non melius) euidens eſt non imputandum eſſe libertati diuinæ, quòd ſuperiora bona omiſerit. Contra verò eſt illi imputandum, laudique vertendum, quòd cùm elegit bonum vt ſex, noluerit eligere bonum inferius, v. g. vt quatuor, aut vt tria, licèt enim ſuppoſita ſerie bonorum minorum ac minorum in infinitum, non poſſit eligi minimum, ſed quodcumque bonum eligatur, debeat eſſe neceſſariò maius aliis infinitis omiſſis: tamen Deo agi debent gratiæ ſi dederit bonum vt quatuor, quòd non dederit vt tria, &c. quicquid enim dederit, ab ipſo eſt.

5. Probatur ſecundò reſponſum hoc ipſum, quod ad ſuperiorem inſtantiam dedimus, nempè non eandem eſſe rationem creaturæ diligentis Deum, & Dei ſeipſum amantis. Ea enim eſt natura amoris amicitiæ, vt voluntatem amantis cum amati voluntate coniungat ſtrictiſſimè, & ferè quantum fieri poteſt, ſi ſummus eſt. Quare non mirum eſt, ſi ſint qui dicant, Beatos, & illos qui Deum ſummo amore diligunt, neceſſitari ad id volendum, quod maximè Deo placens cognoſcitur. At ea ratio in Deo, prout ſeipſum amante, ceſſat: nam Deus quidquid velit, habet ſemper vnionem perfectiſſimam cùm ſuiipſius voluntate; imò pluſquàm vnionem, cùm non ſint duæ voluntates. Neque enim ille, quando aliquid vult, præſupponit in ſeipſo tanquam amico voluntatem vllam, cui ſe conformare, atque vnire debeat. Et ita quantacumque perfectione amoris ſeipſum amet, non ideò neceſſitabitur ad volendum id quod ſit optimum, vt concordet cum ſua voluntate. Præterea dicendum eſt, quòd quando aliqua creatura ſeipſam diligit, præſupponit bona extrinſeca tanquam ſibi variè vtilia, & quidem alia vtiliora aliis, quare non erit mirum ſi fortè dum ſe ſummè diligit, determinetur ad volendum ſibi id bonum, quod omnium quæ cognoſcit eſt vtiliſſimum. At verò Deus nullo indiget bono extrinſeco, & nullum eſt, quòd illi expedire, aut vtile eſſe præſupponatur. Ad gloriam autem illius magis facere contendū eſt, quòd ſuæ voluntati magis placuerit.

6. Porrò nego vniuerſim vllam eſſe naturæ intellectuali neceſſitatem, per ſe loquendo, eligendi obiectum vel ſibi, quod ſit melius; vel Deo, quod faciat ad maiorem eius gloriam: neque vllum fundamentum eſt reprehenſionis, ſi quis id reliquerit, quod perfectius eſt, vt ait bene Delugo *diſput. 2. num. 62.* Bene item negat Ariaga *diſput. 2. num. 54.* & communiter Theologi *in tract. de Beatitudine*, ipſos Beatos in cœlo teneri ad perfectiores actus, ex eo quod intenſiſſimè Deum ament; aut vllam creaturam, quò magis amat Deum, obligari, vel neceſſitari ad maiora obſequia. Quod ſi creatura, quæ ſummè Deum amat, non habet neceſſitatem id eligendi, quod Deo glorioſius eſt; licèt id omittendo, minùs ipſi Deo placeat, ſeque minùs conformet eius voluntati; multò minùs dicendum eſt ipſam cùm ſe perfectè amat, neceſſitari ad eligendum ſibi maius bonum; cùm præſertim tale bonum omittendo non minùs ſibi ipſa placeat, neque minùs ſe conformet ſuæ voluntati, vtpotè faciens quòd vult, quodque ſibi placet. Quis enim dicat aliquem ſe minùs amare, quòd ambulationi malit vacare, ſeque otio dedere, quàm dare operam ſtudio, &c. Quis dicat peccatores minùs ardenter ſe amare, cùm bona caduca ſibi procurant, æternam negligentes ſalutem? Conſtat ſanè illos ex nimio ſui amore, cui diuinam poſthabent amicitiam, peccare; ideóque Apoſtolus *2. Timoth. 3.* ipſos vocat, homines ſeipſos amantes, cupidos, elatos, &c. Delugo *diſp. 2. num. 24.* ait Beatos non quidem phyſicam, ſed moralem habere neceſſitatem volendi ſemper id quod magis Deo placet. Idemque de Chriſto ſentit *diſput. 26. num. 133.* quia lex perfectæ cum Deo amicitiæ mouet ad opera facienda, ex quibus maius Dei gaudium reſultat. Sed contra: nam moralis nulla eſt imperfectio (quicquid idem Author in contrarium aſſerat *n. 131.*) cùm aliquis nullam aliunde præcepti obligationem habens, nec vllo Dei conſilio vrgente ſollicitatus, ex duobus obiectis honeſtis eligit minus, aut remiſsè operatur. Alioqui magna foret in iis ferè omnibus

imperfectio,

Digitized by Google

imperfectio, qui non abſtinerent ſemper à carnibus, & qui non ieiunarent quotidie, &c. Ergo non eſt cur Beati, vel Chriſtus ad id, quod perfectius eſt, neceſſitari cenſeantur, cùm nullum eſt ad id inuitans ſpeciale conſilium. Et quidem in Beatis doctores admittunt actus virtutum charitate inferiorum, iuſtitiæ, humanitatis, miſericordiæ, &c. Per quos actus honeſtum quà tale ametur, ſine expreſſo ad Deum reſpectu. Chriſtum verò potuiſſe minùs perfectos virtutum actus exercere ſupponunt etiam paſſim Theologi, qui aiunt illum fuiſſe ideò liberum in obſeruatione præcepti, quoniam poterat obedire ex motiuo non tantùm perfectæ charitatis, ſed etiam ex motiuis inferioribus, obedientiæ, iuſtitiæ, &c. Non dubito tamen, quin Beati abſque vlla neceſſitate, ſeu phyſica, ſeu morali plerumque exerceant actus quàm poſſunt optimos, & quàm perfectiſſimos. Atque idem de Chriſto, cùm viator eſſet, æquum eſt cenſere, multo etiam magis quàm de Beata Virgine; de qua conſtans piorum eſt opinio, & nominatim Suaris 2. *tomo in 3. p. diſp.* 18. *ſect. 2. concl. 2.* eam in omnibus occaſionibus exercuiſſe opera ſecundum vltimum gradum perfectionis, quem tunc poterat attingere. Atque ad id non eſt opus, quod putat Delugo, poni in actu primo aliquam determinationem, ſeu neceſſitatem ad operandum illo prædicto modo.

7. Idem Delugo *diſput. 2. n.* 65. cùm velit creaturam, quæ amat perfectè Deum, neceſſitatem habere moralem eligendi ſemper obiectum, quòd perfectius ſit, & ipſi Deo gratius: negat tamen eandem eſſe rationem de Deo perfectiſſimè ſe amante; propterea quòd creatura, cùm eligit obiectum imperfectius, imperfecta eſt intrinſecè, quatenus imperfectiorem elicit actum, vtpotè à ſuo ſpecificatum obiecto; quare tenetur lege perfectionis id vitare. At verò ſecus ait eſſe in Deo, quia quamuis eligat obiectum imperfectius, non ideò habet aliquam moralem imperfectionem intrinſecam; nam intrinſecè habet ſemper actum æquè honeſtum, & perfectum moraliter, ac ſi eligeret obiectum honeſtius. Conſiderandum ſiquidem eſt, quòd actus quo eligit obiectum imperfectius, identificatur æquè ac alij actus tendentes in obiecta perfectiora, cum infinita honeſtate Dei: Omnes enim Dei actus & perfectiones quæcumque, etiam perſonales, quantumvis accipiantur vt virtualiter diſtinctæ ab aliis, ſemper retinent eſſe perfectionem diuinam, & per conſequens retinent radicem quandam identificationis cum omnibus aliis perfectionibus diuinis, per quam æquiualenter continent illas, & in ordine ad æſtimabilitatem perinde ſe habent, ac ſi eſſent tota ipſa diuina eſſentia. Porrò honeſtas illa infinita, cui actus diuini tendentes ad minùs perfecta obiecta identificantur, nequaquam includit neceſſitatem eligendi ſemper honeſtius, meliuſque obiectum: nam ſi hoc eſſet, non poſſet in genere moris dici laudabilis electio melioris obiecti, vtpotè neceſſaria. Quid ergo? honeſtas illa infinita includit neceſſitatem quandam valdè à prædicta diuerſam, qua dumtaxat neceſſarium eſt vt Deus nunquam eligat obiectum niſi honeſtum. Atque hæc honeſtas, quatenùs includit talem neceſſitatem in actu primo, non eſt formaliter laudabilis in genere moris. Verumtamen quatenùs non poteſt hìc & nunc elici actus ſecundus, quin cum prædicta neceſſitate quippiam inſuper maioris honeſtatis reperiatur liberum, propterea omnes actus particulares, quibus Deus obiectum aliquod honeſtum eligit, ſunt eatenus, & ſecundùm id libertatis quod continent, laudabiles moraliter.

8. Quod vt faciat intelligi prædictus Author, notat poſſe eſſe aliquod genus neceſſitatis, ſeu determinationis in actu primo, quod ita neceſſitat ad rem aliquam indeterminatè faciendam, vt ea res non poſſit in particulari poni; quin ſimul quippiam ponatur, pluſquàm neceſſitas ſeu determinatio prædicta requirat. Exempli gratia, ſi alicui damnato promitteret Deus, ſe non eum per totam æternitatem puniturum, ex tali promiſſione imponeret ſibi neceſſitatem ceſſandi aliquando à punitione, verumtamen impoſſibile foret vt promiſſionem exſolueret, quin faceret pluſquàm ex promiſſione teneretur. Nam quocumque tempore, & in quacumque parte æternitatis ceſſaret punire, poſſet vlterius per mille ac mille annos punitionem protrahere ſalua promiſſione, quæ tantùm fuiſſet de non continuanda per totam æternitatem punitione. Sic Deus neceſſitatur quidem, inquit Delugo, per ſuam ſanctitatem non eligere niſi honeſtum: ſed quia nullum obiectum eſt ita infimæ honeſtatis, vt non ſit aliud ipſo minùs honeſtum, ideò non poteſt Deus eligere vllum in particulari obiectum honeſtum tam paruæ honeſtatis, quin poſſit eligere minùs honeſtum. Quare ſemper eliget aliquam honeſtatem obiectiuam maiorem, quàm teneatur eligere; & per conſequens operabitur liberè, ac laudabiliter in genere moris. Poſtquam autem electum fuerit tale in particulari obiectum, non poterit in illo determinari adæquatè id quod liberum ſit, neque diſtingui ab eo quod neceſſarium; quandoquidem nullus eſt in talis obiecti honeſtate gradus minimus, hoc eſt, nullus præcisè quem eligi fuerit neceſſarium.

9. Hæ viri doctiſſimi argutiæ, nec primò nobis neceſſariæ ſunt, qui nullam in creaturis, nullam in Deo neceſſitatem agnoſcamus perfectiora eligendi obiecta; & ſecundò quædam inuoluunt circa diuinorum actuum æqualitatem difficilia, quæ Pater Herize perſequutus eſt, & examinauit, longè amandans eam doctrinam 1. *p. tom.* 1. *diſput.* 15. *à num.* 12. quemadmodum & P. Ariaga hìc *diſp.* 2. *ſect.* 1. *ſubſect.* & *in* 1. *p. tom.* 1. *diſp.* 27. *ſect.* 4. Non autem eſt neceſſe nos in iſta re, quæ ad tractatum de Deo potiùs pertinet, hic immorari. Tantùm dico nullum eſſe inconueniens, ſi aſſeramus perfectionis æqualitatem non reperiri inter prædicata diuina, ſi ea ſumamus non identicè & materialiter, ſed prout à nobis concipiuntur, & explicantur (quod & ipſe Delugo tandem fatetur *diſp. illa* 2. *n.* 94.) Clarumque eſt volitionem, quam Deus habere poſſet de nulla creatura producenda, minùs perfectam à nobis concipi, propter imperfectionem termini ſui, quàm fuerit volitio creandi mundum; minùs item perfectam concipi potentiam producendi muſcam, quàm potentiam creandi Seraphinum, vel ipſum Chriſtum. Quo poſito dicimus ad ſoluendum primum argumentum, quod pro ſententia Granadi attulimus *num.* 3. & de quo iam ſatis ſuperque actum eſt; Deum vi amoris ſummi quo ſe proſequitur, nullam habere neceſſitatem volendi quæ perfectiora extra ipſum ſint, neque intra ſe actus eliciendi ſummè, prout à nobis concipiuntur, perfectos. Nunc cætera ordine argumenta ſoluamus, quæ ſuperiùs *numero illo* 3. propoſita ſunt.

10. Secundum igitur pro ſententia Granadi argumentum erat, quia diuinus intellectus non poteſt non iudicare, melius eſſe ad ipſius Dei gloriam, vt perfectiſſimæ creaturæ, quàm vt minus perfectæ producan-

Digitized by Google

producantur: debet autem in Deo voluntas intellectui penitus conformari: Ergo, &c. Ad primam huius argumenti propoſitionem. Reſp. diuinum intellectum non poſſe non iudicare, ipſius Dei gloriam circa res, quæ fiunt ad extra, in eo maximè poſitam eſſe, vt Deus pleniſſima libertate operetur. Atque ita illud melius, eique glorioſius eſſe, quod ipſe elegerit. Porrò quod additur in ſecunda propoſitione, voluntatem diuinam ita debere conformari intellectui, vt ab eo, quod hic propoſuerit optimum, diſcedere nullo modo poſſit, libertati diuinæ repugnat. Cùm enim intellectus diuinus, provt voluntatem ſuo modo antecedit, non ſit liber, ſed neceſſariò ſingula ſcire eo modo quo ſunt, debeat; ſi voluntas naturaliter determinaretur ab eius iudicio, nulla foret in Deo libertas. Non enim in voluntate, vtpotè quæ determinaretur ab intellectu: non etiam in intellectu, vt iam dixi. Nec valet cantilena illa, quam paſſim Thomiſtæ canunt, voluntatem antecedenter ad determinationem intellectus, & in ſenſu diſiuncto habere indifferentiam, quamuis non habeat conſequenter, & in ſenſu compoſito, ſiue ſuppoſita prædicta intellectu determinatione. Id eodem hîc modo, quo *in diſputatione de prædeterminatione voluntatis creatæ*, refutatur. Quandoquidem voluntas antecedenter ad intellectus iudicium non poteſt dici libera, cùm abſolutè tunc nihil poſſit operari; quando autem intellectus eam naturali neceſſitate illuſtrat, naturali item neceſſitate trahitur. Ergo nullus in illa relinquitur locus libertati, non magis quàm ſit in intellectu Beatorum, qui antecedenter ad lumen gloriæ non poteſt videre Deum, conſequenter autem ad illud non poteſt non videre, quamuis ſecundùm ſe ſpectatus poſſit Deum non videre, ſi nempe lumen gloriæ non habeat; poſſit Deum videre, ſi habeat. Tali nimirum eſt iſtorum ſubtilitas, affirmantium voluntatem poſſe & agere, & non agere, atque adeò eſſe potentiam ad vtrumque, & habere libertatem indifferentiæ; quatenus poteſt ipſa ſecundùm ſuam entitatem ſpectata, & agere ſi determinetur, & non agere ſi non determinetur: Atque cùm ſeruet ſub determinatione ſuam entitatem, quæ entitas eſt potentia ad vtrumque prædicto modo; hinc fit vt cum determinatur & agit, agat exiſtens potentia ad vtrumque. Sed apparebit qualis ſit illa ſubtilitas ſi conſideretur non eſſe in voluntate ſecundum ſuam entitatem ſpectata, potentiam ad vtrumque alio ſenſu, quàm vt ſuppoſita antecedenti determinatione ſic poſſit agere, vt non poſſit ea ſuppoſitione manente non agere; ſemotâ verò determinatione ſic poſſit non agere, vt non poſſit ea ſemotione manente agere. Quomodo patet ſub neutra eſſe ſuppoſitione potentiam ad vtrumque. Sed his omiſſis, cùm animus non ſit ad diſputationem de phyſica prædeterminatione, propiùs accedere, dicendum eſt in præſenti negotio, quaſcumque intellectus diuinus proponat rationes decernendi v. c. incarnationem, integrum manere voluntati diuinæ illas ſequi, vel non ſequi. Acciditque ſæpè, vt ex duabus rebus ab intellectu propoſitis, eam Deus eligat & producat, quæ ſecundum ſe minùs perfecta ſit.

11. Ad tertium argumentum reſpondeo, ſummum bonum infinitè quidem eſſe diffuſiuum ſui, ſed in actu primo: quod autem etiam in actu ſecundo ſe quantum poteſt neceſſariò diffundat, erroneum eſt. Nam in actu ſecundo non ſe diffundit, niſi quantum vult. Cùm autem aio eſſe in actu primo diffuſiuum ſui, intelligo potentiam ſe communicandi eſſe in illo expeditam; ita vt nihil ſit, quod impedire poſſit ſuam omnipotentiam, quo minus ſua bona diffundat, quando, & quantum voluerit. Porrò cùm dicitur habere Deus inclinationem infinitam ad ſe communicandum, id non eſt verum, niſi infinitudo illius inclinationis ſumatur entitatiuè & materialiter, quomodo quidquid eſt in Deo, infinita eſt entitas. Si autem loquamur in ſenſu formali, cùm Deus non inclinetur, nec alliciatur, niſi media cognitione bonitatis creatæ ipſum attrahentis, hinc fit vt provt bonitas attrahens eſt maior vel minor, ita etiam in Deo ſit maior aut minor bonitatis eius amor, & in ipſam inclinatio.

12. Ad quartum argumentum, quod ſumitur ex eo quòd Deus ſit præſtantiſſimus artifex. Reſp. præſtantiſſimum artificem non teneri, aut neceſſitari ad exercitium ſuæ artis. Quis enim dicat præſtantiam artis tollere illi abſolutè otiandi libertatem? Dico autem quòd quemadmodum artifex præſtantiſſimus poteſt, ſi velit, ab omni lucubratione operis vacare quoad exercitium: ſic quando volet operari, poterit abſtinere à producendo excellentiori artificio, & poterit ſe ad inferius, minuſque perfectum opus conferre. Quis Apellem v. c. dicat omnes, ad quas manum admouit, picturas, eadem qua Venerem Coam, animi applicatione abſoluiſſe? Sanè de fide eſt Deum præſtantiſſimum artificem potuiſſe abſtinere ab omni creatione rerum. Igitur non minùs certum eſſe debet, cùm hoc vniuerſum condidit, potuiſſe à creandis Seraphinis abſtinere, contentum inferioribus Angelorum choris; potuiſſe omittere incarnationem, potuiſſe animalia præſtantiſſima, leonem, aquilam non exhibere mundo, &c. Nec verò difficultatem hîc facit, quod artifex ex ſui operis præſtantia maiori voluptatem capiat maiorem: quare Deus cùm teneatur id facere quod maiorem ſibi voluptatem affert, debeat id quod præſtantiſſimum ſit operari. Reſpondetur enim Deum non magis ad procurandam ſibi maximam, quæ ex creaturis ipſi conciliari poſſit, voluptatem neceſſitari, quàm neceſſitetur ad habendos actus, vt ſuprà dixi, perfectiſſimos ratione obiecti. Et quemadmodum ipſe ſolus tam perfectus eſt intenſiuè, quàm aggregatum ex ipſo & creatura: ſic voluptas quam percipit ex ſui contemplatione tam magna eſt intenſiuè, quàm ſi voluptas ei ſuperaddatur percepta ex creatura. Atque ita Deus acceſſione voluptatis huius ortæ ex creatura nequaquam indiget.

13. Ad vltimum argumentum ſumptum ex eo quod ipſa experientia in hoc mundo oſtendit, & ex eâ, quæ in promptu eſt, creaturarum concinnitate in omni rerum ordine ſummâ: conceditur quidem admirabilem eſſe in hac rerum vniuerſitate proportionem ac pulchritudinem, vnde mundi ſeu Κόσμος nomen tractum: nihilominus tantam eſſe negatur in ipſo mundo, & ſingulis illius partibus concinnitatem, perfectionemque, vt Deus non potuerit maiorem infinitè, maioremque inducere; cùm plures producendo, nobilioreſque creaturarum ſpecies, tùm meliorem inſtituendo ſeriem, ordinemque cauſarum, &c.

⁂

Digitized by Google

CAPVT V.

An conueniens fuerit Verbum incarnari.

1. CONVENIENS primò dicitur, quod alicui ſecundùm rationem ſuæ naturæ proprium eſt, quomodo viuenti ſenſitiuo ſenſatio, & rationali ratiocinatio. Secundò, quod affert aliquod bonum ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum; nempe quod vtilitatem, vel delectationem, vel honorem & gloriam, aut formaliter, aut efficienter, aut obiectiuè, aut quocumque alio modo cauſat. Incarnationis autem conuenientia, de qua nunc agimus, ſpectari poteſt, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad genus humanum, & eam nominatim humanitatem indiuidualem, quæ fuit aſſumpta; tùm etiam ad Angelos, tùm denique ad creaturarum vniuerſitatem integram.

2. Dicendum primò Incarnationem fuiſſe valdè conuenientem Deo, & peculiariter ipſi perſonæ Verbi. Concluſio quoad priorem partem communis eſt Theologorum. Et probatur primum iuxta priorẽ acceptionem conuenientiæ. Cùm enim ex S. Dionyſ. *cap. 4. de diu. Nom.* ad ſui communicationem nihil æquè propenſum ſit ac bonitas; fieri non poteſt quin Deo, cuius natura bonitas, vt ſanctus Leo loquitur *ſerm. 2. de natiu.* (quo ſenſu Chriſtus dixit, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus,*) conueniat ſui communicatio ac velut diffuſio, non qualiſcumque, ſed ſumma, & quantauis eſſe poteſt. Quemadmodum igitur Deo optimo conueniens fuit, vt bona ſua creaturis pro ſingularum captu, dum eas produxit, communicaret effuſiſſimè & ἀφθόνῳ χύσει, ac citra inuidiam, vt ait Dionyſius *cap. 1. de diu. Nom.* Ita conuenientiſſimum fuit, vt in incarnatione Diuinitatem ſuam admirabili quodam infinitæ communicationis genere profunderet exinaniendo, aut ſicut vertit Tertullianus, euacuando ſemetipſum, & ſuam velut exhauriendo plenitudinem. Quomodo factum eſt, vt ſummæ bonitati, iuxta Diuum Thomam, ſumma reſponderit communicatio. Nec enim maior, quàm ea, quæ facta eſt, dari potuit vlla intenſiuè, vt ita loquar, etſi potuerit extenſiuè; ſi nimirum plures cum aliis naturis creatis fierent Verbi, aut aliarum Perſonarum diuinarum vniones hypoſtaticæ.

3. Probatur item eadem pars concluſionis. Nam iuxta alteram acceptionem conuenientiæ, id dicitur conueniens, quod alicui aut bonum eſt formaliter, aut bonum importat. Sed nihil eſt, quod tantum Deo bonum, ac incarnatio parere poſſit. Ergo, &c. Vt hoc bene intelligatur, aduertere oportet, nullum poſſe importari intrinſecum Deo bonum; quandoquidem nullum eſt bonum, quo intra ſe careat. Præterea nullum ei poſſe competere bonum vtile, cùm ipſe omni beatitudine cumulatus non indigeat vlla re. Competere tamen ei poteſt, & aliquo modo acquiri extrinſecum bonum, quod ipſi delectabile ſit, aut honeſtum, ſeu glorioſum. Quo poſito dubium non eſt, quin delectationem & voluptatem inexplicabilem Deus hauriat ex Incarnatione, & ex Chriſto, in quo, vt ipſe teſtatur, ſibi bene complacuit. Quòd ſi è ſacrificiis taurorum & hircorum afflabatur illi tanta olim iucunditas, vt dicerentur tales victimæ offerri ipſi in odorem ſuauitatis, & requietis, vt fert vis Hebraïcæ vocis; quantam putamus fuiſſe voluptatem eam odorationis, quam ex Ara Crucis, & cruento talis Filij ſacrificio percepit? Nec tamen propterea cenſendum eſt, acceſſionem factam fuiſſe Deo boni vllius intrinſeci; licet enim voluptas illum intrinſecè perfundat, tamen ipſa incarnatio, quam hic conſideramus, non eſt ei conueniens tanquam aliquid intrinſecum. Quomodo autem ex ea oriatur voluptas intrinſeca, qua Deus carere poſſet, & quæ ſit ei contingens, difficultatem habet communem cum aliis omnibus diuinis actibus contingentibus, de quibus fateor ſatis difficiliter à nobis explicari, qua ratione bene cum immutabilitate cohæreant. In præſenti nobis ſufficit, quòd propter eam voluptatem à ſe obiectiuè cauſatam, Incarnatio Deo conueniens eſt, vt bonum aliquod extrinſecum delectabile.

4. Sed non minùs conueniens eſt Deo, quà bonum honeſtum, ſiue honorificum: nihil enim eſt, quod tantùm honoris & gloriæ Deo conciliare poſſit, atque Chriſtus. Nam cùm honor ſit teſtimonium excellentiæ, vt definit Diuus Thomas, gloria verò, vt ait ſanctus Ambroſ. apud eundem, ſit clara cum laude notitia; dubitari non poteſt, quin vt intra Diuinitatem æternum Verbum enarrat gloriam Dei Patris, imò eſt eius gloria ſubſtantialis, & clariſſima notitia, qua ipſe Pater ſuas perfectiones intuetur, & eas apud ſe ipſum perpetuò præconio celebrat, ac dilaudat: ſic Verbum idem carne veſtitum, eiuſdem ſui prædicator extiterit Patris, eique apud homines nominis amplitudinem & claritatem longè, latéque pepererit. *Manifeſtaui nomen tuum,* inquit, *hominibus.* Imò Chriſtus ipſe gloria fuit in mundo illuſtriſſima Dei Patris; admirabiliter enim in Chriſto quæ præcipua Dei ſunt, eminent attributa. Nec vllibi perinde, ac in Incarnatione ſapientiam Deus, bonitatem, ac potentiam ſuam declarauit. Quem locum paſſim inuenias apud ſanctos Patres, & Doctores tam ſcholaſticos, quam aſceticos & ſpirituales luculenter tractatum.

5. Summæ fuit ſapientiæ ſolertiſſima illius excogitatio modi, quo Diuinitas humanitati ſic intexeretur implicareturque, vt Filius Dei, qui in principio erat apud Deum, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, fieret homo; atque ſe ita ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ, inquit Sanctus Leo, ſine diminutione ſuæ maieſtatis inclinaret; vt manens quod erat, aſſumenſque quod non erat, veram ſerui formam ei formæ, in qua Deo Patri eſt æqualis, vniret; & tanto fœdere vtramque naturam conſereret, vt nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Vt alia omittens breue faciam; poſtquam Adami lapſu præuiſo, reſarcienda Deus eſſe conſtituit damna generis humani, ſapientiam in eo ſuam mirificè commendauit, quòd non diuinitatis ſuæ viribus cum diabolo congreſſus ſit, ſed mortalem illi, fragilemque naturam, qua debellaretur, oppoſuerit; nec regiis armis, ſed baculo velut paſtoritio Stygium Goliathum occiderit; *Vt præſtantiſſimi artifices,* inquit Theophilus Alex. citatus in Concilio Epheſino, *non ſolum in pretioſa aliqua materia artem ſuam cum admiratione omnium oſtentant, ſed vilem plerumque ceram, ac lutum, quod ſoluitur, arripientes, artis ſuæ in ea vim exhibent: ſic optimus omnium artifex viuum & efficax Dei Verbum, quod vniuerſitatem hanc mira ordinis concinnitate digeſſit, non in pretioſa aliqua materia, hoc eſt cœleſti ſumpto corpore ad nos venit, ſed in luto excellentiam ſuæ artis oſtendit, dum ex luto formatum inſtaurat hominem.*

Porrò

Digitized by Google

6. Porò argutiſſimi fuit, ac verè diuini acumen ingenij, quod inferni veteratoris dementiſſimas fraudes Chriſtus conſultiſſimo dolo eluſit, atque illum in aſtutia ſua comprehenſum, ſola humanitatis imbecillitate proſtrauit, & obiecta laniati ſui corporis carne, velut eſca quadam ac illecebrâ cepit, dum captus ipſe, deuoratuſque videretur. *Cepit eum in vulneribus ſuis: Iſai. cap.37. poſitoque circulo in naribus eius, & fræno in labris eius, velut immanem belluam, miſit in caueam, & in catenis circumduxit eum; Ezech.19.* Ludibrio & deſpectui illorum expoſitum, quibus erat olim terrori. Is cùm putaret vocare ſe Chriſtum velut occurrentem eſcam, hamum viſceribus ab illo ſibi ſenſit infixum, & mortem, quam illi afferre non potuit, in ſemet cepit. Quam ad rem Gregorius Magnus *homil. 26.* accommodat quæ Iobus *cap.40.* de Leuiatham ait: *In hamo*, inquit, *eſca oſtenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo* (diabolum) *Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius incarnatum vnigenitum miſit; in quo & caro viſibilis videri poſſit, & diuinitas inuiſibilis videri non poſſet. In hamo ergo incarnationis captus eſt, quia dum in illo appetit eſcam corporis, tranſfixus eſt aculeo diuinitatis.* Ita qui conſilio hominem deceperat, inquit, ſanctus Zeno, *ſerm.1. de natiuit.* conſilio vincitur. Hæc tam ſubtilis ſapientia (propter ſublimitatem qua prudentiam omnem creatam excedit, & ab hac longiſſimè ſeparatur) ſtultitiæ nomen apud reconditioris Theologiæ Doctores, ἀντιπεπονθότως, vt loquitur Dionyſius *de diuin. Nom. cap.7.* hoc eſt, per myſticam quandam antiphraſin inuenit. Quanquam longè alio ſenſu in Deo incarnato inſipientia fuiſſe dicatur; ob nimium ſcilicet, ac cæcum in homines amorem. Ea eſt diuina ſtultitia, quam ſe prædicare profitetur Apoſtolus *1. Cor. cap. 1.* & quam in ſe *pſal. 21.* fatetur ipſe Chriſtus, his Patrem compellans verbis, *Deus tu ſcis inſipientiam meam. Ego in tantum dilexi* (loquentem ita Chriſtum inducit Hieronymus, *in cap.2. Oſeæ*) *& tam demens paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis portarem, mea paſſione curarem; & qui amator ſum omnium hominum, traherem eos in vinculis charitatis.*

7. Ex his conſtat, etiam nihil magis in hoc Incarnationis myſterio elucere, quàm bonitatem, & eam ſupereminentem ſcientiæ charitatem, quæ non directa videatur ad ſapientiæ regulam; cùm Deum à ſe ipſo, quàm deceret longiùs per mirabilem ecſtaſin diſcedere, & ſe in creaturarum ordinem deponere coëgit. Cum enim qui vehementer ſe inuicem amant, vt Ariſtoteles ex Ariſtophane refert *2. Politic. cap.4.* cupiant in vnum plures coaleſcere, & vera, germanaque amicitia pares, ſi non inueniat, faciat: nihil poteſt in eo genere cum Dei aduersùs homines amore comparari; qui Verbum æternum nobis conſociauit, non ſola, qualem Neſtorius finxit, morali coniunctione, ſed vera & hypoſtatica duarum implicatione naturarum, vt ex iis vna ſimplex perſona coaleſceret; homo eſſet verè Deus, ac Deus verè fieret homo. Non potuit Deus magis commendare ſuam charitatem in nobis, vt docet D. Paulus, *Rom.5.* nec maior apparere benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, *ad Titum 3. Semper quidem*, inquit Leo Magnus *ſerm. 4. de Natiu. diuerſis modis, multiſque menſuris humano generi bonitas diuina conſuluit, & plurima prouidentiæ ſuæ munera omnibus retro ſæculis clementer impertiit; ſed in nouiſſimis temporibus omnem abundantiam ſolitæ benignitatis exceſſit, quòd in Chriſto ipſa ad peccatores miſericordia, ipſa ad errantes veritas, ipſa ad mortuos vita deſcendit: vt Verbum illud coæternũ & coæquale genitori in vnitate deitatis ſuæ, naturam noſtræ humilitatis aſſumeret, & Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine naſceretur.*

8. Quod ad iſtud incarnationis myſterium ſubtiliter excogitauit ſapientia, & bonitas amantiſſimè præſcripſit, non minùs præclarè exequuta eſt omnipotentia: nec vim ſuam cùm cælos fundaret Deus in vniuerſi molitione, in qua (vt Dauid indicat *Pſalmo 8.* ſummis ſolis ludebat velut digitis) æquè oſtendit, ac dum omni niſu fecit potentiam in brachio ſuo, & ſe in ſuum ipſe opus inuoluens, duas intellectualium naturarum extremitates infinitè disiunctas, Deum & hominem coagmentauit. Quod ſi graues Philoſophi vim creandi nullam eſſe poſſe quæ infinita non ſit, inde arguunt, quòd vſque à nihilo ad rei quæ ex illo producitur exiſtentiam diſtantia ſit infinita; cùm tamen ea diſtantia videatur maior eſſe non poſſe, quàm ſit in ipſius rei productæ finita perfectione latitudo: quantam dicemus oportere eſſe vim, quæ eum creauit hominem, qui cùm Deus idem ſit, à nihilo diſtat perfectionis latitudine verè infinita? *Omnipotentem naturam ad humanæ naturæ vilitatem potuiſſe deſcendere, maius eſt* (inquit Gregorius Nyſſenus *in lib. catech.*) *potentiæ argumentum, quàm ingentia qualibet ac ſtupenda miracula. Etenim magnum aliquid elaborare diuinam potentiam, eſt naturæ conſentaneum: At verò delapſus ille ad id quod abiectum eſt, abundantia quadam eſt potentiæ. Non igitur cæleſtium globorum creatio, non ornatus vniuerſi, non perpetua rerum adminiſtratio, ita quid Deus poſſit, oſtendit, vt illa eius ad naturæ noſtræ imbecillitatem deſcenſio.* Quid eſt dicere, non tam magnum eſſe in Deo, quod ſit magnus, quàm quod fiat paruus. Longius proueheretur oratio ſi attributa vellem alia diuina perſequi, iuſtitiam, miſericordiam, prouidentiam, &c. quæ quòd in hoc myſterio admirabiliter emineant, ſatis oſtendunt nihil Deo, quàm incarnationem potuiſſe eſſe conuenientius ad propagandam ſui nominis gloriam.

9. Addebat ſecunda concluſionis pars, conuenientem fuiſſe vnionem hypoſtaticam ipſi peculiariter Perſonæ Verbi. Cùm enim iam oſtenderimus conuenientiſſimum fuiſſe Diuinitatem naturæ creatæ coniungi in aliqua diuinarum hypoſtaſeon, nihil magis è re fuiſſe videtur, quàm vt Pater eam hypoſtaſin, quæ ex duabus à ſe productis prior occurreret, ad id deſignaret, quodam velut iure originis. Et ſanè, vt habetur apud Sapientem, Verbum ſuum, genitamque ſapientiam ſibi Deus creandæ rerum vniuerſitati velut aſſeſtricem, adiutricemque eo conſilio aſciuerat, vt foret mundi non productrix tantùm, ſed eiuſdem ſemel conſtituti educatrix etiam & altrix, tanquam ſui fœtus elegantiſſimi. Quod enim nos in editione vulgata legimus; *Cum eo eram cuncta componens*, apud Hebræos legitur, ואהיה אצלו אמון hoc eſt, & eram cum eo inſtar nutritij, vt mundum ſcilicet in lucem editum in meo nutritio ſinu deponeret; ego autem in illius moderandi curam ſollicitudine materna incumberem. Conſentaneum ergo fuit, vt ſapientiæ ipſius genitæ hypoſtaſis in mundum reconcinnandum reparandumque mitteretur. Et quamuis aliunde non defuiſſet quædam pro legando Spiritu ſancto conuenientia; cùm in eo ſiſtat proceſſus diuinæ fœcunditatis ad intra, & in eodem videretur continuanda eſſe conſequenter, quæ foras fieret, ad creaturas proceſſio: plures tamen videntur ſuffragatæ fuiſſe Filio conuenientiæ, qui eſt idæa ad quam res omnes aptari, & mundus per

Digitized by Google

peccatum hominis deprauatus reuocari emendarique debeat. Et ſanè ſi Adami lapſum attendamus, ad quem magis pertinuit, quàm ad Filium iniurias Patris perſequi & vlciſci? Ad quam magis è Trinitate perſonam, quàm ad eam, quæ Sapientia ſit, pertinuit magis in illius culpæ diſceptationem venire, quæ in ipſam Sapientiam diuinam ſpecialiter videbatur eſſe commiſſa, & in eo poſita erat, quòd primus homo ad ſcientiam diuinam aſpirans, ſapere pluſquam oporteret ſapere, præſumpſiſſet? Sed quidquid ea de re ſit, vtramcunque Deus Pater ex perſonis à ſe productis miſiſſet, ea ſibi conuenientiſſimam incarnationem eſſe reperiſſet; cùm per naturam aſſumptam Angelos omnes, hominéſque ſibi ob ſanctificationem à ſe acceptam, teneret obnoxios; & cùm triumphum de ſubactis agens dæmonibus, ſpecialem haberet eo nomine venerationem omnium cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

10. Dicendum ſecundò, Incarnationem fuiſſe cùm angelicæ, tum humanæ naturæ conuenientiſſimam. Res clara eſt. Et quidem quod ad Angelos attinet, ex Apoſtolo *Coloſſ.* 1. habemus fuiſſe in Chriſto condita vniuerſa in cœlis, & in terra, ſiue Tronos, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates; omnia in ipſo conſtare, & ipſum eſſe Caput Corporis Eccleſiæ. Cùm igitur Angeli fuerint in Chriſto conditi, & omnibus quà naturæ, quà gratiæ, quà gloriæ ornamentis per eum, eiuſque merita, vt ſuo loco videbimus, decorati, obſcurum eſſe non poteſt, quin Chriſtum & incarnationem exiſtere, fuerit ipſis opportuniſſimum, maximéque conueniens. Fuit Chriſtus paſtor Angelorum, quos ipſe per nonaginta nouem indicauit oues in cœleſtibus paſcuis à ſe relictas, vt centeſimam ouiculam in terra quæreret deerrantem ac deuiam. Atque Dionyſius *de cœleſt. hierarch. cap.* 7. beatos illos ſpiritus à Chriſto, velut à primo Hierarcha illuminari; *Ipſumque immediatè in Angelos ſibi proximos radiorum ſuorum fluenta effundere per omnes inferiorum Hierarchiarum gradatim ordines decurſura*; ἀμέσως μυεῖται, καὶ πρωτοδότως αὐτοῖς ἐκφαίνοντα τὴν αὐτοῦ ἀγαθουργίαν.

11. Quod ad humanum genus ſpectat, experimur ipſi, quas à Chriſto vtilitates capiamus. Si de illo ſtatu, qui ante peccatum extitit loquamur, eadem ferè fuit de hominibus, quæ de Angelis ratio. Etenim ex vtriſque conflabatur vnum Eccleſiæ corpus, cui commune omnium Caput impoſitum eſſe Chriſtum, dixit Apoſtolus. Nec magis euidens eſt Angelos ſuam Chriſto ſanctificationem acceptam referre, quàm Adamum conſtet ab illo accepiſſe innocentiæ ſuæ ornamenta, integritatem naturæ, originalem iuſtitiam, & omnes quas ante lapſum habuit gratias, longeque plura deinceps, ſi in fide manſiſſet, accepturum fuiſſe munera, quæ ei Chriſtus parata habebat; & ipſius poſteritati, niſi quid ſecus accidiſſet, deſtinarat. Verùm ſi oculos in eam calamitatem coniiciamus, quam Adamus poſteris ſuis importauit, nihil attinet dicere, quàm fuerit nobis optabile, atque conueniens, Chriſtum aſſumere perſonam Redemptoris, qui nos non tantùm extremis malis (quibus nullus alius poterat) expediret, ſed etiam ad ſummam, & quantam ſtante Adamo ſperare non poteramus, dignitatem ac felicitatem eueheret.

12. Si verò non omnem ſpecificè naturam humanam, ſed illam indiuidualiter, ad quam ſe Verbum iunxit, attendamus; nullum altius eo, ad quod eſt euecta, culmen felicitatis cogitari poteſt. Quæ enim ad Verbi hypoſtaſin aſſumpta eſt humanitas, non minùs extolli videtur, quàm ipſa natura diuina: cùm ambæ pariter eodem emineant & appareant ſubſiſtentes in loco. In familiam, vt ita loquar, nupta diuinam totius nobilitatur affinitate Trinitatis. Atque ſi nubes abſentis ſolis penetrata radiis tam admirabilem contrahit ſpeciem, vt ab ipſius ſolis pulchritudine nihil differre videatur. Quam pulchritudinis ac dignitatis ſpeciem reperiri par eſt in ea humanitate, in quam totum æterni Verbi penetret numen, & plenitudo Diuinitatis omnes ſcientiæ Theſauros, omnes virtutum perfectiones effundat? Nec verò quis obiiciat dignitatem illam magnò, & atrociſſima Crucis paſſione ipſi conſtare: nam primò, non eſt ita. Quandoquidem antequam Deus peccatum Adami præuidiſſet, iam deſtinata, conceſſaque erat Chriſto ea nondum morte venalis dignitas. Deinde fac ita eſſe, vt obiicitur. Quid ea morte ob Dei gloriam reſarciendam oppetita potuit eſſe illi humanitati conuenientius, atque glorioſius? propter quam mortem, & atrociſſimam paſſionem, cuius totum pondus in ſolam ipſam humanitatem incubuit, Chriſtum Deus exaltauit, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt coram humana ipſius natura omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; naturæque omnes angelicæ naturam illam in dextera Dei ſedentem, & idiomatum communione cum Diuinitate coniunctam venerentur, atque ſe ſub illius poteſtatem, imperiumque ſubiiciant.

13. Dicendum denique tertiò, Incarnationem fuiſſe conuenientem huic vniuerſo mundo. In eo enim Verbum incarnatum inſtar Solis eſt, vi cuius res omnes quantumvis inanimæ quodammodo viuiſcunt, & ſubſtantificam illius virtutem ſentiunt. Nam vt in Chriſto condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, iuxta Apoſtolum, & iuxta communem traditionem Hebræorum, qui (vt refert Galatinus *lib.* 2. *de arcanis, cap.* 2. & 4. aſſerunt, *Deum propter amorem Meſſiæ omnia creaſſe, ac propterea hunc vocari germen.* Sic in ipſo omnia perſeuerant & conſtant, cumque creaturæ omnes vt ſuæ cauſam originis intuentur. Atque vt nihil eſt in natura, quod ſol ad ſe non conuertat, & occultis velut habenis non trahat, ſibique confertim adiungat (vnde ἥλιος, vt notat Dionyſius *de diu. Nomin. cap.* 4. nominatur, quaſi ἀολλῆ ποιῶν;) quale quidem manifeſtum eſt eius in aliquos flores imperium, qui in eaſdem cum illo ſe flectunt partes; atque ſic aſſiduè ſe verſando, & illius iter ſequendo, totum cœli circuitum aſpectu percurrunt, quare heliotropia nuncupantur. Sic etiam nulla res eſt, quam Chriſtus ad ſe velut amore captam non trahat. *Omnes creaturæ*, vt inquit Hieronymus *lib.* 1. *comment. in cap.* 8. *Matth. Chriſtum ſentiunt creatorem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; ſed maieſtate conditoris: quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.* Quæ vis diuinarum illecebrarum in Chriſto ſe quidem multò magis prodebat in vocandis ad virtutis laudem hominibus. *Ipſe fulgor*, vt idem ſcribit D. Hieronymus *ibid. in cap.* 9. *& maieſtas Diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide, & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, vt annulos, & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos vocabat?* Denique incarnationem ex eo dici poteſt rerum vniuerſitati fuiſſe conuenientem, quòd in ipſo Chriſto res omnes ad diuinam quandam nobilitatem, vnius aſſumptione humanitatis ſint euectæ.

Digitized by Google

euectæ. Cùm iuxta Gregorium Magnum, *homil. 29. in Euangelia, natura humana ſit velut omnis creatura: quia habet, inquit, eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis.*

CAPVT VI.

De ſumma diuinæ bonitatis per vnionem hypoſtaticam communicatione, & eius incomprehenſibilitate. Moralis & pia conſideratio.

1. QVOD in ore omnium verſatur, & in communis prouerbij conſuetudinem venit, naturam quæ bonum non expetat, nullam eſſe poſſe; quotidianis quidem compertum habemus experimentis. Quid enim à ſe ſuiſque commodis adeò alienum reperitur, vt ſibi bene eſſe non velit? At hoc ipſum, quòd omnia bonum ſectentur, participaréque deſiderent, multo verius ex vi, conditionéque ipſius boni eminet; cuius nempe rationem eam eſſe ſapientes vulgo prædicant; vt rebus obuium omnibus copiam ſui offerat: quin & res ipſas eminus ad ſe perquirendum, fruendúmque ſollicitet, ſuarum illecebrarum velut hamis quoquouerſum immiſſis attrahens ac rapiens. Quæ cùm omnis boni natura eſt, tum verò præcipuè infiniti. Eo enim magis effluit bonitas, quò maior eſt eius affluentia: vt vas quò plenius, eò copioſiùs redundat. Quare Ἀγαθωνυμίαν, hoc eſt, boni appellationem, ait Dionyſius *de diu. Nom. cap.* 4. ſupremo & ὑπερθέῳ numini, tanquam ei maximè conſentaneam à Doctoribus Myſticis adſcribi. Quòd nempe Deus per ſe, nec aliam ob cauſam, quàm quia Deus ſit (hoc eſt naturâ ſua bonus) radios beneficentiæ illo ferè modo diffundat, quo ſol, non ſui commodi cauſa, ſed ea re duntaxat, quod ſol eſt, luce ſua colluſtrat omnia; ἥλιος αὐτῷ εἶναι ἥλιος φωτίζει.

2. Eſt autem duplex in Deo ratio ſuarum communicandi perfectionum: naturalis altera, libera verò altera. Naturalis ſuſtinere ſe non poteſt, quin ſuam pleniſſimè ſubſtantiam effundat, & intra ipſum Diuinitatis complexum perſonas conſubſtantiales æqualeſque conſtituat. Ad ſummam quippe bonitatis profuſiſſimæ perfectionem attinet multiplicatio diuinarum hypoſtaſeon, totiuſque myſterium Trinitatis. Cùm enim diuinum numen ſit velut quoddam immenſum eſſentiæ pelagus, non poteſt tanta vis immenſitatis bonitatiſque in vna ſe continere perſonà. Itaque neceſſarium eſt, vt Pater totum ſe reciprocet in Filium, atque alter in altero, bonus in bono, exultet cum Spiritus ſancti plenitudine.

3. Diuina bonitas poſtquam naturali neceſſitate ſe plures in perſonas effudit, eam laudem, gloriámque intra Trinitatem conſequuta, vt abſque Deitatis multiplicatione Deum faceret ipſiuſmet eiuſdem Dei eſſe principium; voluit vlterius non iam neceſſitate, ſed libera voluntate extra ipſum numen Trinitatis velut progredi, vt vim ſuam in creaturas explicaret ſuo in eas illapſu. Quod quidem quatuor præſtitit modis. Primò eas producendo, & illis omnes dando perfectionis naturalis numeros. Quod benignitatis genus ad res omnes creatas latiſſimè pertinet. Secundò id præſtitit per ſanctitatis collationem, quæ ad ſolas mentis & rationis participes naturas ſpectare poteſt, ad diuinum eas perfectionis gradum, qui omnem naturæ captum facultatémque ſuperet, euehendo. Eſt præterea tertius alius longè ſuperior diuinæ communicationis modus, quo mentes creatæ per lumen, quod Gloriæ dicitur, ad intimam cum Deo clarè viſo vnionem admittantur, præſentem ipſum quodammodo attrectent, & in illo, ac de illo viuentes per omnem æternitatem beatæ, guſtata eius exſaturentur dulcedine; iuxta illud Pſalmiſtæ, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quartus tandem infinitæ benignitatis modus reſtat, quo Deus alicui naturæ per vnionem hypoſtaticam, non donum, ac munus creatum, ſed ipſam plenitudinem ſuæ diuinitatis immergit.

R. P. P. Debugis Tract. de Incarn.

4. Magnam quidem habere neceſſe eſt ſapientum omnium admirationem tres illos, quos primos iam exponebam communicationis modos. Per illos enim diuina bonitas ſe variè in creaturas ita diffundit, vt extra ſe quodammodo progrediatur, & velut ſe diuidens, ac diſpertiens, per diuortia fluere ac decurrere videatur earum naturarum, ad quas creandas ornandaſve ſe demittit. Sed tamen cùm ſeipſam illis tribus modis in ſpecies rerum tam varias, formaſque tam diſſimiles ſe quaſi diſtribuit, non eam patitur (inquit Dionyſius *cap.* 1. *de cæl. hier.*) diminutionem dignitatis ſuæ, vt ſe in creaturas induat, πληθυνομένη καὶ προϊοῦσα μένει ἔνδον ἑαυτῆς ἐν ἀκινήτῳ ταυτότητι, manet intra ſeipſam, & creaturas extra ſe mittens in tantum illis tribuit, quod ipſæ ſunt, nec niſi quoſdam à ſe manantes impertitur effectus. At verò quartus communicationis modus ipſam plenitudinem diuinitatis in anguſtias & ſinum humanitatis effundit; atque Deus omnes Trinitatis opes inaudito (ſi fas ita loqui) velut mancipij iure diſtrahit, naturæque creatæ ſemetipſum hypoſtatico tradit nexu, & diuina omnia hominis eſſe facit, humaníque iuris.

5. Ac ſanè ſi diuinarum perfectionum naturalis ipſe ſtatus captum omnem ſuperat creaturæ poſſibilem, multò magis conſentaneum eſt illos ſtatus incomprehenſos eſſe, qui diuinæ naturæ leges quodammodo perrumpunt, nec poſſunt abſque aliquo intra Deum miraculo contingere. Cum igitur nullum fingi poſſit intra ipſam diuinitatem prodigium, quod illius naturalia iura violet, præter myſterium iſtud Incarnationis, quo ſuum numen totum Deus exinaniuit, in hominem quodammodo ſe deponens; perſpicuum eſt, ad naturæ diuinæ, quæ per ſeipſam retruſiſſima eſt, obſcuritatem, nouæ cuiuſdam obſcuritatis acceſſionem ab Incarnatione fieri, atque in Deo longè incredibilius videri, quòd mortalis ex noſtro ſit, quàm quòd immortalis ex ſuo. Si animal, quod aliquis ex leonis, & draconis, capræque natura mixtum cogitauerit, res commentitia cenſetur, quia tres naturæ illæ tam diſiunctæ ſint, vt non videantur copulari, aptarique poſſe; quantò congruentius eſt, vt ſi quid ex humana, diuinaque natura mixtum, & in vnam conflatum perſonam cogitetur, id in rerum confictarum numerum reponatur, & pluſquam chimæricum iudicetur ab omni mente, quam diuinus afflatus non erudierit; cùm nulla queat inter extrema illa infinitè diuerſa apparere proportio? & cùm ex hypoſtatica diuinitatis, humanitatiſque coniunctione exiſtant plurima conſectaria, quæ maximam habere videantur cum naturali ratione repugnantiam? Deum indignas ſe toleraſſe paſſiones, vſque ad præſepis in natiuitate pudorem, pannorum in infantia illuuiem, paupertatis in vita humilita-

Digitized by Google

tem, ac tandem Crucis in morte atrociſſima ignominiam.

6. Sub cuius cadat intelligentiam, hominem adoleſcentula matre nuper natum, qui vitam breui tempore circumſcriptam mortali conditione degat, omni viguiſſe æternitate, quam nulla metiatur temporis circumſcriptio? fabricatorem huius vniuerſitatis eſſe puerum infantem: eiuſque vagientis in cunis prouidentiâ, quicquid mundi complexu coërcetur, adminiſtrari, numine conſeruari? Quis cogitatione comprehendat, quomodo ille habitu inuentus vt infans, qui præſepis capſula continetur totus, omnes locorum ſpatiorumque immenſitates repleat, quicquid vbiuis contingit efficiat, & quicquid vltrà voluerit, poſſit efficere in cœlo & in terra? Id Sanè eſt, cur mundus Deum non cognorit, & ſui non receperint, poſtquam factum hominem, in aliena natura, famularique velut veſte ipſum aſpexere; adeò vt non modo tanquam obſcurum, & ignobilem exploſerint, ſed etiam tanquam facinoroſum, quòd ſibi Diuinitatem arrogaret, ex hac vita cum ſummo dolorum cruciatu deiecerint. Quò accommodatur ſignificatio illius apud Iſaiam oraculi *capite. 45. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël, ſaluator.* Quod 70. Senes ita vertunt; *Tu es Deus, & neſciebamus.* Quia *per arcanum Sacramentum aſſumpti corporis* (vt loquitur Hieronymus) *Deitas opaco carnis tegumento celabatur, Iudæi dicebant, hunc neſcimus vnde ſit. Ioan.cap.2.*

7. Ex tam reconditi incomprehenſibilitate myſterij varios poſſumus fructus decerpere. Primus eſt vt intelligamus, quantam creatorum, quos arcent aſpectuum religionem exigant diuina myſteria, & quantam venerationem habere debeat illud infinitæ maieſtatis numen, quod non tantùm in ea, quæ intra ſplendorem Trinitatis occluſiſſima eſt, latebra, ſed etiam in ipſo aſſumptæ carnis myſterio, cùm ſe carnis opaca nube texit, ab oculis mortalium idcircò remouit, vt maiori reuerentia coleretur. Quo modo veteres aliquos Principes hanc tenuiſſe conſuetudinem legimus, vt velo obtenderentur cùm aditum ad ſe dabant. Ad maieſtatis ſcilicet ſpeciem retinendam pertinere arbitrabantur, ſuam non vulgari præſentiam. Certè quam in cœlo à contremiſcentibus Angelis, diuinamque faciem ſuarum interpoſitu alarum obducentibus, eandem in terra par eſt ab hominibus venerationem habere diuina myſteria. Quæ meliùs nemo nouit, quàm is *qui in religioſa ignorationis*, vt Sanctus Dionyſius *de myſt. Theol. cap.1.* ait, *caligine ſe continet.* Sic olim Habacuc propheta de Incarnati Verbi natiuitate canticum meditans, quicquid efflatutus eſſet, id myſticæ ignorationi voluit eſſe conſecratum; atque ſuum illud Canticum pro ignorantiis inſcripſit.

8. Secundus, quem nobis incarnationis obſcuritas profert, fructus eſt, vt dum inuerecundæ curioſitatis vitamus aſpectus, ad religioſam nihilominus tanti myſterij cognoſcendi cupiditatem erigamur. Sic enim curioſitati humanæ in rerum diuinarum contemplatione modus ponendus eſt, vt ne tamen in iis reuerenter contemplandis ſocordes, negligenteſque ſimus. Nam licèt aduerſi candorem ſolis nemo prudens ſic intueri debeat acriter, vt aſpectum amittat; nec alio modo in aſtrum illud intendendi ſint oculi, quàm quo poſſit videri; vt ſcilicet non totum eius lumen, ſed quantum ſuſtineri poteſt, excipiatur: nihilominus quis illum hominem laudauerit, qui eorum exempla reformidans, quos acriùs ſe intuentes ſol excæcauiſſet, nollet vnquam in clara luce verſari? Simili modo Chriſtus quidem ob immenſum gloriæ ſplendorem ſupra omnem cogitationis aciem conſiſtit. Quare Arium, Neſtorium, Eutychen, Sabellium, alioſque plurimos excæcauit, in ſe minùs caſtum modeſtumque intendentes aſpectum. Noſtræ tamen omnium ſalutis intereſt, non ſic in illius ignoratione verſari, quin ipſius intelligentiam, quali nos Eccleſia imbuit, animo concipiamus.

9. Quantis Chriſtum cognoſcendi contemptio ſit ponenda in malis, ex graui Angelorum, atque horribili caſu intelligimus. Cùm enim, poſtquam creati fuiſſent, Deus (vt non paucis Theologis placet) ipſum Chriſtum ante illorum omnium præſcriptum oculos poſuiſſet, vt ſuam in eandem fidem clientelamque profiterentur, qui illum habere noluerunt in notitia, ſed quaſi ignotum in aſſumpta natura humana aſpernati ſunt, ingloriumque reiecerunt; hi de cœleſtibus ſedibus eodem loci temporiſque veſtigio præcipites acti ſunt, & flammis apud inferos ſibi præparatis abſorpti. At quanta ex contrario ſit hunc diuinum Principem noſſe felicitas, tum illorum ſors Angelorum oſtendit, qui obſequium ei clientelare, ſeruitutemque detulerunt; & cùm eum cognouiſſent, ſicut Deum glorificarunt, atque ſic felicitatem adepti, principatum ſuum ſeruauerunt: Tùm ſuis ipſe Chriſtus indicauit diſcipulis, *Beati*, inquiens, *oculi, qui vident quæ vos videtis.* Qui & alibi ſic Patrem alloquitur; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quare ſapientiſſimè Chriſtum ipſum compellans Diuus Auguſtinus: *Infelix*, ait, *homo qui ſcit alia omnia, te autem neſcit. Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui verò te & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te, ſicut Deum glorificet.*

10. Quare hoc loco ſummam attinet incuriam eorum Chriſtianorum obiurgare, qui mentē in Verbi incarnati cognitionē rarò transferunt. Incredibili ſtudio tenera puerorum ingenia poëticis imbuuntur fabulis, quæ Deorum flagitia cœlo conſecrent. Ab eorum interim oculis remouetur, quæ ſola vera eſt, & è cœlo lapſa ſapientia. Dum pueri canem, aut vulpem narrant Æſopicam; dum adoleſcentes ex Heſiodo, vel Homero Deorum cognationes & familias, obſcæna geſta, rixas, bella canunt, & vulnera, vix vllus inter viros aut etiam grandiores natu reperitur, qui diuina de humano genere per Chriſtum redimendo conſilia, vel ipſius Chriſti præſtantiam, & admirabilem in nos charitatem cogitet. Quid Chriſtianus debet habere potius, quàm vt Chriſtum, cui nomen dedit, & à quo Chriſtiani nomen accepit, conetur pro ſui captus modulo noſſe, rerum etiam aliarum omnium neſcius? poſſitque illud Apoſtoli vſurpare, *Non iudicaui me ſcire aliquid, niſi Ieſum Chriſtum?* Quod ſi ſublimis eius dignitas adeò ſit ab omni Creato ſenſu diſiuncta, vt quantus, & quàm excelſus eſt, intelligi nequeat; id ſaltem vnum de illo cognoſci neceſſe eſt; ab vlla, quantum par foret, nequire ipſum creata mente cognoſci.

11. Tertium denique fructum hunc percipere poſſumus ex iſtius incomprehenſibilitate Myſterij; vt nempe quò longiùs ab humanis cogitationibus remotum eſt, eò plus, communi repudiato naturæ ſenſu, diuinam circa illud fidem roboremus. Nam diuina fides (quemadmodum ſcitè *lib. 1. de fide* Guillelmus definit Pariſienſis) aliud nihil eſt, quàm fortitudo, vel generoſitas noſtri intellectus. *Manifeſtum eſt enim,* inquit, *quòd credere improbabilia, fortitudinis eſt, atque vigoris intellectus, ſicut amare damnoſa, moleſta, & ignominioſa, eſt fortitudinis*

voluntatis

voluntatis. Non eſt autem quicquám, ſi ab hoc Incarnationis myſterio diſcedas, vbi generoſitas, robúrque mentis magis ſe prodat; cùm nihil nobis credendum Religio Chriſtiana proponat, à quo plus opinio naturalis abhorreat, quàm Dei numen in hominem exinaniri, & Creatorem ſuam fieri creaturam. Ea nimirum eſt ſtultitia, qua ſola ſapiens eſſe quis poſſit, tantò rem firmiùs, quantò abſurdiorem amplectens. Quod eleganter explicat Tertullianus *de carne Chriſti cap.* 5. his verbis: *Non eris ſapiens, niſi ſtultus ſeculo fueris, Dei ſtulta credendo. Quodcumque Deo indignum eſt, mihi expedit. Saluus ſum, ſi non confundor de Domino Deo meo. Alias non inuenio materias confuſionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter ſtultum. Natus eſt Dei filius? non pudet, quia pudendum eſt. Et, mortuus eſt Dei filius? prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt. Et, ſepultus reſurrexit? certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Porrò qui fidei robore difficultates rationis humanæ circa incomprehenſibilitatem huius myſterij ſuperauerit, conſequens eſt eum in vno Chriſto ſpem omnem ſuam defigere, ſi fidem illam ſuam viuam eſſe velit. Sanguis enim fidei, ait Clemens Alexandrinus, eſt ſpes, quæ ſi abfuerit, perinde ac ſi ſanguis effluxerit, vitalis fidei facultas diſſoluitur. Quiſquis porrò effuſiſſimam illam bonitatem Dei amantiſſimi, ſe ad hominem hypoſtatica vnione iungentis defixo fidei aſpectu conſiderauerit, non ſola ſpe, ſed etiam perfecta charitate, ſine dubio illi iungetur.

LIBER SECVNDVS.

Contra Iudæos negantes veniſſe Meſſiam.

EXPLICATA ſuperiori Libro tum poſſibilitate, tum eſſentia, vtroque conceptu Incarnationis; proximum eſt, vt de illius exiſtentia, & de Meſſiæ ante pluſquàm ſedecim ſæcula in mundum aduentu, Iudæos conuincamus. Quorum conſiderandus erit ingratus in Deum animus, poſt accepta infinita in gratiam ipſius Meſſiæ ex eis naſcituri, beneficia. Sed nec erit abs re obſtinatam eorumdem in ipſum impietatem, & implacabile odium attendere.

CAPVT PRIMVM.

Meſſiam iam veniße, contra Iudæos; ex Danielis cap. 9.

1. QVANDOQVIDEM contra Iudæos nouum Teſtamentum repudiantes congredimur, ſolius veteris authoritate pugnandum eſt. Ac primò expendatur vaticinium illud nobiliſſimum, quod apud Danielem c. 9. Gabriel Angelus concepit his verbis: *Animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt,* נֶחְתַּךְ *deciſum eſt*, impersonaliter, pro, *deciſæ ſunt*, hoc eſt, prædeterminatæ, ac prædefinitæ) *ſuper populum tuum, ac ſuper vrbem tuam, vt conſummetur præuaricatio, ac finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte. Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit populus eius, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in medio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium; & erit in templo abominatio deſolationis; & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.* Hactenus Angelus: cuius verba, vt in myſteriis, ænigmatica ſunt; ita vt, licèt ſit euidens elapſum iam fuiſſe tempus ab ipſo Angelo præfinitum, atque neceſſarium ſit vi huius oraculi veniſſe Chriſtum; nobis tamen difficillimè iſtarum hebdomadarum exacta ratio conſtat: nam præterquā quod Iudæorum perfidia tam illuſtre de Meſſia vaticinium eſt conata corrumpere, & aliò diuertere, acceſſerunt ex chronologia perplexitates non paucæ.

2. Sed primò vt certum ſupponi debet, hebdomadas, quarum hic mentio fit, eſſe annorum; atque adeò ſeptuaginta hebdomadas idem eſſe, atque 490. annos. In Scriptura enim ſacra non aliæ vſurpantur hebdomades, quam vel dierum, vt *Leuit.* 23. *verſ.* 15. *Daniel.* 10. *v.* 2. *Geneſ.* 29. *v.* 28. vel annorum, vt *Leu.* 25. *verſ.* 8. Conſtat autem non hìc intelligi hebdomadas dierum; eæ enim (quæ ratio etiam excluderet hebdomadas hebdomadarum, vel menſium) nimis breue conſtituerent ſpatium, & ante diffluerent, quàm ea quæ hìc prædicuntur, poſſent exequutioni mandari. Adde quòd in huiuſmodi tam breuibus hebdomadibus Iudæi, in quos diſputatur, nihil lucrarentur, nec per eas, cùm pridem iam euolutæ ſint,

probarent Chriſtum nondum veniſſe. Supereſt ergo, vt intelligamus annorum hebdomadas, quemadmodum non modò Chriſtiani, ſed etiam omnes ferè, præſertim antiquiores, Iudæi fecerunt. Nam quod iſtorum aliqui, vt refert Galatinus, *lib. 4. de arcanis fidei, cap.* 14. dicunt intelligi hebdomadas Iubilæorum; ſumunt ij quidem ſpatium, quod nondum ſit euolutum, vt ipſorum perfidiæ accommodetur; cùm Meſſiæ aduentum diutiſſimè differat. Sed abſurdiſſimi ſunt: Nam primò cum Iubilæi ſpatium 50. annos contineat, ſeptuaginta hebdomades iubilæorum implent viginti quatuor millia annorum, & eo amplius. Clarum autem eſt non totum id ſpatium definitum fuiſſe à Gabriele, qui ſcilicet vult poſt 70. ſuas hebdomadas ciuitatem ſtatim & Sanctuarium diſſipatum iri, defecturam hoſtiam, & ſacrificium, ſummamque fore deſolationem. Quæ ſanè omnia videmus impleta. Quare neceſſarium eſt hebdomadas illas fuiſſe iam exactas. Secundò quo nixi fundamento hebdomadas Iubilæorum potiùs, quàm annorum interpretantur? Nimis profectò voluntarium illud eſt, & eadem facilitate poterit quilibet interpretari hebdomadas ſæculorum integrorum, &c. Atque ita infinito & indeterminato ſpatio eludetur omnis expoſitio huius loci.

3. Secundò, contra eoſdem Iudæos ſupponendum eſt, non ad alium Chriſtum hanc prophetiam pertinere, quàm ad inſignem illum à Patriarchis expectatum. Dicant enim nobis Iudæi, per quem alium Chriſtum, hoc eſt, per quem alium ſeu Prophetam, ſeu Regem, ſeu Sacerdotem conſummata ſit præuaricatio, finem peccatum acceperit, deleta ſit iniquitas? per quem inducta ſit iuſtitia ſempiterna? per quem viſiones, & prophetiæ adimpletæ? Dicant quis alius vocari meruerit Sanctus Sanctorum, præter eum, quem ſubſtantiali ſanctitate Deus Pater vnxit, & qui ab illa ſingulari vnctione Chriſtus abſolutè ac per excellentiam dictus eſt? Quem alium prophetarum, quem Regum deſignabunt, poſt cuius occiſionem extinctus ſit populus ipſum negans, ciuitate Sanctuarioque diſſipato, hoſtiâ & ſacrificio deficiente, & in æternum deſolatione perſeuerante? Hæc ſanè omnia per Gabrielem enumerata euincunt manifeſtè non de Cyro, non de Nehemia, non de Zorobabele, non de Ieſu filio Ioſedec, non de Herode Agrippa, non de alio eiuſmodi fuiſſe oraculum iſtud, quàm de Chriſto illo præcipuo: quem Tertullianus *libro aduerſus Iudæos, cap.* 6. ita delineat. Quærendum an expectetur nouæ legis lator, & noui Teſtamenti hæres, & nouorum ſacrificiorum Sacerdos, & nouæ circumciſionis purgator, & æterni ſabbathi cultor; qui legem veterem compeſcat, & nouum teſtamentum ſtatuat, noua ſacrificia offerat, & cæremonias antiquas reprimat, & circumciſionem antiquam cum ſuo ſibi ſabbatho compeſcat, & nouum Regnum quod non corrumpatur annuntiet. Quod verò Thalmudici, R. Salomon, &c. apud Galatinum *lib. 4. cap.* 14. cenſent hîc non agi de vllo Chriſto homine, ſed de Templo, quod à Gabriele vocetur ſanctitas ſanctitatum, friuolum eſt ac ridiculum, & ex textu conſtat has hebdomadas 70. terminari in aliquo Chriſto duce, eiuſque nece: *Vſque ad Chriſtum ducem*, inquit, *hebdomades ſeptē, & hebdomades 62. & poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus.* Atque ita licèt ageretur hîc de Templo deſtruendo, fatendum tamen eſſet, quod ſub illud deſtructionis tempus Chriſtus iam venerit, & occiſus ſit; per quem deleta ſit iniquitas, adducta iuſtitia ſempiterna, &c.

4. His ſuppoſitis concluditur manifeſtè & efficaciſſimè ex hac prophetia contra Iudæos. Quamuis enim nos non poſſimus præcisè deſignare illarum hebdomadarum indubitatum initium, nec deſcribere fluxum, propter hiſtoriæ tum ſacræ, tum prophanæ obſcuritatem, ac interruptionem, & chronologiæ perplexitatem: Certùm tamen eſt illas iam finitas eſſe, vndecumque cœperint, & quocumque fluxerint modo. Nam ſermones omnes de reſtauranda Ieruſalem tam prophetici, quàm alij, quos in hebdomadarum initium deſignare potuit hic Danielis locus, ſanè multò antè 490. hinc annos habiti ſunt. Quare neceſſarium eſt ex huiuſmodi prophetia Chriſtum iam veniſſe. Nihilominus vt hæ 70. hebdomades meliùs intelligantur, volo breuiter hic (quamuis id nullo modo neceſſarium contra Iudæos ſit, qui vt vt ſe res habeat, iſto vaticinio conuincuntur) explanare difficultates, quæ circa hæc Gabrielis verba ortæ ſunt inter Chriſtianos Doctores; dum exactam vaticinij tam luculenti rationem explicare conati ſunt. Exponenda ſunt igitur circa iſtas 70. hebdomadas, ſeu 490. annos, tria difficillima. Primum eſt, vnde ſumant initium: Secundum, vbi deſinant: Tertium, quomodo inter duos illos, quos aſſignauerimus, terminos, computentur, ita vt nihil in iis deſit, aut redundet.

Explicatur ſeptuaginta hebdomadarum initium, ac finis, & inter duos illos terminos computatio.

5. ET quidem, quod ad primum attinet caput, Propheta, qui ſuos ipſe pangit hinc & inde iſti epochæ terminos, initium ait ſumi ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem; hoc eſt ab eo tempore, quo editus fuerit ſermo de reſtauranda ciuitate Ieruſalem, quam Nabuchodonoſor euerat. Quis autem ſit ille ſermo, obſcurum eſt. Nam ſunt, qui eſtiment eum eſſe, qui exierit ab aliquo Propheta. Exiit enim ab Iſaia *capite* 44. *v.* 28. & *c.* 45. *v.* 13. Exiit & à Ieremia *c.* 25. *v.* 12. & *c.* 29. *v.* 10. Exiit prætereà hîc apud Danielem à Deo, & Gabriele. Quod pertinet ad Iſaiam & Ieremiam, non eſt multò maior ratio, cur potiùs ab eorum vno, quàm ab altero ſumatur: imo cùm Iſaias prior prophetarit, videtur quòd ad eum potiùs, quàm ad Ieremiam confugere debuerunt Liranus in hunc locum, & Vatablus, item Galatinus *lib.* 4. *c.* 15. Burgenſis, &c. Verùm ab vtrouis inchoentur hebdomadæ 70. non poſſunt ad Chriſtum vſque peruenire. Debent ergo inchoari infra Iſaiam, & Ieremiam. Si quis illas cum Origene, quem Hieronymus refert, & Tertulliano contra Iudæos *cap.* 8. inchoare voluerit ab iſto ſermone qui à Deo, ſeu Gabriele exiit hîc *c.* 9. Danielis; coincidet cum iis, qui, vt mox dicam, illas inchoant à Cyro; nam huius anno 6. contigit iſta Danielis viſio, quare eodem modo illi reiiciuntur, quo iſti.

6. Cùm igitur à nullo propheticorum ſermonum inchoari poſſint hebdomades iſtæ, cuncti ferè Doctores exordium illarum referunt ad aliquem ſermonem, qui exiuerit à Regibus; ſiue ad aliquod edictum, quo Ieroſolymitanam reſtaurationem Babylonici Reges permiſerint. Nam Cyrus anno primo ſui imperij (non quidem Perſici, ſed Babylonij) edictum dedit, quo poteſtatem faciebat, & Templum & vrbem reædificandi, vt prædictum fuerat ab Iſaia *cap.* 44. & *cap.* 45. Atque in eum finem Zorobabel, & Ioſuë filius Ioſedec expeditionem ſuſceperunt, *Eſdræ* 2. & 3. Quæ tamen expeditio ſuccedere non potuit; nam anno, quàm dimiſſi fuerant,

Digitized by Google

fuerant. Secundò, hoſtium factione prohibiti ſunt, opuſque intermiſſum eſt vſque ad annum Darij, qui filius Hiſtapis fuit, ſecundum; quo iidem duces ædificationem reſumunt noua per edictum Regium poteſtate facta, *Eſdræ* 6. & diſertè habetur *lib. 3. apocryphe*, eiuſdem Eſdræ *c. 4. v. 43.* fuitque Templum perfectum anno Darij 6. *Eſdræ c.6. v.15.* Poſt hæc Artaxerxis Longimani anno 7. Eſdras Ieroſolymam venit cum ampliſſima in eundem finem poteſtate, *cap. 7. & 8.* Denique eiuſdem Artaxerxis anno 20. Nehemias facultatem impetrat Regiis literis contentam vrbis nominatim reſtaurandæ, *Nehemiæ c. 2.* Non puto referendam eſſe hîc nouam Scaligeri ſententiam, quæ edictum de reſtauranda Ieruſalem vult à Dario notho exiiſſe, quod exequutioni fuerit perfectè mandatum Artaxerxis memoris 31. anno. A doctis ea ſententia communiter vt abſurda reiicitur. Vide Petauium *de Doctrina temporum lib. 12. cap. 31.* Sunt igitur, omiſſa Scaligeri hallucinatione, quatuor omninò ſermones iam enumerati, qui diuerſis temporibus à Babylonijs Regibus prodierunt; à quorum ſermonum aliquo inchoandas eſſe 70. hebdomadas exiſtimant Doctores omnes inſigniores.

7. Nos autem, vt breuiter in re obſcura, omnibus perpenſis, quid probabilius videatur indicemus, ſupponimus inter quatuor illa edicta id ſolum poſſe eligi quod habeat quippiam eximium, ac peculiare, ratione cuius eligatur præ cæteris. Cùm enim abſolutè & ſine addito ſermonem de iterum ædificanda Ieruſalem Angelus deſignauit, haud dubiè illum intellexit, qui inter omnes huiuſmodi ſermones præcipuus fuit, ac meruit vt eius potiſſimum ratio habeatur. Clarum eſt autem, eum debere cenſeri præcipuum, qui fuit omnium efficaciſſimus, & vi cuius ſolius eſt iterum ædificata de facto Ieruſalem; ſeu qui ad exitum perductus eſt, præſertim cùm Angelus ſit vſus hoc nomine exitus; *Ab exitu*, inquit, *ſermonis*. Supponimus ſecundò illud edictum eligendum non eſſe, quod eo tempore ſit datum, vt vſque ad Chriſtum 70. hebdomades multum excedant, aut deficiant.

8. Quare non poſſumus eligere edictum Cyri; cùm conſtet illud inefficaciſſimum fuiſſe. Vix enim quicquam eo eſt actum; imò poſtea *Eſdræ c. 4.* reſciſſum fuit ab Artaxerxe, quem Cambyſen (qui Iudæos non amauit) interpretor. Adde à Cyro vſque ad Chriſtum Dominum intercipi pluſquàm 70. hebdomadas, niſi velimus coarctare Monarchiam Perſarum, quod aliqui fecerunt, non plus ei tribuentes quàm 150. annos circiter; aut diſtrahere & interrumpere hebdomadas, quas tamen dicendum omninò eſt cõtinuas fuiſſe: ſi enim eas fruſtatim per varia ſæcula ſpargere, & in diuerſis ætatibus ponere liceat, nihil per eas certi ac determinati prænuntiatum fuerit; nam illas vnuſquiſque vt volet diſtrahet, diſſipabitque. Non item ſecundò poſſumus intelligere cum Ianſenio, Driedone, &c. edictum Darij; licet enim fuerit efficax quoad Templi ædificationem, non tamen quoad vrbis: cuius nihilominus, & non Templi nomen diſertè Danieli exprimit Angelus, cùm de ædificatione loquitur. Præterea, quamuis minùs difficilis ſit chronologia ſi à Dario ſumamus exordium, quàm ſi à Cyro, non tamen ſatis eſt expedita, nec hebdomadarum finis, Chriſti Domini tempora attingeret.

9. Supereſt igitur tertium & quartum edictum; quod nempe vtrumque Artaxerxes Longimanus in fauorem Iudæorum edixit; illud quidem ſeptimo, iſtud autem vigeſimo imperij ſui anno. Sunt qui à priore illo hebdomadas auſpicari refugiant, propterea quod in ipſo (prout *cap. 7. Eſdræ* in Regis epiſtola concipitur) nulla fiat mentio ædificationis vrbis, nec vi illius excitata fuiſſe ciuitas videatur. Quare iſti ad poſterius Artaxerxis edictum, quod in illius imperantis annum vigeſimum incidit, & habetur *Nehemiæ cap. 2.* referunt hebdomadarum initium. Quia tamen ſi ſeptimi anni, quo Artaxerxes ſolus mortuo patre imperauit, ratio habeatur, & ab eo ſumatur hebdomadarum initium, conſtat egregiè computus annorum 490. in Chriſtum deſinentium, ſi quis præſertim per olympiadas tempora numeret, atque ita omninò neceſſarium videtur ſumere ipſarum hebdomadarum initium à prædicto Artaxerxis rerum ſine patre potientis anno ſeptimo: propterea edictum illud quod *cap. 7. Eſdræ* narratur, & à quo ipſi hic refugiunt, ad ſeptimum annum referunt, quo Artaxerxes imperauit, non ſolus, ſed ſimul cum patre Xerxe, qui ſeptimus annus incidit in duodecimum ipſius Xerxis; quomodo viam inierunt, vt edictum vigeſimo eiuſdem Artaxerxis anno editum (cuius mentio fit *Nehemiæ 2.* & à quo inchoandas ipſi volunt hebdomadas) ipſo ſeptimo poſt mortem Xerxis anno editum fuiſſe videatur. Aſſerentes nimirum vigeſimum Artaxerxis annum, qui memoratur *Nehemiæ 2.* eſſe computandum ex quo ille Princeps ſimul cum patre Xerxe adhuc puer ac prope infans imperare cœpit, ipſius ſcilicet Xerxis anno quinto: atque ita facientes vt ſeptimus eorum annorum queis ſine patre imperauit, incidat in prædictum vigeſimum.

10. Sed ego, licèt non ſim inſcius potuiſſe Artaxerxem (qui tamen fratres inter non erat maximus natu) adſciri à Patre in imperium; atque illam eſſe conſuetudinem, ac velut ius chronologis, vt in Regum putandis annis, quando vrgentur difficultatibus, recurrant ad ea regnorum initia, quæ Reges frequenter habuerunt ante mortem ſuorum parentum ac prædeceſſorum: non cenſeo tamen eſſe neceſſariam, aut admittendam in præſenti illam ſubtilitatem. Et ſanè ſi annus ille, quo datum eſt edictum Iudæis *cap. 7. Eſdræ*, eſſet ſeptimus Artaxerxis à tempore, quo pater proficiſcens in Græcos, illum quinto imperij ſuo anno aſſumpſiſſet in collegam imperij, edictum talis anni adſcribi Xerxi potiùs debuiſſet patri, quàm filio Artaxerxi admodum adhuc puero, nec per ſe quicquam gerenti. Dixiſſetque ſcriptura *Eſdræ 2.* tale edictum prodiiſſe duodecimo Xerxis, non autem ſeptimo Artaxerxis anno. Sed profectò palam videtur eſſe dum ſcriptura conſignat chronologiam per annos Artaxerxis ſeptimum, vigeſimum, trigeſimum, & trigeſimum ſecundum in Eſdra & Nehemia, non alios eam annos vnquam numerare, quàm eos qui ſolius fuerint Artaxerxis. Deinde quòd Artaxerxes quinto paterni imperij anno ſit adoptatus in imperium, cùm infans adhuc eſſet, haberetque fratrem Darium natu maiorem, mera eſt diuinatio ad eum ſolum finem inducta, vt edictum illud, quod *Nehemiæ 2.* narratur, promulgatum Artaxerxis anno vigeſimo, cadat in annum ſeptimum eiuſdem Artaxerxis poſt patrem imperantis; & ita hebdomades Danielis poſſint inchoari ab illo ſeptimo anno, cui aptiſſimè chronologia accommodatur. Atqui id totum inutile eſt, nec opus eſt recurrere ad edictum anni vigeſimi.

11. Nam illud ipſum edictum, quod anno Artaxerxis ſeptimo extitiſſe narratur *Eſdræ c. 7.* eſt aptiſſimum, vt indidem inchoentur hebdomades, quemadmodum bene docet Cornelius à Lapide in nonum Danielis *ad verſum 25. concluſione 3.* Quod enim

Digitized by Google

enim obiicitur, epiſtolam Regis *in illo Eſdræ cap.* 7. nequaquam facere mentionem ædificationis vrbis, nec vi illius edicti fuiſſe iterum ædificatam Ieruſalem; atque adeò recurrendum eſſe ad edictum anni vigeſimi, quod refertur *Nehemiæ* 2. & annum illum (qui eſt nempe vigeſimus, ex quo Artaxerxes inceperat puer cum patre Xerxe, ad vlciſcendam cladem à Græcis acceptam proficiſcente, regnare) confundendum eſſe cum anno ſeptimo eiuſdem regnantis poſt patris mortem: id inquam, non vrget. Nam nec Artaxerxes conſtat ante parentis mortem regnaſſe, præſertim cùm infans eſſet, fratremque haberet, vt iam dixi, natu maiorem. Et prætereà per illud edictum, data eſt haud dubiè poteſtas, vt vrbs ipſa reſtauraretur, eiuſque ſufficientem facit ſcriptura mentionem; aſſerit enim regem dediſſe Eſdræ omnem petitionem. Non eſt autem dubium, quin præcipua Eſdræ petitio fuerit, vt Templo iam pridem ædificato vrbs reædificaretur, qua tuti forent Iudæi ab hoſtibus vicinis. Eoque ſpectare videntur centum talenta argenti & annona copioſiſſima Iudæis à Rege aſſignata. Adde quod vi illius edicti Eſdras omninò reduxit Babylone Ieroſolymam ciues, qui vtique vrbem, & in ea ciuitatem reſtaurarent, Magiſtratus, Politicos, ac leges haberent ciuicas, &c. vt narratur *capite illo* 7. Denique quatuordecim pòſt annis, nempe vigeſimo Artaxerxis Nehemias audiuit (tanquam recens factum) muros Ieruſalem eſſe diſſipatos, & portas ambuſtas, *Nehemiæ c.* 1. *&* 2. Ergo & muri excitati, & ædificia conſtructa, in quibus tot hominum millia habitarent, & portæ reſtitutæ antea fuerant ab Eſdra. Sed Sanaballat, aliique Iudæorum hoſtes ea corruperant omnia. Superiori noſtræ ſententiæ de anno, quo exierit ab Artaxerxe edictum, vnde ſumendum ſit hebdomadum initium, Petauius aliquantum repugnat *lib.* 16. *de Incarnatione c.* 8. & *lib.* 12. *de Doctrina temporum.* Sed nos quod expeditius & probabilius videatur ſequuti ſumus.

12. Concludendum eſt igitur Angelum deſignaſſe pro initio ſuarum hebdomadarum ſeptimum Artaxerxis ſine patre imperantis annum: quo anno Regius ſermo de vrbe Ieruſalem reſtauranda exitum habuit; quanquam ob hoſtes, vrbem muris iam ac portis munitam, aggreſſos, confirmatus, ac repetitus fuerit 14. poſt annis ab eodem Rege idem ſermo. Ita vt edictum quod exiit vigeſimo anno, cenſeri poſſit ad illud, quod anno ſeptimo exierat, pertinere, & velut vnum facere cum illo; vtpote illius velut quædam appendix & corroboratio. Porrò ſic hebdomadarum 70. vſque ad Chriſtum computatio, per olympiadas numeranti egregiè conſtat. Cum enim Chriſtus, qui (vt habet 24. Decembris Romanum Martyrologium) natus eſt centeſima nonageſima quarta olympiade, mortuus ſit ducenteſima ſecunda; ſi hinc decurrantur retrorſum centum & viginti duæ olympiades (tot enim his 70. hebdomadibus continentur) peruenietur vſque ad olympiadem octageſimam, circa quam fuit annus ille ſeptimus Artaxerxis. Hactenus de illarum diſputatum ſit hebdomadarum initio, quas Angelus à Deo definitas eſſe pronuntiauit.

13. Alterum quod præcipuè explicandum erat, ſpectat ad finem earumdem hebdomadarum. In quo breuiter dicendum eſt, eas oportere deſinere in Chriſti mortem, quæ in medio vltimæ hebdomadis contingat. Sic enim Angelus: *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas* (quas nimirum ſeptem aliæ præceſſerint) *occidetur Chriſtus*, &c. Hunc autem Chriſtum qui poſt iam dictas ſexaginta nouem hebdomadas, hoc eſt in medio ſeptuageſimæ hebdomadis occidendus ſit, non alium eſſe, quàm Saluatorem, affirmat textus, qui illum vocat Sanctum ſanctorum, & alia ei tribuit quæ in nullum alium poſſint conuenire. Vnde reiicias, quod vulgò exiſtimatur voluiſſe Euſebius; Chriſtum, qui hoc loco deſignatur, eſſe Hircanum, in quo deſiit proſapia ſacerdotalis: & quod maiori cum abſurditate nonnulli Hæbræorum dixerunt, hunc Chriſtum eſſe Cyrum, vel Zorobabelem, aut Ieſum Ioſedeci, qui ſanè 70. hebdomadas non clauſerunt, cùm ipſi Danieli ferè coæui extiterint. Reiicias etiam illos, qui fatalium horum annorum finem detruſerunt variè in tempora Titi ciuitatem euertentis. Refutatione non indiget Iudæorum ſententia; qui communiter in Templi ſecunda exciſione à Romanis facta deſinere ac finiri volunt hoc idem fatale temporis ſpatium. Hi præterquam quod ineptè admodum, atque imperitè annos deſcribunt, & cum textu Danielis nullo modo conueniunt; nihil ex ſua illa ſupputatione obtinent, quo minus Chriſtus pridem venerit.

14. Tertium ſupereſt explicandum, quod ſupra fuerat propoſitum, caput; nimirum totus ille temporis tractus, qui intercipitur inter duos iam à nobis definitos terminos; hoc eſt, inter ſeptimum Longimani annum, & mortem Chriſti. Videndumque, quomodo quadringentos & nonaginta annos, qui ſeptuaginta hebdomadas faciunt, impleat, nec excedat, iuxta prophetiam. Ad quod notandum eſt totam illam epocham diuidi ab Angelo in tres partes. Nempe primò in ſeptem hebdomadas, quæ templi & vrbis ædificationi deſtinantur, & inſuper in ſexaginta duas alias vſque ad Chriſti mortem excluſiuè productas; ac denique in vnam hebdomadem, in cuius labentis medio Chriſtus occidatur. Sic autem ſumendæ ſunt hæ tres partes, vt & inter ſe continuæ, nec interruptæ ſint, quemadmodum iam dixi; & prætereà æqualitatem ſingulæ hebdomades inter ſe habeant. Quod enim aliqui, cùm primas ſexaginta nouem ad Chriſti tantùm natiuitatem perduxiſſent, voluerunt vltimam cæteris inæqualem eſſe, & non ſeptem annis, ſed ſeptuaginta conſtare, ita vt mors Chriſti in eius medium, nempe in annum trigeſimum quartum cadat, eſt merè gratuitum, & ſine fundamento.

15. Iam in reddenda exactè ratione illius intercapedinis, quæ excurrit à Longimano ad Chriſtum, maxima oritur difficultas, quòd à Cyro ad Machabæos chronologia ob hiſtoriæ intermiſſionem ſit obſcuriſſima; poſſumus tamen in his tenebris duplici via incedere: prior eſt, ſi attendamus periodos Imperiorum Perſici & Græci. Nam cùm Imperium Perſarum durarit iuxta probabiliorem ſententiam 230. annos, & Imperium Græcorum circiter 302. ſi toti huic ſummæ detrahas quod elapſum fuit à Cyro ad Artaxerxis ſeptimum iam dictum annum, ſupererunt anni circiter 430. Quibus ſi addantur anni Auguſti & Tiberij, qui ad Chriſti mortem fluxerunt, attingetur numerus 490. annorum, ſeu 70. hebdomadum. Quòd ſi fortè vnum, vel alterum annum redundare hîc videas, quia non in fine, ſed in medio vltimæ hebdomadis Chriſtus obire debuit; nihil propterea oportet excitare turbarum. Nam in tot annorum per Regum imperia ſupputatione multas incidiſſe neceſſarium eſt numerorum fracturas; vnde vnius, vel alterius anni extortam eſſe diuerſitatem non mirabuntur ij, qui in his ſubducendis calculis exercitatiores ſint. Secunda, via, qua vti poſſumus, eſt olympiadum. Cum igitur ex Euſebio & communi opinione, quam Romanum Martyrologium

Digitized by Google

logium confirmat, Chriſtus natus ſit olympiade 194. atque adeò mortuus 202. ſi ab eo tempore calculum retro agas, donec centum & viginti duas olympiadas, quæ 70. hebdomadas annorum faciunt, decurreris, pertienies ad olympiadem octogeſimam, qua imperabat Babylone Artaxerxes Longimanus. Dico autem in eam olympiadem incidiſſe illius annum ſeptimum.

16. Authores multi reperiuntur, qui vt pro hebdomadarum propheticarum initio annum ſtatuere poſſint infra illum Artaxerxis ſeptimum, quem ſupra aſſignauimus, peculiari quadam & inſolita vtuntur computationis ratione; cum enim fateantur non regnaſſe Artaxerxem cum patre, ſed tantùm poſt huius mortem auſpicatum fuiſſe imperium; cœptas tamen volunt eſſe hebdomadas ab illius regnantis anno vigeſimo, id eſt tardiùs quàm nos annis circiter quatuordecim. Quorum annorum iactura facta non ſuperſunt deinde vſque ad Chriſtum pluſquam octo, & ſexaginta hebdomades, ſiue 476. anni. Hanc igitur iacturam vt tarciant, modum inuenerunt, quo legitimum numerum annorum quadringentorum & nonaginta, vel ſeptuaginta ipſas hebdomadas implere videantur. Confugiunt nimirum ad annos lunares, qui conſtantes duodecim circulationibus lunæ, breuiores ſunt quam ſolares, vndecim diebus. Atque hac arte iſti Authores inueniunt nonaginta ſupra quadringentos annos ab Artaxerxis anno vigeſimo vſque ad Chriſtum; vbi alij, qui ſolaribus annis vtuntur, non numerant pluſquam ſeptuaginta ſex ſupra quadringentos. Confirmant verò ſuam ſententiam verbis ipſis prophetiæ, quæ dicit hebdomadas 70. eſſe abbreuiatas; quaſi innuat eas conſtare annis lunaribus & abbreuiatis. Ita olim opinatus eſt Iulius Affricanus, teſte Hieronymo *in 9. Daniel.* ſequutique ſunt Beda, Zonaras, Rupertus, & inter recentes Gordonus, &c. Verùm illa ſententia diſplicet; quia Iudæi annos lunares non vſurpabant in temporibus numerandis, vt patet. Nam alioquin illorum menſes & feſta non in eandem ſemper tempeſtatem incidiſſent, ſed ab æſtate in ver, & à vere in hyemem intra octo aut nouem annos retroceſſiſſent. Quare dum tempus lunare obſeruatur, neceſſarium eſt, vt tertio ſaltem quoque anno intercaletur menſis vnus lunaris; atque ita anni lunares à ſolaribus non differunt. Non ergo dici debet Gabrielem cum Daniele Iudæo loquentem annos huiuſmodi vſurpaſſe. Nec valet, quòd ænigmaticè loqueretur. Nam vnde habes, illum, qui in reliquis ſatis obſcurus erat, hanc nouam obſcuritatem in annis affectaſſe? Sed nec viget quod hebdomades dicantur abbreuiatæ. In Chaldæo enim eſt שִׁבְעִים שָׁבֻעִים נֶחְתַּךְ, hoc eſt ſeptuaginta hebdomades definitæ, ſeu præciſè determinatæ ſunt (ſiue impersonaliter, definitum ac prædeciſum eſt 70. hebdomadas eſſe ſuper populum tuum;) Vulgatus autem interpres vertit, abbreuiatæ, quia Deus determinando illas hebdomadas, definiebat (motus precibus Danielis, Iſaiæ, Ieremiæ, & Sanctorum aliorum) tempus ſatis breue vſque ad Meſſiam; præſertim cùm vox נחתך ſignificet etiam præciſionem quandam. Denique non ad hos lunares annos cogit ratio temporum: cum oſtenderimus ſuprà non ad vigeſimum, ſed ad ſeptimum Artaxerxis annum referri debere initium iſtarum hebdomadum.

17. Clarè & diſtinctè intelligitur ex dictis hactenus, quid ſibi voluerit Gabrielis prophetia, eiuſque talem ferè fuiſſe ſententiam. Determinatæ ſunt à Deo 70. hebdomades annorum ſolarium: quod tempus præ magnitudine negotij, & longa patrum veſtrorum expectatione iam breue eſt, ſub quarum finem Chriſtus veniet. Incipiendo igitur ab eo tempore, quo ab Artaxerxe ſeptimum iam annum regnante facultas (quam idem quatuordecim poſt annis iterauit) inſtaurandæ vrbis Ieroſolymitanæ data erit, effluent primò ſeptem hebdomades, ſiue 49. anni quibus tandem per Nehemiam, non ſine perturbatione, anguſtia, & hoſtium metu, exſtabuntur iterum muri, dirigentur vici, diſponentur plateæ. Inde verò vſque ad Chriſti Ducis & Doctoris apparitionem (hoc eſt baptiſmum & prædicationem) ſexaginta duæ intercedent annorum hebdomades, quæ cum ſeptem præcedentibus efficient ſexaginta nouem, poſt quas omnes ſuccedet ſeptuageſima hebdomas, in cuius medio Chriſtus (poſt tertium ſcilicet à ſuo Baptiſmo annum, ſine tertio menſe poſt triginta tres vitæ ſuæ annos) morte ſua Teſtamentum nouum conſtituet, abrogato veteri, & ſacrificiis ſublatis. Elapſa tandem vltima illa hebdomade accidet (non quidem immediatè & in continenti, ſed quadraginta poſt Chriſti mortem annis) vt in huius occiſi pœnam Romanus exercitus magnam importet in Templum abominationem. Quæ abominatio nihil aliud erit, quàm proculcatio, ac ſtrages ipſius Templi, & ſacrorum omnium prophanatio, cum ſumma deſolatione; quæ vſque ad finem rerum, & mundi exitum perſeuerabit.

CAPVT II.

Probatur item contra eoſdem Iudæos Meſſiæ aduentus, ex Iacobi prophetia, Geneſeos c. 49.

1. SVNT & alia ex antiquo inſtrumento loca, quæ manifeſtè Iudæos admoneant atque conuincant veniſſe iam Meſſiam; Et quidem non alium eum eſſe, quàm Ieſum Mariæ filium. Qui regnante Auguſto natus, ſub Tiberio autem cruce affectus fuerit: Et cuius ex inferis ſuſcitati nomen toto orbe celeberrimum Apoſtoli fecerint, idolorum cultu ex omnibus terræ partibus exterminato. Cùm autem plurimi ſuppetant ad id ex veteri ſcriptura loci, duos diſtinctiùs explicabimus, cæteros permixtè confertimque proponemus.

Explicatur locus ex Geneſ. cap. 49.

EXimium eſt ac diſertum Iacobi Patriarchæ oraculum *Geneſ. cap. 49.* cùm non longè abeſſet à morte, filiiſque ſuis ſigillatim prædiceret, quæ ipſis, aut eorum poſteris euentura eſſent. In hunc enim modum ille de Iuda pronuntiat ſecundùm Hebræa: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Legiſlator de medio pedum eius, donec veniat Siloh.* Iuxta interpretationem verò Latinam: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt.* Vbi per nomen Hebraicum שילה, certum eſt deſignari Meſſiam. Quod enim opici quidam, hircoſique Iudæi non veriti ſint hic interpretari Saülem, quia fuit vnctus in Silo; vel Ieroboamum, quia eius defectione ablatum eſt aliquo modo ſceptrum de Iuda; vel Nabuchodonoſorem, quia per eum in Iuda Regnum videtur defeciſſe; nimis putidum eſt. Nam nec Scriptura dicit Saülem fuiſſe vnctum in Silo,

Silo,ſed in Maſphat; tuncque Arca non erat in Silo, ſed in Cariathiarim, & quamuis admitteretur Saul vnctus fuiſſe in Silo, id tamen non ſufficeret, vt ipſe diceretur eſſe Siloh. Nec tempore Ieroboami receſſit ſceptrum de Iuda, quamuis diminutum fuerit regnum. Neque etiam tempore Nabuchodonoſoris per captiuitatem, ſceptrum Iudæorum extra ſuam Tribum tranſlatum fuit. Et ſanè clarum per ſe eſt, ea quæ ibi de Meſſia teſtatur Scriptura (vt quod ſit expectatio gentium, &c.) nullo modo in Saülem, Ieroboamum, aut Nabuchodonoſorem Principes impios conuenire.

2. Porrò per nomen Silo, non modò Chriſtiani Meſſiam intellexerunt, ſed etiam, teſte Galatino *lib.4.c.4.* Rabini omnes Chriſto antiquiores. Onkelus, ſiue Chaldaïca paraphraſis, quæ apud Iudæos magnæ authoritatis eſt, Iacobæum iſtud oraculum interpretatur his verbis: *Non auferetur qui facit poteſtatem de domo Iudæ, & ſcriba de filiis filiorum eius, vſque in ſæculum; donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum, & ei obedient populi.* Idem habent aliæ duæ paraphraſes Chaldaïcæ, Ionathanis qui fuit Vzielis filius, & Ieroſolymitana, in quibus legitur pro Silo, Rex Meſſias. Iis conſentit R. Dauid Kimchius *in libro radicum.* R. Bechai *in comment. huius loci*; nec non alij plures Thalmudici, vt Buxtorſus teſtatur in nomine שִׁילֹה: varias autem eius nominis originos aſſerunt antiqui Hebræorum ſapientes. Aben Eſra vult illud idem eſſe ac בְּנוֹ, hoc eſt, filius eius, ita vt *He* ſit loco *Vau.* nempe שִׁילֹה, pro שִׁילוֹ, vt accidit in aliis quibuſdam vocibus. Eſt autem שִׁיל idem quod ſecundina, ſiue membrana partum inuoluens, atque pro ipſo partu, ſeu pro filio ſumitur. Et notandum quod cùm Iacob dixit potius שִׁילֹה loquens de filio ipſius Iudæ, quam בְּנוֹ, innuit ſe de Meſſia peculiariter loqui, quem ſine patre vterus & ſecundina matris inuoluit. Alij negant litteram *He* eſſe ſeruilem & affixam: ſed שִׁילֹה vocari Meſſiam, à verbo שָׁלָה, quaſi per excellentiam tranquillum & tranquillitatis æternæ authorem. Sunt qui, vt R. Selomoch, vocem eam poſitam eſſe velint pro שֶׁל־לוֹ, id eſt, eius, ſiue cuius (ſunt ſcilicet omnia.) Quam notionem videntur amplexi ſeptuaginta Interpretes: quandoquidem verterunt τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, id eſt, quæ repoſita ſunt ei, ſiue vt alij ᾧ ἀπόκειται, cui repoſitum eſt. Denique poteſt Silo, diuerſa à prædictis deriuatione, ſumi à verbo שָׁלַח, quod eſt mittere. Atque in eum ſenſum accepit Latinus interpres cùm reddidit, qui mittendus eſt. Non omittam Cabaliſtarum etiam hac in re ſenſum, qui probant hæc Iacobi verba (עַד־כִּי יָבֹא שִׁילֹה; *Donec veniat Siloh*) intelligenda eſſe de Meſſia, quod literæ, יָבֹא שִׁילֹה faciant numerum 358. quem & vox מָשִׁיחַ.

3. Cùm ergo nomen Silo, vt vidimus, ipſis etiam antiquorum & celebriorum Rabbinorum ſuffragiis, non aliò pertinere poſſit, quàm ad inſignem illum Meſſiam, quem à Deo ſibi promiſſum Iudæi ſe expectare dicunt; nihil hîc aliud ipſis Iudæis ſupereſt: quandoquidem futuri Meſſiæ aduentum Iacobus ſceptri & Regni à Iuda tranſlatione, tanquam certiſſimo indicio ſignat; niſi vt videant, num ſceptrum & authoritas regia de Iuda receſſerit. Certè receſſiſſe conſtat; nec ipſi ignorare poſſunt. Quare quicquid ad eludendam vim iſtius oraculi excogitarunt, ex voluntaria mentis cæcitate & pugnaciſſima prouenit obſtinatione; qua mentem ſuam ſolent ad omnem malitiam, fraudemque verſare: vt cùm ad hunc Geneſeos locum R. Selomoch, & Thalmudici in tractatu Sanhedrim Gemara tradunt nondum Tribum Iuda ſceptro ſuo ac Regno priuatam eſſe; ſed ipſam regnare circa mediam Syriam, Babylonem, & montem Caucaſum; ibique reperiri quoſdam αἰχμαλωτάρχας, ſiue, vt ipſi loquuntur רֹאשׁ גָּלוּת, aut tranſmigrationis capita; quæ locum Regum teneant, & poteſtatem habeant dominandi toti Iudaïcæ Genti per orbem diſperſæ. Riſu excipiendi ſunt. Experientia enim poteſtatem, quæ ſub nullius conſpectum veniat, quam nec ad aures noſtras ex ſermone rumor attulerit, ſatis refutat; eoſque conſtat ſic in varias regiones diffuſos ac diſperſos eſſe, vt coniunctionem, qua in vnam Remp. coaleſcant, habere non poſſint; atque ita inter ſe confuſos atque permixtos, vt Tribuum ſuarum nullum certum ſuperſit eis diſcrimen, quo tribum Iuda internoſcant, à cæteriſque ſecernant. Dubium non eſt quin ipſi perfidiæ ſuæ conſcij vim Iacobęi huius oraculi videant; & abolitum extinctumque pridem illud agnoſcant Imperium, quod manſurum prædicitur vſque ad Meſſiæ aduentum. Quare neceſſarium eſt, vt fateantur, aut Iacobi prædictionem eſſe falſam, aut Meſſiam veniſſe. Atque ad illos conuincendos nihil amplius requiritur in hoc argumento. Neque opus eſt alias ipſorum nugas, ac pluſquam aniles ineptias refellere, quæ apud Toſtatum legi poſſunt.

4. Chriſtiani tamen Doctores inter ſe diſputant, quomodo Iudas ſceptrum vſque ad Chriſtum obtinuerit; & quomodo per hanc Iacobi prophetiam conficiatur Meſſiam eo tempore veniſſe, quo regnabat Auguſtus. Nam vt omittam principatum tardiùs ad Tribum Iuda fuiſſe deuolutum (cùm ante Dauidem Moſes ex Tribu Leui, & Ioſuè ex Tribu Ephraim per annos ſexaginta ſex; Iudices quindecim ex variis Tribubus per annos ſupra trecentos; Saül ex Tribu Benjamin per annos circiter viginti populum rexerint) multis ante Chriſtum ſæculis, nimirum à tranſmigratione Babylonis, defierant Reges Iuda, quorum vltimus fuit Sedecias. Deinde verò fuere Duces, qui poſt Zorobabelem non ex Tribu Iuda, ſed ex Tribu Leui prognati erant. Ad quam difficultatem ſatis perplexam, Reſpondeo; Quantum quidem ſpectat ad tempus, quod Dauidem præceſſit, non debuiſſe ex hac Iacobi prophetia Tribum Iuda illo tempore potiri principatu. Non enim aliud prædicitur, quàm quod antequam Meſſias veniat, Tribus Iuda principatum tenebit, & non ceſſabit imperare, poſtquam ſceptrum in Dauide ſtabilierit, donec ipſe Meſſias veniat. Quod ad tempora pertinet, quæ Sedeciam ſubſequuta ſunt.

5. Duæ vulgares, ac peruagatæ ſe offerunt celebrium hinc & inde tam Latinorum, quàm Græcorum authorum ſententiæ. Quarum vna eſt Euſebij, aliorumque plurium, quos citat & ſequitur Pererius. Ea verò Patriarchicum iſtud de Regio ſceptro oraculum, non ad vnam ex duodecim peculiarem Tribum, ſed ad totam Iudæorum Gentem, ſiue ad vniuerſos Iacobi poſteros vult pertinere. Quaſi mens Iacobi ſit, non in ſolius Iudæ, aut Tribus illi cognominis, ſed in omnis populi Iudaïci poteſtate futuram ſummam illius ſuæ Reipublicæ adminiſtrationem, donec Meſſias appareat, qui præſto ſcilicet affuturus ſit, cùm alienigenæ gubernacula illa, veris exturbatis Iudæis, occuparint. Fundantur hi Authores in difficultatibus, quæ illos vrgent, qui deſtinatum aſſerunt vni Iudæ, ac ſingulari eius Tribui dominatum in cæteras omnes Tribus. Quas tamen difficultates nos paulò poſt expediemus. At nec ipſi ſuis difficultatibus carent, quibus non

ita

Digitized by Google

ita facilè explicare ſe poſſint. Perſpicuum enim eſt Iacobum Patriarcham, dum ſuos ordine filios ſigillatim alloqueretur, ea cecinisse, quæ ad ipſos ſingulos, & ab iis deriuatas Tribus nominatim, ac ſpecialiter pertinerent. Quomodo igitur conſentaneum eſt, vt cùm ad Iudam ventum eſt, propheticus ſermo, quæ propriè ad Iudam ſpectarent, omitteret, & ſubitò ad ea diuagaretur quæ ad omnes communiter pertinerent Tribus? Id certè adeò alienum eſt, & abſurdum, vt quemadmodum optimè Petauius aduertit, eò tandem & Euſebius, & Pererius, aliique delabi cogantur, vt Iudæ, præter cæteros eius fratres, promitti à Iacobo fateantur ſceptrum, & in vniuerſam Iudaïcam gentem dominatum.

6. Altera ergo, nobiſque magis probata ſententia docet, in Iacobi oraculo, vbi dicitur non ablatum iri ſceptrum de Iuda, donec veniat Meſſias; nomine Iudæ Tribum huius nominis peculiarem intelligi. Ad cuius explicationem aduertendum eſt, quòd cùm tota Gens Iudaïca tempore Roboam diuiſa fuerit in Regnum Iuda, & in Regnum Iſraël; iſtud poſterius, quod decem Tribubus conſtabat, fuit pluſquam quingentis annis ante aduentum Chriſti ſic extinctum à Salmanaſare Aſſyriorum Rege; nulla vt eius mentio vlteriùs habeatur; quemadmodum conſtat ex 4. *Regum cap.* 17. & 18. Atque ita ſolum Regnum Iuda ſuperfuit, ſolum ex captiuitate Babylonica (quamuis abſque Rege) rediit, ac ſolum permanſit ſub Pontificum ducatu vſque ad Chriſtum. Et licèt cum viris Iuda Tribus Benjamin, quæ Roboamum ſequuta erat, admixta eſſet; ea tamen valde diminuta erat, nec magna illius ratio habebatur. Quare illud Regnum abſolutè dicebatur Regnum Iuda. Licèt item aliqui Leuitæ cum iiſdem viris Iuda miſcerentur, id nihil obeſt: Nam Leuitæ & omnibus Tribubus ſparſim miſcebantur, & in earum ſingulis pauci erant. Cùm ergo huiuſmodi Regnum, quod vocabatur abſolutè Regnum Iuda, permanſerit vſque ad Chriſtum, & ſemper Duces, ſi non Regum titulo, ſaltem aliquo alio principatus nomine inſignitos habuerit; iure dicimus Tribum Iuda (hoc eſt illam populi collectionem, quæ & maiorem partem erat ex tribu Iuda, & ab ea nomen traxerat Iudæorum, quo nomine à Tribubus Iſraël diſtinguebatur) conſeruaſſe vſque ad Chriſti tempora ſuum ſceptrum, ſeu Ducatum.

7. Nec obſtat, quod poſt captiuitatem Babylonicam Pontifices ſint rerum potiti: dicendum eſt enim aliquos ex Tribu Leui tunc fuiſſe cõfuſos cum Tribu Iuda, nec diſtinctum ab ea nomen ſortitos. Quare principatus ille, quem tenebant Pontifices in ciuitate, & ditione pertinente ad Tribum Iuda, cenſeri debebat illius gentis, quæ moraliter ex ſola Tribu Iuda conſtabat; à qua ius Pontifices acceperant, vt non ſuo, ſed illius nomine imperarent. Vnde is principatus non ad Leuitas dicendus erat tranſiuiſſe, quomodo Henrico valeſio Gallo ſceptrum Polonicum poſſidente, non dicebatur Polonicum Regnum ad Gallos migraſſe, aut non pertinere ad Polonos. Cùm porrò Herodes alienigena non populi Iudaïci, ſed Romanorum ſuffragio in Regem prouectus eſt, & non nomine Tribus Iuda, ſed abſolutè ſuo imperauit; tunc meritò cenſeri debuit illi Tribui & Iudæis ereptum eſſe ius illius Principatus, qui à Dauide vſque ad id tempus perſeuerauerat; præſertim cùm paulò poſt, ciuitate regia deſtructa, & omni ditione erepta, populus ita diſſipatus ſit, vt Reip. ſpeciem talem habere nequiuerit, qualem prænuntiauit Iacobus vſque ad Chriſtum permanſuram: quæ nempe non ad ſolam Iudæ poſterorum multitudinem ab omni abſtractam loco, ſed etiam ad ipſam Imperij ſedem reſpectum haberet, ſiue ad eam agri Palæſtini portionem, quæ ipſi priuatim Tribui Iudæ aſſignanda foret. Quod contra fraudes, mendaciaque Iudæorum, fictitios quoſdam ſuæ gentis Duces extra Palæſtinam in Babylonia nunc reſidentes iactantium, animaduertendum eſt.

8. Hæc noſtra ratio explicandi Machabæorum tempore perſeuerantiam Principatus in Tribu Iudas melior videtur, quàm quod aliqui dicunt, Machabæos, Principeſque Leuitas (ob ſpecialem affinitatem, qua Tribus ſacerdotalis cum regia iungebatur) per lineam maternam ex Tribu Iuda fuiſſe. Primò enim quòd iſti Authores pro certo in probationem aſſumunt, non minùs probatione ipſum indiget, nec minùs litigioſum eſt, quàm id quod probare nituntur. Quales enim, & quàm idoneos conſulere Genealogos potuerunt, qui ſtirpem illos Machabæorum maternam ex fide docuerint? Poriò nec verum eſt fuiſſe ſpecialem quandam affinitatem inter Tribum Iuda, & Tribum Leui, vt coniugia inuicem ex illis duabus, non autem æquè ex aliis, iungerentur. Quod vt intelligatur, memoria repetendum eſt, ſic fuiſſe initio poſſeſſionem totius Terræ ſanctæ diſtributam in duodecim partes (tribus Leuiticæ, quæ partem nullam ſortita eſt, ratione non habitâ) vt hæreditates non ſolùm inter ipſas Tribus, ſed etiam inter priuatas cognationes, & familias impermixtæ, ac inuariatæ eſſe deberent, ex præcepto diuino. Vnde fiebat vt puellæ quæ pro dote agros haberent, tenerentur cum ſuis conſanguineis nuptias celebrare. Quemadmodum *cap. vlt. Numerorum* præcipitur nominatim filiabus Salphaad. Et hæc lex (inquit) ſuper filiabus Salphaad à Domino promulgata eſt: *Nubant quibus volunt, tantùm vt ſuæ Tribus hominibus, ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſraël de Tribu in Tribum.* Omnes enim viri vxores de Tribu & cognatione ſua; & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, &c. Ex quibus verbis intelligitur, non fuiſſe vllo modo prohibitam nuptiarum inter omnes mixtim Tribus libertatem, quando periculum iam dictum miſcendarum hæreditatum non erat, vt reapſe nunquam erat ex parte Tribus Leuiticæ; quæ, quòd ſortem poſſeſſionis non haberet, proptereà miſcebat coniugia non ſolùm cum Tribu Iuda, ſed etiam ſine diſcrimine cum quacumque alia. Atque ita Machabæi, aliique principes Pontifices potuerunt tam ad alias Tribus, quàm ad Tribum Iuda maternum genus referre. Addo alias omnes inter ſe Tribus potuiſſe item coniugiis inuicem copulari, dummodo puellæ renuntiarent bonis ſuis hæreditariis. Sic Dauid de Tribu Iuda, Michol accepit à Tribu Benjamin, &c.

9. Contra id quod dixi *numero* 7. non fuiſſe tranſlatum ſceptrum ad Tribum Leui per Machabæos; quia hi gubernacula illius Reip. non tractauerunt nomine Tribus Leuiticæ, ſed nomine Tribus Iudaïcæ, cum qua conſociati erant, & à qua ius acceperant imperandi; obiici poteſt id non ſufficere vt ſatisfiat prophetiæ Iacobi; quæ non ait ſceptrum manſurum apud eos, quos Tribus Iuda inſititios & aduentitios aggregarit; ſed, non receſſurum ab iis qui egreſſi fuerint de femore Iudæ (hoc eſt, honeſtè, de membro eius genitali) ex quo nimirùm orti non erant Machabæi. Reſp. Primò ſceptrum quod remanſit in poteſtate Tribus Iudæ, remanſit in

ſemine Iudæ; ſceptrum autem quod Machabæi poſſidebant, remanſit in poteſtate Iudæ; quandoquidem illi non id poſſidebant quaſi ſuum, ſed quaſi pertinens ad ipſam Tribum Iuda, quæ illud eis crediderat. Secundò Petauius ingenioſè illud, *de femore*, ita exponit; vt femur non habeat hìc reſpectum ad generationem, ſed ponatur pro eo quod eſt in textu Hebraïco מבין רגליו, hoc eſt, *de inter pedes eius*. Vult ſcilicet Iacobum, cùm Iudam filium ſuum comparaſſet leoni, *Catulus leonis Iuda, &c.* perſeueraſſe in allegoria, & perſtitiſſe in alluſione ad ingenium, & morem leonis, qui quam ſemel arripuerit prædam, teneat inter pedes ſuos, & in medio femorum, ita vt ſibi eripi, & ex vnguibus auelli non patiatur. Eodem, inquit, modo tuebitur Iudæ poſteritas, ſceptrum quod ſemel in Dauide arripuerit, nec illud ſibi patietur eripi, velut è femore, donec veniat Siloh.

CAPVT III.

Probatur id ipſum ex aliis Scripturæ locis.

1. Locvs item qui ex *Aggæi* 2. afferri ſolet, eſt ſatis validus contra Iudæos. Nam cùm populus triſtis eſſet, quòd ſecundum Templum, in quo ædificando Zorobabel laborabat, non æquaret dignitatem prioris olim deſtructi; Propheta, vt eum ad continuandum opus redderet alacriorem, promittit fore, vt ipſum Zorobabelis Templum, quod excitabatur, ſuperaret illud alterum gloriâ, ob aduentum & præſentiam Meſſiæ, non longè diſtantem. *Adhuc vnum modicum*, inquit, *& ego commouebo cœlum, & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem.* Hactenus Propheta. Peto autem à Iudæis primò, num videatur ipſis præteriiſſe iam illud modicum, de quo Aggæus ante annos pluſquam bis mille prophetabat? Secundò, & quidem præcipuè peto, quomodo, ſi Meſſias nondum venerit, ſperent prophetiam illam poſſe impleri? cùm Templum, de quo loquebatur Aggæus, & quod digito monſtrabat, deletum ſit funditus. Sanè in illo Templo quod nullum ſit, non poteſt deinceps ea impleri prædictio. Ergo vel diuinus Vates mentitus eſt, vel eius diuinatio iam impleta eſt, cùm in futurum impleri nequeat; & apparuit ille deſideratus cunctis gentibus, ſiue vt fert textus Hebraïcus, deſiderium cunctarum gentium: nempe Meſſias, quem ibi à Scriptura promitti fatentur omnes. Et ſanè Chriſtus tùm infans, præſentatione ſua, tum vir ſua præſentia, & crebra de rebus diuinis diſputatione Templum illud ſanctificauit, & impleuit maiore gloria, quàm eſſet dignitas illa antiqua per diuitias Salomonias, aut per caliginem, & ſacrificiorum ſolemnitatem collata.

2. Obiicies. Templum quod Chriſtus præſentiâ ſua conſecrauit, non erat idem cum illo Zorobabelis, de quo agebat Aggæus. Reſpondeo, me illud negare. Quamuis enim Herodes multa in eo reconcinnarit, nouaque magnificè conſtruxerit, vt habetur ex Ioſepho *lib.* 15. *c.*14. tamen id ita factum eſt, vt veteri ædificio, quod non ſimul totum deſtructum fuit, noua ædificatio iungeretur ſenſim, pedetentimque, manente ſemper eodem Templi nomine, & opinione; atque adeò ſecundùm humanam loquendi conſuetudinem, idem erat Templum cum eo, quod poſt captiuitatem intra ſpatium annorum 46. (eos nimirum etiam numerando annos, quibus ceſſare identidem, ædificationemque ſuſtentare coacti Iudæi fuerant) refectum erat. De illo enim ſic ad Chriſtum Iudæi loquebantur, *Ioan.*2. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum iſtud.* Quod non potuiſſent dicere, ſi poſt Herodis conſtructionem idem permanſiſſe Templum non cenſerent.

3. Denique, ne oratio longiùs proueh atur, infinita ſunt veteris ſcripturæ loca, quæ Meſſiam iam extitiſſe, & quidem non alium, quàm Iesvm Nazarenum, conuincant. Ea nempe loca omnia, quæ de Meſſia illas res tantò ante prædixerunt, quas in ipſo Iesv ſcimus impletas. Prænuntiatum enim erat ortum Meſſiæ futurum ex virgine, *Iſai.*7. & tali loco, ſcilicet in Bethleem Iudæ, *Mich.*5. & eo tempore, quo pax eſſet in vniuerſo orbe, *Iſai.*2. *Mich.*4. *Zach.*9. Prænuntiatum erat Ioannem Baptiſtam fore illius præcurſorem, *Malach.* 3. *Iſai.* 40. Ipſum prædicaturum pauperibus, aperturum oculos cæcorum, &c. *Iſai.* 35. *&* 61. futurum pauperem, ingreſſurum Ieruſalem tanquam Regem ſuper aſinam, *Zachar.* 9. paſſurum ſputa, flagella, foſſionem manuum ac pedum, crucem, veſtium ſuarum ſorte factam inter milites diſtributionem, mortem inter latrones, deficiente interim ſole, &c. *Pſalm.* 21. 40. 68. *Iſai.* 53. *Ierem.* 11. *Amos* 9. *Zachar.* 12. *&* 13. Prænuntiatus erat deſcenſus eius ad inferos, & reſurrectio, *Eccli.*24. *Zachar.*9. *Pſalm.*3. *&* 15. aſcenſio in cœlum, *Pſalm.*67. *& Michea* 2. miſſio Spiritus Sancti, *Ioël.*2. vocatio gentium, *Iſai.*49. reprobatio Iudæorum, *Ierem.* 19. eorundem diſperſio, *Pſalm.* 58. Quæ omnia ſic in Iesv Nazareno ad amuſſim impleta ſunt, vt illa non tam Prophetæ cecinisſe futura, quàm hiſtorici & teſtes oculati nuntiaſſe præterita videantur. Sanè nos huiuſmodi ſcripturas non corrupimus, non ſuppoſuimus, non finximus; ſed ab ipſiſmet Iudæis accepimus, quos ideò Hieronymus vocat noſtros ſcripturæ capſarios. Atque hoc credibilitatis argumentum deſumptum ex conſenſione antiquiſſimorum apud Iudæos ipſos Prophetarum cum Chriſti Domini hiſtoria totò orbe notiſſima, atque ab ipſis etiam ethnicis teſtata, ſi attentè ponderetur, propè abeſt ab euidentia demonſtrationis, quæ ipſos etiam ethnicos haud dubiè conuictura ſit.

4. Quod opponunt Iudæi, nonnullas de Meſſia prædictiones in Iesv Nazareno haud contigiſſe, nempe Regnum, diuitias, magnificentiam, & populi ab omni ſeruitute liberationem; friuolum eſt. Quandoquidem regnum, & felicitas Meſſiæ ac ſuorum, non temporalis & caduca eſſe debet, ſed ſpiritualis, ac æterna. Inſtruendi etiam ſunt, duos eſſe in ſcripturis aſſignatos aduentus Meſſiæ: vnum in humilitate ad ſaluandum, alterum ad iudicandum in maieſtate; cauendumque eſſe, ne quæ ad ſecundum pertinent, traducantur ad priorem. Stupidum autem eſt, quod aliqua quæ de aduentu Meſſiæ allegoricè ſcripta ſunt, volunt iuxta corticem literæ, neglecta eius medullâ, adimpleri: vt quòd habitet lupus cum agno, &c. *Iſai.* 11. Item quòd Templum Ieroſolymitanum, & mons in quo fundatum erat, ſint eleuanda ſupra omnes montes, iuxta illud *Iſai.*2. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, &c.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IV.

Ex eo quem in Mundo videmus rerum aliquarum euentu, probatur euidenti ratiocinatione contra eoſdem Iudæos, Meſſiam veniſſe: Et primò ex iis quæ Religio Chriſtiana in mundo mirabiliter operata eſt.

1. QVEMADMODVM ſuperioribus capitibus authoritate veterum Prophetarum oſtendimus oportere iam veniſſe Meſſiam; argumentando velut ab anterioribus ſignis; & ex diuinis oraculis deſcendendo ad illorum euentus: Sic & poſſumus id ipſum euincere velut à poſteriori per contemplationem quorumdam euentuum omni manifeſtorum vniuerſo, quos certum ſit aliud eſſe non poſſe, quàm effectus ex ipſius Meſſiæ ſequutos aduentu. Ij verò ad duo capita reuocantur. Primò quidem ad eas res quas per omnem terrarum ac gentium orbem religio Chriſtiana diuinè ac mirabiliter patrauit. Tum ſecundò ad ea quæ gens Iudaïca miſerè, calamitoſéque tolerare ſe experitur.

2. Cùm ex variis antiqui Teſtamenti prædictionibus intelligere poſſint Iudæi nouam aliquam legem à Meſſia fuiſſe Moſaïcæ ſubrogandam, quæ in viſceribus & corde hominum, iuxta Ieremiam *cap.* 31. *v.* 31. ſcriberetur; & ad omnes orbis latiſſimè Gentes, Deum ipſum Abrahami, Iſaaci, Iacobique adoraturas, pertineret; ita vt Deus ille ſolus vbique prædicaretur, idolorum abiecto cultu; negare non poſſunt, quin iam prædictiones eæ, diuinæque promiſſiones exitum habuerint, ex quo tempore in mundum introducta fuit Chriſtiana religio, per quam factum videmus iuxta Malachiam *cap.* 4. *vt ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum ſit nomen Dei Iudaici in gentibus, & in omni loco ſacrificetur, & offeratur nomini eius oblatio munda.* Peto enim, num illius veri Dei, qui de ſe id apud Malachiam prædicebat, hoc eſt, illius quem Iudæi tunc colebant, magnum ſit iam nomen in gentibus, & quidem non aliter, quàm per Chriſtianam Religionem, & per eius præcones? Nam impium eſt, quòd R. Salomon Prophetam ita exponat; quaſi independenter à Meſſia magnum ideò foret veri Dei nomen in gentibus; quia cùm gentes Deos colerent innumeros, ſummum inter illos Deum, & velut Deum Deorum eſſe profiterentur Iehouah Iudaïcum, quem nomine Iao intelligerent, iuxta illud Clarij Apollinis, *Aſſere cunctorum Iao ſummum eſſe Deorum*; φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ. Impietatem illius expoſitionis auget R. Dauid Kimchius, dicens gloriam, quæ Deo Iudaïco proueniebat ab ethnicis, illum ante alios Deos, quos ſimul venerarentur, ponentibus, tantoperè ipſi Deo placere, vt eam oblationem mundam nominet, quam ſibi offerri dicat in prædicto Malachiæ oraculo. Apage. Quaſi verò ille Gentilium cultus poſſit inter idola ei gratus eſſe Deo, qui vetet adorari ſecum ſculptilia, & Deos alienos haberi coram ſe, hoc eſt vllum præter ſe Deum coli?

3. Eadem omnium gentium ad Iudæorum Deum conuerſio promittitur etiam *Pſal.* 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quod R. Salomon fatetur de Meſſia interpretari antiquos ſuorum Magiſtros, *Sed Nos* (inquit ſuam confeſſus perfidiam) *vt obſiſtamus & reſpondeamus Minæis, ſeu Chriſtianis* להשובת המינים, *exponemus de Dauide.* Promittitur ſimiliter conuerſio gentium *Pſal.* 21. *Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ.* Promittitur & *Pſal.* 71. *Iſai.* 2. & 55. aliiſque multis locis: quæ cùm de veri Meſſiæ tempore ipſi Hebræorum Doctores exponant; nihil nunc ſupereſt illi genti, quàm vt velamen obſtinatæ incredulitatis amoueat, & ex ipſa rerum contemplatione, quas in toto orbe videt, agnoſcat expletà iam eſſe, perfectaque per IESVM Mariæ filium cuncta, quæ ſub Meſſiæ tempus, ac per ipſum Meſſiam futura, illæ ipſæ quas veneratur ſcripturæ, prænuntiarunt.

4. Igitur memoriâ Iudæi repetant, qualis eſſet mundi ſtatus antequam Chriſtiana Religio in mundum ipſum fuiſſet inducta. Omnes vbique nationes, vero quod ignorabant numine omiſſo, ad commentitias colendas diuinitates animum tanto, non dicam ſtudio, ſed furore ac rabie applicuerant, vt ſolus in hoc vniuerſo dæmon variis idolorum nominibus, tanquam dominus rerum omnium ac moderator coleretur; idque per viginti & eo amplius à diluuio ſæcula. Omnibus ſtipata vitiis idololatria, non vt res cæteræ, decurſu Temporis conſeneſcebat; ſed quò antiquior, eò fiebat in dies vegetior. Tantaque faſcinatione ſibi animos hominum quorumcunque deuinxerat, vt ad illam non ſolæ ethnicorum mentes impotentur perditeque adhærerent; ſed & Iudaïcum ipſum populum ab illa impietate difficillimum eſſet auocare. Licèt enim in nullo argumento proprij Iudæorum Prophetæ nec frequentius, nec maiore dicendi vi verſati ſint, quàm cùm de reſpuenda idolorum vanitate diſputarent; neque vllum Deus ipſe, ſuam cauſam agens, in ſcripturis locum æquè vrſerit, vt videre eſt *Iſai. c.* 41. alibique ſæpius; vbi quaſi riualitate ac zelotypia in falſos Deos (quos propterà apud Ezechielem *cap.* 8. *v.* 3. & 5. vocat Idola zeli) videtur accendi. Vix tamen vnquam populus ille induci potuit, vt in fide, quam Deo ſuo repetitis identidem ſacramentis obligabat, diuturnam conſtantiam ſeruaret. Qua in re ſemper animo fuit tam commutabili volubilique, vt iam idolorum partes ſuſciperet, iam calamitatibus à Deo immiſſis ad ipſum rediret: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur*, inquit Propheta, *& diliculo veniebant ad eum.* Verùm citò fecerant, obliti operum eius, non ſuſtinebant conſilium eius. Quæ mentis inſtabilitas non ſolùm ſub Iudicibus, ſed ſub ipſis etiam Regibus, atque deinceps tenuit.

5. Ex dictis in promptu eſt cuique æſtimare, quantam admirabilitatem habeat illa, quæ ſub exortum Chriſti eius, quem nos colimus, facta eſt idolorum toto orbe clades, lucifugorumque dæmonum diſſipatio, iuxta Iſaiæ oraculum *cap.* 2. *In die illa idola contereutur, & introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, &c.* poſt exertam Crucis conſecratæ Chriſti cruore virtutem conciderunt omnia dæmonum, idolorumque ludibria. Eſtque hîc conſideratione dignum, non in aliquod modò tempus exterminata tunc fuiſſe idola, eorumque colendorum ſublatam diſciplinam; ſed moralium ſtudia & ingenia ſic eſſe immutata, vt ex quo ſemel à tanta impietate deſciuerunt, nulla in eorum animis vitij illius

R.P.P. Debugis Tract. de Incarn.

illius fibra remanſerit. Quod quidem quanti æſtimandum ſit, Iudæi ex ſeipſis iudicare poſſunt. Ipſorum enim Patres poſt reconciliatam ſæpè cum Deo gratiam, & frequentem idolorum eiurationem, eodem paſſim vnde emerſerant, reuoluebantur, & neſcio qua dulcedine ſeu ſcabie excitati ad priorem vſum idololatriæ ſe reuocabant. At inauditum eſt in toto orbe, poſt ſuſcepta ſemel Chriſtiana ſacra, non dico populum vllum integrum, ſed vel vnicum pagum ad idola rediiſſe. Quis verò credat fieri potuiſſe, vt quæ tam mira prodigia ſcripturæ à vero Meſſia prænuntiarunt eſſe patranda, perficerentur ab eo qui ſe Meſſiam eſſe mentiretur; quemque ideò conſequens foret ſacrilegum, & omnium peſſimum eſſe mortalium? Quis ſibi perſuadeat alicuius Apoſtolos & Prædicatores impoſtoris potuiſſe, omnium quotquot vnquam extitere facinorum pulcherrimo, vindices eſſe Diuinitatis, & orbis terrarum, expulſis dæmonibus, liberatores.

6. Eſt verò hîc præcipuè conſiderandum Apoſtolos, dum fundamenta Chriſtianæ Religionis iecerunt, duas res ſibi intextas inuicem conſertaſque egiſſe. IESV, ſcilicet Nazareni nomen gloriamque propagarunt: & præterea idololatriæ fundamenta ſubruerunt. Ita nempe, vt geminum illud opus non ſeparatim, nec vnum ſeorſim ab altero ſuſceperint; ſed ſimul, eademque opera vtrumque perfecerint. Non enim idololatriam aliter, quàm IESV nominis celebratione, eiuſque inducenda Religione labefactarunt. Quare cùm id vnum idemque ſit, quàm laudabile, ac diuinum Iudæis videri debet, falſorum Deorum extinctum eſſe cultum? Tam inſigne ad laudem haberi ab eis oportet, Chriſtianam in mundum introductam fuiſſe Religionem, quàm porrò alienum à ratione foret, veri Dei cultum falſa fuiſſe prædicatione tam piè, tam ſolidè, tamque conſtanter in emendatos corruptiſſimorum mortalium mores inductum? Confirmatur. Nam cùm Deus omnium rerum ſit parens, atque creator, vult ſine dubio ab iis, quæ rationis ac mentis participes ſint, creaturis & agnoſci, & debito in honore haberi. Nec ambigendum eſt, quin curam Deus in eo ſingularem ponat, vt nomen ſuum vbique cognitum celebretur, & maxima ſit apud omnes in gloria. Quis autem adeò ſit rationis expers, vt putet primariam illam ſummi numinis de ſuæ exiſtimationis claritate curam ab ipſo neglectam ita fuiſſe, vt eam in veteratores & impios falſi Meſſiæ prædicatores traiecerit? vt nos nimirum ſolo dæmonum beneficio Deum viuum ac verum agnoſceremus, & Sancti, diuinæque Religionis colentes foremus.

7. Denique vt breui expediam, conſiderent hæc cum quibus agimus Iudæorum quiſquiliæ modum admirabilem, quo per Apoſtolos omnia verſa ſunt & mutata in melius, ipſorum etiam Imperiorum & Rerumpublicarum inſtituta. Modus is fuit, quem planè conſtet eſſe diuinum; prodente in tali negotio ſeipſum Deo ſignis & portentis, & virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus. Contigit quod ab Aggæo prænuntiatum erat: *Commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Oportuit ſanè vim illam eſſe diuinam, qua pauculi nauicularij ab omnibus rebus vacui, non ab eloquentia, non ab humana philoſophia parati, & non modò ab amicis inopes, ſed ab inimicis vndecunque oppugnati, non vnam gentem (vt veteres Prophetæ, qui Iudæos ſolos continere in verè ſtudebant, nec poterant, Religionis officio) ſed nationes omnes reſiſtentes acerrimè, atque in idolorum cultum toto animo incumbentes, ad vnius Dei cultum adiunxerunt: idque non multorum interpoſita ſæculorum mora, & magna rei gerendæ tarditate; ſed quanta ſolem exorientem videmus celeritate nationes omnes luce complere: Non dumtaxat ad tempus breue; quomodo contingit prouincias eas, quæ à Regibus, etiam potentiſſimis ſubactæ fuerint, iugum ſimul ac eis occaſio affulſerit, à ceruicibus deiicere, ſed in perpetuum, & fide nullis perſequutionum terroribus labefactata. In Eccleſiam naſcentem & adoleſcentem adeò turbulentæ ſunt excitatæ procellæ, vt Chriſtianorum, ne idola repudiarent, per tria ſæcula non modò peteretur caput, ſed carnificina ſæuiſſima exquiſitis toto orbe ſuppliciis exerceretur. Quis non videat magnum eſſe præſentis numinis argumentum, ſæuis illis fluctibus agitatos non ceſſiſſe tam ſæuæ tempeſtati, ſed eorum in aſpernandis idolis fidem, contra atque illorum perſequutores intenderent, fuiſſe magis illuſtratam?

8. Verùm non cum ſola tyrannorum potentia & armato principum furore, ſed præterea cum omni Græcanicæ ſapientiæ vi ſophiſtica, & inſidioſis ſophorum captionibus ineundum fuit pro vera Chriſti fide certamen. Nullos enim infenſiores hoſtes experti ſunt Apoſtoli, quàm philoſophos, qui ſub diuerſis ſectarum vexillis prodeuntes, verborum acuta tela vibrabant, & dialectico ſtratagemate totius machinas ingenij admouebant. Nauabat egregiam impietati operam ſimul eloquentia, quæ inſtar crepitaculi mirificè tintinnabat, ac in vniuerſo Græcorum reſonabat Imperio, quod proptereà in myſtica Nabuchodonoſoris ſtatua velut æneum, tinnulumque repræſentabatur. E regione Apoſtoli non in ſublimitate ſermonis, ſed in virtute ſapientiam loquebantur non huius ſæculi, nec principum huius ſæculi, qui deſtruuntur. Atque tandem veritate vanitatem ſubigente cæleſtis virtus ſapientiam ſapientum perdidit, & prudentiam prudentum reprobauit. Deus agreſte nauiculariorum genus Platonicis, Peripateticis, Stoicisque obiecit, eo ſucceſſu, vt hi ſuæ ſapientiæ authoritate proſtrata iacuerint; Illi verò in æternam gloriam, & in eum emerſerint ſplendorem, quem cùm Iudæi non vident, cæcos multò magis eos eſſe oportet, quàm ſi ſolem in mundo eſſe neſcirent.

CAPVT V.

Probatio ſumpta ex iis quæ Iudæi toto diſperſi orbe calamitosè patiuntur.

1. SI ſeipſos Iudæi circumſpiciant, nec eos ſtupor mentis oppreſſerit, ſentient tam acerbas eſſe ſuas calamitates, vt ex iis facilè intelligi poſſit veniſſe iampridem Meſſiam, eumque ipſum eſſe IESVM Nazarenum, quem illi omnibus à ſe vexatum laceratumque contumeliis occiderunt. Primo enim vrbis Ieroſolymitanæ, Templique illius Salomonij, quod toto orbe ſanctiſſimum

Digitized by Google

ſanctiſſimum erat, vident exciſionem factam eſſe ſtatim atque is fuit de medio ſublatus. Et meminiſſe poſſunt, ad quas ſui patres, poſt tam execrandum facinus redacti fuerint anguſtias, cùm obſidionem ſuſtinuerunt à Romanis factam. Quomodo tandem conflagrato, deturbatoque Templo Titus omnia in ciuitate cruore, flammaque deleri præcepit. Quidquid à furore ſuperbi militis igni, ferroque ſæuientis in hoſtili impetu, iracundaque victoria timeri poterat; id omne victi nullo ſexus, ætatis, conditioniſque diſcrimine ſubierunt. Imperator nimirum egregiam Deo vindicandæ tanquam fidus miniſter nauauit operam. Ergo, ne quid integrum in vrbe ſacrilega ſupereſſet, iuſſit euerti funditus omnia, eamque ſolo æquari ciuitatem, quæ fuerat oculus Orientis, veræ ſedes vnica Religionis per ipſa vndecim duodecimve ſæcula, ex quo Dauid in ea Iudaïci domicilium collocarat Imperij.

2. In illa innumerabilitate hominum, qui tunc fuere à Romanis interfecti, rationes ita Ioſephus ſubducit, vt eorum qui toto obſidionis tempore ceciderunt ſummam faciat millium vndecies centenorum. Quos inter tanta fuit ſublatorum in crucem multitudo, vt iam nec ſatis multæ cruces corporibus, nec ſatis ampla per agros ſpatia crucibus inuenirentur. Quod ſupplicij genus non aliam culpam expiari declarabat, quàm quæ in verum Chriſtum, cruce ab eis affectum ante 40. annos fuerat admiſſa. Eorum autem qui deletæ vrbi ſuperſtites fuere, partim in Ægyptum ad metalla abducti ſunt; partim qui aliquam honeſtioris formæ dignitatem præ ſe ferrent, ad decus ſepoſiti ſunt triumphi. Quibus laceri ſic eſſent, vt valentes ſatis ad pugnandum viderentur, eos ad amphitheatra, ad beſtias, ad munera gladiatoria reſeruarunt. Quotquot nondum ætate ad ſeptimum & decimum annum proceſſiſſent, ij omnes ſub corona, voci præconis ſubiecti, vænierunt tam vili pretio, vt in auctione acerbior eſſe contemptus ipſa ſeruitute videretur. Denique quicquid tantæ calamitati ex illa gente reſtare potuit, id per varias orbis regiones ita fuſum ac diſſipatum eſt, vt neque coniunctionem deinceps, quæ in Rempublicam vnam coaleſcere poſſet, neque Reges, neque Pontifices, quibus firma ſocietate deuinciretur, habuerit; iuxta illud Prophetæ: *Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Quemadmodum Cainum vetuit Deus ab vllo occidi, ſed tamen publicas eum voluit ſui ſceleris pœnas, vagando, & ſemper vitam probroſam perſequendo ſuſtinere.

3. In quo diſperſionis, & vitæ vagæ ærumnoſo ſtatu ſedecim iam, eoque amplius ſæcula perſeuerant. Vbique non tantùm contemnuntur vt extranei, ſed odio habentur vt infenſi, & tanquam auſpicium malum vitantur; atque à cæteris arcentur mortalibus, quodam etiam notatæ veſtis indicio. Pœnæ quas miſerrima vitæ conditione perpetuas luunt, eos ſuorum ſatis admonerent ſcelerum, ſi vel Prophetas ſuos audirent. Quid enim aliud iam patiuntur, quàm quod *Pſalmo* 43. queruntur, cum aiunt: *Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos. Vendiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me à facie exprobrantis, & obloquentis.* Eadem, nihiloque mitiora prædixit eis Deus 2. *Paralip. c.* 7. Denique agnoſcant conuerſas in rem eſſe minas capitis 28. *Deuteron. Mittet te Dominus in gentem quam ignoras, & eris perditus in prouerbium ac fabulam omnibus populis*, &c. Verùm in tot tantiſque quas patiuntur ærumnis nihil eſt comparabile cum eo quod ibidem dicitur. *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate ac furore mentis.* Nam quæ maior fingi poteſt amentia, quàm tot contritos flagellis non erudiri? quæ maior cæcitas, quàm Chriſtum humanæ ſalutis ſolem non videre, & ortum eſſe inficiari, cùm omnium gentium ac terrarum orbem luce ſua iam luſtrarit atque compleuerit, nec vllus ſit qui ſe abſcondat à calore eius? Ea cæcitas eſt, quam Apoſtolus ait contigiſſe in Iſraël; quamque ipſe vocat πώρωσιν, hoc eſt, callum, quo animus longa voluntatis obſtinatione ad gratiam diuinam obduruit; & quo, vt idem ait, *obtuſi ſunt ſenſus eorum: ita vt vſque in hodiernum diem velamen quod Moyſes ponebat olim ſuper faciem ſuam, non reuelatum maneat, ſed poſitum ſit ſuper cor eorum.* At quis ille mentis furor, vt ſemper in verum Chriſtum eandem animi acerbitatem & rabiem conſeruent, qua quondam in illum inuaſerunt? & quem ſemel ſuſtulerunt, pergant ſemper, cum nunquam eum extitiſſe aſſerunt, de medio tollere? Atque necdum adueniſſe diſputent illum, cuius nefaria cæde cruentati tam diuturnas pœnas ſuſtinent.

4. Cum ſapientis ſit ea quæ circa ſe ſunt noſſe, eorumque vim & cauſas inueſtigare; Iudæos, ſi ſaperent, neceſſe foret perſcrutari, dum ſe tamdiu vapulare ſentiunt, quid ſibi velit tantum illud, cui nullum ab orbe condito ſimile fuerit diuinæ ſeueritatis exemplum? Sicut nihil fit ſine Dei Numine, ita nec numen facit quicquam ſine ratione, nec niſi merito, ac iure. Quid ergo cauſæ potuit Deum impellere, vt tanta in populum ſibi quondam præ cæteris charum iracundiâ incitaretur? Si enim à conſideratione indigniſſimæ mortis Iesv Nazareno allatæ diſcedas, nulla in Iudaïco populo apparent illius temporis ſcelera, quibus longè grauiora non extitiſſent ſuperioribus temporibus. Olim cùm populus ille nullum peccandi finem faceret, Deus ipſum cladibus & calamitatibus affligebat; non tamen in perpetuum iraſcebatur. Seruatorem illi mittebat, vt apparet toto Iudicum libro; vel ipſum alio modo poſt certum annorum numerum liberabat: imò ſe ita ſemper eſſe facturum pollicitus erat. Nuſquam æquè horribilia pœnarum genera iis, qui mandata ſua violauerint, comminatur Deus, ac *in* 28. & 29. *capite Deuternomij*: & tamen ſubinde *cap.* 30. pollicetur ſe finem illis omnibus pœnis illicò impoſiturum, vbi illi ad ipſum pœnitentes redierint: *Reducet Deus tuus captiuitatem tuam*, inquit Moſes, *& miſerebitur tui; & rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante diſperſit. Si ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, atque reducet te in terram quam poſſederunt Patres tui, &c.* Cur igitur (interrogat diuus Chryſoſt.) in hac omnium, quæ vnquam extitere, grauiſſima captiuitate nihil tale tot elapſis ſæculis fecit; ſed ſemper ad ipſorum Iudæorum gemitus & preces obſurdeſcit, nec eorum miſeratione commouetur? Sanè illos oportet facinus aliquod conſciuiſſe longè ſceleſtius, quam fuerint eorum olim Baali & Aſtarthæ oblata ſacrificia, vel filiorum ſuorum Molocho de-

notorum combuſtiones. Nam poſtquam nefandis illis ſuperſtitionibus quondam implicati aliquandiu fuiſſent, eos pœnitentiam oſtendentes in gratiam recipiebat. Nunc verò cum ſpes nulla talis eis affulgeat, dubitari non poteſt, quin extremum ſit execrandæ gentis exitium, & abominanda illa deſolatio, quam Daniel occiſo Chriſto perſeueraturam vſque ad conſummationem, & finem eſſe prædixit.

5. Denique vt huic contra Iudæos diſputationi modum & finem faciam, non alio, quàm ſuo conuincendi ſunt teſtimonio. Illorum enim primores Magiſtri in Thalmudicis ſuis commentis, edocti ſcripturarum authoritate, & ipſarum quas vident rerum euentu, fatentur exceſſiſſe pridem tempus aduentui Meſſiæ præſtitutum; atque cùm eum non videant comparere, in varias diuinationes abiere. Sunt qui illum ex elapſi temporis coniectura, veniſſe omnino, ſed latere dixerint. Quaſi verò ſcriptura non ediderit manifeſtas, & temporis, & loci, & variorum adiunctorum notas, quibus demonſtrari, aperteque dignoſci poſſit; & quaſi natus latere potuerit tot ſæcula. At quis non miretur incredibilem mentis ſtuporem, cùm in codice Sanhedrim *cap.* 11. poſtquam quæſitum eſt vbi ſit Meſſias, reſpondetur illum ſedere in portis vrbis Romæ inter pauperes leproſos; alij tamen communiter fatentur nondum eſſe natum. Sed præcipua conſideratione dignum eſt, quod in eodem illo *cap.* 11. legitur: *Sex millibus*, inquiunt, *annorum mundus exiſtet: Ex his duo millia erunt inanitas* (תוהו) *cùm nimirum nulla erit diuina lex: duobus millibus erit lex: duobus millibus erunt dies Meſſiæ, ſed propter iniquitates noſtras, quæ multiplicatæ ſunt, exceſſerunt ex his (diebus Meſſiæ) quotcumque exceſſerunt.* Vbi veram vides obſeruari chronologiam, & Meſſiæ aduentum poni ſub finem quatuor millium annorum, vt à Chriſtianis ponitur. Cùm poſteriores Iudæi viderent maiores ſuos, de tempore aduentus Meſſiæ admodum ſollicitos, deprehendiſſe, quod res erat, fruſtraque diutius illum expectari; ipſos tandem pertæſum eſt vlterioris perquiſitionis. Quare, ne magis ac magis conuincerentur, omnes eos dira exſecratione deuinxerunt, qui deinceps ea de re quæſtionem haberent, annorumque calculos ſubducerent. Quod ne fiat, vetant his verbis, quæ Buxtorſus in epitome radicum Hebraicarum refert *in verbo* תִּיפַּח רוּחָן שֶׁל מְחַשְּׁבֵי קִצִּין: hoc eſt, efflentur ſpiritus eorum, qui terminos annorum indagant.

CAPVT VII.

Quibus Deus in Meſſiæ venturi gratiam beneficiis Iudæos affecerit, & quantum hi admiſerint cùm ingrati in Deum animi, tum in verum Meſſiam impietatis crimen. Pia conſideratio.

1. CVM hypoſtatica Verbi vnitio præcipuum fuerit Dei conſilium, ac ferè vnicum in condendo regendoque mundo negotium; ad eam ſpectare neceſſe fuit omnia, quæ in toto ſæculorum decurſu, res humanas adminiſtrante numine, contigerunt. Et quidem primò ab æterna prouidentia oportuit gentem inter omnes vnam deſtinari, cuius ſtirpe Chriſtus naſceretur. Atque eam gratiam, felicemque ſortem conſtat obueniſſe Iudæis. Quam gratiam continuata infinitorum beneficiorum ſeries ſequuta eſt. Vt verò intelligi poſſit, quanta fuerit illius gentis perfidia, Deum, qui ſe communione ſanguinis illi coniunxerat, repellentis, & contractam cum eo affinitatem diuellentis, operæ pretium fuerit conſiderare, quàm ſollicitum, & velut anxium, ſolius intuitu Chriſti, in eam amorem Deus habuerit à primis vſque Abrahami temporibus; & quàm perpetuis ipſam beneficiis ſit complexus. *Dominus elegit te*, inquit Moſes, *vt ſis ei populus peculiaris* לְעַם סְגֻלָּה, populum ſcilicet illum in omni terrarum orbe velut peculium & ornatum gemmeum ſibi ſepoſuit.

2. Quis igitur ignarus eſt quantis Abrahamum beneficiis Deus ornauerit, & quibus domum eius omnem muneribus cumularit; infinita noua deſtinans & oſtentans, quæ deinceps in eius poſteritatem congeſturum ſe polliceretur, ornamenta? Ea totius illius ſtirpis & gentilitatis eſſe voluit, iuramento etiam à ſe firmata, iura; vt de cæteris nationibus ferè nihil laborare, & eas ex memoria depoſuiſſe videretur, vt ſui huius populi voluntatem captaret, atque eiuſdem quaſi gratiam eblandiretur. Prophetas ſuos ad illum identidem mittebat, velut quoſdam de fœdere, quod ſemel cum ipſo icerat, confirmando, & de amicitia renouanda oratores, per quos illum cœleſtibus inſtituebat documentis. Ea re etiam Patriarchas eidem ſapientiſſimos conceſſerat, quorum non ſolùm dicta, ſed & facta omnia eſſent prophetica, futurorumque prænuntia myſteriorum. Ita vt tota illa veteris Teſtamenti & hiſtoriæ Iudaïcæ ſeries, aliud nihil quàm magnus quidam & perpetuus propheta fuiſſe videatur.

3. Porrò tam familiari, tamque propitio vtebatur Deo, præſentiſſimum vt eius numen, & ad ſuam conſeruationem attentiſſimum in omni negotio experiretur. Inſequentem Pharaonem fugiens, maria vidit ante ſe diuidi, vt viam ſibi darent prodigioſo vndarum diuortio. Vidit fluctus in muros ſibi aſſurgere, atque patientia mirabili velut obtorpentes ſuſtinere ſe, dum opportunitas innumerabili multitudini concederetur ſicco veſtigio tranſmittendi. Vidit eorumdem fluctuum vortices, quaſi delectum piorum impiorumque facientes, poſtquam diu erecti ſuum expleſſent erga Iudæos ad vlteriora littora iam aſpirantes officium; in capita reuolui Ægyptiorum omnibus copiis inſequentium, ſicque ad punctum temporis vniuerſam Ægyptum internecione deleri. Vidit elementa ſuis emota ſedibus euerti, vt ipſi opitularentur, & omnem ad eius vlciſcendas iniurias naturam concitari. Manna, è cœloque lapſum panem collegit angelica piſtura paratum. Eiuſdem ſiti depellendæ aquam Deus expreſſit à pumice, & ſcatebram emicare arida fecit ex rupe. Quicquid denique in ipſa deſertiſſima ſolitudine ad victum infinitæ multitudinis per annos quadraginta neceſſarium erat, id omne diuina virgula ſuppeditatum eſt.

4. Pro illius non ſalute tantùm, ſed etiam gloria nequaquam Deus alienum duxit maieſtate ſua in aciem deſcendere; idque tam manifeſtè; vt Arcæ aſpectabili, quæ circumferretur in caſtris, ſuum implicaret numen. Vt verò populum hunc ſuum in deſponſam pridem & deſtinatam mitteret poſſeſſionem terræ, quæ lacte manabat & melle, antiquos poſſeſſores, qui pro legitimis ſe gerebant, ex ſuis hæreditariis bonis præcipites deturbare conſtituit. Quoniam autem illi veteres incolæ conatibus

Digitized by Google

bus nouorum hominum, qui in alienum fundum pedem inferebant, obſiſtere voluerunt, miracula illis exterminandis edidit inaudita. Illorum vrbes mœnibus vel ipſo tubarum ſono exuit. Solem, cuius tam ratus eſt & immutabilis curſus, velut adductis habenis in medio cœli ſpatio ſuſtinuit, ne iam vergens clauderet citiùs diem, quàm belli rationes paterentur; & ne prælij exitu ob noctis aduentum properato, victoria excideret è Iudæorum manibus. Plus triginta Reges bello captos poſt contumelioſam conculcationem cruce affecit. Nihil denique in ſuorum Iudæorum gratiam omiſit, quos perpetuis prodigiis per loca horroris & vaſtæ ſolitudinis ad vberrimas Palæſtinæ ſedes, & agros alienis laboribus cultos traduxit. *Pars*, inquit Moſes, *Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius: circumduxit eum, & constituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, &c.*

5. In quo tandem loco Iſr..., antiquis eiectis colonis, ſedem ſtabilem collocauit, in illo diuinitus fundatum Imperium, atque Rempublicam planè cœleſtem accepit, iis adſtrictam diuinis legibus, quæ ei, ſi obſeruarentur, perpetuitatem eſſent allaturæ. Neque fuit vnquam apud vllam gentem politia, quæ cum hac de cœlo lapſa diſciplina comparabilis ſit. Cùm enim excellentia politicæ diſciplinæ in eo tota vertatur, vt qui in vnam communitatem aſſociati fuerint, iis vtantur inſtitutis, quæ ipſos ad ſummi boni cognitionem & amorem proueharit, conſtat hanc ſolam Iudæorum tunc fuiſſe Rempub. quæ veri Dei cultu, religioniſque ſanctitate eſſet conſtituta.

Explicantur octo præcipua, quæ Apoſtolus recenſet, collatorum Iudæis beneficiorum capita.

6. Denique Apoſtolus quæ in Iſraëlitarum populum à Deo collata fuere beneficia ad octo capita redigit *Rom. 9. Qui ſunt*, inquit, *Iſraëlitæ, 1. quorum adoptio eſt filiorum, 2. & gloria, 3. & teſtamentum, 4. & legiſlatio, 5. & obſequium, 6. & promiſſa: 7. quorum patres, 8. & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.* Primò igitur ſic Deus populum illum adoptarat, vt quem in filium primogenitum adſcripſiſſet (*Filius meus*, inquit, *primogenitus Iſraël. Exod. cap. 4.*) eundem vnigenitum eſſe conſtitueret, cùm nullam aliam in tanta apud ſe gratia gentem eſſe voluerit, vt in ſuam velut familiam nomenque tranſiret. Deinde adoptionem illam ſequuta ſunt alia ſingularia non pauca. Atque inter illuſtriſſima ſublimis gloriæ argumenta, maximè eminuit veteris arca fœderis, quæ & ipſa gloriæ nomine hîc ab Apoſtolo inſignita eſt. *Quorum*, inquit, *eſt adoptio filiorum, & gloria.* Illoque ipſo gloriæ vocabulo eadem Arca declaratur alibi in Scriptura ſæpiùs, vt cùm Dauid canebat, *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et *in libro Regum* 1. cùm narratio exponitur cladis, qua Iſraëlitarum exercitus cæſus fuerat à Philiſtæis, aſſeritur vxorem Phinees grauidam, & iam ad pariendum vicinam, poſtquam de capta & abducta Arca nuntium audiiſſet, ingenti metu perculſam repentinum edidiſſe partum; quem verò filium in lucem emiſit, illum ex tali euentu nomine Icabod affeciſſe. Quod nomen ſonat Arcæ amiſſæ deſiderium; eſtque idem ac ſi dicas, vbinam gloria? אִי כָבוֹד: *Et vocauit puerum Icabod, dicens tranſlata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt Arca Dei.*

7. Nihil quippe erat ex quo gloriam populus ille tam amplam conſequeretur, quàm ex illius poſſeſſione Arcæ, ad quam ipſa Dei maieſtas ſic adhæreſcebat, vt ſuam illi omnipotentiam & ſapientiam implicuiſſe videretur. Ad illius præſentiam frangebantur exercitus robuſtiſſimi à copiis exiguis, & aliquando ne pugnantibus quidem, neque ſe commouentibus. Quod verò ad ſapientiæ laudem attinet, in eadem Arca diuinum numen, theſauros ſapientiæ ſuæ velut condiderat, & ad omne officij munus eos qui ſe coram illa ſciſcitarentur inſtruebat. Vnde conſequens erat, vt Gens Iudaïca meritò poſſet præ cæteris nationibus in ſapientia & hauſta diuinitus diſciplina gloriari.

8. Ea porrò cœleſtis ſapientia emanauit primùm ex illo teſtamento, quod cum adoptione, & ipſa, quam iam dicebam, gloria Paulus proprium eſſe aſſeruit Iſraëlitarum: *Quorum*, inquit, *eſt adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum.* Duobus verò continebatur hoc teſtamentum lapideis tabulis, in quibus digito ſuo Deus inſculpſerat capita officiorum, quibus populum illum ſuum teneri volebat, cùm religiosè aduerſus ſe, tum iuſtè aduerſus quoſcumque mortales.

9. Quid verò de conſequentibus duobus beneficiis dicemus, quorum prærogatiua donatos à Deo eſſe Iſraëlitas, Apoſtolus commemorat? De legiſlatione, inquam, quæ ad humanam politiam; & obſequio, quod ad religionem & ad ſacra pertineret? Conſtat illos, vt iam ſæpe ſupra dixi, adminiſtrandæ Reipublicæ leges vtiliſſimas accepiſſe; eaque inſtituta & iura, quæ ſublimem quandam politices rationem ad æternam Imperij, niſi negligerentur, felicitatem continerent. Ad colendam autem puræ, caſtæque Religionis rationem, nihil ſanctius illorum ſacrificiis atque myſteriis cogitari poteſt; nihil auguſtius iis cæremoniis, quæ virtualiter eorum, Leuiticiſque monumentis præſcribuntur; & erant quædam rerum, quas per Chriſtum futuras diuina conſilia deſtinarant, adumbratio.

10. Sed cuinam poſſint verba ſuppetere, vt illa complectatur promiſſa, quæ Diuus idem Paulus ſignificat facta fuiſſe Iſraëlitis, non tantùm aſſeueratione, ſed etiam iuramento firmata? Volens enim Deus oſtendere ipſis Iſraëlitis pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, dum eis ſummam omnium ſæculorum felicitatem, & futuram cum Chriſto bonorum omnium complexionem ſpopondit, interpoſuit iuſiurandum; *Vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium haberent.* Inter cætera Iudaïcæ Gentis priuilegia ſpectandos præcipuè indicat deinde Apoſtolus patres illius, ac maiores. Tales enim extiterunt, vt ipſos pro dignitate laudare ſatis nemo queat; ſanctitate nimirum & omni gloria clariſſimos. Quorũ diuina virtus nepotibus ſuis non ſolùm claritatem relinqure poſſet ſanguinis inter homines, ſed etiam iiſdem ipſos conciliare, ob ſtudiorum morumque ſimilitudinem, Angelos.

11. Denique gratiarum ea fuit maxima, quòd Deus ex illa gente naſci Chriſtum voluit. Sic enim tandem concludit Paulus; *Et ex quibus Chriſtus ſecundum carnem.* Quo modo fuit ei populo cum Summa Trinitate familiaritas adiunctior, quàm ſit ſupremis illis Angelis, quos Sanctus Dionyſius ait excubare ſemper in ciuidem veſtibulo Trinitatis, ἐν προθύροις τῆς τριάδος. Hi enim Angeli diuinum numen ita ſtipant, vt famulorum non ſuperent faſtigium, eaque ſe beatos putent ſeruitute, quam ſuo ſeruiunt Creatori. At Iudæi poterant Trinitatis adire numen, non vt ſimplicem ſeruitutis conditionem, ſed vt ius naturalis etiam cum eo cognationis præ ſe ferentes,

Digitized by Google

& eandem cum æterno Verbo claritatem ſanguinis poſſidentes.

12. Iam verò quis tantam diuinorum beneficiorum quà multitudinem, quà magnitudinem perpendens, non ſit in eo populo ingrati animi crimen execraturus, cùm attendet non modò illi defuiſſe memoris & grati erga Deum animi beneuolentiam; ſed eum etiam cum Deo, quaſi peſſimè de ſe merito, inimicitias ſuſcepiſſe, geſſiſſeque obſtinatiſſimas? Nec enim ſimile vllum poteſt tam truculentæ perfidiæ exemplum, non dico in omni memoria reperiri, ſed ne quidem cogitatione fingi; vt non ſit mirum ſi ij qui tanta priùs apud Deum gratia floruerant, ipſius Dei tantam iram tantumque odium poſteà ſubierint. *Obliti ſunt*, ait Dauid, *Pſal. 77. benefactorum eius, & mirabilium eius quæ oſtendit eis.* Poſtquàm perpetuis in deſerto murmurationibus (quas numero quatuordecim præcipuas ſcriptura commemorat) iter per annos quadraginta feciſſent, Deo interim continuatis ipſos proſequente, ac ſuſtentante prodigiis; eiuſdem Dei beneficia & authoritatem aſpernati ſunt, ac pro nihilo habuerunt. Quinam? illi ſcilicet, quorum adoptio erat filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: Illi quorum patres, & ex quibus Chriſtus. Illi, inquam, ea octo gentis ſuæ decora negligentes nequaquam nobilitatem diuini generis, nec tam illuſtris claritatem adoptionis curarunt. Mutauerunt Arcæ ſuæ gloriam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Non cuſtodierunt teſtamentum Dei: auguſtiſſima legiſlatione contempta in lege eius noluerunt ambulare. Veri Dei obſequium, & cultum, caſtiſſimæque Religionis ſacra in obſcænas cęremonias & idolorum venerationem conuerterunt. Pro nihilo habitis Summi Dei promiſſis, de horum vel conſtantia dubitarunt, vel magnitudine nihil cogitarunt. A Patriarcharum & maiorum virtute fideque degenerauerunt. Atque tandem quod peſſimum, & omnium velut cumulus eſt, Chriſtum Abrahami ſtirpe, eodémque cum ipſis genere ortum non modo, qua dignum erat, veneratione non receperunt, ſed etiam omnibus vexatum, laceratumque contumeliis de medio ſuſtulerunt.

Quanta ſit poſt occiſum Chriſtum diuinæ voluntatis à Iudæis alienatio?

13. Tanta Dei fuit ab hoc populo poſt ſceleratum illud in Chriſtum facinus alienatio, vt antiqua illa neceſſitudo, in quam Patriarchas ac maiores eius receperat, & cognatio ipſa, ſanguiniſque communio, quam ſibi cum eodem eſſe voluerat, in materiam odij ceſſerit. In vniuerſo amicitiæ genere nihil poteſt inter homines ad dolorem acerbius accidere, quàm cùm aliquis amicitiam tibi remittens, in illorum neceſſitudinem (eo tantùm animo, vt quàm maximum tibi læſo dolorem inurat) ſe confert, quos tibi nouit infenſiſſimos, & cum quibus tua causâ diuturnas ipſe geſſerat inimicitias; atque totum id hoſtile odium, quod in illos habebat, in te ſubitò conuertit. Internecinum Deus cum Ægyptiis bellum ſola Iudæorum causâ ſuſceperat, tamque acriter geſſerat & cruentè, vt vniuerſam Ægyptum in vnum locum congregatam, peſſundaret vndis ac fluctibus irretitam, ne quidem tantæ cladis nuntio relicto. Quotquot nationes Iſraëli aduerſarentur, illas prodigiis, & maximè iracundis exterminare ſolebat victoriis. *Inimicus ero*, inquit, *inimicis tuis, & affligam affligentes te. Exod. 3.* Quantum igitur huic olim electo, & gratia tantoperè apud Deum florenti populo dolorem inuri par fuit, quando aduertit, excluſo ſe, & à priſtina gratia ſubmoto, Ægyptios in gratiam ex tantis inimicitiis recipi, & nationes omnes ad ſummam adiungi neceſſitudinem; odio, quo Deus in illas fuerat, in ipſos Iudæos deflexo? Cùm præſertim Deus ipſe mentem ſuam verborum aculeis, quibus altiùs eos pungat, ſic explicet, vt apertè profiteatur voluiſſe ſe illos accendere zelotypiâ. *Ipſi me prouocauerunt*, inquit, *in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis: Et ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.*

14. O ſeueritatem inauditam, & in nullos vnquam improbos à te, Deus optime, vſurpatam hactenus! Redi in memoriam, Domine, Abraham, Iſac, & Iacob; quorum vel ſola per Moyſem olim commemoratione placatum legimus te fuiſſe de malignitate quam dixeras facere populo tuo. *Animo forem*, ait Deus, *mobili, niſi illius populi mutationem iam facerem, qui pridem fecit ipſe mutationem ſui.* Illene populus meus, cuius ego non Deus? Ne mihi eius Templi ex quo Religionem eripuerunt, proferãt ſanctitatem. Ne mentionem cæremoniarum earum faciant, quas flagitiis polluerunt, non etiam eius, quod contaminauerunt Sanctuarij; aut eius quod violauerunt Altaris. Sed neque ab Abrahamo acceptam nobilitatem ementiantur, quæ illis eſt dedecori. Mei quidem præ ſe ferre non poſſunt coniunctionem ſanguinis, quem ſuſum immaniter ſuorum pedibus carnificum protriuerunt. Eius vox ſanguinis clamat, & in querelas effunditur ad cœlum vſque ſublatas.

15. Diſceptandum certè cum Deo non eſt de tantæ in Iudæos ſeueritatis æquitate. Ipſe, cuius alioquin iudicia iuſtificata ſunt in ſemetipſa, grauiſſimam, qua in hoc toto negotio motus fuit, rationem ipſimet Iudaïco populo reddidit apud Iſaiam *cap. 50. Quis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.* Quæ quidem ſcelera tam nefaria Dei iudicio fuerunt, vt res ipſæ alioqui ſanctiſſimæ, eo ipſo, quòd huius populi manibus attrectarentur, illi exerandæ, ac deſtabiles eſſent. Quod apud eundem Prophetam *cap. 66.* valdè terrificis verbis ipſe teſtatur: *Qui immolat bouem, quaſi qui interficit virum. Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem. Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat. Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* Quàm infeſto animo putandum eſt illum eam nunc gentem intueri, cuius ſacrificia, & victimarum ſtruices locum obtinent apud eum ſacrilegiorum? & cuius obſequia inter trucidationes à ſicariis illatas numerantur, vel etiam perinde ſe habent, ac ſi quis dæmoni honores haberet?

16. Ad extremum res tandem hæc tota eò deducta eſt, vt Deus Templum Salomonium ſummè quondam religioſum, & ob fabricæ admirabilitatem ſpectandum diſturbari funditus voluerit; & exciſionem, inflammationem, depopulationem tantam à Romanis inferri, vt ſumma imis æquata reliquerint, omni ſpe reſtaurationis adempta. Cuius reſtaurationis deſperationem multis pòſt annis Iulianus ſenſit Apoſtata. Cùm enim antiquis fundamentis Templum illud excitari curaret, atque ſumptus huic operi ſuggereret; Iudæi, qui rem ipſam exequi moliebantur (hac etiam adhibita vanitate, vt ex argento confectis ligonibus, & palis, ſportiſque doſſuariis per inanem oſtentationem vterentur) vim diuinæ

diuinæ ſunt experti vindictæ: flammei ſcilicet globi ex ipſis eructati fundamentis emicuere, quorum ardore & operæ conflagrarunt, & argentea illa vanitatis liquefacta ſunt inſtrumenta.

17. Quemadmodum Iudæi non per ſolam ſimulationem conſeruandæ Religionis legiſque Moſaïcæ, ſed præterea per ſpeciem auertendi à ſua ciuitate iram, & arma Romanorum, ne libertatem & Reipublicæ ſuæ politicam gloriam amitterent, de interficiendo Chriſto conſilium inierunt: ſic in pœnam tanti ſuſcepti ſceleris non modò verę, quæ apud illos ſolos reſidebat, Religionis decus perdiderunt, ſed etiam libertate ac ditione ſua, & omni politico iure conciderunt. Quare tot iam ſæculis fuſi per omnium gentium ac terrarum orbem, vitam calamitoſam, & vagam ita perſequuntur, vt Regem nullum, aut Ducem, qui inter illos cum ſummo imperio, & poteſtate verſetur, agnoſcant: quemadmodum neque Templum habent, vt ſuprà iam dixi, neque Sacra, neque Sacerdotes, neque propitium, ad quem confugere poſſint, Deum.

CAPVT VII.

De Iudæorum poſt ſuam diſperſionem obſtinato in Chriſtum, & Chriſtianos odio.

1. VERVM inter illas, quas tanti ſceleris pœnas Iudæi ſuſtinent, nulla maior eſt, quàm ipſorum obſtinatio, & velamen poſitum ſuper cor eorum, manens non reuelatum vſque in hodiernum diem. Primi ſiquidem illi, qui conſpiratione in Chriſti vitam conflata, eum quem poſtulabant effundi ſanguinem, in ſuum, nepotumque ſuorum caput prouocarunt; hæreditarium toti genti in ipſum Chriſtum, Chriſtique cultores odium reliquerunt, quod per omnia fluere ſæcula experimur. De iis enim veriſſimè ſcripſit Apoſtolus 1. *Theſſalonic. cap.* 2. *Qui & Dominum,* inquit, *occiderunt Ieſum; & Prophetas, & nos perſequuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur; vt impleant peccata ſua ſemper: peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem.*

Eorum in Chriſti imagines contumelia.

2. VAriis identidem ſunt deprehenſi temporibus odium, quod in Chriſtum ipſum non poſſunt, in eius vel imaginem aliquam, vel exaratum vbiuis nomen effundere. Multoties ſiquidem in apertam lucem prolatum eſt ipſos illius ſtatuas cæcidiſſe virgis, ſacrilegam in eas velut in ipſius corpus iracundiam exercendo. Ex Theodoſiana contra eoſdem lege habetur, hanc ipſos conſuetudinem tenuiſſe quodam feſtiuitatis ſuæ ſolemni, vt Crucifixi effigiem ſimul cum Cruce incenderent: animaduerſionem autem veriti, ſe non Chriſtum dicerent, ſed Amanum ſimiliter in crucem ſublatum ad Dei repræſentare gloriam. Baron. *ad ann.* 408. Quæ perfidioſorum hominum quàm deteſtabilis ſit impietas, non tarò Deus oſtentis ſignificauit.

3. In Eccleſiaſticorum enim Annalium monumentis mandatum eſt, Iudæum quendam in Templo Chriſtianorum ſurripuiſſe Saluatoris imaginem: quam ferro cùm transfixiſſet, igniquè cremare vellet, tanta vis ex illa erupit ſanguinis, vt per eius ſanguinis veſtigia perueniri potuerit ad tanti facinoris authorem: quem concitati Chriſtiani, merita in eum illico ſaxis lapidatione facta, trucidarunt, ſub annum Iuſtini 34. Baron. ex Sigeberto *ad ann.* 560. Eccleſiaſtica item memoria illud in primis celebratur, quod Beryti in Syria conſcitum eſt ab iiſdem in eiuſdem Chriſti effigiem ſcelus. Quæ effigies, cùm eam omnibus ignominiis oppetitam cruci ſuffixiſſent, lanceaque transfigerent, tanto cruore cum aqua permixto manauit, vt ex illo mirifico liquore, quod haurirent omnes Orientis & Occidentis Eccleſiæ, vbertim habuerint, quodcumque morborum genus eo depulſuræ. Cuius ob miraculi memoriam ſingulis annis repetendam, in faſtos Eccleſiaſticos is quo contigit, dies relatus eſt, vt illius nomine feſtus ageretur. Idem *ad an.* 765.

Eorundem horribilia in Euchariſtiam ſacrilegia.

4. QVi Chriſti imagines, tanquam illius vmbram, ad. ò contumelioſè inſectati ſunt, multò in ipſum eiuſdem corpus atrociores extiterunt. Pauca ſummatim perſtringam, vt ex tot ſcelerum particula genus intelligatur vniuerſum. Superioris ſæculi anno 56. patrum ferè noſtrorum memor à, Iudæus ſequutus indolem ſapientiamque gentis, poſtquam ancillæ Chriſtianæ animum largitione corruperat, vt ſibi Euchariſtiam traderet, quam ſub feſtum Paſchatis in os à Sacerdote inſertam inuoluiſſet occultiſſimè ſudario, acceptum illud pignus in ſuorum ſynagogam detulit; vbi communi omnes perfidia, ſicas in diuini ſymbola Sacramenti diſtringunt, atque defigunt. At ecce illicò tanta effundi viſa eſt copia cruoris, vt eo totus ille locus circumflueret. Authores ſceleris dum loci ipſius cruenti, atque ſicarum ſtillantium conſpectu in re perſpicua tenerentur, flammis addicti ſunt. Quæ portentoſa res eo commodùm tempore in Polonia contigit, quo de Calicis vſu, quaſi Panis ſpecies non ſola ſufficeret ad Chriſti vnà cum Corpore ſumendum ſanguinem, tumultuabantur illius regionis hæretici. Spondanus *ad illum annum.*

5. Acciderat ſub annum eiuſdem ſæculi decimum in ditione Brandeburgenſi germanum huic portentum à quodam item Iudæo, qui Euchariſtiam furto ſublatam, crebris poſtquam ictibus non ſine magna ſanguinis profluentia, quæ facinus patefecit, transfixiſſet, nec aqua potuit vnquam, nec igne corrumpere. Supplicium autem & de illo candentibus dilaniato forcipibus, demumque combuſto, & de aliis ſimul ſumptum eſt Iudæis, qui ſe Chriſtianorum infantes pueros ſeptem peremiſſe veruculorum acuminibus compunctos faſſi ſunt. Idem *ad annum* 1510. Inſigne illud eſt, quod eodem anno accidiſſe in Saxonia narrat Langius *in chron.* Vbi homo quidam Iudaïcæ ſummæ perfidiæ, cui nomen Pfeffercorn, in multiplex crimen vocatus, multa ſua ſcelera, quorum exercitatione aſſuefacti ſunt Iudæi, patefecit. Nempe viginti ſe annos, licèt Sacerdotium nunquam iniiſſet, Sacerdotem egiſſe. Præterea ſe ab aliquo Presbytero tres conſecratas Hoſtias ſurripuiſſe; illarum vni vulnera, ex quibus cruor profuſus ſit, inflixiſſe; cæteras aliis vendidiſſe Iudæis. Notum item fecit veneno ſe ad id parato Archiepiſcopum Magdeburgenſem, ſimulque fratrem eius Electorem Brandeburgenſem occidere voluiſſe. In puerum Chriſtianum cum Iudæis aliis, qui illum emerant, exercuiſſe ſcalpelli carnificinam, vt illorum eſt conſuetudinis. Denique medicinam exercuiſſe, & multos

tos inſidioſa curatione interemiſſe Chriſtianos. Indicum ergò ſententiâ immaniſſimis condemnatus ille criminibus, poſtquam candenti fuiſſet diſcerptus forcipe, ad Iudæorum ductus ſepulcretum, igne combuſtus eſt.

6. In argumento valde inſuaui verſamur, in quo longiùs, ſi vellemus ſingula perſequi, proueheretur oratio. Nullum enim ab euerſis Ieroſolymis fuit ſæculum, quo gens illa non ediderit inſignia in Chriſtum impietatis exempla; licet ſola Chriſtianorum benignitate inter ipſos viuat, apud quos ne de medio tollatur, ſacra lege ſancitum eſt. Silentio tamen prætermitti non debet, quod in vrbe Poſnaniana maioris Poloniæ, ſæculo poſt Chriſtum natum 14. contigit. Illorum Rabbini promiſſis muneribus mulierem quæ vitam in egeſtate degebat adoriuntur, eamque exorant vt paulò ante quàm nox terras occupaſſet, in Templi cuiuſdam latebras ſe conijceret, vbi pernoctans argenteam hoſtiis continendis thecam furtim ex Altari, & ex theca hoſtias extraheret. Illa ergo cùm plerumque noctis in cæco ædis receſſu latuiſſet, ſacrique tentaret reſerare fores armarioli, corruit ſemel, iterumque in terram; ſed demùm idem aggreſſa, tres minores prompſit hoſtiolas, quas linteo inuolutas ad Iudæos poſtridie detulit. Acceptas hi in cellam ſubterraneam deferunt, pugiones in eas diſtringunt, crebroque vulnere ſauciant. Cum ecce tibi multo ſanguinis decurrentis, & in facies eorum emicantis fluxu infici eorum veſtes, madere pauimenta, iiſque aſpergi maculis quæ nec vetuſtate euaneſcerét, nec induſtria elui poſſent; hoſtiarum ipſarum manente ſemper ſpecie integrâ, illibatoque candore; quamuis eas impij conarentur & aquâ & igni corrumpere. Cùm igitur crimen hi iam in vulgus emanare ſentirent, ipſas, vt erant, integras hoſtias in lacum extra ciuitatis mœnia cœnoſum deferunt, in eoque defodiunt. Proxima verò die Dominica puer pecuarius cum bubulco eas illic animaduertit candentiſſimo per aërem volitare ſplendore, atque armenta præſentiam venerata numinis, in genua procumbere. Qua re Magiſtratui denunciata & ad Epiſcopum delata, Sacrum inde pignus ſolemni omnium Ordinum ſupplicatione in vrbem receptum eſt, eam verò in ædem ſuborta cùm eſſet contentio, ipſæ per ſe hoſtiæ in priorem illum paluſtrem locum, ex quo elatæ fuerant, reuolarunt. Quare illo purgato, atque conſecrato, ſacellum interim dedicatum eſt; donec Vualadiſlaus Iagello Poloniæ Rex auguſtum cum Monaſterio, quod Carmelitis fratribus aſſignatum eſt, exædificaret Templum, apud illos nunc populos ob crebra ad illas hoſtias miracula ſanctum in primis ac religioſum, Iudæi verò authores execrandi facinoris, in ſua obſtinati perfidia, id genus inuſitati ſubiere ſupplicij, vt dum viui comburerentur, moloſſos haberent ferreis ad pedes catenis alligatos, qui flammarum ardore in rabiem verſi acerbiſſimis illos morſibus diſcerperent. Spondanus *ad illum an.*

Eorumdem crudelitas in perſonas Chriſtianorum.

7. NOn poteſt odium, quod tantopere in Chriſtum inflammetur, non longè latéque in id omne diffundi, quod ad Chriſtianum nomen pertineat. Itaque nihil mirum ſi deprehenſi Iudæi fuerint in Chriſti cultores ſæuitiam conuertere, quæ in ipſum Chriſtum, vtpote iam invulnerabilem, tota eſt ſuperuacanea. Huius generis, licet infinita ſuppetant, duo tantum vel tria proferam. Teſtatur Socrates *lib.* 7. *cap.* 13. Iudæos non procul à Chalcide & Antiochia puerum Chriſtianum cruci alligaſſe, & in ſublime ſuſpenſum, verberibus ad mortem vſque cæcidiſſe: atque eam Imperatores Honorium & Theodoſium habuiſſe occaſionem ſeuerum edictum contra illos promulgandi. Tetrius eſt quod ante quadringẽtos hinc annos Lincolnæ patrarunt. Chriſtianum enim puerum octennem furto ſublatum, conuocatis omni ex Anglia nonnullis ſuorum procerum, addixerunt morti; ſententiâ damnationis eius, velut de Pilati Sella, Tribunalique pronunciata. Illum ergo veroculis compunctum, & iiſdem affectum illuſionibus, ſuppliciis, atque ignominiis, quibus Chriſtum olim ipſorum patres impetierant, cruci ſuffixerunt, lancea pectus tranſuerberarunt, atque tandem corpus eius euiſcerarunt ad magicas artes exercendas. Cùm autem cadauer quod humo texerant, reperiſſent ſæpius retectum vi quadam occulta, & ſepulchro effoſſum, in altum puteum abiecerunt. Veritate demùm patrati ſceleris in apertum prolata, ſe pro ſuo id more feciſſe confeſſi ſunt. Hanc nempe à maioribus ſuis conſuetudinem in poſteros deriuatam, vt aliquem quotannis puerum à Chriſtianis ſurreptum pari crudelitate lacerarent. Quod perfidæ gentis inſtitutum etiam patefecerunt alij, cùm ſua ſuorumque conſilia tormentis eloqui cogerentur. Idque nominatim contigit Tirnauiæ in Hungaria, cùm Iudæi duodecim, binæque mulieres anno 1494. ingenuum adoleſcentem occultè comprehenſum, obliſa ei gula, & inciſis ita necuerunt venis, vt cruorem eius, cùm animam ſingultim efflaret, partim ſorberent, partim ad vſus nefarios ſeruarent: poſtquam verò corpus membratim diſcerptum humaſſent, & commotâ in ipſos ſuſpicione quæſtio fuiſſet conſtituta, mulieres minis tormentorum perterrefactæ, omne quod erat, eloquutæ ſunt. Præterea quibuſdam ſenioribus inter illos præcipuis in quæſtionem datis, extortum eſt totam illam gentem conſtitutionem veterem, legemque ſciuiſſe, vt quotidianis ſacris libent Chriſtianorum ſanguine, & cùm ſors per omnes eorum communitates in orbem eat, ſortem illam eo anno in ſuam communitatem cecidiſſe. Spondanus *ad illum annum.*

8. Quid addam ſeptennem puerum ab iiſdem illis Chriſti hoſtibus fuiſſe in crucem actum Cæſar-Auguſtæ ipſo die, quo nos anniuerſaria Chriſto mortuo Sacra perſoluimus? Quid alium anno 1287. in Veſalienſi ad Rhenum oppido furtim raptum puerum acubus & cultris occiſum, qui miraculis claruit. *Annal. Aragon.* Tritem. & Genebr. Conſtat ſimiles alias puerorum atque infantium cædes in Chriſti odium variis locis factas, atque magnum Innocentum numerum, perpetuato ab illius nationis hominibus Herodis furore, affectum eſſe martyrio.

9. Porrò non in illam ſolùm ætatem teneram, poſitis contra ſe inſidiis opportunam, furtoque abduci facilem, ſed in quoſdam etiam robuſtioris ætatis viros crudelitatem ſuam expleuerunt. Ita Chriſtianum hominem Pragæ in Bohëmia ſacro die Paraſceues in occulta retruſaque loca impactum, iiſdem quibus olim Chriſtum indignitatibus vexauerunt; atque poſtquam circumſtantes pro ſe quiſque illum alij conſputauerunt, alij colaphis ſugillarunt, alij virgis conciderunt, & per omnem Chriſti paſſionis hiſtoriam ſacrilega repræſentatione traduxerunt, cruce tandem affecere. Quo facinore in lucem prolato populus Pragẽſis, & reos nouis exquiſitiſque ſuppliciis, & Martyrem monumento, debitiſque honoribus proſequutus eſt. Spondanus *ad an.* 1505.

Nullis

Digitized by Google

10. Nullis vnquam temporibus inſitum in Chriſtianos odium ſic occultare potuerunt, quin certis interuallis & occaſionibus conceptæ maleuolentiæ maturitas eruperit. Et quidem regnante Conſtantino, eos qui ſuperſtitionem Iudaicam exuentes, Chriſtiana ſacra ſuiſſent ampl. xi, quà ſaxis, quà aliis furoris generibus perſequi non deſiſtebant, vt ſub ethnicis Imperatoribus antea impunè conſueuerant. Quare pius & Chriſtianus Imperator ſeuerum edictum, vt ſi quis deinceps tale ſcelus conciperet, igne combureretur, edixit. Teſtaturque Sanctus Chryſoſtomus *homil. 2. aduerſus Iudæos*, eundem Conſtantinum, ipſos, quòd ſe commouerent, ſeditionemque concitarent, iuſſiſſe amputatis auriculis, ceu fugitiua mancipia circumferri; quo gens illa vniuerſa iugum Chriſtianorum ferre condiſceret.

11. Barchochebam quendam refert Euſebius *in chron. an. 17. Adriani*, & Sanctus Iuſtinus *orat. ad Anton.* nefarium ex Iudaica ſtirpe prædonem, maximam in Chriſtianos adhibuiſſe ſæuitiam, cùm valeret armis, ac Iudæorum, qui communi gentis conſilio ab Adriano, Romaniſque deficiebant, exercitui, ſummo cum imperio præeſſet. Quam Deus crudelitatem, excitato in eam nationem vniuerſam Adriani furore vindicauit. Sunt enim qui tradant eo Iudaico bello, quod Imperator ille confecit, ad quingenta & octoginta millia Iudæorum cecidiſſe: illorum verò, qui morbo, fame, & igne perierunt, infinitam fuiſſe multitudinem. Narratque idem Euſebius, ex eo tempore vetitum fuiſſe, Iudæorum aliquem in Ieroſolymitanum agrum veſtigium facere, aut ex edito loco natale ſolum aſpicere. Vſque eò Deus, quam Abramo pollicitus erat, terram indignis Abrahami tandem poſteris eripuit. Illam Adriani prohibitionem Seuerus Imperator confirmauit, eamque ſuo etiam tempore viguiſſe teſtati ſunt Tertullianus *Apol. cap. 21. & contra Iudæos cap. 13.* S. Cyprianus *de idolorum vanit.* & Hilarius *in Pſalm. 58.* Additque S. Hieronymus *in cap. 1. Sophon.* vſque ad ſuam ætatem venire ſolitum populum illum lugubrem, decrepitas confluere mulierculas, & ſenes pannis anniſque obſitos, in corporibus, & in habitu ſuo iram Dei demonſtrantes: atque prohibitam turbam miſerorum, ingredi ciuitatem, vt ſaltem eius Templi ruinam lamentis & liuoribus, & ſparſis crinibus flere liceret, pretio à militibus redimere conſueuiſſe, quæ quondam emerat Sanguinem Chriſti.

12. Vnum denique ſolum addam, quo intelligi poſſit eſſe illi nationi in Chriſtianos odium ita ingenitum, vt quo minùs cædem in illos vbique genatium faciat, nihil aliud ei quàm idonei ad id agendum temporis opportunitas deſit. Qualem olim opportunitatem à Coſrhoë Perſarum Rege nacti ſunt. Poſtquam enim Princeps hic barbarus Ieroſolymorum vrbem cepiſſet, Chriſtianos omnes qui in ſuam poteſtatem venerant, Iudæis viliſſimo pretio vendidit. Hi verò illos in ſua iam poſitos poteſtate ſummorum dolorum cruciatibus confectos trucidarunt. Atque Theophanes *miſcell. lib. 18.* numerum ab eis occiſorum fuiſſe nonaginta millium. Nihilque mitius ab illis expectandum foret, quoties locus eis aliquis eſſet in Chriſtianos inuadendi. Cùm opportunam occaſionem ſe nactos in Hiſpania putarent, exitioſamque habuiſſe conſpirationem in Chriſtianos deprehenſi fuiſſent, pronuntiatum eſt in Concilio Toletano 1-. illos in ſeruitutem, bonis ſpoliatos omnibus eſſe redigendos. Eademque cauſa mouit omnes ferè Chriſtianos Principes, vt eos è ſuis ditionibus, quod quater à Galliarum Regibus factum eſt, exigerent.

Iudæorum Meſſiam veniſſe negantium, tota ex Thalmudicis ſuis pandectis ſapientia maximè odio ipſius Chriſti, Chriſtianorumque continetur.

13. QVæ recenſuimus Iudæorum facinora, neququam patrata ſunt incitatione animi repentina, eoque impetu qui occaſione, vt oblata exarſerit, ſic amota conſederit. Non item priuatorum quorumdam ferocià, quam illius gentis proceres, doctoreſque vitio & culpæ dent. Quin potiùs ea ſunt præcipua totius gentis inſtituta, præceptaque, vt quo magis quis in Chriſtianorum genus ex imo pectore crudelitatem anhelauerit, eò ſuæ cenſeatur religionis eſſe colentior. Atque vt eam in ſuorum animis nutriant maleuolentiam, ſcribit D. Hieronymus *in cap. 5. Iſaiæ*, illos ratis quotidie temporibus ſolitos malè precari publicè Chriſtianis, hoſque diris execrationibus inſectari; *Iudæi quoque hodie*, ait, *perſeuerant in blaſphemiis, & ter per ſingulos dies in omnibus ſynagogis ſub nomine Nazaræorum anathematizant vocabulum Chriſtianorum.* Illi autem Thalmudici codices, quibus vniuerſa natio, velut quodam iure ciuili atque canonico regitur, eò ſpectant maximè, vt inter præcipua Iudæorum officia odium, inſectatioque Chriſtiani nominis reponatur, atque perpetuis obtrectationibus Chriſtum lacerando, ſuorum omnium odia in illum incendant; eoque modo ſeipſos omni fœdere deuinciant, ad Chriſtianos quocumque oppugnationum genere diuexandos.

14. Per ſingulos ferè Thalmudici operis libros execrandarum plauſtra blaſphemiarum contra Chriſtum occurrunt. Quare Chriſtiani Principes, ſummique in primis Pontifices, omnibus in ſua ditione Iudæis lectione, vſuque librorum illiuſmodi interdixerunt; & quicquid inueniri poſſet eorum voluminum, comburi iuſſerunt. Quod cùm anteà plures Pontifices præſtitiſſent, & rurſus Iudæorum curà libri illi prælo fuiſſent excuſi, Iulius Papa III. anno 1553. noua ſanctione omnia illorum exemplaria perquiſitiùs collecta imperauit per omnes Italiæ vrbes, cùm ipſi Iudæi ſua Tabernaculorum feſta peragerent, flammis abſumi. Vniuerſum Thalmud in ſex ordines, ſiue סדרים, vt illi vocant, diuiditur. Quilibet autem סדר plures habet tractatus, qui in vniuerſo Thalmud numerantur 63. & ſinguli plura in capita, ſeu פרקים tribuuntur.

15. In ordinis primi tractatu primo, *cap. 1.* ſic præcipiunt: *Statuimus, vt quilibet Iudæus ter in die blaſphemet Chriſtianorum gentem, ac Deum precetur, vt confundat, extermínetque ipſam cum Regibus & Principibus ſuis. Atque hoc maximè faciant Sacerdotes in ſynagoga ter quotidie orantes.* Ibidem aſſerunt Deum præcepiſſe Iudæis, vt quouis modo, ſiue dolo, ſiue vi, ſiue furto facultates Chriſtianorum ſibi vindicent. In ordinis quarti tractatu octauo præcipitur Iudæis, vt Chriſtianos omnes loco brutorum habeant, nec aliter eos tractent. Ibidem, ſi quis Hebræus Chriſtianum præcipitio propinquum animaduerterit, tenetur ſtatim ipſum præcipitare. In ordinis item quarti tractatu quarto, & nono, ſi quis Iudæus, cùm vult perimere Chriſtianum, fortè Iudæum occiderit, dignus eſt qui abſoluatur. Imperium Chriſtianorum execrabilius eſt Imperio cæterarum gentium; Templa Chriſtianorum ſunt loca idololatriæ, quæ Iudæi

Digitized by Google

Iudæi tenentur deſtruere. In ordinis 2. *tract. cap.* 5. Euangelia Chriſtianorum, quæ inſcribi debent, *Iniquitas reuelata, & peccatum manifeſtum*, à Iudæis comburi debent, etiamſi in eis nomen Dei contineretur. Ecce quàm infenſo atque inimico Iudæi ſint animo, dum verum Meſſiam nuſquam viſum eſſe contendunt; in quorum tamen terris viſus eſt; per quos in ipſa Chriſtianorum ditione nequaquam Chriſtianis, quorum benignitate illi ſecuri viuunt, licet ſecuris degere.

LIBER TERTIVS.

De neceſſitate Incarnationis.

CVM propriè Incarnatio ſignificet aſſumptionem carnis, hoc eſt, non cuiuſcumque naturæ, ſed nominatim humanæ; certum ſit autem potuiſſe Deum aſſumere quamcunque aliam intellectualem naturam, per quam nos redimeret, atque id omne obtineret, quod per humanam præſtitit: apparet Incarnationem propriam, & vt re extitit, minimè neceſſariam, ſed omninò contingentem & Deo liberam fuiſſe. At verò non eſt ſic apud omnes indubitatum; an vnio hypoſtatica in genere, ſiue ea ad humanam, ſiue ad angelicam determinanda foret naturam, fuerit neceſſaria. Poteſt autem hæc neceſſitas non vno modo intelligi: vel enim moralis dici poteſt, vel phyſica: item vel abſoluta, vel ex ſuppoſitione. Quæ ſuppoſitio poteſt eſſe varia, nempe vel ſuppoſitio conditi mundi, vel ſuppoſitio lapſi Adami; item ſuppoſitio ſubueniendi Adamo. Atque huius ſubuentionis poteſt etiam eſſe diuerſa ſuppoſitio; vt nempe fiat quocumque modo, vel vt fiat accepta ſatisfactione, eaque vel condigna, vel non condigna. Item vel ex non ſummo rigore iuſtitiæ, vel ex tali ſummo rigore. Quæ omnia hoc tertio libro explicantur.

CAPVT PRIMVM.

An Incarnatio ſaltem ex aliqua ſuppoſitione fuerit neceſſaria.

1. SVPPOSITIONES, ex quibus neceſſaria dicatur vnio hypoſtatica, variæ conſiderari poſſunt, & iuxta illas variæ etiam ſunt ſententiæ. Raymundus Lullius ex creationis mundi ſuppoſitione cenſuit neceſſariam fuiſſe incarnationem. At Anſelmus, & Ricardus Victorinus negarunt quidem eſſe ex ea ſola ſuppoſitione, quod mundus crearetur, neceſſariam; aſſeruerunt tamen ex ſuppoſitione, quod Adam peccaſſet. Nihilominus in hoc ab Anſelmo Victorinus diſſentit, quod contentus non ſit ſimplici ſuppoſitione peccati Adami; fatetur enim potuiſſe Deum lapſo Adamo naturam humanam iuſtè relinquere ſine reparatione; quo modo non fuiſſet neceſſaria incarnatio: ſed negat potuiſſe Deum abſtinere ab incarnatione, poſito quod naturam humanam reparare voluerit poſt Adami peccatum. Præter illas tres ſententias quarta eſt, Incarnationem fuiſſe omninò neceſſariam ex ſuppoſitione non ſolùm creari mundi, nec inſuper Adami lapſi, ſed nec Adami reparandi quocumque modo poſt lapſum; ſed ex ſuppoſitione Adami ſic reparandi, vt Deus pro eius peccato ſatisfactionem rigidè iuſtam, aut ſaltem condignam voluerit exigere.

2. Primò, quod attinet ad Lullij ſententiam, Delugo, & Ariaga ſic eam referunt, vt voluiſſe videatur Deum abſolutè, & nulla facta ſuppoſitione fuiſſe neceſſitatum phyſicè ad incarnationem decernendam; propterea quod cùm Deus ſit infinitè perfectus & honeſtus, debeat infinitè eſſe determinatus ad amandum id quod melius eſt. Ergo ad volendam incarnationem, quæ optimum eſt & honeſtiſſimum obiectum inter creata. Sed Vaſquez aliter eius ſententiam refert, qualem ſe audiuiſſe teſtatur ex quibuſdam eius diſcipulis; vt nempe voluerit incarnationem non abſolutè, ſed ſtatuta ſuppoſitaque vniuerſi creatione, fuiſſe neceſſariam phyſica neceſſitate, quamuis nullum peccatum in mundo fuiſſet. Quandoquidem, licèt Deus non teneatur aliquid operari; ex ſuppoſitione tamen quod operetur, non poteſt niſi ſummè perfectum operari. Conſtat autem hanc rerum vniuerſitatem ſumma carituram perfectione,

Digitized by Google

perfectione, ſi Verbo careret incarnato. Meritò damnatur erroris ea Lullij ſententia, vtroquocunque dictorum modorum explicetur. Nam docet fides catholica, Deum extra ſe nihil niſi liberè operari. Quare potuiſſet non ſolùm ab omni producenda creatura abſtinere, ſed etiam æquè certum eſt ipſum potuiſſe producere mundum negatiuè imperfectiorem, quàm ſit; neque ex ſuppoſitione creationis mundi neceſſitatum fuiſſe ad producendas creaturas in eo perfectiſſimas, quemadmodum reapſe non fecit. Et nemo non videt eius eſſe ordinis incarnationem, vt natura illam exigere non poſſit velut ſibi conſentaneam, nedum neceſſariam. Neque iam diſputare opus eſt in hanc rem pluribus, præſertim cùm omnia quæ diximus *primo libro, cap. 3. &* 4. contra neceſſitatem moralem, quam Granadus aſſerebat, longè fortiùs contra neceſſitatem hanc phyſicam valeant, quam Lullius introducere voluit.

3. Secundò Anſelmus *lib. 1. & 2. cur Deus homo,* tuetur Deum omninò debuiſſe incarnari ex ſuppoſitione, quòd homo peccaiit; atque id tam certum putat, quàm Deum non poſſe mentiri. Nam cenſet non potuiſſe hominem reparari ſine Verbo incarnato, & condigna per hominem oblata ſatisfactione; impoſſibile enim fuit (vt ipſe ratiocinatur) culpam manere ſine condigna in hominem vindictâ: hominem autem reparari neceſſarium fuit, tum quia contrarium per ſe indecens fuiſſet, indignumque Deo; cùm ſatisfactio pro homine non ſit impoſſibilis, vt pro Angelo fuit; poteſt enim homo ſubſiſtentiam diuinam habens mori, quod non poteſt Angelus. Tum etiam, quia ex omni neceſſitate oportuit numerum & ſedes Angelorum, qui ceciderunt, impleri; quod fieri nequiuit, niſi ſubſtitutis in eorum locum hominibus, quandoquidem impoſſibile erat, vel eoſdem ipſos Angelos, qui collapſi ſunt erigere, cum inconuertibiles, & pœnitentiæ incapaces eſſent; vel eorum loco alios reponere: nam hi alij nequirent tales eſſe, quales fuiſſent illi primi, ſi perſeuerallent. Ratio eſt, quia primi perſeueraſſent nulla viſâ peccati vindictâ, ac per conſequens meliores fuiſſent poſterioribus, qui ipſorum exemplo territi ſapuiſſent.

4. Verùm totus hic diſcurſus Anſelmi, quamuis aliqui benignè illum interpretentur, & in bonum ſenſum trahant, vt Bonauentura & Alenſis à Suarez *diſputatione* 4. *ſect.* 2. citati, infirmus eſt, & falſis rationibus implicatus. Nam ſine condigna, imò ſine vlla ſatisfactione poterat Deus hominem in gratiæ ſtatum erigere. Prætereà nego fuiſſe neceſſarium, naturam humanam inſtaurari, quam perire ius & fas erat; redimi autem ſolius fuit charitatis & beneuolentiæ diuinæ, vt ſcriptura teſtatur *Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum. Rom. 5. Commendat autem charitatem ſuam Deus*: & alibi ſæpe. Quod ſi charitatis, & beneuolentiæ fuit, ſanè fuit libertatis. Quamuis enim charitas & beneuolentia non repugnet abſolutè cum neceſſitate, vt apparet in charitate, quâ beati Deum diligunt: tamen certum eſt ſcripturam in hominum reparatione prædicare, non quamcunque, ſed liberam charitatem, iuxta illud *Pſal. 93. Deus vltionum liberè egit: & Sapientia 12. Nec timens aliquem veniam dabas peccatis.* Certè Deus hunc, & illum hominem patitur damnari: quare igitur non poterat pati cæteros omnes? Iuxta illud eiuſdem Sapientiæ *ibidem, Quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Fuit quidem valdè conueniens hominum reparatio; quod aliqui (etiam cum exaggeratione) Patres ſignificarunt; vt Athanaſ. *lib. de Incarnat. Verbi*, inter alia ſic ſcribens; *Indecorum erat eos qui ſemel creati erant rationales, penitus extingui: Id enim indignum erat bonitate Dei, ſi quæ ab ipſo creata eſſent, in interitum abirent ob diaboli aduerſus hominem fraudem*, &c. hæc tamen, & ſimilia quædam alia Patrum verba non ſunt intelligenda de indecentia & indignitate velut priuatiua, ſed de negatiua: quaſi nempe decentia quidem aliqua conuenientiaque maxima, ſed tamen nullo modo debita, defuiſſet. Non enim ad illam Deus obligatur; neque carebat motiuis, quibus eam laudabiliter ac decentiſſimè neglexiſſet. Quemadmodum ſalutem de facto neglexit Angelorum lapſorum, quos nego inconuertibiles. Conſtat enim dæmones ſuorum ſæpè ſuſceptorum pœnitere, illaque mutare: nego item redemptionis eos incapaces extitiſſe, quamuis eorum natura hypoſtaticè aſſumpta mori non potuiſſet. Potuiſſet enim hæc aliter, quàm moriendo ſatisfacere. Sed & potuiſſent ipſi per mortalem aliquam, & diuerſam à ſua naturam, hypoſtaticè aſſumptam (vt de facto aſſumpta fuit humana) redimi.

5. Tertiò Richardus Victorinus *lib. de Incarn. c. 8.* vult neceſſariam fuiſſe Verbi incarnationem ex ſuppoſitione, quòd hominem peccato iam lapſum Deus voluerit ſaluti reſtituere. Primò, quia ſi homo abſque incarnatæ perſonæ diuinæ ſatisfactione reſtitutus eſſet, poſſet ei diabolus improperare, ipſum nihil habere iuris in eam gratiam, quam poſſideret. Secundò, quia homini ſic iuſtificato nunquam deeſſet conſcientiæ propriæ morſus, & angor; dum cogitaret nullam pro delicto ſuo condignam ſatisfactionem oblatam eſſe. Verùm hæ rationes adeò tenues ſunt, vt refutatione non egeant. Nam homo ex pura miſericordia reſtauratus acquiſiuiſſet verè ius in gratiam poſt liberalem Dei donationem ipſi factam. Et eius conſcientia tranquilla manſiſſet, poſtquam Deus illi ſe iure ſuo cedere indicaſſet. Quod ſi aliqui Sanctorum Patrum videantur quoad modum loquendi fauere Richardi ſententiæ, cùm exaggerant difficultatem reſtaurationis humanæ, illam non aliter fieri potuiſſe affirmantes, quàm per incarnatum Verbum: ij ſunt in alium, quàm in Richardi ſenſum accipiendi: quaſi loquantur ex ſuppoſitione diuinæ, & immutabilis ordinationis, poſtquam neceſſarium fuit nos per incarnationem reparari, nec fuit alia nobis ſalutis via. In eo ſenſu dixit Cyrillus 5. *theſaur. c. 7. Quoniam opus Dei non potuit aliter reparari, neceſſariò Deus homo factus eſt.* Atque idem de quibuſdam aliis Patribus dicendum eſt, qui de omnimoda impoſſibilitate reparandi aliter hominis, quàm per incarnationem, nullomodo poſſunt intelligi; teſte Auguſtino *cap. 11. de agone Chriſtiano*, qui pronuntiat eos ſtultos eſſe qui dicunt, Non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſciperet hominem.

6. Quarta denique, ac vera certaque ſententia eſt, vnionem hypoſtaticam fuiſſe omninò neceſſariam ex ſuppoſitione quod Deus voluerit accipere ſatisfactionem pro peccato condignam, aut ſecundùm rigorem iuſtitiæ. Huic ſententiæ aduerſantur qui cenſent cum Scoto & Gabriele, opera Chriſti non habere ex ſe condignitatem & æqualitatem ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed eam habere ex ſola extrinſeca acceptatione diuina. Hi enim conſequens eſt vt fateantur, eandem poſſe eſſe condignitatē in operibus puræ creaturæ, ſi Deus vellet ea ordinare, & acceptare ad eundem effectum. Non minùs huic noſtræ ſententiæ aduerſantur ij, qui volunt puram creaturam poſſe ſatisfacere condignè pro peccatis vel

Digitized by Google

ſuis, vt Caietanus, &c. vel alienis, vt Soto *in* 4. *diſtinct.* 1. Et illi qui dum hanc noſtram doctrinam defendunt, nituntur malis principiis, & falſis conditionibus propriæ iuſtitiæ, quibus principiis, & conditionibus reiectis, neceſſarium eſt eos incidere in contrariam nobis ſententiam. Aduerſus illos omnes Authores diſputamus ſectionibus ſequentibus.

7. Iam breuiter communem hanc Doctorum, quà veterum, quà modernorum ſententiam probamus primò auctoritate Sanctorum Patrum affirmantium, neceſſariam fuiſſe incarnationem, vt ſatis Deo perfectè fieret. Ita clarè docet Baſilius *in illud Pſalm.* 28. *Redimit homo. Non homo*, inquit, *nudus, ſed homo Deus Ieſus Chriſtus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium.* Et Cyrillus *in Exegeſi ad Valerianum*, quæ eſt in Concilio Epheſino *cap.* 17. *Quo pacto vnus pro omnibus mortuus iuſtum pro omnibus pretium exſoluere potuit, ſi perpeſſionem illam puri cuiuſpiam hominis eſſe dicamus?* Id ipſum Cyprianus, ſiue auctor ſermonis de paſſione Chriſti: idipſum Leo & alij, quos videre potes apud Vaſq. *diſp.* 4. *cap.* 5. & Suar. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *in concl.* 3. Idem conſequenter docent ſcholaſtici, Altiſiodor. Guill. Pariſ. Alexander, Bonauent. Durandus, & alij, quos referunt, & ſequuntur Suar. & Vaſq. citati, Valentia *diſput.* 1. *q.* 1. *punct.* 5. & ferè omnes recentiores; quamuis magna ſit inter iſtos Authores diuerſitas, & eorum plurimi ſic rem explicent, vt ad iuſtitiæ rigorem non magis tribuere videantur Chriſti, quàm purarum creaturarum ſatisfactioni; & ad eos propè accedant, qui apertiùs ab opinione noſtra deſciſcentes, ſolutionis condignitatem diſertè tribuunt puræ creaturæ, ſi præſertim gratiis cumulata ſit, vt Soto *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 3. 4. *&c.* Aſſerunt tamen omnes ad certum aliquem ſatisfactionis & iuſtitiæ gradum, quem in ſolo Chriſto agnoſcunt, neceſſariam fuiſſe vnionem hypoſtaticam.

8. Nos & ad rigorem iuſtitiæ, & ad condignitatem ſolutionis illam fuiſſe neceſſariam ſic breuiter hoc ſyllogyſmo concludimus. Vnio hypoſtatica neceſſaria eſt abſolutè ad condignè, & in iuſtitiæ rigore ſatisfaciendum, ſi nullus condignè, & in rigore ſatisfacere poſſit, qui non habeat perſonalitatem diuinam, qui autem hanc habeat, poſſit. Atqui hoc ita eſt: Ergo, &c. Maior euidens per ſe eſt. Ad probationem minoris, duo, quæ aſſerit, ſtabilienda ſunt. Vnum eſt, puram creaturam, & quæ non habeat perſonalitatem diuinam, non poſſe Deo condignè, & in rigore iuſtitiæ ſatisfacere pro peccatis hominum. Alterum eſt, eam creaturam, quæ ſit Deus, ſeu quæ diuina perſonalitate ſubſiſtat, qualis fuit Chriſtus, id poſſe. Hæc enim duo, vt conſtat, requiruntur ad probationem prædictam; imò in ea includuntur, ita vt ſi alterutrum abſit, ruat noſtra concluſio. Vtrumque igitur oſtendemus, & quidem ſeparatis ad vitandam confuſionem, capitibus; illud quidem prius capite quarto, iſtud autem ſecundum capite 6. 7. & 8. Vt verò id præſtari commodiùs poſſit, explicari ante attinet naturam condignæ ſatisfactionis, & conditiones rigoroſæ iuſtitiæ.

* * *

CAPVT II.

Exponuntur aduertenda quædam ad ſatisfactionis condignæ, & rigidè iuſtæ naturam intelligendam.

1. ADVERTENDVM eſt primò, ſatisfactionem vniuerſim ſumptam præſupponere, atque reſpicere debitum; atque adeò ex varia ratione debiti, variam eſſe ſatisfaciendi obligationem. Debitum autem eſſe poteſt, vel primò ex accepto beneficio, cui reſpondet ſatisfactio gratitudinis: vel ſecundò ex promiſſione, aut contractu, cui ſatisfacit fidelitas, aut iuſtitia: vel tertiò ex merito, cui reſpondet ſatisfactio per collationem præmij. Atque de prædictis ſatisfactionum generibus non loquimur in præſenti. Supereſt ergo quartò ſatisfactionis illud genus, quod præſupponit factam eſſe in materia iuſtitiæ iniuriam ei perſonæ, cui ſatisfit; & quod reſpicit debitum ex ablatione iuris alieni contractum. Quiſquis enim verum ac proprium ius alterius violauit ac abſtulit, tenetur ex iuſtitia ad illud, ſi poteſt, reparandum. Verumtamen quia ius huiuſmodi, quod violatur, varium eſſe poteſt, hinc fit, vt variæ ſint etiam pro eo ſatisfactiones. Nam quando ius id, quo quis rem aliquam poſſidet, violatur per ablationem, aut deſtructionem ipſius rei, putà pecuniæ, famæ, &c. tunc eadem res, quæ fuit ablata, vel ei æquiualens debet reſtitui; vnde hæc ſatisfactio vocari ſolet reſtitutio. Quando autem nullum quidem infertur damnum in aliquo bonorum genere, ſed iniuria infertur, vel contra ſubiectionem quam debemus (quod fit v.c. non obtemperando mandatis) vel quocumque modo contra honorem; tunc naſcitur obligatio ad ſpeciale ſatisfactionis genus, de quo ſolo in præſenti eſt quæſtio, & quod in nobis locum habet reſpectu Dei, cui per peccatum fecimus iniuriam, non ei obtemperando, non eum amando, &c. ſed è contra inhonorando ipſum, & committendo ea quæ ipſi diſplicent, ac ſunt quædam eius contumeliæ, & mala extrinſeca.

2. Aduertendum ſecundò inter ſatisfactionem, quæ fit propter offenſam iniurioſam modo iam explicato, & reſtitutionem quæ fit ob damnum in bonis illatum, differentiam eſſe in eo, quòd hæc reſpiciat res ipſas in ſe materialiter conſideratas, & ſecundùm earum in ſe valorem æſtimetur: illa verò reſpiciat perſonas, & ipſarum actiones, ex earumque dignitate pendatur. Quare à quocumque fiat reſtitutio, dummodo res ablata reponatur, ſufficit, & eſt æquiualens. At ſatisfactio non item, ſed intereſt à quo fiat, quæ enim ab vno facta inſufficiens eſſet, erit ſufficiens, & abundans, ſi exhibeatur ab alio. Prætereà reperitur aliqua reſtitutio, nimirum ea, quæ fit pecuniarum, & ſimilium rerum ad opes pertinentium, per quam is qui reſtituit, confert alteri dominium eius rei quam rependit, quo dominio eum facit aliquo modo ditiorem. Per ſatisfactionem autem non confertur (quemadmodum nec per aliquas reſtitutiones, vt famæ verbi gratiâ) vllum tale dominium, quod ditiorem faciat. Ea enim conſiſtit in quadam tantùm ſubmiſſione, & ſui humiliatione, quæ perſonam offenſam honoret, ac proportionata ſit illatæ contumeliæ. Hinc ſequuntur aliquę obſeruationes, quę in hac materia

Digitized by Google

materiâ vſui eſſe poſſunt. Nempe ſatisfactionem offenſoris valere aliquando inter homines poſſe, neſciente,atque adeò recuſante illo cui ipſa fit; præterea fieri poſſe à filio vel ſeruo; reſtitutionem autem opum, non item. Dominium enim quòd ad opes pertineat, nec is qui recuſat (licet alioquin acceptare deberet) acquirit; nec filius, aut ſeruus confert, qui nullum tale habet reſpectu patris, aut domini.

3. Aduertendum tertiò ſatisfactionem condignam non dicere niſi æqualitatem rei, ſeu actionis quæ offertur, aut æquiualentiam cum eo quod ablatum eſt, & pro quo ſatiſfacit: ſic nimirum vt ſatisfactio non ſit minor, quàm iniuria. At rigor iuſtitiæ in ſatisfactione, vt infra videbitur, plura requirit. Quare non defuerunt Theologi, qui dixerint puram creaturam poſſe offerre Deo pro peccatis aliquod opus condignum, quod plenè iniuriam compenſet, nullus autem aſſeruit illam poſſe quicquam offerre, quod ſecundùm perfectam, rigidamque iuſtitiam ſatisfaciat; Chriſtum item ſatisfactionem obtuliſſe condignam certum eſt, at obtuliſſe rigoroſè iuſtam quamplurimi negant.

4. Aduertendum quartò offenſam, ſeu iniuriam, quam ſatisfactio reſpicit, eius naturæ eſſe, vt grauitatem potiſſimùm accipiat ex dignitate perſonæ offenſæ comparata cum offendentis vilitate: ita vt quò offenſus nobilior eſt, & offendens ignobilior, eò magis creſcat iniuria: ſatisfactionem verò talis è contra eſſe naturæ, vt ex iiſdem capitibus decreſcat, vnde creſcit iniuria. Eò enim minor eſt ſatisfactio, quò perſona cui offertur ſuperat nobilitate perſonam ſatisfacientem: quemadmodum eò maior, quò perſona ſatisfaciens dignior eſt ac nobilior, & quo illa vilior cui ſatisfit. Hæc omnia patent ex communi inter homines iudicio. Etenim ſi vilis perſona percutiat Regem, maior eſt iniuria, quàm ſi Ducem; maior item, quàm ſi Rex Regem. Præterea ſi Rex aliquam ſatisfactionem exhibeat, maior eſt, quàm ſi eandem vilior perſona exhiberet. Maior item eſt ſatisfactio & humiliatio, quæ exhibetur vili perſonæ, quàm ſi eadem exhiberetur Regi. Doctrinam iſtam Ariſtoteles bene indicat 5. *Ethic.c.5.* dum ait: *Nam ſi is qui magiſtratum gerit, alium percutiat, non eſt repercutiendus; at ſi quiſpiam eum percuſſerit, non ſolùm repercutiendus eſt, ſed etiam ſupplicio afficiendus.* Ratio huius dicti eſt, quia Magiſtratus & plebeius ſi ſimili modo percutiantur, non ſimili modo offenduntur; ſed illius offenſa maior eſt, minor iſtius. Et quia item ſi ſimili modo repercutiantur, non eodem modo ſatisfaciunt. Magiſtratus enim repercuſſus, nimiam; plebeius autem ſimiliter repercuſſus, non ſufficientem ſatisfactionem exhibet.

5. Ex dictis ſequitur, æqualem iniuriæ non futuram ſatisfactionem vtplurimùm, & cæteris paribus, niſi perſona ſatisfaciens æquet ferè nobilitate perſonam offenſam. Si enim quodammodo iniuria ea commenſuratur dignitati perſonæ offenſæ, & ſatisfactio dignitati perſonæ ſatisfacientis, conſtat, quod ad iniuriæ & ſatisfactionis æqualitatem inter ſe neceſſarium eſt, vt perſonæ offenſæ & ſatisfacientis dignitates habeant item inter ſe proportionem æqualitatis, ſaltem aliqualem. Cauendum autem eſt, ne proportiones hîc exigamus mathematico, aut metaphyſico modo. Sunt enim omnia penſanda moraliter; poteſtque inæqualitas perſonæ non rarò compenſari pœnæ grauitate, vel actûs merito. Sanè ſi ruſticus offenſo Regi vitam conſeruaret cum ſuæ periculo, condignè ſatisfaceret per modum meriti, &c. Præſertim cùm, vt paulò poſt dicam, perſona ſatisfaciens includatur magis intrinſecè in ſatisfactione, quàm perſona offenſa in offenſione, atque adeò illa quamvis imparis dignitatis, magis ſatisfactionem nobilitare poſſit, quam hæc aggrauare offenſam.

6. Obiicies videtur ſequi ex ſuperioribus, quòd æqualitas perſonæ offenſæ, & perſonæ ſatisfacientis ſufficiat ad ſatisfactionis, & iniuriæ æqualitatem prædictam. At apparet non ita eſſe, quando accidit iniuriam illatam fuiſſe à perſona vili contra perſonam valdè nobilem. Quemadmodum enim offendens multùm fuit infra dignitatem offenſi; ita deberet is, qui pro offendente ſatisfacit, eſſe multùm ſupra dignitatem ipſius offenſi. Exempli gratiâ, peccante Adamo, Deus fuit offenſus, non ab æquali, ſed à ſuo inferiori viliſſimo. Neceſſarium ergo videtur, vt perſona, quæ Deo ſatisfacit ſit tantò ſuperior ipſo, quantò qui peccauit erat inferior. Alioqui non ſeruatur bene proportio, ſi ad ſatisfaciendum admittatur is, qui reſpectu Dei ſit tantùm æqualis. Quod inde patet: Nam ſi per ſuppoſitionem impoſſibilem Adamus, cum peccabat, fuiſſet æqualis Deo offenſo, haud dubiè ad talis offenſæ (vt puta diuinæ) reparationem nullus fuiſſet ſufficiens, qui Deo inferior extitiſſet. Iam dico ſic: in tali caſu impoſſibili, in quo propter offendentis dignitatem offenſa fuiſſet minor, quàm nunc ſit, neceſſarium fuiſſet ad æqualitatem ſatisfactionis, vt perſona ſatisfaciens eſſet Deus. Ergo iam requiritur aliquid ſuper. Nam alioquin ad duas tam diſpares offenſas & requireretur, & ſufficeret ſatisfactio eadem, ac non diſpar: quod eſt abſurdum.

7. Reſpondeo tangi in hac obiectione quippiam conſideratione dignum in præſenti negotio, & quod faciat ad æſtimationem grauitatis offenſæ diuinæ. Aſſerendum verò eſt ſatisfactionem alio modo creſcere ob nobilitatem ſatisfacientis, quàm iniuria creſcat ob nobilitatem perſonæ offenſæ. Nam perſona ſatisfaciens includitur intrinſecè in ſatisfactione; atque adeò magis in eam influit, & magis nobilitat: perſona verò offenſa non includitur intrinſecè in iniuria, ſed tantùm eam aggrauat per influxum extrinſecum, & in ratione ſola obiecti, ſeu termini. Quare licèt iniuria præter grauitatem, quam habere poſſet ex dignitate abſoluta perſonæ offenſæ, grauitatem etiam acquirat ex comparatione cum perſonæ offendentis vilitate; tamen illi totali grauitati bene reſpondet ad æqualitatem, imò & ſuperabundanter dignitas ſatisfactionis petita ex ſola perſona ſatisfaciente. Quamvis enim hæc non ſuperet dignitate perſonam offenſam; tamen magis dignificat ſatisfactionem, quàm perſona offenſa iniuriam aggrauauerit. Nam par vtriuſque perſonæ dignitas, vt dictum eſt, influit diſpariter in offenſam & ſatisfactionem.

8. Porrò hîc etiam conſiderari debet eam grauitatis partem, quæ in iniuria contrahitur ex vilitate perſonæ offendentis, eſſe minùs præcipuam. Nam præcipua, & quaſi eſſentialis ac ſpecifica grauitas iniuriæ ſumitur ex perſona offenſa: conditio autem offendentis vilor, non cauſat grauitatem, niſi ſecundùm magis & minus: atque ita illi totali grauitati collectæ & ex nobilitate offenſi, & ex vilitate offendentis, bene reſpondet ad æqualitatem dignitas ſatisfactionis petita ex ſola nobilitate perſonæ ſatisfacientis. Ad confirmationem, ex Adami exemplo deſumptam, dico, certum eſſe, quòd pluſquam æqualiter Chriſtus, qui tamen digni-

tate Deum non ſuperat, Deo ſatisfecit. In caſu autem ſuppoſitionis illius impoſſibilis, fateor, quòd longè minor fuiſſet Adami offenſa, quàm ſit iam, & minorem exegiſſet ſatisfactionem, quàm iam exigat. Exegiſſet tamen & tunc diuinam, ſeu à Perſona diuina: verumtamen huiuſmodi Perſona diuina ſatisfaciens minùs ſe, vt ita dicam, impendiſſet. Res hæc ex humano more & vſu facilè intelligitur. Nam ſi Regem Rex æqualem æqualis offendat per contumeliam, nullus, qui non ſit Rex, & æqualis perſonæ offenſæ, poteſt condignè ſatisfacere pro illa iniuria. Item ſi vile mancipium offendat eundem Regem, non requiritur, vt qui loco mancipij (non per ſe valentis) condignam pro tali iniuria ſatisfactionem offeret, ſit pluſquam Rex; ſufficit enim ſi ſit Rex, & æqualis offenſo: ſed multò magis debebit ſe humiliare & impendere, quàm ſi pro aliquo Rege offenſore, putà pro ſe, vel alio, ſatisfaceret.

9. Aduertendum quintò, ad ſatisfactionem quæ fiat in rigore iuſtitiæ, neceſſariam quidem eſſe omnimodam eius quod offertur condignitatem, & æqualitatem cum iniuria. Atque de hoc non poteſt eſſe vllum dubium: ſine tali enim condignitate & æqualitate non fit iuſta compenſatio; quòd ſi nihilominus creditor, hoc eſt ille qui offenſus fuit, maneat contentus, interuenit quædam condonatio. Sed prætereà nonnullas alias conditiones rigoroſæ iuſtitiæ, ex qua ſatisfiat, aſſignant vulgò Theologi: nec in iis explicandis benè conuenit inter illos; ſed multæ oriuntur difficultates, ex quibus totum negotium præſens de rigoroſa Chriſti ſatisfactione pendet. Quare illas examinare hic neceſſarium eſt, ne poſteà nos paſſim remorentur.

CAPVT III.

Examinantur conditiones, quæ ad iuſtam, rigoroſamque ſatisfactionem requiruntur.

1. SVNT primò, qui ad rigorem iuſtitiæ neceſſarium putent, ſatisfactionem talem eſſe, quæ vi ſua obliget creditorem ad illam acceptandam; hoc, quæ non indigeat vlla acceptatione, ſed creditor neceſſariò eâ debeat eſſe contentus, extinctumque (velit, nolit ipſe) maneat debitum, pro quo ſatisfactionem exigere poterat à debitore. Ita Ioan. Medina *C. de pænit. tract.* 3. *q.* 1. Scotus, & alij non pauci: quibus quoad hoc adhæret Vaſquez pluribus in locis, & nominatim hîc *diſput.* 9. acriter defendens nullam eſſe poſſe ex perfecta iuſtitia ſatisfactionem, ſi ad eam requiratur acceptatio creditoris; ita vt creditore nolente acceptare, maneat debitum integrum. Contrarium fusè tuetur Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 5. In hac ego materia ſatis perplexa, dico mihi videri certum, primò contra Vaſquem, quod licet in aliquibus ſolutionibus debitorum ex rigore iuſtitiæ factis non requiratur vlla acceptatio, ſed per ſe efficax ſit ſatisfactio, nec ſuſpendi poſſit per creditoris voluntatem, & non acceptationem; vt quando fur eandem numero vel ſpecie rem, putà pecuniam, &c. quam furatus erat, reponit; quando item obloquutor, famam ex integro reſtituit, & quando in materia læſi ſimpliciter honoris, de qua hîc eſt potiſſimùm quæſtio, is qui iniuriam intulit, ſufficienter ſeſe illi cui fuit iniurioſus, ſubmittit, vel petendo veniam, vel alio modo, qui ſecundùm iudicium prudentum æquiualeat iniuriæ: idque Vaſqui fatentur Suarez & alij. Tamen multæ reperiuntur ſolutiones æquiualentes & omninò condignæ, imò & in ſummo iuſtæ rigore, quæ creditoris acceptationem requirant; ita vt, niſi ea accedat, perſeueret integrum debitum.

2. Et quidem ſi loquamur de ſolutionibus, & ſatisfactionibus Deo factis, exiſtimo ſemper eas eſſe tales. Diuinum enim ius, ac dominium tam ſupereminens eſt, vt non putem vllam ſatisfactionem, quantumvis condignam, & rigoroſè iuſtam reperiri poſſe, quæ offenſi Dei acceptationem non requirat, vt bene Suarez ſuprà, & nos dicemus in ſequentibus; adeò vt ne quidem poſt iuſtam & condigniſſimam ſatisfactionem cenſeamus peccatum ipſum veniale deleri, quin acceptatio & ipſius peccati remiſſio libera ſuperaccedat, vt oſtendemus *c.* 6. *n.* 4. Si autem loquamur de ſolutionibus homini factis, eæ item tales ſunt, quando id quod redditur, licèt in re ſit æquale, tamen non eſt id ipſum, quod debetur vel in indiuiduo, vel in ſpecie, aut genere pro ratione debiti, vt notauit bene Medina citatus. Nam poſtquam aliquis furto abduxit equum v. c. quamuis reſtituat æquale pretium, ſi dominus non acceptet, irrita eſt ſatisfactio. Idem eſt, ſi quis debeat triticum, & offerat pro eo vinum æqualis valoris. Et ſanè ratio patet. Eſt enim tunc virtualis quædam emptio & venditio, ſeu contractus.

3. Hoc ipſum non tantùm in reſtitutione, ſed etiam in propria ſatisfactione reperiri poteſt, vt quando pro pœna corporali ſubſtituitur pœna æqualis pecuniaria; vel quando loco offenſoris offertur alia perſona, quæ ſatisfaciat. Tunc enim ea perſona, quæ ſubiicitur, recuſari poteſt à creditore, quamuis alioquin æqualem ſatisfactionem offerat: falſumque puto quod dicit in contrarium Vaſquez *ſub finem capitis.* Quemadmodum etiam falſum eſt quod idem ait *cap.* 3. cùm aliquis pro equo pecuniam, pro tritico vinum offert, non poſſe reddere æquiualens, nec rigorem iuſtitiæ ſeruare; quia, inquit, æqualitas iuſtitiæ poſcit vt res illamet, ac non alia, etiam eiuſdem valoris, domino aut creditori reddatur, niſi ipſe velit cedere ſuo iure. Nam alioqui non eſſet res illa in ſpecie ex iuſtitia debita domino aut creditori. Quis hoc non videat? *Hæc ille.* Cui reſpondeo me non videre, quomodo qui furatus fuerit equum vilem, non reddat æquale, ſi rem aliam eiuſdem, vt ipſe Vaſquez loquitur, valoris reſtituat, aut etiam (vt accidere poteſt, & ſuppono) rem centuplo pretioſiorem. Quid? ſi ouiculam quis furatus ſit, non ſatis reſtituet, cùm rependet mille aureos? Sanè non video, quid videat ibi prædictus author. Et quamuis res illa, putà equus aut ouicula, ſit ſecundum differentiam ſuam ſpecificam debita ex iuſtitia creditori, vnde fit vt ei auferri non poſſit, & niſi ipſe acceptet mille prædictos aureos, quibus rem ſuam quaſi vendat, ſatisfactio non teneat, quamuis æqualis & ſuperabundans: tamen ſi conſentit, & acceptando vendit rem ſuam; clarum eſt ſolui illi condignè & ex rigoroſa iuſtitia totum quod debetur.

4. Atque hæc doctrina patet ex venditionibus & emptionibus quotidianis. Si enim tibi meam domum nolim vendere, non me coges; requiriturque omninò, vt oblatam pecuniam, quamuis ſufficientem, & abundantem, acceptare velim. Hæc tamen acceptationis conditio non ſpectat ad eam gratiam, quæ iuſtitiam in eo contractu eneruet. Quis hoc non videat? Alioquin omnes ferè venditiones & emptiones, in quibus nec venditor iuſtum pretium,

Digitized by Google

tium, nec emptor iuſtam mercem oblatam tenetur acceptare, fierent ex gratia, non ſeruato rigore iuſtitiæ, quod falſum eſt. Nam in illis elucet propria perfectaque iuſtitia commutatiua, ſi pretium æquale perſoluatur. Ad hoc oſtendendum valet etiam vulgare exemplum Ducis, qui ſi captiuum tenet iure belli, non obligatur illum manumittere, etiamſi captiuus iuſtum pretium pro ſua libertate offerat. Si tamen pactum accedat, & oblatum pretium, quod magnum ſit, acceptetur, redemptio fiet ex iuſtitia.

5. Nec obeſt præcedenti doctrinæ, quod acceptatio ſit aliqua gratia. Nam licèt non inficier eſſe aliquam ſæpe gratiam, quòd aliquis rem mihi commodam, & qua ind geo, velit vendere iuſto pretio; tamen ea gratia non ingreditur in rationes iuſtitiæ, vt eas corrumpat, ſed eſt illis prorſus extrinſeca: non enim talis gratia dat valorem pretio quod offertur, ſed ſupponit ipſum eſſe æquiualens, & vt tale acceptat. Quod eſt valde notandum. Hæc enim eſt ratio à priori, cur acceptatio accedens pretio, ſeu ſatisfactioni, perfectionem iuſtitiæ non tollat: quia nempe ea non dat, ſed ſupponit ſufficientiam, valoremque illius; eſtque tantùm requiſita ad hoc, vt perficiatur contractus: ſicut etiam requiſitus eſt conſenſus alterius contrahentis, hoc eſt, ementis, à quo pariter nihil vetat conferri ſine iuſtitiæ violatione gratiam venditori (putà pecuniis egenti) iuſtum præcisè ſoluendo pretium, & rem vænum propoſitam emere volendo, licèt fortè ſibi alioqui minùs neceſſariam. Quare ſatisfactio nondum acceptata, condignitatem, & valorem habet quidem ad ſoluendum; ſed eſt velut cauſa in actu primo: dum autem acceptatur, eſt velut in actu ſecundo, & ſolutionem ſuo modo operatur. Dicique poteſt acceptionem eſſe quandam applicationem valoris, & condignitatis, quæ reperitur, & ſupponitur in pretio, ſeu ſatisfactione. Ex dictis probatum relinquitur contra Vaſquem, & alios, ad rigorem iuſtitiæ non opus eſſe ſatisfactionem offerri, quæ talis ſit vt vel ſine vlla acceptatione debitum ſoluat, vel cogat vi ſuæ condignitatis creditorem ad ſui acceptationem.

6. Verum autem requiratur creditorem, ſi non vi & energia ſatisfactionis oblatæ, ſaltem ab aliquo alio ſatisfactioni extrinſeco, putà promiſſione, &c. cogi ad acceptationem, ita vt acceptatio non ſit ei omninò libera; quærit Suarez fusè *ſection. illa 5.* & id requiri concedit in ea ſatisfactione, quæ de facto applicatur, & in actu ſecundo ſatisfacit. Ratio eſt, quia videtur inuolui repugnantia, cùm dicitur aliquem iuſtè ſatisfacere alteri, & alterum non teneri ad acceptandam ſatisfactionem, ſed poſſe exigere aliam: ſicut repugnat dicere debitum eſſe iuſtè ſolutum, & nihilominus creditorem poſſe nouam ſolutionem exigere. Sed contra dicendum eſt, rigorem iuſtitiæ manere, ſi quis condignam ſatisfactionem verè acceptet, quamuis ſit omninò liber in acceptando. Idque patet clarè in venditionibus, & emptionibus, quas indubitatum eſt eſſe ex rigoroſa iuſtitia, ſi æquale pretium reddatur, & fieri ex libera tum vendentis, tum ementis acceptatione. Ad rationem autem Suaris, nego inuolui repugnantiam, quòd aliquis ei iuſtè ſatisfaciat, qui poſſit ſatisfactionem non acceptare. Nec verum eſt hunc acceptata ſatisfactione poſſe aliam magis exigere, quàm venditor poſſit acceptato pretio aliud petere.

7. Aduerto tamen, id quod debitor offert, duplicis eſſe poſſe generis. Vnum genus eſt earum rerum, quæ poſtquam propoſitæ, & oblatæ ſunt, adhuc reſtant integræ; eaſque ſi non acceptentur, ſeruare debitor poteſt tanquam ſuas; quales ſunt pecuniæ, &c. Alterum eſt earum rerum quæ ei à quo exhibentur pereunt, & cum in eius non maneant amplius poteſtate, videntur eſſe quaſi donatæ ei cui exhibitæ fuerint, & in eius tranſiuiſſe dominium. Talis verò eſt præſtatio obſequij iam facta, labor impenſus in aliqua re, &c. Atque quod pertinet ad ſecundum illud rerum genus, dico, quòd ſi earum libera fiat acceptatio, poſtquàm exhibitæ ſunt, & nequeunt ampliùs eſſe in poteſtate debitoris, non ſeruatur per eas rigoroſa iuſtitia. Nam cùm à debitoris quaſi iure receſſerint, atque quodammodo creditori donatæ ſint, gratiam faciet ſuo debitori ipſe creditor, ſi liberè eas quæ iam ſuæ factæ ſunt, & ad ſe, non autem ad debitorem pertinent, in debiti ſolutionem acceptet. Perinde enim eſt, ac ſi quis tibi donationem centum nummorum primò faceret, & poſtea à centum aureorum tibi debitor inuentus, vellet illos nummos priùs donatos, nec iam ſuos, in ſolutionem ſui debiti aſſignare. Ita ergo ſi Chriſtus Dominus mortis ſupplicium paſſus antea fuiſſet, quàm Pater illud pro peccatis hominum acceptaſſet, non ſeruaretur rigoroſa iuſtitia, ſi Pater deinde vellet eo eſſe contentus; niſi ſupponamus eum vi infinitæ, ſummæque condignitatis obligari ad acceptationem. Quare in omni tali caſu fateor, ad rationem rigoroſæ iuſtitiæ requiri, vt creditor ex iuſtitia, vi condignitatis teneatur acceptare id, quod prædicto modo expenſum, & exhibitum eſt. Dixi, vi condignitatis. Quia puto contra Suarem non fore iuſtitiam rigoroſam, ſi tunc neceſſitas acceptationis aliunde veniret, putà ex voto, ex imperio ſeu mandato ſuperioris, ex lege charitatis, ex officio vitandi ſcandali: addo etiam ex promiſſione priùs gratuitò facta, quæ non incluſiſſet reapſe acceptationem, ſed fuiſſet de acceptatione tantùm vt futura.

8. Totum quod dixi, explicatur exemplo. Sit aliquis qui ſe tibi offerat ad laborandum in tua vinea pro pretio. Dico, quod ſi antequam laboret, & dum adhuc opus eius eſt in ipſius poteſtate, tu acceptes laborem eius, teneberis poſteà ex rigoroſa iuſtitia ad pretij ſolutionem, quantumuis acceptatio tibi fuerit libera, & labor quem ille impenderit, habebit talis pretij condignitatem. Si tamen nulla præcedat acceptatio, ſed ille ſine vlla pactione laboret in tua vinea, non teneberis ex iuſtitia, ſed tantùm ex decentia ad illi perſoluendum pretium. Atque ſi aliquis ſuperior, putà Deus, interueniens incipiat te obligare ad ſoluendum iam dictum pretium, aut indigentia illius hominis ſit extrema, vel ſequuturum ſit alioqui ſcandalum ex non perſoluto tali pretio, &c. teneberis quidem tunc, ſed tantùm ex obedientia, charitate, &c. non autem ex iuſtitia, ad pretium homini qui in vinea tua laborauit perſoluendum. Imò (quod tamen moraliter fieri non ſolet; moraliter enim promiſſio videtur includere præſentem acceptationem) ſi anteà dicens te non adhuc acceptare, promiſiſſes te poſteà accepturum, ſolutio pretij, quæ inde ſubſequeretur, non foret ex iuſtitia, ſed ex fidelitate. Hactenus de illa conditione, quam vt rigor iuſtitiæ ſeruetur, aliqui Authores requirunt; nempe, quod ſatisfactio talis ſit, quæ vi ſua debitum extinguat, nec indigeat creditoris acceptatione.

9. Secundò ad rigorem iuſtitiæ ſunt qui requirant

rarit, vt ſatisfactio fiat ab eadem perſona quæ offendit aut incurrit debitum. Sed contra: nam in reſtitutione ſanè clarum eſt poſſe creditori ſatisfieri iuſtè ab alio quàm à debitore ipſo: ſi enim alius ſoluat pro me centum aureos quos debeo, obligatio mea & debitum ceſſat. In ſatisfactione autem propriè ſumpta, quamuis identitas perſonæ quæ contumeliam intulit, videatur magis requiri, & poſſit, imò ſoleat per poteſtatem publicam exigi pœna ab eadem perſona quæ offendit, de qua re legi poteſt Conarru. *lib. 2. variarum*, *c.* 10. Medina *C. de reſtit. q.* 29. Corduba *lib. 2. quæſt. Theolog. q.* 27. clarum tamen eſt eam non abſolutè requiri. Nam ſi qui offenſus fuit, condignam ab aliquo tertio ſatisfactionem acceptet, non poteſt vlterius quicquam petere; nec verò propterea ceſſit vlla parte ſui iuris, nihilque condonauit: nam & condignum accepit, vt ſuppono, & acceptatio non eſt vlla condonatio. Confirmatur. Nam cùm iuſtitiæ rigoroſæ proprium ſit inducere æqualitatem, poteſt æquè per alium ac per debitorem æqualitas induci, dummodo ſatisfactio, quæ in ſe æqualis, & proportionata eſt offenſæ, acceptetur, ac velut applicari permittatur; quæ permiſſio, nullius eſt remiſſio debiti.

10. Tertiò requirunt aliqui, teſte Suar. *diſp.* 4. *ſect.* 6. æqualitatem perſonarum inter ſatisfacientem & offenſum. Sed ex dictis ſuperiori capite *num.* 4. intelligitur, id accipiendum eſſe valde moraliter. Et quamquam aliqualis perſonarum æqualitas, præſertim cùm ſatisfactio non ab ipſo debitore ſeu offenſore fit, requiratur ad ſeruandam proportionem ſatisfactionis & offenſæ; non tamen abſolutè ſemper ea eſt neceſſaria. Et poteſt nonnunquam offenſor vilis compenſare grauitate pœnæ id, quod ipſi deeſt dignitatis perſonalis. Æqualitas porrò quam vulgo iuſtitia petere dicitur, eſt intelligenda de rebus ipſis, quæ per iniuriam auferuntur, & per ſatisfactionem redduntur; non autem de perſonis, niſi quando æqualitas perſonarum (quod ſemper non accidit) neceſſaria eſſet ad conſtituendam æqualitatem ſatisfactionis cum iniuria.

11. Quartò requirunt communiter Thomiſtæ, vt ſatisfactio non fundetur in gratia, ſeu liberalitate creditoris. Ita Caiet. Ferrar. 4. *contra gent. cap.* 54. & alij multi. Ratio eſt, quia gratia opponitur iuſtitiæ, ita vt quantum de illa admiſcetur, tantum de iſta detrahatur. Dicendum nihilominus eſt, non omnem gratiam, in qua ſatisfactio fundatur, opponi iuſtitiæ rigidæ, ſed tantùm eam, qua gratis debitum remittitur, ſeu quæ eſt virtualis condonatio gratuita. Eſſe autem talem putat Suarez citatus, quando hæc tria concurrunt. Primò vt gratia hæc formaliter, aut virtualiter detur ad hunc finem, vt alius poſſit ſatisfacere. Nam ſi, inquit, Petrus Paulo per donationem abſolutam (de hac enim eſt quæſtio) tribuat centum, vt ſibi totidem, quæ debebat, ſoluat, multùm detrahitur de perfectione iuſtitiæ; atque moraliter loquendo eſt potiùs libera remiſſio, quàm iuſta ſolutio. Secundum eſt, vt per eandem omnino rem quæ gratis à creditore datur fiat recompenſatio, ſeu ſolutio præcedentis debiti. Nam ſi non fiat ex eadem re, v. g. ex pecunia, quæ dono accepta eſt, ſed ex aliis per talem deinde pecuniam acquiſitis, fatetur iſte author non repugnare iuſtitiæ. Tertium denique eſt, vt hæc liberalitas à creditore fiat ei ipſi, qui debet ſatisfacere; ſi enim fiat alteri, nihil hoc refert ad rationem iuſtitiæ, quia per huiuſmodi gratiam debitori nihil remittitur, cùm illi non fiat. Ita Suarez requirens hæc tria ad hoc, vt gratia debitori à creditore facta non tollat perfectionem iuſtitiæ. Primum vt ea gratia non fiat in illum finem vt debitor ſatisfacere poſſit. Secundum, vt ſolutio non fiat per eandem ipſam rem, quam debitor à creditore accepit. Tertium, vt gratia quam confert creditor, non conferatur ipſimet perſonæ debitoris. Verumtamen exiſtimo non violari perfectionem iuſtitiæ, quamuis ſatisfactio fundetur in aliqua gratia, in qua interueniant illa tria, quæ ſummus hic Doctor reformidat.

12. Nam quod ſpectat ad primum, quotieſcumque tu aliquid quacumque intentione mihi liberaliter concedis per donationem omninò abſolutam, illud quod concedis, fit planè ac ſimpliciter meum: quare poſſum eo vti ad omne, quod voluero; atque adeò ad ſoluendum debitum tibi quodcumque. Cur enim cùm res mihi donata, facta ſit abſolutè mea, non poſſum illam applicare æquè ad tale tuum, ac ad aliquod aliud debitum ſoluendum? Nec intereſt, quod tu, dum rem abſolutè donabas, reſpectum habueris ad ſolutionem ſubſequuturam debiti. Hæc enim tua intentio neque condonat debitum, ſed manere poſt donationem ſupponit, cùm ad illud ſoluendum tenear, compellique poſſim; atque me tuus, ſi confeſtim moriare, compulſurus ſit hæres. Neque impedit quominus donatio ſit abſoluta, ſupponimus enim eſſe abſolutam. Quod ſi donatio eſſet vere hypothetica, & ſub conditione ſolutionis, res ita conditionaliter donata, non fieret quidem planè mea ante punctum ipſum ſolutionis; in eo tamen puncto mea foret, ac veram exercerem iuſtitiam.

Obiicies, rem in eo ipſo puncto meam eſſe non poſſe, ſed tuam. In puncto enim ſolutionis res quæ ſoluitur, fit eius, cui ſoluitur: atque adeo in tali caſu debitum tibi ſine iuſtitiæ rigore ſoluerem per rem, quæ nunquam abſolutè mea fuiſſet; ſed quæ in priori fuiſſet & conditionaliter tua, nempe ſi conditionem non impleſſem; & conditionaliter mea, nempe ſi ſoluiſſem. Reſpondeo, poſita ſolutionis conditione, res ſoluta inciperet mea eſſe abſolutè. At, inquies, hoc vltimum repugnantiam inuoluit. Nam in puncto, quo ego rem ſoluerem & conditionem implerem, res non poſſet eſſe mea, cùm fieret tua. Quare tibi debitum in caſu explicato ſoluerem ex re non mea. Sed ad hanc obiectionem reſpondeo, quemadmodum *in tractatu de iuſtitia & iure*, diſputantes de dominio docuimus, rem quæ donatur, cùm non poſſit in inſtanti donationis eſſe ſimul & donatoris & donatarij; cenſendam eſſe ſolius donatoris. Eodem etiam modo dicendum eſt, quando debitor ſoluit creditori, nequaquam poſſe in puncto ipſius ſolutionis rem quæ ſoluitur eſſe creditoris, ſed ſolius eſſe debitoris qui de ea vt ſua diſponit; alioqui enim non faceret veram & iuſtam ſolutionem, cùm non faceret eam ex ſuis bonis, ſed ex bonis creditoris. In noſtro itaque caſu dum tibi rem ſoluerem, & conditionem prædictam implerem, ipſa res in ſolutionis & impletæ conditionis inſtanti fieret mea, illamque tibi, vt talem, traderem: fieret autem tua pro inſtanti immediatè ſequenti. Quod attinet ad ſecundum, quod Suarez *numero præcedenti* requirebat, patet ex nunc dictis, poſſe me ad quodcumque voluero ea re vti, quam tu mihi abſolutè dederis: poſſum ergo non tantùm (de quo dubium non eſt) fructus ex tali re prouenientes, ſed illam ipſam tibi offerre ad ſoluendum aliquod debitum. Denique quantum ad tertium, res etiam clara eſt. Quod enim ipſimet perſonaliter debitori abſolutè datum eſt à creditore, incipit eſſe debitoris; atque adeò ſi ex illo debitum ſoluit, ex ſuo ſoluit.

Quinta

Digitized by Google

13. Quinta conditio iuſtitiæ perfectæ adducitur à Ricard. Medin. Caiet. Ferrar. &c. vt ſatisfactio fiat ex bonis propriis ipſius debitoris, & non ex iis bonis, in quæ creditor habeat actuale dominium. Hæc conditio admittenda omnino eſt vt neceſſaria in ea ſatisfactione, quæ dicitur reſtitutio, & in qua dominium aliquod creditori acquiritur. Nam ſi debeo tibi centum, non apparet, quomodo ex perfecta iuſtitia ſatisfaciam, pecunias tibi quæ iam ante tuæ eſſent, numerando: ſic enim poſt ſatisfactionem tu nihil habes amplius quàm ante. Nihil autem hîc valet aliquorum ſubtilitas, de qua Suar. *diſp.4.ſect.6.* & Vaſq. *diſp.8.cap.4.* aſſerentium poſſe eſſe rem aliquam in ſolidum ſub meo & tuo dominio, ita vt iam perfectè ſit vniuſcuiuſque, ac ſi non eſſet alterius. Atque in eo caſu putant non repugnare perfectioni iuſtitiæ, ſi ego tibi debitum ſoluam per traditionem talis rei tuæ: nam etiam in ſolidum mea eſt. Nihil, inquam, hoc valet. Nam Primò duorum hominum in vnam rem dominium, quod iam perfectum ſit in vtroque, ac ſi tantùm vnius eſſet, poſſibile non eſt. Si enim res eſt in ſolidum mea, & in ſolidum etiam tua: Ergo vel ego poſſum illam deſtruere, & tu item potes illam deſtruere; atque ita ſi noſtrum vnus eam deſtruat, aliter priuabitur illa, licèt inuitus: Ergo neuter, cùm rei deſtructionem impedire nequeat, tam perfectum dominium habet, ac ſi eam ſolus poſſideret, vel ſi propterea neges poſſe ad libitum eam ab alterutro deſtrui, ſequetur etiam non tam perfectum eſſe dominium, ac ſi vnus ſolus poſſideret. Plenum enim ac perfectum dominium includit, vt poſſim deſtruere rei meæ ſubſtantiam. Qua de re nos contra Patrem Delugo *in tractatu de iure & iuſtitia, diſp.2.ſect.5.* Secundò quamuis tale dominium poſſibile foret, quis non videt me in eo caſu, dum tibi rem, quæ in ſolidum tua ſit, ſoluo pro debito alicuius rei æquiualentis, quam à te fueram mutuatus, non ſatisfacere rigori iuſtitiæ? Nam per huiuſmodi ſolutionem tu nihil acquiris, & rem mutuatam perdis. Itaque Certum ſit quintam iſtam conditionem eſſe neceſſariam in propriis reſtitutionibus, quæ fiunt rerum pecuniâ æſtimabilium.

14. Dico tamen diſparem eſſe rationem in ſatiſfactionibus, quæ non ſunt circa res pecuniâ æſtimabiles, ſed circa iniurias, & in ſubmiſſione offenſoris conſiſtunt. In huiuſmodi enim ſatisfactionibus, cùm non ſit opus vt ſatisfaciens dominium vllum in creditorem transferat, parum intereſſe videtur, vtrùm actus liber ſubmiſſionis, qui huic offertur, ſubiaceat ipſius dominio. Quare, ſi aliud non impediat, poterit creatura Deo in rigore ſatisfacere; quamuis omnis actus, quo ipſa ſatisfacit, ſit ſub Dei dominio. Sufficit enim, quod huiuſmodi actus, quatenus liber eſt, referatur peculiari quodam modo ad dominium libertatis exiſtentis in creatura illum eliciente, cùm nos ſimus actuum noſtrorum domini quodam ſpeciali modo, quo non pertinent ad Deum: vt patet in actibus peccaminoſis, qui, vt tales, noſtri tantùm ſunt, & non à Dei, ſed à noſtra libertate denominantur mali. Quemadmodum enim ſpeciali modo oriuntur à nobis, quo non à Deo, & dicuntur ſpecialiter nobis liberi (vnde humani ſunt, non diuini:) Sic dicendum eſt conſequenter, eos aliquo modo eſſe ſub dominio noſtri arbitrij, quo non ſunt ſub dominio Dei: vt bene Suar. & Vaſq. citati. Contra quem nihilominus Vaſquem aſſero, illud peculiare dominium ſufficere ad ſatisfactionem pro peccatis exhibitam Deo in rigore propriæ ſpecialiſque iuſtitiæ. Negandumque illi eſt, neceſſe eſſe ad prædictum rigorem, vt cum ſatisfactione coniungatur aliqua reſtitutio famæ diuinæ, & bonæ apud alios de Deo opinionis, quam peccator per ſuam offenſam abſtulerit. Poteſt enim peccator nullam talem famam Dei, ſeu opinionem abſtuliſſe de facto per ſuum peccatum. Suntque multa iniuriarum genera, quæ non infamant offenſum. Et præciſè inobedientia, quamuis inhonoret aliquo modo ſuperiorem, non tamen per ſe ſemper infamat. Ergo iuſtitia vera tunc ſatisfactionem nudam petit, & non famæ reſtitutionem. Negandum item eſt requiri ad peccati ſatisfactionem, vt actus liber ſatisfactorius, qui Deo offertur, tranſeat ſub dominium aliquod Dei nouum, & quod ipſe antea non haberet, fatendumque eſt impoſſibile eſſe, vt dominium illud ſpeciale, quod creatura habet in ſuos actus vt liberos, communicetur Deo. Sic enim oporteret eos actus à Deo ipſo vitaliter elici, & actus peccaminoſos ea eſſe Deo liberos libertate, qua peccaminoſi & imputabiles ſunt. Requiritur ergo tantùm vt ſatisfactorius actus per dominium libertatis, quod in illum habet creatura, creaturam ipſam Deo ſubmittat, & humiliet.

15. Sextò volunt Diuus Anſelm. D. Thom. Guil. Pariſ. Capreol. Ricard. Durand. &c. vt ſatisfiat ex bonis non debitis alio titulo ipſi creditori, vel quæ non poſſint à creditore exigi alio titulo. Si enim à te emo equum, non poſſum illum ſoluere pecunia, quàm tibi alio debeam titulo. Exiſtimat Suares *loco citato*, id ita intelligendum eſſe, vt res, quæ datur in ſolutionem, non ſit debita alio titulo veræ iuſtitiæ. Nam quod ea ſit debita titulo gratitudinis, obedientiæ, aut miſericordiæ; hoc non minuit, inquit, perfectionem iuſtitiæ: & re ipſa ſæpè debitum iuſtitiæ ad æqualitatem ſoluendo, implet homo præceptum. Tuncque ſimul poſſet verum & formalem actum obedientiæ exercere, & miſericordiæ, vel gratitudinis, ſi occaſio tales virtutes exercendi ſimul occurreret. Ratio eſt, quia hæc ſexta conditio in ſatisfactione tantùm eatenus requiritur, quatenùs ad perfectam æqualitatem ſeruandam neceſſaria eſt. At verò, licèt quando duo debita iuſtitiæ concurrunt, non ſeruetur perfecta æqualitas, ſi vnico pretio ſoluantur; per multiplicationem enim debitorum iuſtitiæ, multiplicatur res quæ debetur. Exempli gratia, ſi debeo tibi decem titulo mutui, & decem item titulo alicuius emptionis; iam non debeo ſimpliciter decem, ſed viginti: Tamen quando duo debita concurrunt, quæ non ſunt iuſtitiæ; ſupponit præfatus author, non per ea multiplicari rem debitam per ſe loquendo. Suari aduerſatur Vaſquez *diſp.8.c.6.* quem videre potes.

16. Dicendum eſt, quod loquendo de reſtitutione, ſeu ea ſatisfactione quæ habet pro obiecto res pecuniâ æſtimabiles, accidere poteſt bifariam, vt aliquid multis titulis, ſeu iuſtitiæ, ſeu aliarum virtutum debeatur. Primò abſque eo quod per illos titulos multiplicetur res debita: Atque tunc multis obligationibus ſatisfiet, rem vnicam ſimplicem ſoluendo. Ita ſi tibi ex iuſtitia debeo pecuniæ ſummam, & ſuperior iubeat vt illam tibi ſoluam, vel ſi extrema vrgearis neceſſitate, cui talis ſumma ſubuenire poſſit, &c. Tunc clarum eſt, me per vnam debiti ſolutionem ſatisfacturum titulo iuſtitiæ, obedientiæ, miſericordiæ, &c. Ratio eſt, quia omnes ij tituli cadunt in vnam & eandem rem ſimplicem. Quod etiam reperiri nonnunquam poteſt quando tituli omnes pertinent ad veram iuſtitiam. Si enim duobus creditoribus debeas ex iuſtitia rem aliquam quæ ex ſua natura ſit quaſi indiuiſibilis & immultiplicabilis,

Digitized by Google

plicabilis, vel quæ tantumdem proſit ſemel poſita, quantum iterata; per vnam ſolutionẽ pluribus obligationibus ſatisfacies. Si à me pecuniam acceperis verbi gratia, vt Romam eas, & alteri item ad id te obligaueris ſtipendio accepto, potes vnico itinere vtrique ſatisfacere; dummodo vnius negotium illic tractandum non impediat negotium alterius. Secundò accidit frequentiùs plures titulos, ſiue ij ſint iuſtitiæ, ſiue aliarum virtutum, debitorem ita conſtituere, vt ij cadant in res debitas diuerſas & multiplicatas, atque tunc vnam rem ſoluendo quæ ſit alio titulo debita, non ſatisfit omnibus debitis. Quare ſi titulo gratitudinis, &c. debeo centum aureos, & centum item titulo mutui, ſoluendo centum ſolos non ſatisfacio vtrique debito, ſed tantùm alterutri. Et poſſet me creditor poſt factam ſemel ſolutionem in ius vocare, vt ſoluerem ſibi mutuum, ſi illos centum quos ei ſoluiſſem, applicuiſſem determinatè ad ſolutionem gratitudinis: quòd ſi ad ſolutionem mutui applicuiſſem, non poſſem in ius vocari, ſed maneret integra obligatio gratitudinis.

17. Veruntamen ſi loquamur de propria ſatisfactione pro vt diſtincta à reſtitutione, dico aliam eſſe illius rationem. Nam exiſtimo bene poſſe ſatisfieri Deo per illos actus ſubmiſſionis, qui ad ipſum alio titulo tum gratitudinis, tum etiam iuſtitiæ pertineant. Probatur: Nam ſi actus omnes boni, quantumvis præcepti, Deoque debiti, poſſunt eſſe meritorij, vtpotè Deo grati, quare non etiam ſatisfactorij? Res clara eſt. Ita bene Vaſques *cap. illo 6. ſub finem.* Malè igitur illi Theologi, qui propterea negarunt Chriſtum potuiſſe Deo ſatisfacere in rigore, quòd omnes eius actus eſſent Deo debiti multis aliis titulis, gratitudinis, iuſtitiæ, præcepti, &c. Malè etiam illi, qui ad eos actus qui eſſent conſilij, & non obligationis confugerunt; vt per eos Chriſtum ſatisfacere potuiſſe defenderent. Nam per quoſcumque potuit, ſi aliud non obfuit.

18. Septimò dubium eſſe non poteſt, quin perfecta, ac vera iuſtitia debeat eſſe ad alterum, vt docet Ariſtoteles 5. *Ethicorum cap.* 1. 2. *&* 6. vbi veram, propriamque iuſtitiam, & qualem vulgò ſumunt Doctores, negat poſſe eſſe ad ſeipſum. Atque hæc conditio non quocumque modo, ſed eſſentialiter includitur in iuſtitia, vt patet ex eius definitione. Porrò hæc ratio alterius conſiſtit non tantùm in diuerſitate indiuiduali & phyſica, ſed prætereà in diuerſitate morali, & ciuili. Ita nimirum, vt illi, inter quos eſt iuſtitia, non eam habeant identitatis moralis coniunctionem, quæ eſt inter patrem & filium, item inter dominum & ſeruum. Iſti enim, quamuis phyſicè ſint multi homines, tamen moraliter, & ſecundum ciuilem æſtimationem non cenſentur eſſe diuerſi: ſed filius eſt aliquid patris, & ſeruus aliquid domini: *Non eſt*, inquit Ariſtoteles *c. 6. alias decimo, iuſtitia ad ſua ſimpliciter: Id autem quod poſſidetur, & filius, quamdiu eſt paruus, & non ſeparatus, inſtar patris eſt;* τὸ κτῆμα, ϗ τὸ τέκνον, ἕως ἂν ᾖ πηλίκον, ϗ μὴ χωρισθῇ ὥσπερ μέρος αὐτοῦ: *ſe verò nemo vult lædere; Quapropter non eſt ad ipſum iuſtitia.* Hæc ille. Sed nos ea de re pluribus *in tractatu de iure & iuſtitia.*

19. Aduerte ex dictis in eo tractatu, conditionem hanc alteritatis, vt ſit vera, limitandam eſſe: ſatis enim eſt primò, vt hæc diuerſitas cadat in naturam, licèt non cadat in perſonalitatem. Nam ſi Ariſtoteles agnoſcere potuiſſet duas naturas in vna perſona, quemadmodum eſſe re in Chriſto nouimus, haud dubiè rigoroſam inter illas iuſtitiam non negaſſet. Difficultates quæ in Chriſto occurrunt, explicabuntur omnes in loco. Secundò limitanda eſt hæc conditio quoad diuerſitatem moralem, ſeu ciuilem; quatenus non abſolutè negari debet iuſtitiam intercedere poſſe inter patrem & inter filium; ſed tantùm inter eum filium, qui non ſit emancipatus, ſiue vt Ariſtoteles loquitur, qui ſit paruus, & non ſeparatus. Nam poſtquam filius eſt emancipatus, & habet ſua bona ſeparata, cenſetur omninò alter à patre. Idem cenſendum eſt de ſeruo ratione peculij: Addo cùm agitur non de reſtitutione, ſed de ſatisfactione pro iniuriis, quæ conſiſtit ſolùm, vt ſæpè dictum eſt, in ſubmiſſione & ſui humiliatione; me non videre cur non poſſit in rigore iuſtitiæ ſatisfieri patri & domino, à filio & mancipio. Nam quemadmodum hi, non obſtante coniunctione & identitate ciuili, poſſunt illis iniuriam & contumeliam facere; ita videntur, eadem non obſtante, poſſe iniuriam reparare. Cur enim maiorem requirat identitatem iuſtitia, quàm iniuſtitia? Atque ſi potuerunt eſſe iniuſti, cur non etiam iuſti? Sanè libertatem arbitrij habet filius & ſeruus, quantumvis non ſint emancipati, diſtinctam à patre & domino; ratione cuius libertatis apparet etiam in materia reſtitutionis, hoc eſt in rebus pecuniâ æſtimabilibus, vmbra quædam veræ iniuſtitiæ inter illos. Nam ſi mancipium ſit fugitiuum, ſeque ſuffuretur domino; Peto num verè iniuſtus ſit, & ad reſtitutionem teneatur? Et num ea reſtitutio ſit verè propriéque iuſta, nolim hìc eſſe quæſtionem de nomine.

CAPVT IV.

Puram creaturam non poſſe pro peccato mortali ſatisfacere Deo condignè.

1. VT cognoſcatur quæ, & quanta fuerit incarnationis neceſſitas, oſtendi debet, vt monuimus ſub finem capitis 2. *num.* 8. Puræ creaturæ ſatisfactionem non habere poſſe condignitatem reſpectu peccati mortalis. In hac autem controuerſia, per puram creaturam intelligitur ea, quæ non ſubſiſtit vlla perſonalitate diuina, quemadmodum facit *Chriſtus*, qui eſt ita creatura, vt etiam ſit Deus. Fallitur ergo Caietanus, dum puram hìc creaturam interpretatur eam, quæ non eleuatur gratia diuina, ſed relinquitur in ſuis puris naturalibus viribus; & dum in hoc tantùm ſenſu vult D. Thomam ſenſiſſe puram creaturam non poſſe condignè ſatisfacere pro peccato mortali. Aduertendum porrò geminam hoc loco ſe offerre difficultatem. Prior eſt, vtrum pura prædicta creatura ſatisfacere condignè poſſit pro peccato ſuo mortali: poſterior, vtrum pro mortali alieno.

Nullum poſſe pro ſuo mortali peccato condignè ſatisfacere.

2. QVod ad priorem attinet difficultatem. Quamuis nullus Doctor rigorem veræ, propriæque iuſtitiæ agnouerit poſſibilem in ſatisfactione creaturæ pro peccato ſuo mortali, propter varias conditiones, quas vnuſquiſque pro ſua ſententia ſiue bene, ſiue malè ad rigoroſam iuſtitiam requirit, & in ſatisfactione tali ſe non inuenire dicit: tamen reperti ſunt non pauci, qui docuerint

Digitized by Google

rint poſſe in dicta ſatisfactione interuenire condignitatem. Ita Alexand. 3. *p. q.* 1. *memb.* 5. *art.* 2. Paludan. *in* 3. *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 2. Ricard. Taper. &c. à Vaſqueſio citati *diſp.* 2. *c.* 2. qui putant per contritionem charitate perfectam ſatisfieri Deo condignè; & illam ita æquare, vel etiam ſuperare bonitate malitiam peccati mortalis, vt contineat æquiualentem recompenſationem. Vnde ſequitur ad condignè ſatisfaciendum Deo, non fuiſſe opus nobis incarnatione.

3. Decidetur meliùs hæc difficultas, ſi priùs quanta ſit peccati mortalis grauitas, intellexerimus. Et quidem nonnulli, quibus Pater Petrus Hurtadus adhæret, eam ſentiunt eſſe propriè, vereque infinitam. Nec putant rationem poſſe aliter reddi cur ad condignam ſatisfactionem pro peccato mortali neceſſaria fuerit incarnatio. Si enim peccati malitia ſit finita, poterunt alicuius puræ creaturæ perfectiſſimæ opera bona vſque eò multiplicari, vt illam æquent & ſuperent. Cenſent verò infinitatem peccati mortalis conuinci etiam ex infinitate pœnæ quam meretur. Pœna enim æterna iudicari debet infinita, cùm non ſit minus malum quàm ea pœna quæ per quadrantem foret verè ac propriè infinita. Et clarum eſt, quòd ſi per impoſſibile, omnium, quos æternitas continet quadrantum pœnæ in vnum reducerentur, includerenturque quadrantem, facerent pœnam infinitè intenſam. Præterea infinitam oportet eſſe malitiam, peccati, quod vnionem hypoſtaticam vel fieri impediret, vel factam deſtrueret. Certum eſt autem peccatum mortale id facturum; vtpotè incompoſſibile cum vnione hypoſtatica. Deinde cùm peccatum mortale mereatur negationem auxiliorum efficacium ad perſeuerantiam, quam omnia puræ creaturæ bona opera, licèt infinita, mereri non poſſunt; oportet demeritum peccati maius eſſe, quàm merita illa infinita. Denique quandoquidem ex dignitate perſonæ offenſæ ſumitur peccati grauitas, ita vt quot illa, tot etiam iſta gradibus creſcat; nemo non videt infinitos eſſe in Deo, quem peccatum offendit, dignitatis gradus. Ergo, &c.

4. Sed hæc ſententia de infinitate grauitatis peccati non eſt admittenda; quam tamen Delugo & quidam alij ex eo inualidè refutant, quòd malitia illa ſola dici poſſit infinita, quâ maior excogitari non poſſit; conſtat autem peccatum nullum eſſe poſſe, quo maius aliud dari non poſſit. Malè inquam; nego enim id quod infinitum ſit, tale eſſe debere, vt eo maius dari non poſſit, & vt abſorbeat omne quod in ſuo genere poſſibile eſt. Conſtat enim primò quidem, id, quod non abſorbet omne poſſibile, poſſe eſſe infinitum; verbi gratia, nummi non deſinunt eſſe infiniti, licèt vnum dempſeris. Conſtat etiam ſecundò neceſſarium non eſſe, vt id quod abſorbet omne poſſibile ſit infinitum, quia ſi ſupponeremus nullum eſſe ens poſſibile præter hominem, homo non eſſet ideò magis infinitus, quàm nunc ſit.

5. Melius ergo refutatur prædicta de peccati mortalis infinitate ſententia, ex eo quòd ad omnia quæ proponunt eius Authores, nequaquam ſit neceſſarium grauitatem peccati eſſe infinitam verè ac propriè, ſufficit enim eſſe ſuperioris cuiuſdam ordinis, quo omnem poſſibilem ſuperet purarum creaturarum ſatisfactionem, & cui non poſſit condigna reſpondere pœna, niſi æterna; cui item condignè reſpondeat vnionis hypoſtaticæ ſiue dandæ negatio, ſiue datæ priuatio: negatio item auxiliorum efficacium ad perſeuerantiam. Ea verò, quæ in peccato mortali reperitur, tam alti ordinis grauitas ſumitur ex infinitate dignitatis Dei, qui per peccatum mortale contemnitur. Non tamen neceſſarium eſt, vt huiuſmodi grauitas tantam infinitatem contrahat, quantam Deus habet, neque vt omnibus virtualibus gradibus dignitatis diuinæ totidem gradus malitiæ in peccato reſpondeant. Quandoquidem Deus ad offenſam habet ſe extrinſecè tanquam ſimplex terminus: & præterea gradus infiniti, qui ſunt virtualiter in eius dignitate, non poſſunt influere in peccatum, niſi prout à peccatore concipiuntur, dum offendit: non concipiuntur autem perfectè, diſtincteque ſinguli, ſed confusè omnes, & eo modo, qui non applicet infinitatem illam diuinam niſi finitè. Confirmatur. Nam alioqui ſupernaturales actus charitatis diuinæ cenſeri deberent habere (quod nemo dicit) veram & categorematicam infinitatem bonitatis, ſeu meriti, cùm æquè ac peccata ad Deum infinitum tendant.

6. Notandum porrò illam ſuperioris ordinis, quæ eſt in peccato mortali, grauitatem, non tantum conſiderari ratione culpæ, ſed etiam deriuari cum proportione in pœnam quæ talem ſequitur culpam. Atque vt in culpa grauitas non eſt verè ac propriè infinita; ſic nec pœnam habet ſibi reſpondentem infinitè intenſam, multò autem minùs eam, quę ſit omnis poſſibilis. Nihilominus quemadmodum culpa eſt ſuperioris ita ordinis, vt omnem, etiam infinitam, purarum creaturarum ſatisfactionem ſuperet; ſic etiam pœna tam alti eſt ordinis, vt niſi fides eam expreſsè doceret, vix vllius in mentem venire poſſet; vnumque ex difficillimis Religionis noſtræ myſterijs eſſe videatur, quòd nempe propter momentaneam libidinem (vel ſolùm cogitatam volitamque) aut propter furtum vnius alteriuſve nummi, æterna ſit ſubeunda combuſtio, & habitandum deſperatiſſimè cum ardoribus ſempiternis; facta ſummi boni & beatitudinis, quæ omnem cogitationem ſuperet, iacturâ. Id quidem, quanta ſit & offenſi Dei maieſtas, & peccantium ſtultitia, eorum præſertim, qui Chriſtianæ fidei lumen habent, oſtendit. Ex tali tantaque pœnæ grauitate peccato mortali debita, ſequitur non magis poſſe pro ea tollenda offerri condignam à pura creatura ſatisfactionem, quàm pro ipſa peccati culpa: quare pro illa neceſſariam fuiſſe incarnationem, ſi neceſſaria fuit pro iſta. His de peccati, & quoad culpam, & quoad pœnam grauitate, præmiſſis.

7. Dicendum eſt cum D. Thoma, D. Bonau. Durand. Gabr. Suar. Vaſq. Valent. &c. nullam creaturam, etiam ex auxilio gratiæ, poſſe pro ſuo peccato mortali ſatisfacere condignè, ac multò minùs in rigore iuſtitiæ. Probatur concluſio quoad priorem partem, quæ eſt de condignitate: nam poſterior, quæ eſt de rigore iuſtitiæ, & ex priore ſequitur, manebit poſteà per ſe euidens. Rationem putat Vaſqueſius hanc eſſe vnicam; quia creatura nulla poteſt ad Deum accedere, & ſatisfactionem offerre peccati mortalis, niſi Deus priùs condonet illi aliquod ex peccato ipſo mortali contractum debitum. Ergo, &c. Conſequentia eſt clara. Quando enim gratuita contracti debiti aliqua condonatio in ipſo primo acceſſu interuenit, non reperitur condigna ſatisfactio, & ſolutio totius debiti. Antecedens elucidatur, & probatur. Attendendum enim eſt, quod non vnum contrahitur debitum per peccatum mortale, ſed ſanè multiplex. Inter alia verò, quæ per illud contrahuntur, debita, vnum eſt, carendi in æternum vocatione diuina, & præueniente gratiâ, quâ poſitiuè indignus eſt peccator. Dico autem

nullam

nullam creaturam poſſe pro ſuo mortali ſatisfacere, niſi illi à Deo tale debitum remittatur, aut non exequutioni mandetur; & quidem omninò gratis, quandoquidem vocatio antecedit neceſſariò omnem ſatisfactionis oblationem. Hanc ſolam in præſenti negotio rationem Vaſques, vt iam dixi, valere putat *diſput.* 2. vbi cæteras reiicit. Eam ego omninò notandam exiſtimo, & efficacem ad probandum, quod intendit; nimirum peccatorem non poſſe ſatisfacere, quin ei remittatur gratis aliquod debitum pœnæ, quod ex culpa incurrit. At non illud eſt, quod præcipuè hîc agitur: præcipuè enim in noſtra concluſione aſſeritur, non poſſe peccatorem, licèt gratia præuentum, pro culpa ſua (de qua potiùs nunc quæſtio eſt, quàm de pœnæ debito) condignè ſatisfacere. Quod nec probat, nec probare intendit prædictus Auctor, cùm cenſeat contritionis, ſeu charitatis actum, quando à peccatore gratiâ vocationis præuento elicitur, eſſe condignam omninò pro culpa, quam delet, ſatisfactionem.

8. Verumtamen meliùs Suarez, & alij communiter aſſerunt, quòd quamuis per impoſſibile peccator non haberet illud pœnæ debitum carendi prima gratia & vocatione, quod relictum eſt à peccato, non tamen condignè ſatisfaceret per contritionis primum actum. Dixi primum, quia iam non agimus de iteratis illius contritionis actibus poſt iuſtificationem. Ratio iſtorum Authorum eſt, quia peccatum ipſum mortale, quod in formali culpa conſiſtit, atque poſt primam vocationem ſupereſt, & quod per contritionem, vt aliqualem diſpoſitionem tollitur, eſt debitum maius, quàm vt pro eo condignè contritio poſſit ſatisfacere, vt ex mox dicendis conſtabit contra prædictum Vaſquem, & alios, quos tum ipſe *loco ſuperiùs citato*, tum Suarez *diſput.* 4. *ſect.* 9. refert. Igitur poſt illam numero præcedenti allatam rationem, quâ bene conficitur, non poſſe peccatorem pro omni debito pœnali per peccatum contracto ſatisfacere condignè; ſicut noſtra concluſio inter alia etiam intendit, conſiderandæ ſunt ad eandem probandam circa formale ipſius culpæ debitum, concluſionem ſequentes rationes, validaque in primis eſt:

9. Secunda ratio, quam ita elicio ex Concilio Trident. Docet Concilium illud *ſeſſ.6. cap.7.* contritionem præcedere (naturæ ordine) remiſſionem peccati mortalis, quoad culpam. *Hanc diſpoſitionem* (inquit de contritione ipſa loquens) *iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, &c.* Docet vlteriùs idem Concilium *cap.*8. nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, iuſtificationis gratiam (quæ *ex cap.*7. includit remiſſionem peccatorum) promereri; atque inde infert nos gratis iuſtificari, & proptereà *c.7.& 9.* dixit, *Neque remitti, neque remiſſa eſſe vnquam peccata, niſi gratis diuina miſericordiâ, propter Chriſtum.* Ex qua Concilij doctrina infero, contritionem, quæ iuſtificationem præcedit, non eſſe poſtquam elicita eſt, condignam ſatisfactionem pro peccato mortali: ſi enim condigna eſſet, non remitteretur gratis peccatum, nec fieret eatenus gratis iuſtificatio. Quemadmodum pœna temporalis, pro qua iuſtus ex condigno ſatisfacit, non poteſt dici verè & in ſe gratis remitti: nam id gratis non remittitur, pro quo accipitur aliquid condignum. Nec dicant aduerſarij, remiſſionem peccati mortalis ex definitione Concilij eſſe gratuitam remotè tantùm, & in radice, quatenus ipſa contritio, quæ eſt condigna, ſupponit primam vocationem gratuitam, vt dictum eſt in prima concluſionis ratione: ne, inquam, id dicant. Nam hoc non obſtante, remiſſio peccati verè dici poſſet eſſe antidoraliter ex contritione, eſto per Dei gratuitam vocationem præcedente: quod eſt contra mentem Concilij definientis iuſtificationem, in qua remiſſio peccati continetur, non eſſe ex operibus abſolutè, nec ex vllo actu, qui ipſam præcedat.

10. Probatur tertiò concluſio, argumento deſumpto ex grauitate culpæ, & malitia, quæ in mortali peccato formaliter reperitur. Nam quamuis culpa neque in formali peccati ratione, quæ eſt relatio diſconuenientiæ cum natura intellectuali, neque in auerſione à Deo, quæ eſt priuatio charitatis; neque ratione diuinæ offenſæ, & iniuriæ, quæ cum quodam Dei contemptu fiat, ſit in ſe infinita, vt ſuprà diximus, & bene probat Vaſques *diſput.*1. *cap.*2. & concedit Suar. aliique communiter *in* 1. 2. contra Anſel. Medin. Caiet. &c. tamen contra eundem Vaſquem dico cum Suare *diſp.*4. *ſect.*7. omne peccatum mortale, vt eſt iniuria diuina, grauitatem habere eius ordinis, vt non poſſit per contritionem, vel per vllũ alium perſonæ finitæ actum compenſari: finita enim quæ ſuperioris ſunt ordinis, æquari nunquam poſſunt per ea quæ inferioris ſunt ordinis, licèt hæc in infinitum multiplicentur in ea ratione, ſecundùm quam inferioris ſunt ordinis. Quamquam ſi in alia ratione in qua ſunt eiuſdem ordinis, multiplicentur, æquatio fieri poterit. Sic licet aurum & argentum ſint in diuerſo ordine phyſico, atque iſtud infinitè multiplicatum nequeat illius perfectionem phyſicam æquare, poterit tamen valorem moralem, ſeu pretium: quoniam in ratione pretij, & vtilitatis ad communem vitam, ſunt eiuſdem ordinis, & ſpeciei. Sic etiam plures actus temperantiæ poſſunt in ratione meriti æquiualere vni actui charitatis, quamuis hic aliunde in ratione virtutis ſit ſuperioris ordinis.

11. Fundamentum porrò, cur peccatum mortale, vt eſt diuina iniuria, eius ſit ordinis, qui ſit ſupra omnem puræ creaturæ ſatisfactionem, non aliunde peti debet, quàm ex infinita dignitate offenſi Dei, vt dictum eſt ſuprà. Nec placet, quod vult Delugo *diſput.*5. *ſect.*4. rationem cur mortalis offenſa compenſari nequeat condignè, niſi per Chriſtum, & pœna afficiatur æterna, illam eſſe, quod ita neceſſarium ſit ad rectam gubernationem, & ad homines à tanta culpa deterrendos. Nam ſi ſcirent homines, inquit, Deum placari poſſe per noſtra obſequia, & offenſam per ea extingui, auderent faciliùs Deum offendere; quemadmodum etiam, ſi pœnam non vererentur æternam. Contra. Nam quod ad gubernationem ita neceſſarium ſit, & mortales interſit tantoperè deterreri, ſupponit ſummam eſſe in priori grauitatem peccati, quæ neceſſitatem huiuſmodi fundet. Nos autem antecedentis illius neceſſitatis rationem hîc quærimus. Prætereà, quamuis ſupponeremus non niſi vnicum à Deo creatum fuiſſe Angelum, & hunc de Chriſto, ac ſatisfactionis per eum neceſſitate non edoctum, peccaſſe mortaliter, atque immediatè poſt fuiſſe damnatum; totam nihilominus grauitatem ſuam haberet peccatum illud, & tamen ratio gubernationis ceſſaret, atque exempli: cùm nec vllus alius creandus foret, nec ille Angelus de futura cogitaſſet neceſſitate ſatisfactionis per Chriſtum. Non eſt igitur alia tantæ peccati grauitatis cauſa, quàm conſideratio infinitatis Dei, & ſupereminentia dignitatis increatæ, quæ per peccatum læditur. Eſt enim ea dignitas maior omni poſſibili dignitate: & vt ipſa eſt ſupra omnem ordinem, ſic iniuriam, licet finitam, per quam offenditur, conſtituit

in

Digitized by Google

in ſupremo incompenſabilitatis ordine. Atque hîc applicanda ſunt duo principia, quæ ſuperiùs expoſui *cap.* 2. *num.* 4. Nempe iniuriam creſcere ex dignitate perſonæ offenſæ; ſatisfactionem verò ex dignitate perſonæ ſatisfacientis. Ita vt ea ferè ſit proportio, non quidem arithmetica, ſed velut geometrica inter iniuriam & ſatisfactionem, quæ eſt inter perſonam offenſam & perſonam ſatisfacientem, ſi cætera paria ſint. Atque ex hac conſideratione perſonæ ſatisfacientis naſcitur pro noſtra concluſione.

12. Quarta ratio. Nam perſona, quæ pro ſuo mortali ſatisfacit, eſt tunc adhuc exoſa Deo; ac per conſequens valdè vilis, quando actum contritionis in ſatisfactionem elicit. In eo ſiquidem naturæ, ſeu rationis ſigno peccatum non fuit remiſſum; atque ita perſona eſt eius rea. Porrò perſonam, quæ eſt in peccato mortali, & ingrata Deo, incapacem eſſe condignè ſatisfaciendi Deo, patet ex eo quod ſit incapax condignè merendi. Non enim minùs requiritur ad ſatisfaciendum, quàm ad merendum. Nam cùm meritum reſpiciat ſolùm præmium, cui adæquari debet, ſatisfactio reſpicit perſonam offenſam; quatenus reſpicit iniuriam, cui non poteſt eſſe condigna, ſi perſona ſatisfaciens indignitatem habeat, & abominationi ſit.

Non poſſe puram creaturam pro peccato alieno condignè ſatisfacere.

13. Concedunt quidem omnes, puram creaturam, non poſſe in rigore iuſtitiæ Deo pro aliis ſatisfacere; ſed nonnulli reperiuntur, qui aſſerant eam id poſſe condignè, & æqualiter. Ita Caiet. hîc, Paludan. *in* 3. *diſt.* 20. *q.* 2. &c. hoc fundamento; quoniam opus charitatis procedens à gratia ſanctificante habet tantùm bonitatis, & valoris ad ſatisfaciendum, quantum culpa mortalis valet ad offendendum. Verumtamen dicendum eſt, licèt potuerit Deus puram creaturam conſtituere omnium hominum caput in ordine gratiæ, vt in hos per bona opera aliquo modo influeret; non tamen vllam conſtituere potuit, quæ ſatisfactiones offerret æquiualentes pro culpis aliorum mortalibus, vel etiam venialibus. Primam concluſionis partem docet Suares *diſputatione* 4. *ſect.* 7. & ſatis conſtat exemplo Adami. Si enim potuit facere Deus, vt ex inſtituto ſuo Adamus eſſet morale caput hominum ad peccatum in eos transferendum; cur non potuit aliquem alium conſtituere, qui eſſet eorumdem caput ad redemptionem, & ſalutem? Non apparet vlla ratio. Nam ſi intelligatur Deus in hunc effectum cum aliqua creatura innocente & ſanctâ pactum inire ſimile ei, quod pepigit cum Adamo, facilè erit intelligere, quo modo gratiæ, & ſatisfactiones illius creaturæ in alios eadem proportionaliter ratione traducantur, quâ peccatum originale ab Adamo, vel meritum à Chriſto deriuatur.

14. Certum tamen eſt, quod aſſerit ſecunda pars, tales ab ea creatura pro aliis ſatisfactiones non poſſe eſſe condignas. Idque probatur ſpecialiter primò quantum ſpectat ad peccata mortalia. In quo quidem non poſſumus iis vti omnibus argumentis, quibus ſuprà oſtendimus, creaturam non habere vim pro ſuis propriis peccatis mortalibus ſatisfaciendi. Nam hæc creatura, de qua iam agimus, quam Deus conſtituiſſet omnium hominum caput, ſancta foret ac innocens; quare non contraxiſſet per indignitatem poſitiuam debitum carendi gratia præueniente, quæ neceſſaria eſt ad ſatisfaciendum, atque adeò in remiſſione talis debiti non infringeretur iuſtitiæ rigor. Nihil etiam ſequeretur contra Concilium Trid. in ſecundo argumento citatum *num.* 9. Nam ſatisfactio huius creaturæ non impediret, quo minùs iuſtificatio eſſet gratuita reſpectu peccatoris, quemadmodum id iam non impedit ſatisfactio Chriſti. Prætereà non haberet ea perſona ſatisfaciens vilitatem quæ reperitur in peccatore, propter quam omnis ſatisfactio ipſius peccatoris viteſcit. Supereſt ergo id argumentum, quod deſumitur ex grauitate culpæ mortalis. Nam cùm hæc quandam velut infinitatem habeat, & ſuperioris ſit ordinis, quàm omnes creaturarum ſatisfactiones, relinquitur nullam creaturam poſſe pro peccatis mortalibus, ſiue propriis, ſiue alienis ſatisfacere. Non enim minorem grauitatem habent aliena, quàm propria. Atque ſi verum eſt ex perſona offenſa iniuriam, & ex perſona ſatisfaciente ſatisfactionem æſtimandam eſſe, apparet nullam eſſe poſſe proportionem vllius creaturæ ſatisfacientis, quantumvis ſanctæ & perfectæ, cum Deo offenſo.

15. Addo ſecundum argumentum, cuius probatio vniuerſalior ſit, & ſatisfactiones non ſolùm pro mortalibus, ſed etiam pro venialibus alienis excludat. In præſenti enim materia certum eſt nouam inde oriri difficultatem, quòd ſatisfactio offeratur non pro ſe, ſed pro aliis. Id enim ei ſoli capiti, quod ſit Perſona diuina, reſeruatum eſt. Et ſanè quemadmodum purarum creaturarum merito connaturale eſt, vt non poſſit ad alios pertinere, nemo enim præter Chriſtum meretur aliis; nec videtur conueniens ſanctificanti gratiæ, vt ſit ſemen gloriæ reſpectu aliorum; ſed potiùs ex natura ſua videtur limitari ad eam perſonam in qua eſt: Ita ſatisfactioni purarum creaturarum conuenit, vt non ſe porrigat ad alios, quando agitur de peccati culpa, ſiue ea ſit mortalis, ſiue venialis. Dixi, quando agitur de peccati culpa: quia ſi agatur de pœna, ſatis conueniens eſt naturæ ſatisfactionis, vt pro aliis offeratur. Sic enim Pœnitentias vnius pro aliis Deus, vt Eccleſiæ vſus oſtendit, acceptat.

16. Vaſques *diſp.* 4. *c.* 5. vnicam putat eſſe rationem, qua efficaciter hæc ſecunda pars noſtræ concluſionis probetur; nempe iſtam, quod puræ creaturæ ſatisfactio omnis fundari debeat in Gratiâ adoptionis: non enim vllam perfectiorem gratiam habere poteſt pura creatura. Atqui gratia adoptionis, quantumvis intenſa, & per quodcumque auxilium communicata, non potuit fundare condignam ſatisfactionem pro peccato alterius. Ergo, &c. Aſſumptio probatur: nam illa gratia adoptionis eſſet eiuſdem rationis cum gratia, quam modò iuſti habent. Nunc autem, vt omnes fatentur, nullus iuſtus condignè ſatisfacit pro alterius culpa, nec meretur alteri primam, aut etiam ſecundam gratiam, ſed tantùm ſibi vitam æternam, & incrementum ipſius gratiæ. Ergo, &c. Hæc Vaſqueſij ratio mihi videtur optima; ſed in argumentis quæ iam attuli, fundatur, nec ea excludere poteſt.

***

CAPUT

CAPVT V.

An pura creatura poſſit condignè ſatisfacere pro ſuo peccato veniali, & vtrùm pro eo, quod non foret Dei offenſa, ſed tantùm contra rationem.

1. NOn defuerunt Theologi, qui aſſeruerint, poſſe hominem per vires naturæ ſolius ſatisfacere pro ſuo peccato veniali, & illud à ſe abigere vel ſuſtinendo proportionatam pœnam, vt ſenſit Scot. *in 4. diſt.* 31. Gabr. *diſt.* 16. & illi omnes, qui cum iis docent peccatum habituale nihil aliud eſſe, quàm ordinem ad pœnam; vel eliciendo actum moraliter bonum, peccatoque veniali contrarium, vt voluit Durandus *in 4. diſt. 16. & 21.* Sed hæc ſententia eſt abſurda; imò vt eam tenuit Durandus, ſapit errorem Pelagij, & aduerſatur Concilio Trident. quod *ſeſſ.6.cap.*11.dicit illam eſſe iuſtorum vocem, *Dimitte nobis debita noſtra, hoc eſt peccata venialia*; quæ iuſti etiam ipſi poſtulant (cùm per ſe non valeant viribus naturæ delere) à Deo remitti. Oppoſita eſt ſententia Petri Soti *in inſtit. Sacerdot. lect.* 18. *de pœnitentia*, docentis non poſſe iuſtum, etiam cum gratia Dei, ſatisfacere de condigno pro veniali, ſed indigere liberali remiſſione; quæ ſignificatur his verbis, *Dimitte nobis debita noſtra.*

2. Dicendum eſt primò, poſſe iuſtum per contritionis, ſeu charitatis ſupernaturalem actum offerre ſatisfactionem condignam pro ſuo omni debito per venialem præcisè culpam contracto. Ratio eſt, quia contritio, ſeu charitas elici poteſt per gratiam præuenientem, qua carere iuſtus non ſit per peccatum veniale meritus; & prætereà longè magis ad Deum conuertit, quàm peccatum veniale auerterit iuſtum ipſum hominẽ. Nam ex vna parte pretioſiſſimus eſt, & valdè diuinus huiuſmodi actus ab homine iuſto elicitus, non enim de alio hîc loquimur: ex alia verò, peccatum veniale eſt offenſa leuis. Et quamuis phyſicè ſecundùm entitatem, vel etiam moraliter ſecundùm eam malitiam, & cum ratione oppoſitionem, in qua formalitas peccati conſiſtit, peccatum veniale ſit eiuſdem ſpeciei cum mortali: tamen in ratione iniuriæ non dubito, quin ſpecificè diſtinguatur. Eſt quidem ordinis cuiuſdam ſuperioris, quàm omnis erga quamcunque creaturam iniuria; atque adeò pœna ſuperioris ordinis, & maior quàm vlla huius vitæ, illi reſpondet: habet etiam, non ſecus ac mortale, infinitatem quandam obiectiuam, quatenus Deum verè offendit, habentem infinitos dignitatis velut gradus, & infinita attributa celſitudinis ac maieſtatis; non tamen ideò deſinit eſſe leuis iniuria. Nam quamuis ſinguli gradus dignitatis diuinæ in peccato veniali rationem iniuriæ aliquo modo augeant, atque adeò ponant in illo velut infinitas partes grauitatis; nihilominus illæ partes ſunt ſingulæ alterius ordinis à partibus grauitatis, quæ in peccato mortali reperiuntur; & tales ſunt, vt omnia poſſibilia venialia non poſſint ſimul ſumpta grauitatem vnius peccati mortalis æquare. Non ergo mirum, ſi pro huiuſmodi culpis ſatisfaciat condignè actus contritionis, ſeu charitatis; qui & ipſe infinitatem à Deo habet obiectiuam, qui congruè, & quodam (quamuis imperfecto) modo pro mortali ſatisfacit, qui vitam æternam condignè meretur, &c. Huc facit locus *ex* 1. *Ioan.cap.*1. à nobis infrà producendus *num.* 4. Fateor igitur, quòd non opus fuiſſet Verbo incarnando ad ſatisfactionem condignam, ſi nulla vnquam in iuſtis culpa niſi venialis extitiſſet. Quia tamen extitit ſimul mortalis, ſaltem originalis, neceſſarium fuit Verbum incarnari ad venialis ipſius peccati condignam ſatisfactionem.

3. Ideò enim in concluſione dixi, poſſe iuſtum ſatisfacere omni debito pro veniali culpa; non cuicumque, ſed ab ipſa præcisè veniali culpa contracto. Nam ſi loquamur de debito aliunde, quàm ex culpa veniali contracto, alia ratio eſt. Atque iuſtum illum, qui aliquando innocentiam per peccatum mortale āmiſit (vt nobis contigit omnibus in Adamo) dicendum eſt non poſſe ſatisfacere per contritionem aut charitatem pro peccato veniali, quin ei debitum quodpiam aliunde, quam ab ipſo veniali contractum, gratuitò, & ex Chriſti meritis fuerit condonatum. Quare in huiuſmodi ſatisfactione non interuenit perfecta, & rigoroſa iuſtitia, niſi per Chriſtum. Non enim poteſt elici à iuſto contritio de peccato veniali ſine præueniente gratia, & ſancta cogitatione, quâ tamen in æternum carendi debitum contraxerat aliàs iuſtus ille, de quo hîc agimus, per peccatum ſuum mortale. Itaque dum tali cogitatione hîc & nunc Deus illum præuenit, ſupponitur remiſſum fuiſſe illi debitum carendi tali cogitatione. Quæ ratio etiam à fortiori oſtendit iniuſtum, ſiue illum, qui eſt de facto in peccati mortalis ſtatu, non poſſe ſatisfacere pro peccato veniali; quin & debitum ſimile ex eo mortali, cuius adhuc reus eſt, contractum remittatur. Quanquam hunc inſuper aſſerendum eſt, non poſſe tales elicere contritionis, ſeu charitatis actus, qui condignè ſatisfaciant pro veniali. Impedit enim talium actuum condignitatem vilitas exoſæ Deo perſonæ, à qua procedunt.

4. Dicendum eſt ſecundò, actum hominis iuſti, poſtquam oblatus eſt in condignam ſatisfactionem pro veniali, indigere gratuita Dei acceptatione, & actuali remiſſione, deſtructioneque ipſius peccati venialis; ita vt remanſurum hoc eſſet, niſi poſt quantumlibet hominis actum, remiſſio Dei libera ſuperueniret. Adſtipulatur Suares hîc *diſp.* 4. *ſect.* 9. & *in tractatu de pœnitentia diſp.*11.*ſect.* 3. Probatur, quia nullus hominis iuſti actus habet formalem, ac velut phyſicam repugnantiam cum habituali culpa veniali; ſic, vt non poſſit cum hoc ſimul eſſe, ſi Deus hanc non deſtruat remittendo. Ergo præter actum licèt condignum, neceſſaria eſt Dei remiſſio, ſeu condonatio. Confirmatur. Quando peccatum deletur per meritum de condigno, nullus negat eſſe neceſſariam condonationem Dei offenſi, per quam immediatè tollatur offenſa: nec enim hanc meritum formaliter tollit, ſed poſſet cum ea ſimul in eodem manere ſubiecto: qui enim habet meritum, non ideò præmium habet, ſeu mercedem; ſed eum expectat, & petit. Dico autem non minùs eſſe neceſſariam condonationem in ſatisfactione condigna, quàm in merito condigno neceſſaria ſit ad præmij aſſequutionem, ipſius præmij conceſſio. Et certum eſt in illa ſatisfactione condigna, quam iuſtus offert pro pœna temporali, opus eſſe Dei gratuita acceptatione, remiſſioneve. Ergo & in illa quam offert pro culpa. Sumitur etiam ſatis clarè veritas noſtræ doctrinæ ex his verbis Epiſtolæ 1. Ioan.*cap.*1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vbi de venialibus peccatis

peccatis eſt ſermo; illa enim ſola ſunt, quæ in omnibus reperiuntur, & quæ Ioannes, qui ſeipſum illis verbis generalibus inuoluit, in ſe potuit agnoſcere; ſtatim verò de iis peccatis ſubiungit, *Si confiteamur peccata noſtra* (per pœnitentiæ ſcilicet, contritionis, & per charitatis actus) *fidelis eſt & iuſtus* (propter condignitatem, & iuſtam æqualitatem ipſorum actuum reſpondentem peccatorum grauitati) *vt remittat nobis peccata noſtra.* Cum ait, *vt remittat*, &c. ſatis oſtendit neceſſariam eſſe Dei remiſſionem poſt actus pœnitentiæ, contritionis, confeſſionis, &c. oblatos a Iuſtis pro peccatis ſuis venialibus.

5. In contraria ſententia eſt Vaſq. *diſp. 3. per totam*, & cum eo Delugo *diſp. 5. ſect. 7.* negantes fieri poſſe, vt ſi homo iuſtus ſatisfacit condignè pro culpa veniali, indigeat acceptatione, vel fauore ſuperaddito, & aſſerentes, per ipſam condignam ſatisfactionem formaliſſimè deſtrui habitualem maculam ex veniali relictam. Quia ſi homo condignè ſatisfecit, eo ipſo fecit quod ſatis erat, vt Deus in æſtimatione prudentum non maneat rationabiliter auerſus. Ergo eo ipſo extinxit ius, quod habebat Deus ad rationabilem auerſionem. Ergo ſine alia acceptatione, vel voluntate Dei extinxit formaliter maculam peccati. Alioqui, ſi non extinxit, non ſatisfecit condignè: quia non fecit ſatis vt tolleretur indignatio Dei. Sed ad hoc illorum fundamentum reſpondeo. Aliud eſt ſolutionem, ſatisfactionem, meritum &c. in actu primo habere condignitatem, & perfectam æqualitatem cum debito: & aliud applicari de facto, vt debitum extinguat in actu ſecundo. Illud, non iſtud habetur independenter ab acceptatione. Quemadmodum ignis per ſe, & abſque applicatione habet, vt ſit calefactiuus in actu primo; at indiget applicatione, vt calefaciat in actu ſecundo. Atque id expreſsè agnoſcit Delugo reperiri in merito condigno, item in condigna ſatisfactione pro pœna, imò & in condigna ſatisfactione pro culpa, quando is qui ſatisfacit non eſt ipſe offenſor, ſed aliquis pro illo alius.

6. Non videntur aduerſarij rem hîc ſatis attendere. Cùm enim nec ipſi, nec vllus neget in reſtitutione rerum pecuniâ æſtimabilium neceſſariam eſſe gratuitam acceptationem, quando pro re furto ablata, v. c. pro equo, reſtituitur aliqua res alia æquiualens: tunc enim, cùm reſtitutio illa ſit quædam velut venditio, aut permutatio, non poteſt ei ſatisfieri, qui rem oblatam, licet condignam, recuſat acceptare. Atqui ferè idem videtur, quando pro iniuria diuina, ſeu peccato fit ſatisfactio. Tunc enim non redditur idem quod ablatum eſt, aut negatum per iniuriam. Verbi cauſa peccator negauit obedientiam Deo hanc, hîc, & nunc; at per pœnitentiæ, contritionis, &c. actus, non reddit negatam illam obedientiam, nec facit vt ea præſtita fuerit, neque vt poſtquam omiſſa iam eſt, redeat. Ergo non minùs requiritur acceptatio cùm talis fit ſatisfactio, quàm cùm pro equo, quem tibi quis ſubduxit, offertur tibi condignum illius pretium. Atque id reſpectu Dei multò magis dicendum videtur, cuius eſt ius altiſſimum violatum à peccatore. Nec eſt eadem ratio de diuinis iniuriis, ac de humanis. In his enim facilè intelligitur, tales, tamque magnas poſſe ab offenſore ſatisfactiones offerri, vt poſtquam is veniam petiit, & alia multa obſequia exhibuit; debeat is qui offenſus eſt, manere contentus, nec poſſit ſecundùm æſtimationem prudentum perſeuerare auerſus iure, & implacabilis. In offenſis autem Dei attenditur ius infinitum, quod violatum fuit, ad quod reparandum nequeat per ſeipſam humana ſatisfactio, quantumvis condigna, applicari ſine gratuita Dei læſi acceptatione. Ex quo fit, vt nullum peccatum tolli dicatur, niſi per Dei remiſſionem. Quod verum non eſſet, ſi peccatum veniale tolleretur per condignam ſatisfactionem, non expectata Dei acceptantis voluntate.

7. Confirmantur omnia quæ pro hac ſecunda concluſione attulimus. Nam cuiuſcumque peccati ac debiti petunt etiam ſanctiſſimi Viri dimiſſionem in Oratione Dominica; *Dimitte nobis debita noſtra.* Item pro dimiſſis quibuſcumque culpis gratias agunt. Hucque facit locus primæ Ioannis allatus *num.* 4. aſſerens peccata illa etiam, quibus nullus, ne quidem Apoſtolus, caret, ſi ea per pœnitentiæ, contritioniſque actus confiteamur, à Deo nobis remitti. Neque Patres vnquam dicunt peccata vlla tolli per noſtram ſolutionem, ſed per Dei abſolutionem, miſericordiam, & condonationem. Quod etiam tandem concedere Delugo coactus eſt *num.* 130.

8. Hîc verò aduertendum eſt, non videri ad prædictam Dei pro peccatis venialibus acceptationem neceſſarium fuiſſe, vt fieret incarnatio. Per acceptationem enim præcisè non remittitur debitum non acceptationis, quo homo iuſtus, qui nunquam alia commiſiſſet peccata, quàm venialia, intelligatur eſſe indignus poſitiuè ipſa acceptatione; ita vt eatenus egere cenſeatur redemptore. Denique notandum, quamuis acceptatio iam explicata pendeat à Dei miſericorde voluntate; nihil tamen eſſe conuenientius, quàm vt illam iuſto Deus non deneget. Iuſtus enim habet ius ad gloriam; in æternum autem illa careret, ſi Deus nollet ſatisfactiones eius condignas acceptare, ſaltem poſt mortem; quando ſcilicet bona opera huius vitæ per vltimam tandem perſeuerantiam confirmata ſicut merentur condignè vitam æternam, ita videntur exigere vt impedimenta, quæ obeſſe poſſunt, reipſa tollantur.

9. Sequitur vt ad ſecundam, quæ huius capitis titulo continetur, partem veniamus; & quid de neceſſitate ſatisfactionis pro peccato, vt aliqui vocant, philoſophico, nec diuinam offenſam, de qua Theologi diſputant, continente, dicendum ſit, perſtringamus breuiter. Qua de re nonnulli, vt Delugo, Bernal. &c. fuſiùs hoc loco diſputarunt; quærentes, num in caſu quo nullam Deus legem tuliſſet, aut quo homo peccans ignoraret inuincibiliter ſeu Deum, ſeu legem diuinam, & putaret ſe facere ſolùm contra rationem, adulterando, occidendo, &c. dari poſſet per puram creaturam ſatisfactio pro tali peccato condigna, & æqualis. Ego quidem exiſtimo, quod in illo caſu peccatum, cum nullam haberet malitiam theologicam, nec diuinam importaret iniuriam, non perſeueraret moraliter poſtquam phyſico actu commiſſum fuiſſet, nullus enim foret, qui iniuſtè violatus illud retinere poſſet. Diſpliceret quidem Deo vt obiectum turpe, reſque fœda quamdiu exiſteret; non autem exiſteret habituale, ſed tantùm actuale, nec ſatisfactio vlla Deo offerenda ſupereſſet, atque illud peccatum non dicendum foret mortale aut veniale, nec pœnã æternam, temporariamve mereretur. Et vt non poſſet dici Dei iniuria, ſic nec propriè eiuſdem offenſa; vt enim iniuria contra leges iuſtitiæ, ſic & offenſa debet eſſe contra leges ſaltem amicitiæ. Atque tam hæc, quàm illa, ſi graue peccatum eſt, debet fieri cum aliquo perſonæ, in quam peccatur, contemptu libero, qualem non habet erga Deum ille, qui eum, vt fert ſuppoſitio, inuincibiliter ignorans, aut de eo non cogitans, aduerſatur ſoli rationi. Ita quidem ſi ſuppoſitio admittatur cenſendum eſſe puto cum Aug. Bernal. *diſp.* 4. *ſect.* 7. contra Delugo, qui admiſſa ſuppoſitione putat creaturã poſſe condignè ſatisfacere pro tali peccato.

Digitized by Google

10. Porrò quod ad ſuppoſitionem hîc factum attinet, eam nullo modo admittendam cenſeo cum Salas 1.2. *tom.2. tract.13. diſp. 16. ſect.12.* Leſſio *de perfect. diuin. lib.13.cap.26.* Cumel 1.2.*q.71. art. 6. diſp.8.* pluribuſque aliis antiquis. Abulenſ. Lyran. Altiſiodor. cum multis item Patribus, quos refert Vaſques 1.*p. diſp. 19.* Itaque nego poſſe hominem adulterari, occidere, furari, &c. operando aduertenter contra rationem; quin eodem ſenſu, quo rationem, Deum etiam, vt legiſlatorem à ſe offendi ſentiat ſufficienter. Atque ita nullus quantumvis aut barbarus, aut atheus conſentit vnquam liberè in grauem & enormem actum contra rationem, quin Deum per iniuriam offendat mortaliter, vt docuimus 1.2. *in tract. de peccatis.* Vtrum autem implicet Deum ab omni condenda lege abſtinere, qua furtum,adulterium,&c. vetet,diximus in eodem tractatu; atque ipſum, ex ſuppoſitione quod creaturas intellectuales producat, non poſſe illas exleges, & iuridicæ directionis expertes relinquere, oſtendimus.

11. Ex dictis patet, non poſſe non eſſe graue peccatum, quando quis diceret (in ſuo dicto contradictionem inuoluens) ſi Deus non prohibuiſſet homicidium, ego occiderem, quamuis foret contra rationem. Quod enim eſt contra rationem, non poteſt præſcindi ab eo, quod eſt contra Deum. Præterea qui illud diceret, faceret eo ipſo contra aliud præceptum reflexum, quo Deus grauiter vetat, ne quis velit facere quicquam graue contra rationem.

CAPVT VI.

Creaturam, quæ ſit etiam Deus, poſſe pro aliorum peccatis per opera intrinſecam condignitatem habentia, ſatisfacere æqualiter.

1. DVBIVM eſſe non poteſt inter Catholicos, quin de facto aliqua creatura, quæ etiam erat Deus (nempe Chriſtus) pro peccatis hominum ſatisfecerit,& pretium obtulerit, quantum erat neceſſarium,vt Deus maneret contentus. Id enim eſt primū Chriſtianæ fidei dogma, Chriſtum proponentis,vt Saluatorem; non temporalem, qualem Iudæi expectant, ſed ſpiritualem: qui pretio ſui ſanguinis Deum mundo placarit, reparatis Adami ruinis. Atque propterea in ſcriptura dicitur nos emiſſe, quod non potuit ſine pretio & ſatisfactione ſufficienti. *Empti enim eſtis*, inquit, *pretio magno, 1. Cor.cap.6.* Item, *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum, ibidem cap.7.* Quæ emptio, vt connotet nos fuiſſe aliàs in poſſeſſione & ditione Dei, ſed per peccatum abductos, vocatur redemptio 1. *Petri 1. Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* Et *Apoc.5. redemiſti nos Deus in ſanguine tuo.* Atque alibi in ſcriptura ſæpe. Quare Concilium Trid. *ſeſſ.6. can. 21.* definit, Chriſtum datum nobis eſſe redemptorem & legiſlatorem. Ex quibus refellitur Pelagianorum hæreſis, qui cùm peccatum originale, & gratiæ neceſſitatem negarent, aſſeruerunt, Chriſtum non nos redemiſſe, nec ſatisfeciſſe pro nobis; ſed tantùm veniſſe, vt doctrina,& exemplo homines doceret. Ac per conſequens etiam dixerunt, non illum veniſſe pro illis hominibus, qui ipſum præceſſerunt; vt Auguſtinus habet *lib. 2. de gratia Chriſti, & peccato orig. cap. 26.* Refellitur etiam error quidam Abailardi, de quo Bernardus *Epiſt. 190.* & Baſil. de Caſtro, *Verbo Chriſtus, hæreſi* 8. aſſerentium Chriſtum nequaquam nos liberaſſe à dæmonis ſeruitute.

2. Quanquam verò certum ex dictis ſit, Chriſtum Deo Patri ſufficienter ſatisfeciſſe, & pretio quo Deus fuit contentus, noſtram ſalutem redemiſſe; tamen nonnulli Doctores Catholici reperiuntur, qui ſufficientiam illam pretij referant non ad intrinſecam dignitatem operum, quæ Chriſtus in ſatisfactionem obtulit; cùm putent talia opera in ſe valoris eſſe & finiti, & inſufficientis, ſed ad extrinſecam Dei acceptationem; quatenus nimirum Deus voluit illis eſſe contentus. Ita Scot. *in 3. diſt. 19. quæſt. vnica*, Ioan. Medina *ibidem, de pœnitentia tractat. 3.q.1.* Gabr. *ibidem quæſt. vnica, art. 1. notabili 3.* & *art.2.concl.1.* Durand. *in 3. diſt. 20. q. 2.* & *in 4. diſt. 15. q. 1.* Almai. *in 3. diſt. 19. q. 1. notab. 3.* Docentque potuiſſe Deum æquè acceptare ad eundem effectum opera quæcumque bona alicuius hominis, vel Angeli; modò eſſent aliàs non debita, & meri conſilij. Atque in vniuerſum ſatisfactiones tum Chriſti, tum puratum creaturarum habere tantum valorem, quanti ſunt effectus ad quos acceptantur: licet maiorem fateantur fuiſſe conuenientiam, vt opera Chriſti præ cæteris acceptarentur ad redemptionem generis humani. Alij, & quidem quamplurimi, licèt condignitatem intrinſecam in Chriſti operibus fateantur, negant potuiſſe Chriſtum, aut vllam aliam creaturam hypoſtaſi diuina ſubſiſtentem ſatisfacere pro hominum peccatis ex rigore veræ iuſtitiæ, ita illi omnes qui iuſtitiam eſſe verè poſſe negant inter Deum & creaturas. Qua de re nos *cap.ſeq.*

Valor operum Chriſti non fuit ex ſola Dei acceptatione.

3. DIcendum eſt primò, Valorem non modò æqualem,ſed etiam ſuperabundantem ad ſatisfaciendum pro peccatis hominum fuiſſe in operibus Chriſti ex ipſorum intrinſeca condignitate, & non tantùm ex acceptatione Dei. Eſt contra Scotum & alios ſuperiùs citatos. Quorum opinionem ait Suar. *diſp. 4. ſect. 3. concluſ.* 3. nec probabilem, nec piam, nec fidei ſatis conſentaneam videri. Et ſanè illam ideò arripuerunt, vt refert Vaſq. *diſp.5. cap.1.* hæretici noſtri temporis, Stankarus *lib. de Trinit.& mediatore, in refutatione prioris epiſt. Tigurinorum*; & Caluinus *lib.2. inſtitut.cap.17.* Vbi ea impietate, quæ nihil habet cum Scoto,aliiſque Doctoribus Catholicis commune, docet, non reperiri in Chriſto homine dignitatem, quæ poſſit Deum promereri. Sed omiſſis hæreticis, maximè reiiciendus eſt Ioan. Medina citatus, qui, ne quidem per acceptationem extrinſecam voluit Chriſto concedere, vt pro peccati mortalis iniuria æqualem ſatisfactionem dederit. Peccatum enim, vt ipſe putat, in ratione culpæ eſt infinitum,quia in quantum poteſt,deſtruit Deum; vnde & pœna quæ illi reſpondet, eſt infinita,ſaltem extenſione durationis. At verò Chriſtus nec pœnam pertulit infinitam,aut æternam; nec aliquid operatus eſt, quo infinitum vllum bonum, etiam per acceptationem & ordinationem diuinam, inferret Deo. Verùm hæc, & alia horum Authorum argumenta ſoluuntur partim ex iis, quæ dicta ſunt capite quarto, *num. 3. & ſequentibus*, circa grauitatem peccati; partim ex iis, quæ dicentur inferiùs. Iam concluſionem noſtram probemus, cui prolixè ex profeſſo adſtipulatur Anſelmus *libro 2. cur Deus homo, cap. 4. & 19.* & cum eo Doctores omnes grauiores

Digitized by Google

uiores, ac ſaniores. Diuus Thomas *in hac quæſtione prima, artic. 2. ad ſecundum. & quæſt. 48. artic. 2.* vbi aſſerit Chriſtum obtuliſſe ſatisfactionem ſufficientem, & ſuperabundantem propter dignitatem vitæ ſuæ, quam ponebat, quæ erat vita Dei & hominis: D. Bonau. *in 3. diſt. 20. q. 3.* Richardus, Capreol. Paludan. & alij plurimi, quos Vaſq. Suar. & ferè cuncti recentiores ſequuntur.

4. Ratio primò peti debet ex Scriptura, Paulus enim *ad Romanos 5.* comparans cum Adami peccato ſatisfactionem Chriſti, pronuntiat hanc longè eſſe efficaciorem, & condigniorem ad ſaluandum, quàm illud fuerit ad perdendum: & tamen conſtat peccatum Adami habere de ſe exactam proportionem condignitatis cum hominum ruina, quam cauſauit intrinſeca ſua malitiâ, & non ſolùm ex acceptatione & voluntate, ſeu inſtitutione Dei intrinſeca. Nam voluntas Dei conſtituentis Adamum in caput, fuit tantùm conditio, & non principium perditionis generis humani. Verba Pauli ſunt: *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis IESV Chriſti in plures homines abundauit.* Et paulò poſt: *Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum IESVM Chriſtum.* Idem Paulus *ad Hebræos cap. 10.* ſic habet: *Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dixit, hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Sanè ſi vera eſt Scoti ſententia, valorem ſatisfactionis tum Chriſti, tum aliarum creaturarum peti ex ſola acceptatione Dei, ita vt tantum valêat res Deo oblata, quantus eſt effectus ad quem ordinatur liberaliter à Deo; poſſibile erat ſanguine taurorum, & hircorum per ſacrificium ſanctorum virorum oblato auferri peccata, perinde ac ſanguine Chriſti. Poterat enim Deus æquè illum, atque hunc acceptare, quicquid ſit de maiori congruentia, de qua non loquitur Apoſtolus, qui non ait eſſe incongruum, ſed omninò impoſſibile, ſacrificiis taurorum & hircorum auferri peccata.

5. Secundò petitur ratio ex manifeſta Patrum authoritate, quorum multos vide apud Suarem, & Vaſquem. Idque probant etiam eorum teſtimonia, qui aſſerunt, creaturas puras nequiuiſſe pro Adamo ſatisfacere, ſed neceſſariam fuiſſe ad id immenſam Perſonæ diuinæ dignitatem. Clarum eſt enim eos loqui de ſatisfactionibus conſideratis ſecundùm valorem intrinſecum, & non ſecundùm ſolam Dei acceptationem: nam ſecundùm hanc creaturarum ſatisfactiones potuiſſent eſſe æquales peccatis. Sed audiamus, quomodo Chryſoſtomus eleganter concluſionis noſtræ doctrinam proponat *ſermon. 10. in cap. 5. epiſt. ad Rom. Multò plura, quàm debebamus Chriſtus pro nobis ſoluit, tantoque plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immenſum. Noli itaque diffidere, ô homo, cùm tantas bonorum diuitias videas; neque ſollicitus inquiras, quomodo ſcintilla illa mortis atque peccati, tanto ſit donorum ſuperinducto mari ſoluta, & extincta.* Vbi ſanctus ille Pater tantum exceſſum pretij à Deo oblati non poteſt referre ad extrinſecam Dei acceptationem. Nam Deus, cùm ordinauit Chriſti ſatisfactiones ad ſolutionem pro peccatis, iſtas illis æquales reddidit, non ſuperabundantes. Simile eſt ſuperiori teſtimonium Agapeti Papæ *in epiſtola 1. ad Anthymum. Effuſio*, inquit, *iuſti ſanguinis Chriſti tam fuit diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum, &c.* Et paulò poſt ait, *validius fuiſſe donum libertatis, quàm debitum ſeruitutis.* Ante Agapetum Leo I. *ſerm. 12. de Paſſione*, & ante Leonem Caius Papa *in epiſtola decretali*, vocauerat Chriſti ſatisfactionem diuitem ad pretium: Denique Clemens VI. concluſionem noſtram docere videtur *in Extrauag. Vnigenitus*; vbi oſtendere volens meritorum Chriſti ſuperabundantiam, aſſeruit guttam ſanguinis vel vnicam propter vnionem humanitatis cum Verbo (non dixit, propter acceptationem gratuitam) pro totius humani generis redemptione ſufficere potuiſſe.

6. Tertia ratio ſumitur ex Chriſti dignitate perſonali, quemadmodum explicatur concluſione ſequenti. Æſtimatio enim ſatisfactionis fundatur in dignitate ſatisfacientis; & quidem magis quàm æſtimatio peccati in dignitate perſonæ offenſæ. Nam ſatisfaciens influit in ſatisfactionem, ſe habentem per modum actionis. Actio autem importat ipſum agens intrinſecè, & non ſolùm obiectiuè, ac extrinſecè. Manebit probata à fortiori hæc concluſio ex iis quæ dicuntur vlteriùs tum hoc, tum ſequenti capite.

7. Obiicitur primò contra ſuperiorem doctrinam, non ſeruatam fuiſſe exactam æqualitatis proportionem inter peccatum hominum, & ſatisfactionem Chriſti ſecundùm intrinſecum valorem conſideratam; ac per conſequens ex ſola Dei acceptatione prouenire, vt huiuſmodi ſatisfactio iniuriam compenſarit. Antecedens probatur primò ex eo, quod per peccatum Deus, vt Deus, fuerit offenſus. At verò Chriſtus ſatisfecit tantùm vt homo. Secundò, peccatum magis diſplicet Deo, quàm placeant opera Chriſti: nam peccatum, cùm ſit de ſe deſtructiuum bonitatis diuinæ, debet tantum diſplicere Deo, quantùm ei bonitas propria placet. Clarum eſt autem opera Chriſti, vt hominis, non tantum placere Deo, quantùm ei placet bonitas propria increata. Tertiò, vt æqualitatis proportio ſeruaretur inter peccati iniuriam, & ſatisfactionem; oportuiſſet Chriſtum eſſe non modò æqualem Deo; ſed tantò ſuperiorem, quantò homo peccans erat eodem Deo inferior. Nec enim ſatisfactio oblata à perſona pari, æqualis eſt offenſioni factæ à non pari. Reſpondeo me negare obiectionis antecedens. Ad primam cuius probationem dico, Chriſtum non ſatisfeciſſe vt hominem eo ſenſu, quaſi hæc reduplicatio deſignet præciſè illud eſſe, quod eſt ab humanitate; licèt enim humanitas ſit principium formale, à quo phyſicè proceſſit actiò ſatisfactoria, non tamen eſt totalis ratio ſatisfactionis conſideratę moraliter. Hæc enim ſic conſiderata valorem ſuum haurit præcipuè ex perſona, eo modo, quo explicabitur inferiùs. Atque ita ſatisfecit Chriſtus vt Homo-Deus, ſicque ſatisfaciens non cedit dignitate offenſo Deo.

8. Ad ſecundam antecentis probationem nego, peccatum Deo tantum Deo diſplicere, quantùm ei ſua bonitas increata placet. Atque falſum eſt, peccatum eſſe deſtructiuum bonitatis diuinæ. Ad ſummum enim admitti poteſt, quod peccator ſecundùm affectum velut interpretatiuum (eſto, aliquando formalem, vt in expreſſo Dei odio) & ſecundùm moralem quandam imputationem, ita ſe gerere dicatur, ac ſi Dei gloriam & maieſtatem deſtruere velit; verumtamen dico, quod poſito illo affectu, quantumvis ſupponamus eſſe formalem & expreſſum, Chriſti voluntas infinitè ſuperauit omnes prauas hominum voluntates; magis Deum amans, & gaudens de diuinis bonis, ipſoque eſſe Dei, quam peccatores omnes diuinam bonitatem odiſſe potuerint. Præterea conſiderandum eſt, valorem ſatisfactionis Chriſti, non ex eius affectu tantùm, aut ex eius

Digitized by Google

amore in Deum, ſed ex perſonali penſandum eſſe dignitate; quæ omnes actus ipſius liberos (virtutum etiam aliarum quàm Charitatis, putà patientiæ, humilitatis, &c. quæ in paſſione, per quam redempti ſumus, maximè locum habuerunt) infinitè dignificauit; in tantum, vt quamuis ſupponerentur non eſſe valde perfecti, nec valde intenſi, omnem malitiam immenſùm quantum ſuperarent omnium peccatorum, quantumvis expreſſum, intenſumque Dei odium habentium. Ad tertiam probationem reſpondimus *capit. 2. num. 7. & 8.* naturam ſatisfactionis eſſe talem, vt magis creſcat ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, conſiderata in ſe abſolutè, quam peccatum ex dignitate perſonæ offenſæ comparata cum vilitate peccatoris. Ratio eſt, quia cùm ſatisfactio ſe habeat per modum actionis, includit intrinſecè in ſuo conceptu perſonam ipſam, quæ ſatisfacit; peccatum autem non ita includit, ſed tantùm reſpicit perſonam offenſam, vt extrinſecum terminum: vnde ad dignitatem ſatisfactionis ſufficit conſiderare in ſe, & abſolutè dignitatem ſatisfacientis; præſertim ſi ſit infinita, quia infinitè dignificat. Quare ad præſentem difficultatem dico, illam improportionem, quæ eſt inter peccatores & Deum, ſatis, ſuperque compenſari per infinitatem perſonæ ſatisfacientis in ſeipſa; quandoquidem non minùs æſtimandum eſt infinitam perſonam humiliari ſumme (quamuis id fiat propter Dei honorem, cui ſubmitti ſublimitatis plus habet, quàm demiſſionis) quam deteſtandum ſit vilem hominem iniuriam inferre Deo; imò infinitè illud hoc excedit. Addit piè Richard. Victor. *lib. de incarnatione, non ſolùm Deo, ſed etiam hominibus ſe ſubdidiſſe Chriſtum, & factum eorum ludibrium; vt ſicut infimum eleuatur ſupra ſummum, ita per eandem proportionem ſatisfactione Chriſti ſummum deprimatur infra infimum.*

9. Obiicit Secundò Durandus pro ſua ſententia *in 3. diſt. 20. quæſt. 2. num. 6.* Chriſtum non potuiſſe reddere æquales gratias Deo pro beneficiis acceptis: ergo nec potuiſſe ſatisfacere pro noſtris peccatis. Reſpondeo. Quicquid ſit de antecedente (quod Caiet. & Suar. falſum putant, ſed Vaſq. Becan. aliique concedunt) negatur conſequentia. Nam benè poteſt quis ſatisfacere Regi, aut ſuo patri pro debito alterius; etſi nequeat eidem Regi, aut patri æquales gratias pro beneficiis acceptis agere. Poteſt enim eſſe minus debitum alterius ortum ex iniuria, quam proprium debitum ex acceptione beneficiorum. Eſt & peculiaris hic ratio reſpectu Dei, cui non poterat Chriſtus vnquam gratias agere, quin illa ſua gratiarum actione beneficium nouum acciperet ab ipſo Deo ad id mouente, & concurrente; quare manebat ſemper debitor. Nec enim vlla gratiarum actio offerri poterat pro ſeipſa, aut ſaltem pro vltima ſui reflexione. Niſi velit quis dicere, quod monet Bernal. *diſp. 5. ſect. 1.* dici fortè poſſe, actum, quo Chriſtus ageret gratias pro beneficiis omnibus diuinis in ſe collatis, complecti ſeipſum ſufficienter; ſicut intellectio repræſentans intellectionem in communi, ſeipſam confusè intelligit. In quo caſu negari deberet ſuperius obiectionis huius antecedens, quod alioqui concedendum eſſet.

10. Obiicitur tertiò ex eodem Durand. *ibidem.* Si per impoſſibile Chriſtus, manente vnione hypoſtatica, peccaſſet mortaliter, non potuiſſet pro ſe condignè ſatisfacere: Ergo neque pro nobis poteſt. Reſpondeo, quicquid euenturum fuiſſet in illa ſuppoſitione, de qua mox, non valere conſequentiam. Nam longè diuerſa eſt ratio Chriſti per impoſſibile peccatoris, & eiuſdem, qualis de facto eſt, innocentis atque ſanctiſſimi. Et quamuis concedatur non poſſe eum peccatorem pro ſuo peccato ſatisfacere propter poſitiuam indignitatem ſuæ humanitatis, non ſequitur, quòd illo indignitatis impedimento amoto, & poſita eiuſdem humanitatis ſanctificatione quadam altioris ordinis per contactum, & vnionem Verbi, non poſſit pro peccatis alienis ſatisfacere. Porrò quod pertinet ad ſuppoſitionem, vult Suar. *loco citato*, eam eſſe indignam, quæ aſſumatur, & ex ea ſequi quodlibet membrum contradictionis. Nam & poterit ſatisfacere, quia Deus homo: & non poterit, quia Deo inimicus homo. Refragatur Suari Vaſques *diſp. 5. cap. 7.* Quia quamuis res, quæ ſupponitur, ſit indigna, & impoſſibilis; ſuppoſitio tamen ipſa eſt vtilis, quemadmodum aliæ multæ, quæ à Theologis per impoſſibile, ſeu per locum intrinſecum fiunt. Mihi videtur, quòd admiſſa ſuppoſitione, quæ tamen valde violenta eſt, non ſequitur vtrumque contradictionis membrum. Nam in eo caſu falſum eſt, Chriſtum, licèt Deum, ſatisfacere valiturum per humanitatem odioſam Deo, quemadmodum enim, ſi Verbum aſſumeret naturam leonis, ille Leo-Deus non poſſet ſatisfacere per naturam irrationalem, & carentem libertate; ita, &c. Ad ſatisfactionem enim condignam neceſſarium tam eſt, vt eius principium ſit Deo non odioſum, quàm vt ſit liberum. Nec verum eſt rationem totam condignitatis eſſe petendam formaliter, & immediatè ex perſonalitate Verbi. Certè Verbum per naturam aſſumptam non poteſt id operari, ad quod natura ipſa facultatem non habeat: nec poteſt Chriſtus per ſuum intellectum humanum elicere intellectiones Seraphicas, nec per ſuum oculum corporeum videre ſubſtantias corporeas in ſeipſis, aut ſonum audire, &c.

Valor operum Chriſti eſt ſimpliciter infinitus.

11. Dicendum eſt ſecundò, valorem ad ſatisfaciendum pro peccatis hominum, fuiſſe in Chriſti operibus propriè & ſimpliciter *infinitum*. Cùm verius ſit rationem iniuriæ, quæ eſt in peccatis mortalibus, non eſſe propriè & verè in ſe infinitam; hinc fit, vt ſatisfactio aliqua magna, quamuis non foret infinita, poſſet intelligi æquare, imò excedere prædictam iniuriam. Atque adeò aliud eſt ſatisfactionem eſſe huic æqualem, ſeu etiam ſuperabundantem; & aliud eſſe infinitam. Quare poſt præcedentem concluſionem de ſatisfactionis Chriſti pro peccatis æqualitate, & ſuperabundantia, debet addi vlteriùs iſta concluſio, vt plenè intelligatur dignitas ſatisfactionis Chriſti. Quem verè & propriè infinito pro nobis pretio ſatisfeciſſe docet, nullo ferè contradicente præter Scotum, Durandum, & Medinam ſuperiùs citatos, communis Theologorum, & ſana doctrina. Ita enim Diuus Thom. cùm ſæpius in tertia parte, tum apertiùs *in quodlibeto 2. art. 2.* eiuſque diſcipuli, Capreol. Palud. Ferrar. Caiet. &c. Idem tenent Bonau. Richard. &c. quos ſequuntur paſſim recentiores. Idque manifeſtè indicant Patres, necnon multis locis ſcriptura; quæ licèt expreſsè mentionem infinitatis non faciat, loquitur tamen de copia noſtræ redemptionis, & ma-

gnitudine

gnitudine pretij ſe ad mundi totius peccata extendentis, quaſi de re aliqua immenſa, vt *Pſal.* 129. 1. *Cor.* 6. 1. *Petri* 1. 1. *Ioan.* 2. &c.

12. Hanc doctrinam tradit, ac ſummè certam authoritate ſua reddit Clemens VI. *in Extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.* Vbi expreſſe aſſerit, *Chriſtum ſuis meritis acquiſiuiſſe infinitum Theſaurum hominibus; nec verendum eſſe, ne exhauriatur, vel minuatur; quandoquidem ſunt infinita Chriſti merita, cuius quidem vna gutta ſanguinis, propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet.* Ex quibus Pontificis verbis intelligitur infinitatem huius valoris prouenire ab vnione hypoſtatica; & rationem noſtræ concluſionis optimam, quæ vt puto vnica eſt, ſumi à priori ex dignitate ſatisfacientis. Nam, vt ſæpe monuimus, quemadmodum grauitas iniuriæ petitur ex dignitate offenſi; ita ſatisfactionis valor ex dignitate ſatisfacientis. Et quidem multò magis, cùm offenſus ſit tantùm obiectum iniuriæ, ad eamque extrinſecè ſe habeat, ſatisfaciens autem includatur totus intra ſatisfactionem. Ex quo fit, vt cùm Chriſti Perſona ſit infinita, communicet per ſeipſam ſatisfactioni ſuæ omnem infinitatem; ita vt huius valor non limitetur ex parte ipſius actus finiti, ac limitati.

13. Porò Authores citati multum in explicando modo, quo Perſona Chriſti infinita valorem tantum influat in ſuam ſatisfactionem, diſcrepant. Ego puto id multis nominibus, & modis fieri. Primò quatenus ſatisfactio procedit, ac emanat à Verbi perſonalitate, non quidem per immediatam effectionem, nec phyſicè (perſonalitates enim diuinæ nullam immediatam actionem habere poſſunt extra Trinitatem:) at moraliter & mediante humanitatis actione, quæ actio non ſimpliciter humanitati, ſed huic homini, & huic perſonæ tribuitur: actiones enim dicuntur ſuppoſitorum, non autem ſolarum & abſtractarum naturarum. Nec dicas nos ſic ſatisfactionem tribuere Verbo per ſolam quamdam denominationem extrinſecam, quæ non valet ad dandam ipſi ſatisfactioni abſolutam, & intrinſecam infinitatem. Non enim oportet te conſiderare hypoſtaſim Verbi, nec humanitatẽ per ſe ſolas & ſeorſim: ſed attendendum eſt totum illud compoſitum ex humanitate & hypoſtaſi, quod ſignificatur nomine, *Chriſtus.* Chriſtus enim ipſe, qualis & quantus eſt, Patri ſe ſubmiſit, iuxta illud Diui Pauli *Philipp.* 2. *Humiliauit ſemetipſum.* Vbi Chryſoſt. *Quantum habuit,* inquit, *celſitudinis, tantùm viciſſim humilitatis ſubiit.* Dico autem compoſitum huiuſmodi, qui eſt Chriſtus (cùm includat quid diuinum) eſſe verè ac ſimpliciter infinitum, atque ab illo totaliter & indiuiſibiliter ſumpto, quaſi ab agente vt quod, procedere actiones, quæ ab humanitate tanquam ab agente vt quo, exercentur; & eas illi per denominationem verè intrinſecam imputari. Talis enim conditionis eſt ea coniunctio Verbi cum natura, vt ſecundùm æſtimationem moralem duo extrema quaſi indiuiſibiliter ſe habeant, eo nempe modo, quo in omni ſuppoſito hypoſtaſis & natura. Atque ita hypoſtaſis diuina, non quidem propriè actiuè per ſeipſam operans, ſed formaliter in toto operante inexiſtens, & vtens humanitate ad ſe omninò pertinente, quemadmodum nos vtimur membris noſtris, ſatisfactioni Chriſti tribuit infinitam dignitatem, vt actio manus meæ in ſui æſtimatione proportionatur dignitati meæ. Hoc meliùs intelligitur ex iis quæ ſtatim dicam *num.* 18. & 19.

R. P. P. Debugis Tract. de Incarn.

14. Secundò, Perſona Chriſti communicat infinitatem ſuæ ſatisfactioni, quatenùs ipſa ſatisfactio in Verbo recipitur. Eſt enim actio immanens, & vitalis. Cumque ſatisfactio importet quamdam pœnalitatem, concipi vix poteſt, niſi per modum paſſionis. Dico ergo, quod quemadmodum ipſa humanitas dignificatur infinitè ab hypoſtaſi per vnionem immediatam; ſic & operationes humanæ, quibus Chriſtus ſatisfecit, infinitatem contraxerunt ab eadem ipſa hypoſtaſi. Nam & illæ quodam modo vniebantur hypoſtaticè Verbo, quatenùs vniebantur humanitati quæ ſubſiſtebat vnita ipſi Verbo. Notandumque eſt, magis ex ea vnione, & in Verbo ſubiectione valorem ſumi actuum Chriſti, quàm ex actiuo in eos influxu. Nam ſi intelligamus effectum aliquem Chriſti ad extra, is non habebit ex eo ad Chriſtum reſpectu valorem infinitum: ſicut nec habet creatura ex eo reſpectu, quem habet ad Deum, quòd ſit ab eo producta. Item oblatio quam ſui fecit Chriſtus in Cruce, infinitatem potiùs habet à Chriſto, vt ſubiectante, ſiue illam vitaliter eliciente, quàm ab eodem vt oblato, ſiue vt ſuæ illius oblationis obiecto. Nec infinitudo valoris aliqua intelligi debet in oblatione, quatenùs facta eſt Chriſti olim in Templo ab eius Matre; ſiue quatenus fit quotidie à Sacerdote, & conſideratur vt actio offerentis.

15. Tertiò, quandoquidem Chriſti perſona intimam ſibi habet Diuinitatem per ſummam eum Verbi perſonalitate identificationem; ita vt ipſa Diuinitas in humanitate, cui mediante Verbo vnitur, reſideat ſpecialiter, quaſi in Throno, Altari, vel puluinari ſanctiſſimo; & in eadem per intellectum & voluntatem ſuam increatam circa ea obiecta operetur, circa quæ operatur ipſa etiam humanitas per intellectum, & voluntatem creatam. Hinc fit vt talis humanitas ex conſortio tam perfectæ naturæ ſimul cum ipſa & ſubſiſtentis, & operantis, dignificetur immenſè, atque ſinguli actus eius per diuinos increatæ voluntatis actus ſimul exercitos, & in eadem obiecta tendentes illuſtrentur, eorum vt ita dicam repercuſſi fulgore. Ita vt, cùm Chriſtus aliquod obiectum volebat, geminæ ad eum pertinentis voluntatis eliceretur actus duplex, diuinus & humanus: ex quo vtroque nihil vetat vnum quaſi fieri moraliter; ſaluâ ſemper diſtinctione phyſica & reali. Quem actum, ex diuino humanoque velut compoſitum poſſis in ſenſu bono vocare Theandricum, ſeu Deivirilem.

16. Quartò conſiderandum eſt, quòd humanitas, vt eſt creatura, & à Verbo realiter diſtincta, vngitur oleo myſtico, chriſmateque ſacratiſſimo per vnionem, contactumque ſpecialem Diuinitatis in ſe reſidentis, iuxta illud *Pſal.* 94. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Atque ita maieſtatem quandam accipit & ſplendorem ſanctitatis moralem, qui quamuis ſit aliquid dependens, & ſuo modo creatum; tamen eſt verè infinitus ac ſupremi ordinis. Sanctitatem verò hîc intelligimus, non eam quæ eſt à gratiæ virtutumque infuſione, hæc enim non eſt infinita; ſed eam quæ contrahitur ex Diuinitatis intimo velut contactu. Humanitas igitur ſic delibuta, & dignitatem habens infinitam, (cuius ſuſtentandæ, licèt ipſa finita ſit, capax eſt, quia ſuſtentatio hæc eſt tantùm moralis, & ad formam moralem terminatur) non poteſt operationes edere, niſi afflantes odorem ſuauitatis Deo gratiſſimum, infiniteque dignas; etiam abſtrahendo ab ea operationum ipſarum dignitate morali, quæ procedit immediatè à præſentia ipſius Verbi. Nam ſi per

 impoſſibile

Digitized by Google

impoſſibile ſupponeremus prædictum ſplendorem moralem perſeuerare in humanitate poſt deſtructionem vnionis hypoſtaticæ (ſicut amoto balſamo, eius odor in manu quæ illud tetigit, perſeuerat) dicendum eſſet talis humanitatis operationes & ſatisfactiones eſſe valoris infiniti, ex principio communi ſæpè repetito, ſatisfactionis dignitatem peti à ſatisfaciente.

17. Vaſques *diſp.6.c.2.* infinitatem ſatisfactionis Chriſti non vult aliunde peti poſſe, quàm ab hoc ſplendore iam explicato ſanctitatis infinitæ inhærentis formaliter humanitati. Quia, inquit, quemadmodum eo ſolo remanente intelligitur infinitudo ſatisfactionis, ita eo remoto, quantumvis cætera, quæ reperiuntur in Chriſto, adſint, ſatisfactio non poteſt intelligi infinita. Quis enim dicat, ſi per impoſſibile ſupponeremus humanitatem ſpoliatam eſſe tali ſplendore ac dignitate, cùm eſt vnita Verbo, & eſſe exempli cauſa, peccatricem, Deoque exoſam, operationes illius, quamuis à Perſona diuina prodeuntes, & in eadem receptas, infiniti fore valoris? Sed reſpondeo, licèt fatear, iamque dixerim, conſiderandam eſſe plurimùm ſanctitatem illam & maieſtatem humanitatis, atque inde (quod illi, quos impugnat Vaſques, attendere debuerunt, & fortè non negaret Suares) infinitum valorem conciliari ſatisfactionibus Chriſti. Tamen inficiari non debet idem Vaſques, quin aliis etiam titulis à me explicatis infinitus valor concilietur. Et quamuis ſi per impoſſibile humanitas Verbo vnita careret ea ſanctitate, quæ in illam emanat ex diuina vnctione, non forent Chriſti actiones infiniti valoris; non tamen inde ſequitur talem valorem procedere à ſola humanitatis prædicta ſanctitate. Cùm enim bonum ſit ex toto, ſanctitas illa ſe habet per modum conditionis neceſſariæ, vt perſonalitas diuina operationes illius humanitatis dignificet immediatè: ſiue vt operationes illius humanitatis ſint aptum ſubiectum ad recipiendam dignificationem diuinam. Sicut ad eandem recipiendam requiritur in natura aſſumpta intellectualitas: non enim natura leonina aſſumpta capax foret illius dignificationis.

18. Primus & ſecundus modus ſuprà allatus ad explicandam rationem, & cauſam infiniti valoris, qui eſt in ſatisfactione Chriſti, optimè intelligitur ex hac conſideratione ſequenti. *In quaque re, quod eſt principalius* (ait ſanctus Thom. *cap. 6. opuſculi contra errores Græcorum & Armen.*) *cætera ad ſe trahit eò magis, quò perfectius eſt. Quia verò Deus eſt infinitè potens, humanitatem ineffabili modo ad ſe ita trahere potuit, vt eſſet ſibi quaſi altera natura.* Similiter Patres & Concilia dicunt, animam & carnem Chriſti eſſe factam propriam Verbi, quemadmodum cuique noſtrum ſua caro, vel anima eſt propria; vt habet Concilium Epheſinum *in defenſione anathematiſmi 11. contra Theodoretum, pag. 55.* & *in defenſione anathem.7. contra Orientales, pagina* 470. & D. Leo *epiſt. ad Fabianum.* Vnde Diuus Thomas etiam ſic habet *loco citato*: *Quodam*, inquit, *incomprehenſibili modo dicimus, Deum vnitum eſſe humanæ naturæ in Chriſto; ita quòd natura humana ſit quædam Filij Dei natura; & qualibet partes naturæ humanæ, ipſius Filij Dei dici poſſunt. Et quidquid agit, vel patitur qualibet pars naturæ humanæ in Filio Dei, poteſt attribui vnigenito Dei Verbo. Vnde non inconuenienter dicimus, animam, & corpus eſſe Filij Dei; ſed & oculos, & manus: Et filium Dei corporaliter videre per oculi viſionem, & audire per auris auditum, & ſic de aliis partibus animæ, vel corporis.*

19. Ex hac Diui Thom. ſanctorumque Patrum doctrina fit, vt quamuis in Chriſto quædam dicantur ſecundùm diuinam, quædam ſecundùm humanam naturam; ſi tamen conſideretur de quo dicuntur, indiſtinctè de vtraque natura proferantur in concreto, quia eadem eſt hypoſtaſis. Quemadmodum idem eſt homo, qui videt & audit, ſed non ſecundùm idem. Videt enim ſecundùm oculos, & audit ſecundùm aures. Quo modo etiam idem eſt flos, qui videtur, & qui olet; ſed illud quidem colore, illud autem odore. Ratione cuius dicere poſſumus videntem audire, & audientem videre, viſum olere, & olentem videri. Atque ita videns non eſt perfectior, quàm audiens, nec viſus, quàm olens; cùm duo non ſint, ſed vnus. Igitur cùm ſimiliter in Chriſto idem ſit, & qui infinitus eſt, & qui dolet in cruce (quamuis infinitus ſecundùm diuinam naturam, dolens ſecundùm humanam) tam perfectus eſt qui dolet, quàm qui eſt infinitus. Atque cùm infiniti actiones valorem habeant infinitum, debet neceſſariò dolentis dolor eundem infinitum habere valorem. Ex dictis manet clarum, actiones, & ſatisfactiones Chriſti habere valorem infinitum, cùm eas Verbum exerceat per naturam ſuam corpoream, per membra ſcilicet quæ aſſumpſit, & fecit eſſe tam ſua, quàm mea manus eſt mea, &c. Fundamentum verò totius huius doctrinæ ſumitur ex identitate ſuppoſiti, in quo duæ naturæ ſic vniuntur, vt quicquid vnius proprium eſt, de altera prædicetur; dummodo in ipſa prædicatione illæ naturæ ſignificentur iis nominibus, quæ ipſarum inter ſe in hypoſtaſi vnionem importent; importabunt autem, ſi ſumpta ſint in concreto. Atque ex eo oritur, imò in eo conſiſtit communicatio idiomatum, quæ, vt dicetur ſuo loco, fundatur in tali ſyllogiſmo expoſitorio; *Verbum Patris eſt Deus; Atqui hic homo eſt Verbum Patris; Ergo hic homo eſt Deus.* Et ſimiliter valorem infinitum actionum humanitatis vnitæ Verbo concludes hoc argumento; *Verbum Patris non poteſt habere actiones niſi infiniti valoris, Atqui Chriſtus (ſeu hic homo) eſt Verbum Patris, ergo Chriſtus (ſeu hic homo) non poteſt habere actiones, niſi infiniti valoris.*

20. Contra veritatem concluſionis, Scotus, & alij, qui volunt in Chriſti operibus eſſe valorem finitum, obiiciunt primò. Si quodlibet Chriſti meritum infinitum fuiſſet, ſequeretur, quòd vnum infinitum eſſet maius alio. Nam aliqua Chriſti opera videntur fuiſſe pretioſiora aliis quibuſdam eiuſdem operibus; & ſaltem negari non poteſt, quin omnia ſimul ſumpta pretioſiora ſint, quàm eorum vnum. Secundò operationes Chriſti ſatisfactoriæ (quod argumentum vrget Scotus) vt putà ab humanitate elicitæ, debuerunt neceſſariò eſſe finita entia, nec potuerunt infinitè placere Deo. Alioqui tantum ei placuiſſent, quantum actus increati ſuæ Diuinitatis. Tertiò ſi ex infinitate perſonæ Chriſti colligitur infinitas actionis ſatisfactoriæ: ergo inter puros homines is deberet habere plus meriti, cæteris paribus, qui maiorem poſſideret gratiam habitualem, quàm alij. Quartò ſi opera Chriſti valorem infinitum habuerunt; ergo per ea Chriſtus omnia poſſibilia mereri potuit. Quod eſt abſurdum. Nam primò Deus qui talibus meritis præmium valdè limitatum propoſuit, iniuſtus fuiſſet. Deinde patet excogitari poſſe aliquod præmium, quod Chriſtus mereri nequiuerit. Non enim potuit, vt aliquid à Deo petens præualeret aduerſus preces alterius Chriſti, qui v. c. ex humanitate hypoſtaticè vnita primæ Trinitatis Perſonæ conſtans, poſceret enixè contrarium.

21. Reſpondeo ad primum, non repugnare vnum infinitum

infinitum

Digitized by Google

infinitum eſſe maius alio. Nam ſi infiniti producerentur homines, maior eſſet numerus digitorum, quàm oculorum. Atque ita ex eo capite nullum eſt inconueniens, quin operum Chriſti vnum fuerit pretioſius alio. Et ſanè cùm exercuerit virtutes, clarum eſt earum obiecta formalia diſpares honeſtates habere. Nec negari poteſt omnia ſimul ipſius Chriſti opera fuiſſe extenſiuè pretioſiora, quàm vnum ſolum. Eſt tamen aduertendum duplicem in operibus Chriſti conſiderari valorem. Alterum, qui ſumitur ex eorum ſpecie morali, & ratione diuerſarum, quas ille exercebat, virtutum, nec inde petitur infinitudo; conſtatque ſic excellentiores fuiſſe actus charitatis, quàm patientiæ, &c. Alterum qui ſumitur ex perſonali operantis dignitate, quo modo omnia Chriſti opera libera æqualem infinitudinem valoris habuerunt. Porrò aduertendum etiam eſt, actualia Chriſti merita, & ſatisfactiones infinitè dignas limitari potuiſſe ab acceptatione Patris, & intentione ipſius Chriſti offerentis. Quomodo vnum opus, quamuis de ſe condignum, ſi ſeorſim ab aliis, & nominatim à paſſione, illud ſumas, non eſt nobis promeritum redemptionem.

22. Ad ſecundum, ſi operationes conſiderentur ſecundum phyſicam entitatem, ſunt entia finita: ſed nos hic illas conſideramus ſecundum valorem moralem deſumptum ex dignitate perſonæ, ſecundùm quem Deo placent infinitè in genere meriti, & ſatisfactionis: in quo genere non placent actus increati; cùm perfectio meriti & ſatisfactionis non ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. Quare non bene actus increati cum ſatisfactoriis comparantur. Ad tertium negari poteſt primò conſequentia. Maior enim eſt ratio, cur dignitas ſubſtantialis, qualis eſt per hypoſtaſin in Chriſto, influat tota ſua proportione in opus, quàm dignitas accidentalis, qualis eſt in puris creaturis per gratiam. Sed ſecundò tranſeat conſequentia, non eſt in ea quicquam abſurdi. Ad quartum, concedo primam conſequentiam, licèt in rigore non valeat; poteſt enim quis infinita, & non tamen omnia poſſibilia mereri. Deus verò iniuſtus non fuit erga Chriſtum; quia illi omne præmium dedit, quod ipſe Chriſtus actualiter intendit, & ad quod ipſe Deus illius opera acceptauit. Nam vt iam dixi, & Pater acceptatione ſua, & Chriſtus intentione ſuæ oblationis actuale operum, paſſionumque meritum (quod ſufficientem habebat in actu primo valorem, vt ad quæcumque præmia, etiam ad vnionem hypoſtaticam extenderetur) limitauit ad eam præciſè remunerationem, quæ fuit ei reddita, vel reddetur. Ad ſuppoſitionem illam duorum Chriſtorum, qui per oppoſitas preces à Deo peterent contradictoria. Reſpondeo, quod quilibet Chriſtus in eo caſu mereretur contra alterius preces exaudiri. Neque eſt inconueniens dari conſequenter ad illam impoſſibilem ſuppoſitionem merita condigna inter ſe oppoſita. Niſi malit quis dicere, quod illa duo merita in tali caſu ligarent ſe inuicem quoad vim & valorem, quem haberent integrum ratione condignitatis. Dici etiam poteſt, Chriſti preces valere tantùm ad poſſibilia obtinenda omnia; impoſſibile autem eſſe quicquam concedi cum alterius illorum Chriſtorum repulſa: vnde fit prædictas eas preces omninò impoſſibiles eſſe, & de re impoſſibili.

Proponuntur, ac reiiciuntur quidam alij modi explicandæ infinitatis meritorum, & ſatisfactionum Chriſti.

SVnt nonnulli, qui rationem infinitatis, quæ reperitur in operibus, quibus nos Chriſtus redemit, ad ipſius Chriſti perſonam, non tantùm vt ſatisfacientem actiuè, ſed etiam vt obiectiuè ſe habentem, hoc eſt, vt in pretium oblatam, ſiue vt materiam donationis ab ipſo Chriſto pro nobis factæ, referant. Atque vt ſuam illam ſententiam firment, diſtinguunt in operibus Chriſti quatuor rationes, quas conſiderauit Diuus Thomas *quæſt.* 58. *in quatuor primis articulis*: nempe rationem meriti, ſatisfactionis, ſacrificij, & pretij. Atque aiunt tres quidem primas rationes infinitatem ſumere ex perſona vt agente; rationem autem pretij non item, ſed ex obiecto, ſeu re oblata. In emptionibus enim attenditur ſolùm pecuniæ, vel eius rei, quæ datur, valor; non autem dignitas ementis, quæ ad id impertinens eſt. Quia ergo ſanguis, & vita Chriſti, quæ effuſa fuit in compenſationem pro peccatis, infiniti erat valoris, propterea cenſent voluntariam illius effuſionem infinitum fuiſſe pretium. Verùm hi errant. Nam Chriſtus nos non emit quaſi materiali pecuniâ, ſed meritis, & ſatisfactionibus ſuis; nec aliud obtulit Deo pretium, quàm merita & ſatisfactiones. Si ergo fatentur rationem ſatisfactionis & meriti haurire totam ſuam dignitatem à perſona vt agente, vel patiente, neceſſarium eſt vt idipſum fateantur de ratione huius pretij. Porrò clarum eſt, valorem infinitum oblationis & compenſationis, quam pro nobis Chriſtus fecit, nullo modo peti ex infinita dignitate obiecti, ſeu rei oblatæ. Nam cùm B. Virgo Filium, vt iam ſuprà indicaui, Deo Patri offerebat pro humano genere, non dicebatur propterea infinitam, vel condignam pro nobis ſolutionem offerre; nec per talem oblationem redimere nos condignè potuiſſet, etiam accedente Dei pacto. Et contrà potuiſſet Chriſtus ob dignitatem Perſonæ ſuæ nos redimere, offerendo, & ſacrificando victimam quamcunque, putà agnum. Quia nimirum hoc genus emptionis quo redempti ſumus, accipit dignitatem ſuam ex perſona emente, cùm ſit facta, vt dictum eſt, per viam ſatisfactionis, & meriti. Optimè aduertit hîc Suares, Perſonam Chriſti conſideratam ſub ratione agentis, cùm per operationes ſuas Patri ſatisfaciebat, inuoluiſſe quodammodo ſeipſam ſub ratione materiæ & obiecti. Quatenus ſcilicet per huiuſmodi operationes non tantùm directè, & in actu ſignato vitam ſuam offerebat; ſed hoc ipſo per virtualem reflexionem, & in actu exercito ſeipſum, etiam vt agentem, Patri ſubmittebat. Qui enim rem aliquam offert alteri in ſatisfactionem, non ſolùm talem ei rem ſubmittit, ſed quodammodo per illam ipſam humiliationem ſeipſum. Atque hoc modo Chriſti Perſonam conſideratam vt ſubmiſſionis obiectum, ſeu materiam non directè, ſed quaſi reflexè, fateor dediſſe ſuis operationibus valorem infinitum.

24. Sunt item, qui valorem infinitum operum ſatisfactoriorum Chriſti velint ex eo formaliter oriri, quòd procedant à perſona infinitè Deo accepta & amata. Non bene. Nam ratio formaliter dignificans opera, non eſt quia perſona magis diligitur, ſeu magis placet; ſed quia habet excellentiam, ratione cuius poſſit magis placere. Et quamuis reſpectu amantis Dei illa duo ſe comitentur, perſonalis excellentia, & eſſe amatum; ita vt omnia opera quæ ab excellentiori perſona procedunt, procedant item

Digitized by Google

à perſona magis amata, & chara Deo; tamen ratio cur opera magnum valorem habeant, non eſt niſi materialiter & conſequenter, quòd perſona ſit amata à Deo: formalis enim, & vera ratio eſt, quòd ſit valdè excellens. Et quamuis per impoſſibile Deus perſonam excellentem & valdè amabilem non amaret; tamen opera talis perſonæ non deſinerent habere magnum valorem & pretium, ſeu dignitatem. Verum quidem eſt, quòd ratio amati à Deo valeat multùm ad impetrandum per preces: facilius enim exaudimus preces amicorum & filiorum, aut fratrum, licèt non habentium perſonalem magnam excellentiam, quàm aliorum ignotorum, licèt ſint viri excellentes. Ita Chriſtus, licèt ob ſuam excellentiam, dum orabat, exaudiretur; vt Paulus ſignificat, cum illum ait *Hebr.* 5. exauditum fuiſſe pro ſua reuerentia; non dubium eſt, quin etiam Pater ad eius preces flecteretur multùm ob amorem, quo eum diligebat, & in ipſo ſibi complacebat. Sed aliud eſt vis impetratoria, de qua hic non agimus; & aliud vis ſatisfactoria, vel meritoria, quam dicimus non in eo, quòd perſona ſit amata, ſed in eo, quòd ſit excellens, fundari.

25. Cardinalis Delugo *diſp.6. ſect.1.* cùm ſupponat vt principium apud ſe certum, non poſſe dari vnum infinitum maius alio, ac per conſequens nihil poſſe eſſe abſolutè ac ſimpliciter in aliquo genere infinitum, ſi eo maius aliquid in eodem genere poſſit dari, negat merita (& per conſequens ſatisfactiones) Chriſti eſſe infinita ſimpliciter in ratione meriti ac ſatisfactionis, quamuis infinita ſint in ratione valoris & pretij. Prima eius ratio eſt, quoniam quolibet Chriſti merito poteſt dari aliud meritum perfectius; illud ſcilicet, quod maiorem vim ad mouendum Deum habeat, non quidem ex dignitate perſonæ, ſed ex operis moralis excellentia; vt ſi loco patientiæ, aut iuſtitiæ, &c. exerceatur alius actus aut eiuſdem ſpeciei perfectior intenſiuè, aut alicuius altioris virtutis, putà charitatis. Secunda ratio eſt, quia omne meritum Chriſti (quod ipſe putat eſſe quid aggregatum) intrinſecè includit aliquam partem limitatam & finitam, ſcilicet opus ipſum morale tale, vt poſſit eſſe aliud illo melius. Quare, inquit, erit meritum infinitum ex vno capite, ſcilicet ex dignitate perſonæ; non tamen ex altero capite, nempe ex opere, ac per conſequens non in omni genere, ſed ſecundum quid. Fatetur tamen prædictus Author, ſingula Chriſti merita, licèt non ſint infinita ſimpliciter in ratione meriti, habere ſic infinitum ſimpliciter valorem, vt non ſit vllum præmium excogitabile, quodcumque illud ſit, & cuiuſcumque rationis, ad quod nimirum Chriſti opus & meritum non ſufficiat de condigno. Quare omne meritum Chriſti, licèt non moueat infinitè Deum ad præmiandum, cùm poſſit dari aliud meritum perfectius, quod magis moueat; mouet tamen ad infinitum præmium, cùm non poſſibile ſit vllum præmium, ad quod non moueat; nec dari poſſit meritum, quod licet moueat magis, ad maius moueat.

27. Docet inſuper idem Author *num.* 15. *& ſequentibus*, hunc valorem infinitum, quem Chriſti merita habent ad omne poſſibile præmium, non oriri directè ac formaliter ex perfectione & conditione intrinſeca ipſorum meritorum, ſed ad eam ſe habere materialiter, & quodammodo per accidens. Vult enim ſingula merita Chriſti non aliud mereri directè ac formaliter, quàm magnum aliquod ac notabile præmium: accidere autem poſteà, vt dum æſtimatur quodnam ſit illud magnum ac notabile præmium, inueniatur non poſſe eſſe vllum reſpectu Chriſti, propter nobilitatem Perſonæ diuinæ, quod non ſit perfectè ac ſimpliciter infinitum. Quemadmodum ſi gregarius miles, & Princeps opus idem virtutis, ac fortitudinis eodem modo exequantur, merentur ambo formaliter idem præmium, nempe quod magnum ſit, verbi causâ, vt ſex, aut vt octo. Cùm tamen deinde æſtimatur, quodnam ſit magnum præmium, tum reſpectu militis, tum reſpectu Principis, inuenitur materiale diſcrimen ingens: nam quod reſpectu militis erit magnum & excedens, reſpectu Principis exiguum ac ferè nullum erit. Quare dum illi pro præmio mille aſſignabuntur aurei, debebit iſti aſſignari poſſeſſio ciuitatis, aut etiam prouinciæ integræ. Atque ita negat Delugo dignitatem perſonæ exercentis aliquod opus meritorium, augere valorem ipſius operis, aut reddere opus ipſum pretioſius: ſed vult conſiderandum eſſe ipſum opus bonum antecedenter ad dignitatem perſonæ, & ſolùm ſecundum bonitatem moralem, quam habet, & qua placet Deo. Atque ſic æſtimatur illud opus dignum eſſe magno præmio. Deinde ad diſcernendum, quale futurum ſit magnum præmium, attenditur ad dignitatem perſonæ præmiandæ.

27. Non mihi probatur illa doctrina. Primò enim ex ſuperioribus apparet, negandum eſſe illud principium, quod non poſſit dari vnum infinitum alio maius. Nihil eſt ergo, cur negemus quodlibet Chriſti meritum eſſe infinitum, licèt poſſit dari vnum alio perfectius. Nihil verò facit ad rem, quòd meritum Chriſti includat honeſtatem moralem talem, vt detur eâ maior; cùm ex morali honeſtate actuum Chriſti non petatur valor eorum infinitus, vt iam ſuprà oſtenſum eſt. Quod autem in Chriſti operibus iſte Author diſtinguat infinitatem meriti ab infinitate valoris, & illam neget, hanc concedat; id non videtur admittendum. Nam opera meritoria hoc ſolo valorem habent, quod ſunt de ſe condigna, & in actu primo meritoria, & contrà, eatenus ſunt formaliter meritoria in actu primo, quòd valorem habent: atque eadem eſt meriti, valoriſque ratio. Quare falſum item eſt, valorem operum ſumi ex dignitate perſonæ, non vt operantis, ſed vt præmiandæ: atque ipſa opera bona conſideranda eſſe antecedenter ad dignitatem perſonæ, & ſolùm pendenda ſecundùm bonitatem & ſpeciem moralem, quam ex obiecto ac circumſtantiis habent, & quâ placent Deo. Neceſſarium enim eſt in ipſa ratione meriti inuolui ipſam dignitatem perſonæ operantis; nec apparet, cur perſona operans non æquè ſit conſideranda in æſtimatione operis, quàm eadem ipſa perſona vt præmianda conſideretur in attributione, æſtimationeque mercedis. Imò cogitur ipſe Delugo *n.* 18. conſiderare in opere dignitatem perſonæ vt operantis, cùm non poſſit aliter explicare, quomodo in Chriſto opera minora, verbi causâ, actus honeſtæ recreationis & alia, ſi quæ ſint adhuc minora, exigant de ſe præmium quod ſit magnum (hoc eſt quod reſpectu Chriſti præmiandi debeat eſſe infinitum) & non potiùs exiguum, pro ipſius exiguitate operis.

***

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Expeditur difficultas, num Deus pro omni peccatoris debito condignam potuerit à Chriſto ſatisfactionem accipere.

1. RATIO difficultatis eſt, quia conſtat homines per peccatum contraxiſſe debitum carendi redemptore, vtpotè indignos redditos omni gratiâ. Impoſſibile autem fuit, vt Chriſtus pro eo debito ſolutionem fecerit Patri. Non enim id potuit antequam conſtitueretur Redemptor, & admitteretur ad ſatisfaciendum pro genere humano, vt per ſe patet. Non etiam id potuit poſtquam conſtitutus fuit Redemptor. Nam quicquid poſteà afferre potuit, ſupponebat remiſſum iam fuiſſe abſque vlla ſolutione debitum iſtud de quo agimus; factamque iam eſſe gratiam peccatoribus hominibus, vt haberent redemptorem. Ad hanc difficultatem.

2. Dicendum eſt, quando fit aliqua debiti remiſſio, eam conſiderari poſſe, vel vt factam formaliter propter debitorem, & ex amore ipſius; vel vt non factam formaliter propter ipſum, ſed ex ſolo amore alterius, qui id remitti debitum, & gratiam talem fieri debitori obtineat: ita vt gratia ipſi debitori non fiat niſi materialiter. Aio igitur in præſenti, quando conſtitutus eſt hominibus redemptor, quo carere merebantur, eam gratiam factam fuiſſe formaliter propter Chriſtum, qui illam in priori obtinuit; non autem propter genus humanum, niſi materialiter. Obtinuit, inquam, illam Chriſtus antequam poſſet exercere munus Redemptoris, aut ſatisfactionem vllam offerre pro peccatoribus, vt bene ſuprà obiiciebatur. Atque ita fateor pro illa gratia conceſſi hominibus Redemptoris, Chriſtum nullam ſolutionem, aut ſatisfactionem pro peccatoribus obtuliſſe Patri; nec tamen propterea debitum vllum per hominum peccata contractum, remiſſum fuit. Non enim debitum tale mortales contraxerant, vt ſi Chriſtus aliquid peteret, non exaudiretur à Patre, & in ipſorum odium reiiceretur, ac minùs amanter tractaretur. Meriti enim tantùm erant, vt ſibi Redemptor ex ipſorum amore non concederetur: quemadmodum de facto conceſſus non fuit. Quare dum conceſſus fuit eo modo quo dictum eſt, redemptor, nihil factum eſt, quod homines meriti fuiſſent non fieri; atque adeò nullum eatenus fuit remiſſum eorum debitum, pro quo ſatisfactio deberetur.

3. Vrgebis. Gratia hæc, qua Deus Chriſtum voluit eſſe Redemptorem, collata fuit formaliter propter ipſos peccatores. Non enim collata fuit formaliter propter Chriſtum, in cuius vtilitatem ceſſura non erat hominum redemptio. Et ſanè quomodo potuit ex amore Chriſti petentis, & ſe in Redemptorem offerentis, decerni prædicta redemptionis gratia, cùm hæc decreta fuerit antequam Chriſtus eſſet, aut poſſet eius petitio præuideri à Deo? Siquidem non futurus fuit, aut decretus à Patre Chriſtus ante decretam hominum redemptionem: non enim, vt multorum eſt ſententia, Deus Chriſtum producere decreuit, niſi ex intentione reparandi hominem lapſum. Reſpondeo. Videtur quidem aqua hîc illis hærere, qui Chriſtum concedunt non fuiſſe decretum niſi vt Redemptorem, & in gratiam ſolam hominis lapſi. Vix illi euitare poſſunt, quin per conceſſionem redemptoris, condonatum liberaliter & gratis fuerit peccatori debitum illud quod habebat carendi reparatore. Sed nos longè probabiliùs putamus, Chriſtum fuiſſe præfinitum ante hominis lapſum, & ante totum negotium redemptionis. Quare præuideri à Deo potuit illius, vt in priori exiſtentis, affectus & voluntas erga lapſum hominem; & propter illius talem affectum, eiuſdemque petitionem concedi homini Redemptor. Vbi Chriſtus quidem gratiam formaliter contulit peccatori, ſe pro illo, & ex eius amore deuouens; Deus autem ipſi Chriſto, eius petitionem admittens. Nullum verò tunc remiſſum eſt à Deo debitum peccatori, qui ſcilicet meritus non erat, vt gratia vlla Chriſto negaretur, quemadmodum iam dixi: nec erat dignus vt Chriſtus à Patre minùs amaretur, patereturque repulſam.

4. Quæret fortè aliquis, vnde habeamus id quod tanquam certum hîc ſupponimus, Chriſtum nempe ſe Patri obtuliſſe, vt redemptor fieret; neque Patrem ei prouinciam redimendi generis humani impoſuiſſe, niſi illâ eius præſuppoſita oblatione ac petitione. Reſpondeo id nos quidem facilè expedimus, vt patebit mox *num.* 5. *&* 6. at vix defendere, aut explicare poſſunt conuenienter ſuis principiis illi, qui Chriſtum ſola redemptionis humanæ cauſâ decretum à Deo fuiſſe affirmant, & exiſtentiam eius præſupponi negant officio Redemptoris. Nihilominus eorum multi, vt Ariaga *diſp.* 13. hanc noſtram ſententiam, quâ aſſerimus, Chriſtum non fuiſſe conſtitutum à Patre Redemptorem, niſi ipſo petente, & ſe ad id offerente, conantur defendere; ac tam certam & indubitatam eſſe exiſtimant, vt ad eam explicandam, tuendamque non dubitent ad ſubtilitates recurrere parum ſolidas, & ſe coniicere ad ſat magnas anguſtias. Audiamus ipſa verba quibus Ariaga *diſp. illa* 13. *numer.* 2. doctrinam illorum explicat. *Docent*, inquit, *etiamſi Chriſtus non fuerit decretus à Deo niſi præuiſo peccato, & ex deſiderio Dei erga redemptionem generis humani; nihilominus tamen fuiſſe in primo humanitatis Chriſti creationis inſtanti, ei humanitati ratione & libertate iam tunc prædita factam à Deo hanc optionem; ſi vis carnem habere impaſſibilem non redimendo genus humanum, contentus ſum; contentus item ſi in carne paſſibili velis eſſe hominum fideiuſſor: quo caſu liberum tibi relinquo, &c.* Hactenus Ariagæ verba. In quibus nemo eſt, qui non aduertat iſtos Doctores, qui volunt Chriſtum quoad ſubſtantiam prædeſtinatum fuiſſe conſequenter ad efficax, abſolutumque decretum redemptionis humanæ, aſſerere tamen quod illius ipſius Chriſti humanitas iam producta conſtituitur in libera facultate eligendi redemptionem, vel non redemptionem humanam. Quod vt contradictione prædictus Author eximat, cogitur *num.* 17. recurrere ad vſum ſcientiæ mediæ non valde probabili ſubtilitate, quam ipſe, ſi vacat, videre potes. Cogitur præterea *num.* 18. concedere Chriſtum (qui non venturus fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet, aut ſi eum Deus noluiſſet redimere) decretum non fuiſſe ex intentione efficaci redemptionis, ſed ex intentione quam Deus conditionatam habuerit, & inefficacem de homine redimendo. In quibus ego iam perſequendis refutandiſque non immoror. Non enim hæc alio animo attuli, quàm vt appareat noſtram debere certam eſſe ſententiam, qua Chriſtum aſſerimus non conſtitutum fuiſſe à Patre noſtrum Redemptorem, niſi quia ſe ipſe ad id obtulit, & obtinuit: quandoquidem id ipſum tuentur, qui non niſi difficillimè poſſunt.

At

Digitized by Google

5. At nos, cùm Chriſti exiſtentiam ante præuiſum Adami peccatum fuiſſe decretam aſſeramus, nec talibus premamur difficultatibus, nullo negotio id probare poſſumus. Primò quidem ex ſcriptura cùm veteris, tum noui Teſtamenti. Certum enim eſt (vt habetur *ex epiſt. ad Hebr. cap.* 10.) in perſona Chriſti mundum ingredientis prolata fuiſſe hæc verba *Pſalmi* 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* In primo nempe conceptionis inſtanti Chriſtus intrans in hanc vitam agnouit antiquorum imperfectionem ſacrificiorum, iuſtificare homines non valentium; ideoque corpus ſuum in ſacrificium & in nouam pro ſalute hominum hoſtiam obtulit. Quod Paulus immutatis tantiſper Pſalmiſtæ verbis ſic expreſſit. *Ideò ingrediens mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, ecce venio.* Quaſi nempe diceret, quia non poteſt alio ſacrificij, aut remedij genere ſatisfieri pro mortalium peccatis, ecce me: præſto ſum, Pater, volo mundum redimere. De qua Chriſti voluntate intelligi aptè poteſt quod idem Apoſtolus ait; *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti.* Multa ſuper allatis ſcripturæ verbis afferri poſſent, quæ nos memores inſtituti omittimus, cùm præſertim in promptu ſint apud Interpretes. Ad liberam Chriſti, vt Redemptor fieret, petitionem ſignificandam maximè faciunt hæc apud Apoſtolum & Pſalmiſtam verba; *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam.* Quæ non ita ſunt intelligenda, vt bene Ribera notauit, quaſi Chriſtus elegerit venire in carne paſſibili ad nos redimendos, vt obediret Patris præcepto iam dato, & voluntati præſuppoſitæ: ſed ſenſus eſt ipſum vitam paſſibilem liberè elegiſſe, ac petiiſſe, vt poſſet obedire præcepto poſteà dando, & voluntati futuræ Patris. Eo modo, quo aliquis dicitur ingredi Religionem vt obediat, non quidem præcepto quod acceperit Religionem ingrediendi, ſed illis præceptis, quæ ſibi Religionem ingreſſo Superiores deinde imponent.

6. Huc pertinet etiam alter eiuſdem Apoſtoli locus *in eadem ad Hebr. epiſt. cap.* 12. vbi ex multorum Patrum, Doctorumque ſententia, Chriſto integrum fuiſſe, vt vel paſſibilis nos redimeret, vel à redemptione impaſſibilis abſtineret, ſignificatur his verbis; *Aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Hoc eſt, cùm ſibi ex vna parte propoſuiſſet vitam immortalem, gaudij plenam & gloriæ, à Patre oblatam; ex altera verò ærumnoſam vitam, & mortem crucis, quâ pro hominibus ſatisfaceret; elegit ipſe libera voluntate præ gloria, & loco propoſiti, oblatique ſibi gaudij (*ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς*) vitam paſſibilem, mortemque ignominioſam pro generis humani ſalute. Hanc expoſitionem ſequitur Salmeron *tom.* 3. *diſp.* 22. & Ribera *in hunc locum:* eamque valde confirmat textus Græcus iam allatus; cuius hæc eſt ſententia; pro propoſito ſibi gaudio, (hoc eſt, loco propoſiti ſibi gaudij) elegit ac ſuſtinuit crucem. Eandem expoſitionem ſequuntur Rupertus valde diſertè, & illi Patres, de quibus *num. ſequenti.*

7. Præterea Patrum auctoritate probatur hæc noſtra ſententia, quòd Chriſtus petierit, & obtinuerit à Patre, vt ſibi liceret homines redimere. Sic enim teſte Cornelio à Lapide, *in prædictum locum cap.* 12. *ad Hebr.* cenſuerunt Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Oecumen. Sic etiam Rupertus apud eundem Cornelium. Sed audiendus eſt præ cæteris Diuus Anſel. *lib.* 2. *cur Deus homo: Dominus Ieſus, cùm mortem,* inquit, *ſuſtinere voluit, quoniam ſuum erat pati, & non pati, debuit facere quod fecit, quia quod vult, facere debuit; & non debuit facere, quia ex non debito. Quoniam ipſe idem eſt Deus & homo, ſecundùm humanam naturam, ex qua fuit homo, ſic accepit à diuina natura, quæ alia eſt ab humana, eſſe ſuum quod habebat, vt nihil deberet dare, niſi quod volebat.*

8. Cùm ex dictis hactenus certum relinquatur, non conceſſum fuiſſe generi humano redemptorem, niſi formaliter ex intuitu & amore Chriſti id petentis, & ſe ad ſatisfaciendum pro peccatoribus offerentis; perſpicuum eſt, conſtatque in eo beneficio conceſſi Redemptoris, nullum ipſis peccatoribus remiſſum fuiſſe debitum. Quandoquidem ex directa intentione Dei nihil in eorum gratiam, vtpotè indignorum, factum eſt: neque Deus, ſi eorum ratio haberetur, redemptorem dare voluiſſet. Illi autem non aliter carendi redemptore debitum contraxerant, niſi vt is non daretur propter ipſos formaliter, & eorum intuitu. Atque ita bene intelligitur conceſſionem redemptoris, quantumuis eâ indigni peccatores eſſent, non impediuiſſe, quominus Chriſtus pro omnibus omninò debitis, quæ mortales peccando contraxerant, & quæ Deus illis remiſit, ſatisfecerit.

9. Vrgebis adhuc vlteriùs. Sed antequam Chriſtus, prout in priori exiſtens, ſe offerret, aut quicquam à Patre petiiſſe intelligi poſſet, Deus præſupponi debet Chriſtum ipſum mouiſſe, vt ſe pro peccatoribus offerret; atque illi hanc ſanctam cogitationem, ſeu gratiam immiſiſſe, qua excitaretur ad ſe pro mortalium redemptione offerendum. Quæ gratia maximum fuit beneficium peccatori non à Chriſto impetratum; cùm Chriſtus primam gratiam, qua præuentus ad petendum fuit, nequeat præſupponi petiiſſe. Reſpondeo. Talis gratia Chriſtum ad charitatem erga peccatores præmouens non fuit quidem ab ipſo petente impetrata, ſed conceſſa liberaliter à Deo; non vt formale beneficium peccatoris, ſed propter ſolum amorem ipſius Chriſt; cui bonum erat ornari omni virtute, atque per conſequens elicere actus charitatis & miſericordiæ erga ipſos homines fratres ſuos, licèt peccatores, & indignos. Vbi aduerto, eos qui volunt non venturum fuiſſe Chriſtum, ſi Adam non peccaſſet, poſſe eodem modo defendere (quod tamen nullus eorum, quem viderim, facit) prædeſtinatum primo fuiſſe redemptorem non tam ex amore erga peccatores, ea gratiâ indignos, quàm ex amore ipſius Chriſti, cui valde honorificum, glorioſumque futurum erat exterminare peccatum, atque de triumphati diaboli poteſtate genus humanum eripere. Qua ratione, modò inducerent vſum ſcientiæ mediæ, facilè defenderent nullum fuiſſe remiſſum gratis debitum peccatori in conceſſione prædeſtinationeque redemptoris, ac per conſequens, Chriſtum condignè pro omni penitus debito per peccatum contracto ſatisfeciſſe. Sed hoc non volunt. Imò eorum multi cum Leſſio dicunt, incarnationem non potuiſſe à Deo expeti propter Chriſtum; fuiſſeque indignam Deo, niſi id miſericordia, & in homines amor excuſaret.

10. Hanc quæſtionem de contracto ab hominibus per peccatum debito non habendi redemptorem, an Chriſtus nempe pro eo ſatisfacere potuerit; ego quidem olim, cùm nullus adhuc illam Auctor, quod tunc ſcirem, tractaſſet, ſic moui & ſolui, quemadmodum toto hoc capite explicatum eſt. Ab

eo

Digitized by Google

eo tempore illam inueni tractatam à Mæratio *de Incarnatione diſp.3.ſect.9.& 10.* atque à Martino Peres *diſp.4.ſect.9.* & quidem ita, vt quamuis ad ea quæ hîc diximus aliquantulum accedant, non tamen plenè difficultatem expediant. Nam licèt verum ſit, quod bene docent, nullum peccatorem poſſe mereri, ne Deus in vllam naturam ſit beneficus, eam hypoſtaticè aſſumendo, & aliquem hominem producendo, qui diuinam habens ſubſiſtentiam ſit idoneus ad ſatisfaciendum pro peccatis; non tamen in eo propriè quæſtio reſidet, nec per id difficultas euacuatur. Et ſanè quilibet intelligit, nequaquam à peccatore pendere, vt Deus naturam creatam aliquam non aſſumat hypoſtaticè; patetque noſtri peccati demeritum non poſſe id impedire. Igitur poſtquam præſuppoſuerimus, Verbum diuinum humanam de facto naturam aſſumpſiſſe, difficultas adhuc reſtat; num ſcilicet Chriſtus, per vnionem hypoſtaticam productus potuerit eſſe ex intuitu peccati Adami decretus, & in Redemptorem prædeſtinatus, quin hoc ipſo gratis, & ſine vlla ſolutione peccatori remitteretur debitum aliquod ab ipſo contractum, nempe debitum carendi penitus Redemptore. Quod nos planè hîc expediuimus: non poteſt autem in ſuis principiis expedire Mæratius, cùm teneat, Chriſtum non fuiſſe decretum, niſi vt Redemptorem in gratiam hominis iam lapſi. Atque quidquid addit hic Auctor *ſect. 10. & ſeq.* ad ſoluendam difficultatem inſufficiens eſt: vt dum ait, conceſſo quod peccator incurrerit debitum carendi redemptore, & quod id debitum gratis Deus remiſerit, cùm ex eius amore decreuit & acceptauit Chriſtum in Redemptorem: inde tamen condignam & plenam ipſius Chriſti ſatisfactionem in poſteriori ſequentem non impediri. Sanè conſtat, quod ſi fuit remiſſum priùs gratis debitum, Chriſtus pro illo nihil ſoluit, ſed tantùm plenè pro reliquis ſatisfecit debitis peccatoris, quæ ſuperfuerunt, poſtquàm iam ipſe Chriſtus vnionem hypoſtaticam habuit, & acceptatus in Redemptorem eſt.

11. Sed nec valet, quod ait tum ipſe Mæratius *ſuprà*, tum etiam Martinonus *diſput. 2. ſect. 10. ſub finem*, non tractans hanc quæſtionem ex inſtituto, ſed aliud agens; per remiſſionem (quam fatentur gratuitam) prædicti debiti nullo modo gratiam ipſi Chriſto fuiſſe factam, ſed ſoli peccatori; cùm non Chriſtus, ſed peccator tale debitum contraxiſſet. Dico enim, quod remiſſio illa quamuis peccatori facta intelligatur, impedit tamen in Chriſto nihil pro ea ſoluente condignitatem iuſtitiæ. Non enim ſatisfecit pro eo debito, quod peccatori nulla ſolutione aliunde accepta remiſſum eſt. Et eatenus Chriſto vt ſponſori, & peccatoris debita ſoluturo, fuit aliquid condonatum ne ſolueret.

12. Antequam hinc exeamus vnum reſtat circa id, quod tanquam præcipuum in hac quæſtione fundamentum aſſeruimus, gratiam Redemptoris non fuiſſe formaliter factam peccatori, ſed tantùm materialiter; neque conceſſum fuiſſe Redemptorem ex charitatis affectu, quem Deus haberet aduerſus homines. Circa id, inquam, notandum eſt, aſſertionem illam non eſſe intelligendam, niſi de prima conceſſione, prout initio facta eſt. Ea enim, vt dictum eſt, facta fuit ſolo Chriſti ipſam petentis intuitu. Veruntamen poſtquam Chriſtus facta oblatione ſui, conconſtitutus eſt Redemptor, certum eſſe debet ipſum obtinuiſſe ſuo merito, & non ſine condigna ſolutione, vt Pater eandem illam redemptionis gratiam, quæ tantùm materialiter fuerat initio facta hominibus, inciperet deinde facere per veræ, formaliſque charitatis affectum erga genus humanum. Deus enim qui mundo antea erat infenſus; Deinde vera Charitate *ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3.* Quam Dei erga nos charitatem etiam ſignificat Paulus *Rom.8. Pro nobis*, inquit, *omnibus tradidit illum, &c.*

CAPVT VIII.

Chriſti opera ſatisfeciſſe pro peccatis hominum in ſummo iuſtitiæ rigore.

1. NEGANT multi, grauesque Doctores, quibus adhærent Vaſques, Leſſius, Delugo, &c. iuſtitiam intercedere poſſe veram, ac propriam inter Deum, & creaturam. In quorum ſententia nullus eſſe poſſet locus huic noſtræ de Chriſti ſatisfactione rigoroſè iuſta ſententiæ. Quamobrem ante omnia ſtabiliendum eſt, non repugnare iuſtitiam propriè ſumptam, nec in creaturis aduerſus Deum, nec in Deo aduerſus creaturas. Quod meliùs fieri non poteſt, quàm aduerſariorum euertendo fundamentum. Nempe aiunt, imperfectionem ſonare in Deo, quòd ex iuſtitia obligari dicatur: ſic enim ſignificatur aliquid eſſe extra dominium eius, atque illum non eſſe perfectè dominum vniuerſorum. At repugnat Deum non eſſe vniuerſorum perfectiſſimè dominum. Ergo, &c. Probatur maior. Nam perfectum dominium eſt poteſtas plena moralis vtendi re ſua in ordine ad omnem vſum. Hanc autem poteſtatem Deus non habebit, ſi obligetur ex iuſtitia. Non enim poterit negare ſine iniuria rem, ad quam fuerit ex iuſtitia obligatus. Confirmatur. Nam Deus poſſidet in ſe, & continet modo quodam eminentiſſimo ius omne creaturarum. Ergo iure ſuo creatura cum illo agere non poteſt. Omni enim iuri, vtpote abſolutè ſuo, Deus derogare poteſt.

Vera ratio, & vnica, cur iuſtitia inter Deum, & creaturas non repugnet.

2. RESpondeo iuſtitiam ſiue commutatiuam, ſiue diſtributiuam, ſi ab ea remoueantur (quemadmodum fit in aliis virtutibus, quæ Deo, & nobis ſecundùm idem nomen, eundemque conceptum obiectiuum communes ſunt) eæ limitationes & imperfectiones, cum quibus in nobis reperitur, non eſſe indignam Deo. Nullamque ſonat imperfectionem obligatio per eam inducta, ſi Deo nec ſubiectionem, nec iuris alicuius carentiam, aut limitationem talis obligatio importet. Atqui talis obligatio nec ſubiectionem importat, cùm non ſit Deo naturalis, aut neceſſaria, ſed pendeat ex libera illius acceptatione, & conuentione: nec importat etiam (quod in huius difficultatis ſolutione præcipuum eſt, ac in primis conſiderandum) vllius carentiam, vel limitationem iuris; cùm propterea Deus non deſinat continere in eminente ſui dominij immenſitate omne ius quod aduerſus eum creatura habet, ſuper quo ipſo iure, quandocumque volet, diſpenſare poteſt, illique derogare, ne aduersùm ſe vigeat; imò & poteſt illud funditus deſtruere: quamdiu tamen id non facit, valet ius creaturæ, ipſo ſcilicet permittente, nec impedire volente. Hæc ſolutio, de qua fuſiùs nos & accuratiùs *in tract. de Iuſtitia*, planè ſatisfacere videtur obiectioni, & fundamento aduerſariorum; & quidem

Digitized by Google

quidem meliùs quàm quædam aliæ ſolutiones, à quibuſdam (tueri per eas noſtram ſententiam volentibus) allatæ, & à Patre Delugo propoſitæ *diſp.3 ſect.1.* quas operæ pretium fuerit hic non omitti, vt appareat nos iis, cùm nihil valeant, non indigere.

3. Sunt enim qui noſtræ ſtudioſi opinionis dicant, Deum, quando vi iuſtitiæ obligatur, dominium ſeruare, ſed ligatum: quemadmodum cùm obligatur vi immutabilitatis, poſtquam decreuit; aut vi fidelitatis, poſtquam promiſit ſe rem aliquam facturum, daturum, &c. Poſito enim tali decreto, aut promiſſo, non poteſt illâ de re diſponere aliter, quàm decreuit, aut promiſit; & tamen eſt ſemper eius dominus ſeruato in eam dominio. Similiter, inquiunt, poſito quod Deus circa rem quampiam alicui creaturæ dederit ius verum, & rigidum aduerſus ſeipſum, dicendus non eſt carere ſimpliciter dominio illius rei; ſed carere illius dominio expedito, quia ligatum habet. Id, inquam, niſi aliud addatur, non ſatisfacit. Nam, vt bene Delugo quoad hoc reſpondet *num.7.* dominium non eſt facultas vtendi re ſua ſine infidelitate, inconſtantia, vel peccato quocumque; ſed eſt facultas vtendi ſine alterius iniuria. Quare homo qui non poteſt die veneris comedere ſuam gallinam ſine peccato inobedientiæ, non ideò eſt minùs dominus gallinæ; poteſt enim illam comedere ſine iniuria alterius, in quo conſiſtit ratio dominij. Eodem modo qui centum nummos, quos pauperibus ſe daturum vouit, non poteſt ſine peccato ſeruare, aut ad alia transferre; poteſt tamen ſine iniuſtitia. Vnde conſtat, quando Deus conſequenter ad decretum ſuum, aut promiſſum, non poteſt diſponere de aliqua re ſine infidelitate & inconſtantia, non amiſiſſe propterea dominium. Si enim per impoſſibile vellet infidelis eſſe, & inconſtans, & de re aliter diſponere quàm decreuerit, aut promiſerit, non foret iniurius; & cùm peccaret contra virtutes alias, non peccaret contra iuſtitiam. Sed ſi ſupponatur dediſſe verum, rigidumque ius in aliquam rem cuipiam creaturæ aduerſus ſeipſum, ita vt ea de re non poſſit contra ius creaturæ conceſſum diſponere ſine iniuria; conſtat ipſius circa eam rem dominium longè diuerſo modo eſſe ligatum, & omninò perditum. Quandoquidem dominium eſt ius, quo poſſit quis de re ſua diſponere vt omnino ſuâ, & abſque iniuria vllius. Itaque, ſi aliud non addatur, non bene ſoluitur aduerſariorum contra noſtram ſententiam argumentum, quo contendunt, ſi aduerſus Deum eſt ius verum in creatura, Deum non eſſe dominum eius rei, in quam ius habet creatura. Et meritò contra ſolutionem illam, vt inſufficientem, tuetur Delugo ſententiam ſuam, quod creatura non poſſit habere ius verè ac propriè reſpectu Dei.

4. Sed inueniet Delugo ſententiam illam ſuam deſtrui, & præcedens aduerſariorum noſtrorum argumentum ſolui, ſi conſideret id quod nos ſub finem numeri 2. addidimus, & præcipuè conſiderandum eſſe in hoc negotio monuimus. Nempe, quantumuis rigidum ius habeat aduerſus Deum creatura, Deum non amiſiſſe ius & dominium in illud ipſum ius creaturæ. Vt enim in creaturam, ſic & in omne ius creaturæ ſemper habet dominium. Poterit ergo vel cum ſeipſo diſpenſare, & eatenus derogare illi iuri creaturæ, vel etiam omninò ius illud deſtruere. Quod ſi fecerit, diſponere poterit ſine iniuria de re in quam tale ius habebat creatura.

5. Non valet etiam ea ſolutio quam proponit, ac reiicit idem Author. Nimirum, quòd Deus poſtquàm dedit creaturæ ius in aliquam rem, non perdidit dominium in eam rem; quia facultate non caret diſponendi de illa re in omnem vſum poſſibilem. Atque ſi ſuppoſito iure creaturæ nequeat diſponere in quemcunque vſum, vt ante illud, ideo tantum eſt, quia ille vſus, qui foret contra ius creaturæ, iam redditus ſit impoſſibilis. Bene Delugo ſuam ſententiam, & fundamentale pro ea argumentum defendit ab ea ſolutione. Nam maxima vis argumenti fundamentalis, quo ipſe, aliique contra nos contendunt, non poſſe eſſe in creatura ius aduerſus Deum, ſita eſt in eo ipſo, quod illa ſolutio concedit; nimirum quòd vſus ille, qui foret contra ius creaturæ, ſit redditus impoſſibilis; & quidem non propter aliud, quàm quia foret iniuſtus. At nos per ſolutionem allatam *num.2.* & *num.4.* ſatis oſtendimus talem vſum non redditum fuiſſe impoſſibilem Deo, qui poteſt ius creaturæ ſibi obſiſtens aut ſuſpendere, aut funditus deſtruere. Atque ita bene ſatisfecimus fundamentali illi aduerſariorum argumento, quod explicatum eſt *num.1.*

6. Non validiùs, quàm præcedentes ſatisfaciunt fundamentali eidem, quod attulimus *num.1.* aduerſariorum noſtrorum argumento apud eundem Delugo, illi qui aiunt, poſitâ in Deo rigidæ obligatione iuſtitiæ, poſſe adhuc intelligi plenum perfectumque dominium in eam rem, ad quam creatura ius habet. Quoniam adhuc verificatur poſſe Deum circa rem illam ſine iniuria creaturæ quicquid poterat, antequam ius illud haberet creatura. Nam licèt Deus non poſſit abſque iniuria de re illa diſponere, quandiu inuita erit ipſa creatura; poteſt tamen facere infallibiliter, vt creatura non ſit inuita, ſed omninò conſentiat in quamcunque diſpoſitionem, & in quemcunque talis rei vſum ipſe voluerit. Quo modo plenum habebit dominium in rem prædictam. Bene oſtendit Delugo inſufficientiam illius ſolutionis. Nam manet ſemper, ſi aliud non addatur, quòd Deus amiſit ius de re diſponendi, inuitâ ipsâ creaturâ. Imò creatura tunc ſeruat exercetque dominium, quando illius permiſſu Deus de re eo modo diſponit, quo Religioſus accepta facultate Superioris. Addo oſtendi etiam clare eiuſdem ſolutionis inſufficientiam ex eo quòd, ſi verum eſſet, quod in illa dicitur, ſequeretur manere integrum in donatore, aut venditore dominium eius rei quam donaſſet, aut vendidiſſet, ſi nimirum is talis eſſet, vt vel ob magnam, quam haberet vim perſuaſiuam, ac ſingularem ſe per preces & blanditias inſinuandi induſtriam, vel ob multa beneficia priùs collata, vel ob ſummam ſiue amicitiam, ſiue authoritatem, poſſet infallibiliter certiſſimeque donatarij, ſiue emptoris voluntatem quocumque flectere, & facere vt conſentiret in omnem diſpoſitionem de re, cuius dominium per donationem aut venditionem tranſtuliſſet. Quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt.

7. Denique Pater Delugo rationem affert, quâ dicit aliquos recentiores tueri ſententiam noſtram, & ingenioſè reſpondere fundamento eorum qui negant, quemadmodum ipſe, reperiri poſſe veram inter Deum, creaturaſque iuſtitiam. Eos autem ait aſſerere, per dominium ac ius plenum, quod creatura habeat in aliquam rem, Deum nequaquam perdere plenum item ſuum ius, ac dominium in eandem rem. Quia licèt in creatis dominium vnius & eiuſdem rei nequeat eſſe penes duos in ſolidum: bene tamen, inquiunt, poteſt penes Deum & creaturas; imò & penes duos homines non repugnat eſſe pro vno inſtanti; nempe pro illo, in quo v. c. Petrus dat, aut vendit librum Paulo. Tunc enim vterque eſt dominus: Petrus quidem, quoniam tunc exercet potiſſimum actum dominij circa librum, donando, ſeu vendendo

Digitized by Google

dendo illum pro ſuo libito; Paulus verò, quoniam illo inſtanti fit dominus libri. Nec libitum Petri poteſt pro tunc ex ſuppoſitione liberæ ſuæ donationis, venditioniſve, repugnare libito Pauli; vult enim Petrus pro tunc Paulum vti eo libro prout voluerit. Neque Paulus poteſt impedire libitum Petri; cùm Petrus priùs natura ex plena libertate iam elegerit ſic diſponere de libro ſuo, vt eũ donaret, ſeu venderet. Quemadmodum autem pro vno illo inſtanti reperiri poteſt apud duas creaturas dominium in ſolidum: ita poteſt reperiri penes Deum & creaturã pro longo & quocunque tempore. Nam voluntas Dei dantis aliquod dominium creaturæ, durat per totam æternitatem; & habet ſe omni tempore ſequenti, ſicut voluntas Petri in primo illo prædicto inſtanti. Ergo per conceſſionem iuris factam alicui creaturæ non ſe abdicat Deus pleno vllo, perfectoque dominio. Ita quidem aliqui pro opinione noſtra tuenda apud Delugo, vt ſoluant quod obiicitur, Deum non fore dominum vniuerſorum, ſi creaturæ concedat ius rigidum aduerſus ſe.

8. Solutionem hanc vt ingenioſam, ait Delugo ſe, niſi aliud obſtaret, probaturum; nempe fundatam in opinione, quam ipſe acriter defendit de dominio in ſolidum exiſtente, tum per vnum inſtans inter homines in donatore & donatario, in venditore & emptore, &c. tum per tempus etiam longiſſimum in Deo dante, & creatura donataria. Quare fatetur nihil concludere contra nos illorum argumentum, qui aiunt ſequi Deum non fore dominum vniuerſorum, nec valiturum ſine iniuſtitia diſponere de rebus omnibus, ſi obligaretur eo modo, quo fert noſtra ſententia, alicui creaturæ ex iuſtitia. Itaque ſi aliud non eſſet inconueniens, aſſerit hic Author noſtram veram fore ſententiam. Inconueniens tamen ait eſſe aliunde duplex, comprehenſum duplici hoc argumento. Nempe primò, quòd creatura ſit eſſentialiter ita ſerua Dei, vt incapax abſolutè ſit vllius aduerſus eum iuris; ſi autem capax ſupponitur iuris aduerſus Deum, non eſt ſerua, nec Deus plenè dominus illius. Secundò, quòd ſequeretur poſſe Deum fieri ſeruum ſuæ creaturæ, ſi ex pacto ſe obligaret ad ei miniſtrandum pro eius voluntate. Quas duas rationes, & duplex id inconueniens, ex quo ſumptæ ſunt, facilè negando reiicies. Creatura enim intellectualis ſic ſerua eſt, vt poſſit Deus cum illa in aliquibus agere, quaſi cum emancipata aliquo modo. Ipſum verò Deum fieri poſſe ſeruum, & libertatem amittere, negandum eſt. Quodcumque enim ius conceſſerit creaturæ, liber ſemper eſt, vt illud deſtruat, omnique ſe debito expediat.

9. Porrò quod attinet ad ingenioſorum illorum recentiorum opinionem, quam Delugo alioquin ſequitur, & putat in præſenti quæſtione ad aliquid valere, dico quòd falſum eſt, duos poſſe in ſolidum eiuſdem rei dominium habere: vt nos fuſiùs oſtendimus *in tractatu de dominio.* Res enim, quæ donatur, aut venditur, non poteſt in ipſo donationis, aut venditionis inſtãti eſſe in dominio donatarij, aut emptoris, ſed eſt in ſolo mancipio donatoris, aut venditoris. Quare illam rationem, quam ait prædictus Author, ſi aliud non obeſſet, pro nobis eſſe facturam, & oſtenſuram, poſſe Deum obligari creaturæ ex iuſtitia, omninò reſpuimus; neque vllam ex illa percipere vtilitatem curamus. Addam vnum tandem circa id quod prædictus idem eruditiſſimus & acutiſſimus Author ſuperiùs dixit; Deum, cùm donat ius aliquod creaturę, habere ſemper, & pro omni tempore dominium rei quam donat; propterea quòd diuinus ille donationis actus durat per totam æternitatem, & ſe habet pro omni tempore eadẽ ratione, qua ſe habet actus Petri in eo inſtanti, quo donat v. c. librum Paulo. Contra hoc videtur aduertendum, quod licèt actus ipſe donationis, qui eſt diuinus, & ſe tenet ex parte Dei, maneat per æternitatem; nihilominus actus acceptationis, qui eſt ex parte creaturæ, perficitur in inſtanti, aut breui tempore; & poſtquam hic tranſactus eſt, non poteſt Deus manere in dominio, quod habebat in priori, quàm donaret, & acceptaretur. Exempli gratiâ; fac donationis actum, quo Petrus librum donat Paulo, durare per horam inuariatum intrinsecè; putabiſne Petrum poſt Pauli acceptationem, quæ in certo aliquo inſtanti illius horæ facta eſt, ſeruare intra totam ipſam horam dominium libri eodem modo, quo illud habebat cùm donationem faciebat in inſtanti acceptationis?

Summum rigorem iuſtitiæ reperiri inter Deum Patrem, & Chriſtum.

10. ATque hactenus oſtenſum ſit, quomodo non repugnet Deum inter & creaturas reperiri iuſtitiã, & illius veritatis non bonas eas eſſe rationes, quas hic ordine refutauimus. Solidam verò eius non aliam eſſe probationẽ, quàm eam quæ ſupra adducta eſt *num.* 2. in ſolutionem præcipui aduerſariorum argumenti. Cùm igitur certum habeamus, potuiſſe inter Chriſtum, hoc eſt præcipuam, nec puram creaturam, & inter Deum Patrem intercedere iuſtitiam, reſtat vt videamus, num in ſatisfactionibus, quas ille, dum Redemptoris munus exequeretur, obtulit pro peccatis hominum, iuſtitia quædam tantùm incompleta reperiatur; an verò perfecta, & omnes, quas ſummus rigor exigit, partes continens. Et quidem, quod ad condignitatem attinet, quæ eſt prima, & maximè requiſita iuſtitiæ rigoroſæ conditio; dubium eſſe non poteſt, quin Chriſtus ſolutionem obtulerit non modò æqualem & ſufficientem, ſed etiam ſuperabundantem & infinitam. Atque hoc, ſi excipias Authores *cap.6. num.2. &* 3. allatos, nullus negat aduerſariorum. Qui propterea fatentur in ſatisfactione Chriſti fuiſſe vmbram quandam iuſtitiæ; imò & expreſsè docet Vaſquez, fuiſſe propriiſſimam & rigoroſam iuſtitiam, ſi in ea nihil aliud quàm æqualitas attendatur. Dubitatio igitur ſupereſt circa reliquas conditiones, quas ad rigoroſam iuſtitiam multi paſſim requirunt; ad quod.

11. Dicendum eſt, Chriſtum Deo Patri ſatisfeciſſe pro peccatis hominum ex rigidiſſima iuſtitia; neque ad id conditionem vllam neceſſariam defuiſſe. Huic concluſioni refragantur quamplurimi tum veteres, tum moderni: inter quos Leſſius, Beca. Delugo, & Vaſquez, qui contendit, non niſi duos, aut tres noſtræ fuiſſe ſententiæ. Quam nihilominus tenent Valentia *diſp.* 1. *q.* 1. *puncto* 1. Suar. *diſp.* 4. *ſect.* 5. *&* 6. Bellarm. 5. *de iuſtific. cap.* 14. 16. *&* 17. Vega *lib.7. in Trid.c.*8. Ledeſma, Rebellus, Cumel. & ex antiquis Bonauent. *in* 3. *diſt.* 20. Capreol. *in* 4. *d.* 15. *q.* 15. *q.* 1. Ferrar. 4. *contra gent.* 55. Domin. Sotus *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. &c. fauetque Diuus Thom. *hic.* Eſt verò conformis Scripturæ Sacræ *Rom.* 3. vbi dicitur: *Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* 1. *Corinth.* 1. *Chriſtus factus eſt nobis iuſtitia, & redemptio.* Et alibi ſæpè, vbi iuſtitiam ſeruatam eſſe in hominum redemptione ſignificatur. Debemus autem iis locis iuſtitiam intelligere propriam, & perfectam, niſi manifeſta quædam ſequatur abſurditas. Eſt enim hæc communis regula ſcripturam interpretandi. Nullam autem abſurditatem ſequi patet ex ſolutione obiectionum infrà. Suffragantur nobis Sancti Patres, Auguſt. *in enchirid.c.*49. *Vt diabolus*, inquit, *veritate iuſtitiæ, non violentia poteſtatis oppreſſus & victus, quoniam Chriſtum*

ſine vllo peccati merito occiderat iniquiſſimè, per ipſum iuſtiſſimè amitteret, quos peccati merito detinebat. Et 13. *de Trinit. Non autem diabolus potentiâ Dei, ſed iuſtitiâ ſuperandus fuit.* Idem indicat S. Leo *ſerm.* 1.11. *&* 12. *de natiuit.* Theodoret. dialogo inconfuſus, & alij paſſim multi. Cum enim iuſtitiam quam Chriſtus in paſſione ſeruauit, exaggerant, quid aliud, quàm veram, rigidamque iuſtitiam intelligunt.

12. Accedit & ratio iam ſuperiùs indicata. Nam quod perfecta, rigidaque iuſtitia Chriſtum inter & Deum interceſſerit, nullam dicit ex parte Dei imperfectionem; nullam item repugnantiam ex parte Chriſti. Primum patet. Nam iuſtitia, vt ſuprà oſtenſum eſt, cùm ſit virtus perfectiſſima, & poſſit in ſuo conceptu abſtrahere à limitationibus, & imperfectionibus, cum quibus inter homines reperitur, non includit quicquam indignum Deo. Quod enim Deus reſpiciat ius creaturæ, & manente illo iure obligetur, non repugnat. Poſſet enim illi iuri, vtpote omnium iurium, quæ in creatura ſunt, dominus, derogare. Si autem non derogat, imò ſi eius ipſe ſolus author eſt per liberam acceptationem, quidnam indecentiæ erit ipſum eo obligari? Sanè obligatio nihil aliud eſt, quàm quædam neceſſitas. Atqui Deo neceſſitas, quæ ex ſuppoſitione ipſi voluntaria oritur, non repugnat. Secundum probatur. In Chriſti enim redemptione eatenus commendatur maximè ſapientia Dei infinita, quòd modum inuenerit miſericordiam & iuſtitiam (ſummâ ſcilicet vtramque & perfectiſſimam) copulandi; & quod iuſtitiæ, quæ miſericordiam pari lance librabat, ac ne nimia eſſet, totumqe deprimeret, impediebat, æquè ſatisfecerit atque ipſi miſericordiæ. Et ſanè, quòd ex parte Chriſti nullam habuerit rigoroſa iuſtitia repugnantiam, conſtat ex eo, quod nulla ad rigorem iuſtitiæ neceſſaria conditio defuiſſe oſtendatur, vt clarum erit ex obiectionum, quas aduerſarij faciunt, ſolutionibus: in quibus obiectionibus contradicere ſibi ipſi aduerſarij videntur. Cùm enim eorum nullus, qui cõditiones quaſdam rigidæ iuſtitiæ ſatisfactionibus Chriſti defuiſſe obiiciunt, neget defuiſſe illis condignitatem reſpondentem omnibus debitis hominum, vt vidimus *num.* 10. imò Vaſques fateatur perfectam in iis fuiſſe iuſtitiam, ſi in hac non requiratur aliud quàm condignitas; eam ipſimet quam adſtruunt condignitatem, omninò deſtruunt: cùm eas conditiones ad iuſtitiam vt neceſſarias requirunt, & in Chriſto non inueniunt, ſine quibus non magis cõdignitatem, quàm perfectam iuſtitiam in redẽptione hominum tueri poſſunt. Nam quomodo v.c. condignè ſatisfecit Chriſtus, ſi non potuit ad Patrem ſe habere ſufficienter tanquam ad alterum, nec magis potuit illi quicquam ex iuſtitia ſoluere, quàm paruus filius poſſit dici ſoluere patri ſuo pretium alicuius rei? Atque eodem modo ſi conditiones ſingulas, quas Chriſto deeſſe obiiciũt, meditatione percurras, inuenies non poſſe abſque illis condignitatem conſtare, poſito quod ad iuſtitiam neceſſariæ ſint. Quomodo poſſunt defendere condignitatem, ſi volunt Chriſtum & debuiſſe, & non potuiſſe ſoluere pro ſui in Redemptorem acceptatione: nihil ſoluiſſe ex ſuis, ſed ex bonis creditoris? &c. Sanè ſi hæc vera ſunt, nullam omninò ſolutionem propriè facere potuit, tantùm abeſt vt condignam.

Soluuntur obiectiones factæ contra rigidam in Chriſti ſatisfactionibus iuſtitiam.

OBiicitur primò, iuſtitiam ex Ariſt. 5. *Eth. c.* 1. 2. *&* 6. debere eſſe ad alterum, vt patet ex ipſa etiam iuſtitiæ definitione, in qua hæc conditio, vt eſſentialis includitur. Cùm ergo Chriſtus, & Pater vnum ſint, *Ioan.* 10. ſequitur non potuiſſe eſſe propriè inter illos iuſtitiam. Dicere autem Chriſtum differre, & eſſe verè alterum tum in ſubſiſtentia Verbi, tum in natura humana, non ſoluit difficultatem. Nam primò, quod ſpectat ad ſubſiſtentiam, ea non ſatisfecit. & quamuis ſatisfeciſſet, non ſatisfeciſſet præciſe ſubſiſtentiæ Patris, ſed toti Diuinitati tripliciter ſubſiſtenti: nec magis per peccatum offenſa fuit Patris, quàm Verbi ſubſiſtentia; atque adeò ſatisfactio fieri debuit tam huic, quàm illi. Ergo ſi ſubſiſtentia Verbi pro peccato ſatisfecit, ſibi ſatisfecit, quod eſt cõtra rationem iuſtitiæ. Vnde apparet contra doctrinam Martini Peres *diſp.* 4. *ſect.* 3. *&* 4. non hîc ſufficere, quod aliquis dicat perſonalitatẽ Verbi habuiſſe dominium peculiare valoris moralis operationum Chriſti, quod dominium non eſt in Diuinitate prout diſtincta virtualiter ab ipſa perſonalitate. Non id, inquam, ſufficit; ſatisfecit enim Chriſtus non ſoli Diuinitati, ſed omnibus Perſonis, ac per conſequens ipſi etiam Verbo habenti prædictum illud dominium. Adde quod nec poſſit perſona Verbi ſatisfacere ex iuſtitia perſonæ Patris: comparantur enim illæ duæ perſonæ (phyſicè diſtinctæ) vt pater & filius. Non habent verò pater & filius (præſertim diuinus ob identitatem naturæ, voluntatis, atque adeò iurium) diſtinctionem moralem, quæ ſufficiat ad veram propriamque iuſtitiam. Secundò quod ſpectat ad humanitatem, ea quidem non poteſt per ſe ſumpta ſatisfactionem præbere infinitam & condignam, vtpote finita. Præterea non eſt aliquid ſatis diuerſum à Deo: nam ſecundùm eam Chriſtus eſt Patris creatura, ſeruus, filius. Atqui creatura, ſeruus, filius, nihil habent, quod non ſit creatoris, domini, patris; nec ab his cenſentur eſſe moraliter quid diſtinctum.

14. Reſpondeo. Certum eſt quidem, iuſtitiam debere eſſe ad alterum, vt iam docuimus *c.* 3. *n.* 18. ſed dico ſatis ſeruari conditionem iſtam inter Chriſtum, & Deum Patrem. Non quòd, vt bene probat obiectio, ſubſiſtentia Verbi ſatisfecerit ſubſiſtentiæ Patris, vel Diuinitati; ſed quòd principiũ ſatisfactionis vt quo, nempe humanitas, ſit diſtinctum ſufficienter à Deo, cui offerebatur ſatisfactio. Dico ergo, ad iuſtitiam propriam ſufficere, ſi diuerſitas eorum, inter quos exercetur, cadat in naturam, etiamſi non cadat in perſonalitatem, licèt id Ariſt. agnoſcere nequiuerit. Sufficit enim ad iuſtitiam, vt ſit hinc & inde diuerſitas dominiorum & iurium. Qualis omninò diuerſitas reperitur, quando ſunt diuerſæ naturæ, & diuerſæ voluntates: atque ad id impertinẽs eſt diuerſitas ſubſiſtentiarum, ſeu perſonalitatum. Ius enim ac dominium non in perſonalitate reſidet, ſed in voluntate, tanquam in proprio ſubiecto. Quamuis autem humanitas quoad ſe finita ſit, poteſt tamen ſatisfactiones & operationes elicere, quæ (etſi phyſicè finitæ) valorem habeant infinitum. Qualis valor manat à Verbi tum diuinitate, tum perſonalitate, quæ vt diſtincta virtualiter realiter à Diuinitate, & vt vnionẽ immediatè terminans, cùm ſit eatenus aliquid increatum, & infinitè excellens, non poteſt non influere moraliter in humanitatem, ſplendorem, & valorem infinitũ. Et quamuis hic influxus ſit ad extra, non tamen (cùm præſertim ſit aliquid morale) perſonalitati ipſi ſeorſim ſpectatæ magis repugnat, quàm hypoſtatica vnio, quæ etiam ad extra eſt, & cuius proprietas ac velut appendix eſt prædictus ſplendor & valor, quem non dixerim, vt Mart. Peres *diſp.* 4. *ſect.* 3. eſſe ſub dominio perſonalitatis Verbi, ſpectatæ per ſe ſeorſim: nam ea vt ſic, eſt incapax dominij, quemadmodum & voluntatis; ſed potiùs dici debet eſſe ſub dominio Diuinitatis, ad quam pertinet quidquid procedit à perſonalitate, vtpote ſua proprietate. Porrò quamuis (quod ſub finem addebat obiectio) Chriſtus ſecundùm humanitatem

Digitized by Google

ſit Dei creatura, ſeruus, filius; eſt tamen quaſi emancipatus propter vſum liberi arbitrij: quem ad vſum Deus creaturas rationales permittit eſſe ſui iuris, vt ſe liberè determinent, & eatenus vult illas ſecum quaſi cum altero comparari. Addo quod cùm agitur non de reſtitutione quaſi pecuniaria, ſed de ſatisfactione pro iniuriis, quæ conſiſtit tantùm in ſubmiſſione, & ſui humiliatione, ſuppliciis, toleratione, &c. quilibet filius & ſeruus, etiam non emancipatus, poteſt tam iuſtè ſatisfacere patri vel domino, quàm poteſt eum iniuſte per contumeliam lædere.

15. Petes cùm in præcedenti numero dictum ſit, valorem illum infinitum, quo Chriſtus ſatisfecit, emanaſſe in operationes ipſius Chriſti, tum à diuinitate, tum etiam immediatiùs à Verbi perſonalitate; quonam modo verum eſt ſatisfactionem erga Deum fuiſſe à Chriſto vt ab altero? Eſt enim præcipuè ſatisfactio ab eo à quo valor & pretium rei eius, per quam ſatisfit, oritur; quare Chriſti ſatisfactio fuit à principio quod non eſt alienum; hoc eſt, fuit ab ipſa diuinitate, ſeu perſonalitate; atque ita Chriſtus homo non ſe geſſit, vt alter, nec vt filius emancipatus. Nam filius emancipatus patri creditori ſatisfacit ex bonis quæ non ſint ex arca patris deſumpta. Reſpondeo primò, non ſequi, quod ſatisfactio ſit à diuinitate, aut perſonalitate Verbi, quamuis ab iis valor & pretium actionum quæ in ſatisfactionem offeruntur, emanet. Is enim ſolùm dicitur propriè ſatisfacere, qui rem ipſam tantum pretium habentem, offert; non autem is qui rei, quæ offertur, valorem dedit ac pretium. Ita quamuis Rex edicto ſuo, pecuniæ v. g. dederit pretium, & nummos, qui valebant ſex libras, euexerit ad valorem decem librarum; nihilominus ego poſſum meis talibus nummis ipſi Regi tributum, ſeu debitum ſoluere. Nec debebit ille dici ſatisfacere ſibi ipſi, aut ſatisfactio nō progredi à me, quaſi ab altero; etiamſi valor illorum nummorum ab eodem ipſo, cui ſit ſatisfactio, progreſſus ſit.

16. Secundò conſiderandum eſt, quòd non offertur Deo à Chriſto ſolus operum valor, qui eſt à perſonalitate Verbi, ſed ſimul offeruntur ipſa opera, quæ ſunt ab humanitate. Ergo non poteſt dici, quòd ſola perſonalitas, aut diuinitas, ſed ad ſummum, quòd perſonalitas, aut diuinitas, prout ſimul cum humanitate ſumitur, & ſub ratione exiſtentis per vnionem in humanitate, Deo (hoc eſt ſibi ipſi) ſatisfaciat. Id verò non multùm videtur iuſtitiæ repugnare: poteſt enim Capitulum, aut alia Communitas, cuius tu ſis membrum, debere tibi mille aureos, atque eos tibi in rigore ſoluere per eam pecuniam, cuius (vtpotè collectitiæ, & ex omnibus membris corrogatæ) tu confeceris partem, & quæ poſtquam collecta eſt, pertineat ad omnia membra communiter, atque adeò ad te. Quo modo tu ipſe tibi, ſed ſub diuerſa ratione ſumptus, & vt aliis iunctus, ſatisfacis. Eodem modo ſi tutor ſis pupilli qui tibi ſit debitor, potes vt tutor, & eatenus debitor ſoluere tibi vt creditori, & tecum velut contrahere iuridicè. Vrgebis, at Chriſtus vt homo ſibi non tantùm vt Deo, ſed etiam vt homini ſatisfecit; quatenus pro omni iniuria, quam peccata quæcumque cuicumque intulerant, ſatisfecit. Cùm ergo ſatisfecit pro peccatis illis Iudæorum quæ ſuæ fuerant iniurioſa humanitati, ſibi ſatisfecit vt homini. Reſpondeo illum ſatisfeciſſe Deo pro peccatis illis, quatenus diuinæ fuerunt iniuriæ. Vt autē fuerunt humanitati ſuæ, aut ſibi vt homini iniurioſa, nō oportuit ipſum pro iis ſatisfacere, ſed vel ſatisfactionem ab offenſoribus accipere, vel ea liberaliter condonare. Quemadmodū etiam non ſatisfecit Petro, aut Ioanni pro iniuriis, quas à Paulo v. c. paſſi ſunt: ſed neceſſarium eſt, vt vel illi condonent, vel Paulus ſatisfaciat.

17. Obiicitur ſecundò contra rigidam, quam aſſerimus iuſtitiam in ſatisfactionibus Chriſti. Deus Pater poterat non acceptare ſatisfactiones Chriſti; nec enim ad id tenebatur. Ergo cùm liberaliter acceptauit, contulit gratiam: atque ita non eſt ſeruatus iuſtitiæ rigor. Reſpondeo. Sunt qui negent antecedens ob condignitatem intrinſecam ſatisfactionis oblatæ à Chriſto, tanta ſcilicet, talique perſona. Negat etiam Suarez, non ob talem condignitatem, ſed ob pactum, quod ipſe vult intercesſiſſe neceſſariò ad acceptandas Chriſti ſatisfactiones. Ego ſimpliciter nego conſequentiam. Acceptatio enim libera iuſti pretij non impedit rigorem iuſtitiæ. Idque apparet quotidie in foro. Nam mercator cùm aliquid vendit, acceptat liberè, & non coactus oblatum à te iuſtum pretium: & tamen non cenſetur eam tibi facere gratiam, quæ impediat quominus cum eo ſerues perfectè iuſtitiam commutatiuam. Ratio à priori eſt; quoniam acceptatio ea, quæ ſupponit pretium quod offertur eſſe condignum, nihil eſt aliud, quàm conditio applicatiua ipſius pretij, quod vi ſua, ſeu valore, cùm antea eſſet tantùm in actu primo, incipit eſſe in actu ſecundo, & ſuo modo veram propriamque cauſare iuſtitiam. Vide libri huius Cap. 3. *à n.* 1. *vſque ad* 9. vbi fusè hac tota de re diſputatum eſt. Vide item quæ dicta ſunt toto capite 7. vt oſtendatur acceptationem, quam Pater fecit Redemptoris, cùm homo debitum incurriſſet illo carendi, non impediuiſſe quominus Chriſtus pro omni planè generis humani debito ſatisfactionem condignam, iuſtamque obtulerit.

18. Obiicitur tertiò, non poſſe perfectionem iuſtitiæ ſeruari, quando ſolutio fundatur in gratia & liberalitate creditoris. Atqui tota Chriſti ſolutio fundata eſt in liberalitate Dei, nempe in vnione hypoſtatica. Ergo, &c. Reſpondeo videnda ſunt, quæ de hac conditione, quam aliqui ad rigoroſam iuſtitiam requirunt, docuimus *cap.* 3. *num.* 11. *&* 12. vbi oſtendimus non violari perfectionem iuſtitiæ, licèt gratia & liberalitas creditoris præſupponatur, tanquam fundamentum ſolutionis; dummodo in ipſa ſolutione non includatur talis gratia intrinſecè. Nam ſi dediſti mihi prædium, quare non poſſum ex fructibus eius ſoluere tibi debitum centum v. c. aureorum? Sanè poſſum non tantùm ex fructibus prædij, ſed etiam ex ipſo prædio, ſi illud vendam, aut aliter. Quare igitur Chriſtus non potuerit Patri debitum per peccata noſtra contractum ſoluere offerendo illi fructus vnionis hypoſtaticæ gratis acceptæ, nempe actus humanos infiniti valoris: Porrò aduerte, gratiam vnionis hypoſtaticæ non propriè factam fuiſſe Chriſto, Perſonæ ſcilicet diuinæ; ſed ita factam fuiſſe gratiam humanitati, vt nequeat dici facta tali homini. Sunt enim aliquæ denominationes partium, quæ non conueniunt toti. Nec enim valet conſequētia; humanitas Chriſti eſt pura creatura, eſt ens incōpletū, Ergo Chriſtus eſt pura creatura, eſt ens incompletum. Sic dico non valere, hypoſtaſis diuina communicatur per gratiam vnionis humanitati, ſeu naturæ humanæ Chriſti: Ergo per gratiam communicatur toti illi, qui eſt Chriſtus, ſeu Perſona diuina.

19. Obiicitur quartò: non ſatisfit in rigore iuſtitiæ, ſi ſolutio fiat ex ipſius creditoris bonis. Atqui Chriſtus ſolutionem fecit Deo ex bonis ipſius Dei, omnes enim Chriſti actus ſuberant Dei dominio. Igitur Chriſtus non ſatisfecit in rigore iuſtitiæ. Reſpondeo, nos de iſta etiam conditione, quam aliqui in iuſtitia requirunt, egimus *cap.* 3. & videndus in eo numerus 13. & 14. vbi inuenies petendam eſſe huius obiectionis ſolutionem ex quodam

diſcrimine inter reſtitutionem conſiſtentem in rebus pecuniâ æſtimabilibus, & eam ſatisfactionem quæ verſatur circa offenſas, & poſita eſt in ſubmiſſione offenſoris. In hac enim, cum non ſit opus vt ſatisfaciens dominium vllum in creditorem transferat, parum intereſt, vtrum actus liber ſubmiſſionis, qui huic offertur, ſubiaceat ipſius dominio, quemadmodum explicatur in prædicto loco. Itaque vt Deo iuſtè pro peccatis ſatisfieret, ſufficiebat vt Chriſti actus per creatæ dominium libertatis peculiare, quo eliciebantur, ipſum Chriſtum Deo ſubmitterent & humiliarent.

20. Obiicitur quintò. Actus, quos Chriſtus pro noſtra redemptione obtulit, erant Deo debiti multis aliis titulis, gratitudinis, iuſtitiæ, præcepti, &c. quibus titulis poterat Deus illos ab ipſo Chriſto exigere. Ergo Chriſtus Deo non ſatisfecit in rigore. Quemadmodum nec ego tibi ſatisfacerem, ſi emendo tuam domum, pecunias tibi aliunde debitas numerarem. Reſpondeo. De hac item conditione, quam in vera iuſtitia neceſſariam eſſe aliqui contendunt, nos egimus *prædicto cap. 3. num. 15. & 16.* Atque inde intelliges huius obiectionis ſolutionem ex diſcrimine petendam eſſe, quod eſt inter reſtitutionem, & ſatisfactionem. In reſtitutione certum eſt, non poſſe rigoroſè ſatisfieri per ſolutionem rei alio titulo debitæ, ſi titulus ille alius petat rem ſolui diſtinctam, & eam multiplicet, vt ibidem explicatur. At in ſatisfactione, quæ fit pro offenſa, id obſeruandum non eſt, ſed abſolutè dici debet, quod ſatisfieri Deo poteſt per illos actus ſubmiſſionis, qui ad ipſum alio titulo pertineant. Quandoquidem huiuſmodi actus, debitorem creditori, quod ſolùm requiritur, ſufficienter ſubiiciunt. Et ſanè ſi omnes actus boni, quantumvis præcepti, Deoque debiti, poſſunt eſſe meritorij, cur non etiam ſatisfactorij? Quare non probo, quod aliqui recentiores docent, & nominatim Ioannes Martinon *diſp. 2. ſect. 10. num. 105.* qui licèt fateatur *num. 103.* non obfuiſſe rigori iuſtitiæ, quòd Chriſtus ſatisfecerit Deo per actus, qui erant iam ſub dominio phyſico & morali illius; vult tamen poſteà fuiſſe Chriſto neceſſarium ad ſeruandum rigorem iuſtitiæ, vt ſatisfaceret per actus, quos Deus non poſſet exigere, vt ſibi alio titulo debitos. Quaſi verò plus obſit iuſtitiæ, quòd creditor ea, quæ debitor offert, poſſit alio exigere titulo, & ſub ſuo dominio ponere, quàm quòd de facto illa ipſa habeat ſub ſuo actuali dominio phyſico, & morali. Nemo ſanè non videt illi potiùs obeſſe dominium, quod iam actu exiſtit, quàm quod tantùm exiſtere poteſt, & non exiſtit, cùm non exigatur. Reiiciendi etiam ſunt illi Theologi, qui adhærentes refutatæ iam opinioni, dum explicant quomodo Chriſtus ſatisfacere iuſtè potuerit, confugiunt ad eos actus, qui eſſent merè conſilij, & non obligationis, vt Scotus, &c. nam de facto per quoſcumque potuit.

21. Obiicitur vltimò. Is non poteſt ſatisfacere ex propria iuſtitia, qui dum ſatisfacit, non operatur ex obligatione propriæ iuſtitiæ. Atqui Chriſtus dum ſatisfaciebat, non operabatur ex tali obligatione; non enim illam habebat, quandoquidem nullo modo tenebatur ſatisfacere pro peccatis hominum. Quod ſi dicatur, illum prædictam obligationem habuiſſe, non quidem abſolutè, & ex natura rei, ſed ex ſuppoſitione, quod ſe conſtituiſſet liberè prædem, & fideiuſſorem pro hominibus. Contra. Nam poſtquam ſe conſtituit fideiuſſorem, non potuit contrahere aliam obligationem, quàm eam, quâ homines peccatores, pro quibus vadatus eſt, tenebantur. Atqui homines non tenebantur ex propria iuſtitia, ſed ex pœnitentia, vel religione. Reſpondeo. Cùm dicimus Chriſtum pro hominibus ſatisfeciſſe in rigore iuſtitiæ, non eſſe ſenſum, quod ſit operatus ex obligatione quam ipſe haberet, ſeu ex debito ſuo proprio; ſed ſenſus eſt, eum Deo totum id reddidiſſe ad æqualitatem, quod homines debebant; ita vt poſt eam Chriſti ſolutionem, Deus non potuerit quicquam aliud iuſtè repoſcere, & aliunde conditiones ad iuſtitiam eſſentialiter neceſſariç non defuerint. Ad id autem non opus eſt, illum habuiſſe obligationem; ſufficit enim, quod obligatio in hominibus fuerit, pro quibus ipſe liberaliter, & miſericorditer ſatisfaciebat. Quemadmodum ſi ego detentum in carcere amicum liberem ex motiuo amicitiæ, ſoluens ipſius creditori omnia eius debita, exerceo ſimul actum beneuolentiæ, miſericordiæ, ſeu liberalitatis erga amicum; & veræ iuſtitiæ erga creditorem: qui actus iuſtitiæ reſpicit, non obligationem meam, quæ nulla eſt, ſed alterius, pro quo ſatisfacio. Ita Chriſtus exercuit quidem opus miſericordiæ, & liberalitatis erga nos, cùm pro nobis ſe vadem conſtituit: ſed ſimul exercuit erga Deum opus veræ iuſtitiæ, quatenus ſatisfecit noſtræ obligationi, ac debito; quod dico fuiſſe ſublimioris cuiuſdam (vtpotè erga Deum) ſed veræ, propriæque iuſtitiæ. Quæ erga Deum iuſtitia latiſſimè patet, atque ſecundum varias conſiderationes, varia ſortitur nomina, vocaturque ſpeciatim pœnitentia, quatenus reſpicit ius Dei vt reſtaurandum per ſatisfactionem ipſiuſmet offenſoris: quia verò Chriſtus non ipſemet fuerat violator iuris quod reparabat, hinc fit, vt eius ſatisfactio, quamuis eſſet actus eiuſdem iuſtitiæ, ex qua peccatores ipſi obligabantur, non tamen vocaretur actus pœnitentiæ; pœnitentia enim connotat identitatem ſatisfactoris, & offenſoris.

22. Aduerte non fuiſſe neceſſarium ex vi ſatisfactionis, ſeu ad valorem eius, vt quando Chriſtus ſatisfaciebat pro peccatis noſtris, operaretur formaliter ex motiuo iuſtitiæ prædictæ. Et licèt ex ſola tam in Deum, tum in nos charitate fuiſſet mortuus, paſſio eius omninò fuiſſet ſatisfactoria. Quemadmodum & nos, cùm ex charitate, aliiſque virtutibus laboramus, & aliquid patimur, Deo ſatisfacimus pro peccatis propriis; etſi nullo modo formaliter ex motiuo iuſtitiæ, ſeu pœnitentiæ laboremus, aut patiamur. Atque ita Vaſques *diſp. 7. cap. 6.* quem ſequuntur aliqui recentiores, putat Chriſtum non ex peculiari aliqua virtute ſatisfeciſſe Deo, ſed ex omnibus virtutibus quas exercuit. At dubium eſſe non debet, quin ipſe, quando Patri per variarum exercitia virtutum ſatisfaciebat, aduerteret ius Dei ab hominibus violatum ſibi reparandum eſſe; atque dum id per ſuos actus reparabat, eidem obuerſaretur ipſum obiectum, motiuumque iuſtitiæ erga Deum. Quis autem dicat eum à ſe tale remouiſſe motiuum, & non potiùs ex illo etiam obtuliſſe Patri ſuas paſſiones actioneſque ſatisfactorias. Confirmatur. Nos enim etſi per formales virtutum aliarum actus Deo ſatisfaciamus, non tamen ideò definimus agnoſcere ſpecialem virtutem iuſtitiæ, ex cuius ſæpe motiuo formali ſatisfacimus.

23. Peti verò hîc poteſt, quænam ſit natura, & ſpecies illius peculiaris virtutis iuſtitiæ, ex qua Chriſtus eo modo ſatisfactionem obtulit. Quænam item illius, ex qua Deus condignam illam eius ſatisfactionem accepit. Quod attinet ad Chriſti erga Deum iuſtitiam, Caietanus *3. part. q. 85. art. 2.* vult eſſe iuſtitiam impropriam, nec aliud eſſe, quàm ipſam religionem. Quia Chriſtus ſua ſatisfactione reddidit Deo honorem ablatum per peccatum, quod eſt proprium religionis

Digitized by Google

religionis. Sed contra. Nam cùm aliud ſit, Deum habere ius, & habere excellentiam, patet ea duo eſſe diuerſarum virtutum obiecta; & ius quidem à iuſtitia, quemadmodum excellentiam à religione reſpici. Cùm ergo Adamus,& quilibet peccator non tantùm irreligioſus fuerit erga Deum, eius excellentiam offendendo; ſed ſimul fuerit iniuſtus, illius ius violando; imò in hoc propriè ac formaliter conſiſtat peccatum, quòd eſſentialiter eſt iniuria, oportuit debitam pro peccatis ſatisfactionem ius prædictum reſpicere, ac per conſequens ad iuſtitiam pertinere, quæ ſit à religione diſtincta. Dico autem huiuſmodi ſpecialem iuſtitiam, ex qua Chriſtus ſatisfecit, eſſe iuſtitiam quandam commutatiuam: quæ, vtpotè ius altius, diuinumque reſpiciens, altior ſit, ac excellentior, quàm communis illa iuſtitia, quæ circa ſolum ius humanum creatumque verſatur. Eſt verò eiuſdem ſpeciei cum ea noſtra erga ipſum item Deum iuſtitia, quæ inadæquatè ſumpta vocari ſolet in nobis pœnitentia. Dico porrò hanc Chriſti erga Deum iuſtitiam verè commutatiuam eſſe; in qua ſcilicet tantum pro tanto reddatur, tanta ſcilicet ſatisfactio pro tanta offenſa. Cùm autem tantum etiam præmium pro tanto merito Deus Chriſto reddat, hinc apparet iuſtitiam, qua Deus viciſſim, ſatisfactione acceptata, condonauit Chriſto peccata hominum, & quâ tum ipſius Chriſti, tum hominum merita remuneratur, eſſe item commutatiuam, reſpondentem ipſi iuſtitiæ, quam erga illum habuit Chriſtus.

CAPVT IX.

De Incarnationis ob condignam pro peccatis ſatisfactionem neceſſitate. Pia conſideratio.

1. QVæ duo ſummam neceſſitatem incarnationis (ſi condigna pro Adami peccato exigatur ſatisfactio) fuiſſe probant; nempe primò, quòd pro peccato lethali nulla perſona, quæ diuina non ſit, ſatisfacere valeat; ſecundò autem, quod illa quæ diuina ſit, hoc valeat: eadem nobis duplicem, quem inde colligamus, fructum exhibent; nimirum, vt indagemus vnde tantam grauitatem lethale peccatum habeat, vt offerendæ pro eo ſatisfactioni condignæ, tota purarum creaturarum ſit impar vniuerſitas: præterea, vt intelligamus, quanta fuerit Chriſti, qui ſatisfacere potuerit, dignitas; quanta, qui voluerit, bonitas.

2. Quod ad priorem fructum attinet: vt incarnationis neceſſitatem ex ſuppoſitione condignæ ſatisfactionis, mens Chriſtiana benè percipiat, illi quædam conſideranda ſunt, ex quibus peccati lethalis grauitatem æſtimare poſſit. Nam primò infinita occurrit Dei offenſi dignitas, cui aliquo modo adæquari, commenſurarique oportet illatam ei offenſam, cùm id omnibus commune ſit iniuriis, atque offenſis, vt non aliud eſſe debeat earum menſura, quàm illorum, quibus facta fuerint, meritum & excellentia. Quod tanta exaggeratione non dubitarunt aliqui Theologi aſſerere, vt ex eo quòd Deus offenſus excellentiam habeat ſimpliciter infinitam, defendant peccati lethalis grauitatem verè ac ſimpliciter infinitam eſſe; imò & ab hac infinitate illam ſuperari, quòd in peccato, præter excellentiæ diuinæ, quæ contemnitur, conſiderationem, attendenda ſit etiam peccatoris vilitas, ex qua plurimùm offenſa creſcat. Vnde peccatum lethale tantam ex natura ſua habere atrocitatem, vt pœnam omnem excogitabilem atque poſſibilem mereatur, auſi ſunt affirmare nonnulli, quos meritò refutat Ariaga *diſp. 3. num. 17. & ſequentibus.*

3. Sed quicquid ſit de Theologorum diſſidiis circa propriam, impropriamve peccati mortalis infinitatem, vt intelligere valeamus quodnam ſit ipſius Dei de offenſarum ſibi illatarum grauitate iudicium; verſetur ante mentis oculos, quàm capitali odio, quantiſque pœnis eos qui ſcelere aliquo ſe obſtrinxerint, perſequatur. Certè ſi, quò clariùs atque diſtinctiùs eius qui offenditur merita, iuraque noſcuntur, eò neceſſarium eſt maiores apparere offenſas; quàm graues putabimus ipſi Deo, qui ſuam penitus nouit excellentiam, ſibique perfectè quantus ſit conſcius eſt, eas offenſas apparere, quibus omnia ſua iura videt, meritaque indigniſſimè contemni à petulante contumelioſaque creatura? Mirum non eſt ſi odio efferatur infinito, ac tam incenſam, intenſamque concipiat iram, vt furoris nomine in ſcriptura deſignetur. Quemadmodum ex Sancto Dionyſio miſericordia, & amor quo proſequutus eſt homines, quædam fuit ecſtaſis & immoderatus velut mentis æſtus. Similliмè in ipſo Deo ira & furor conceptus ex peccati odio, eoſdem effectus habet terribiles, quos haberet inflammatæ mentis motio,& animus furenter conturbatus. Non enim rarò aliquo modo viſus eſt Deus in criminibus vindicandis longiùs iracundiâ progredi, quàm ſua natura eſſentialiſque bonitas pati poſſe iudicaretur.

4. Vt quotidiana omittantur, & quæ omnibus ſæculis aduerti potuerunt, diuinæ in impios ſeueritatis exempla, fames, bella, peſtis, aquarum eluuiones, è cœlo integrarum conflagrationes vrbium, &c. repetamus memoriâ, quàm impatienter, iracundéque ille ipſe Deus, quem alioquin ad iram tardum (ארך אפים) Moſes *Exod. 34.* vocat, ſe geſſerit in ea prima iniuria, quam à creaturis ſibi ſenſit illatam, cùm Angeli ab illius obſequio defecerunt. Rebellium enim Angelorum, in ipſo loci, temporiſque veſtigio, quo peccarunt, tantam edidit ſtragem, vt innumerabilem nobiliſſimorum ſpirituum turbam è cœlo deiecerit,& in infernas ſpecus, quæ momento è re nata præter ipſorum expectationem conſtructæ apparuerunt, incluſerit, vt incendiis vrantur, crucienturque ſempiternis. Quis non contremiſcat ad tantum primæ huius ſeueritatis exemplum? Quantam oportuit eſſe vim eius peccati, quod vſque eò Deum commouit, ipſumque, velut furentem in filios parentem, adegit, vt illos ſuos primogenitos ſpiritus, & omnipotentiæ ſuæ primitias exterminaret? non attendens eos, in quos ſæuiebat, expreſſam eſſe ſuæ Diuinitatis imaginem, ſignaculum ſimilitudinis, plenos ſapientiâ, perfectos decore, in deliciis paradiſi ortos. Statim atque in eis inuenta eſt iniquitas, atque cor eleuauerunt in decore ſuo, pœnituit percitum iracundiâ Deum tales feciſſe Angelos, tactuſque dolore cordis intrinſecùs, *Delebo*, inquit, *illos de medio cæli. Iudith cap. 16. verſ. 21.* & illicò perdidit ſapientiam eorum, proiecit eos in infima terræ latibula; produxit ignem de medio eorum, qui inteſtinus comedat ipſos, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum; & omnes qui viderint, obſtupeſcant ſuper eos nihili factos. *Ezech. cap. 28. verſ. 19.*

5. Nullam, inquam habuit ille rationem, nec eorum multitudinis, quæ ſaltem aſcendit (vt coniectura eſt ex reproborum hominum tandem futurorum

Digitized by Google

rorum numero) ad triginta, vel quadraginta millionum millia, nec illorum malorum, quæ per ſcientiam mediam præuidebat ſequutura ex tot Angelorum damnatione: ex hac enim ſequuturam non ignorabat tentationem & ruinam primi hominis, omniumque eius poſterorum; atque infinitas damnatorum per omnem æternitatem contra diuinum Numen blaſphemias. Nihili fecit ea,quæ ſi Angelis pepercíſſet, ſequutura certiſſimè erant bona: contempſit hymnos, diuinæque gloriæ futuras modulationes, quibus cælum perſonaret; triſagion concinentibus, Saluatori tunc ſuo, illis ipſis, qui nunc in iudicem ſuum maledicta coniiciunt.

6. In promptu eſt deinde alteram, quæ contigit ex Adami lapſu, ſtupendam ac terribilem in omne genus humanum contemplari ſeueritatem: quæ cùm eam experiamur omnes, longiori non indiget expoſitione. Quodnam ſimile poteſt excogitari acerbitatis exemplum? vnius ob crimen hominis vniuerſos, quotquot vnquam futuri erant, homines omnibus multare ſpiritualibus bonis; dæmonum illos addicere ſeruituti, & tradere in manus dominorum tam crudelium, condonatos eorum odio, & vehementiſſimis permiſſos tentationibus? Quarum vim tantam fore Deus præuidebat, vt maxima inde ſtrages ſequeretur animarum; ita vt harum tandem in inferno poſt ſexageſimum ſæculum (ad quod vſque ſaltem peruentura mortalium generationes exiſtimantur) non pauciores ex certa coniectura cenſendi ſint, quam trigeſies circiter mille milliones.

7. Quòd ſi quibus in inferno tormentis impij, vel ob vnum peccatum mortale, excruciandi ſint, inquiramus; non, ſi cui ora ſint centum; non, ſi ipſi mali Angeli ſuis linguis eloqui hominum ſibi conſortium ſupplicia conentur, minimam poſſibile erit pœnarum comprehendere partem, aut omnia earum percurrere nomina. Vno verbo: *Omnipotentia Domini vindicabit in eis; dabit vermes in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum; Ignem eorum ſuccendet furror Domini, & inextinguibilia ſufflabit incendia ſpiritus iracundiæ eius. Iudith. 16. v.20.21.* Si laterarias aliquando, aut calcarias, vitriariaſque fornaces, vel excitata liquefaciendis metallis incendia vidiſti, cogita candentem, flammeamque in iis materiam; cogita æs ibi, ferrumve liquatum, & ſimul animo tibi deſcribe conſtructos, velut in typo latentum, aceruos corporum igne ſalitorum; vlulatis etiam eorum animabus nulla per omnem æternitatem ſpe ſolatij, ac blaſphemas edentibus eiulationes nihil profuturas. Mihi ſanè tantam pœnarum atrocitatem mente concipienti, nullum in Chriſtiana fide creditu difficilius videtur eſſe myſterium.

8. Atque cùm in tot miſeriis acerbiſſimum æſtimetur, quod æternæ ſint, in illo tamen æternitatis nomine aliquid longè, quàm ipſa ſimplex æternitas horribilius inuenitur. Cogitet apud ſe mens pia, quàm dira forent, quàm intenſa omnia illa tormenta, quæ ſucceſſiuè per infinita ſæcula diſtribuerentur, ſi in breuiſſimum vnum tempus collecta, & quaſi complicata coaceruarentur; atque ſimul, cumulatimque vniuerſa toleranda concurrerent. Quis dubitet, quin ea intenſa infinitè forent? Atqui res, inquam ego, ſic ferè habet, vt ea infinitè intenſa, in vnumque coaceruata omnia, miſeros afficiant. Ea enim eſt æternitatis natura, vt non magis præſentibus ſontes illæ animæ torqueantur incendiis, atque pœnis, quàm futuris: has nimirum primo in infernum ingreſſu, cùm certiſſimas & inſtantes vident, ſentiunt habentque præſentes. Atque ita tot integras patiuntur velut complicatas replicataſque ſuppliciorum æternitates, quot ſunt in æternitate momenta. Sicut ex contrario, cùm primùm Sanctus aliquis in cœlum recipitur, eo ipſo ſui ingreſſus veſtigio totam beatitudinis æternitatem velut in vnum collectam poſſidet; atque momento quolibet eſt, futura etiam felicitate, beatus, ſuaque ſic fruitur æternitate infinities repetita.

9. Ex his euidens eſt quantum ſit peccati odium in Deo, qui nullam tot ſuppliciorum aſpectu miſericordiam capiat; & cui fumus tormentorum eorum aſcendens in ſæcula ſæculorum ſit illi in odorem ſuauitatis. Vnde conſequens eſt, cùm Deus omnia meritò, iureque faciat, non poſſe cogitari quicquam quod cum peccati malitia comparabile ſit. Sanè cùm Deus nihil odiſſe poſſit eorum quæ fecit, & omnia præter peccatum fecerit, atque ita nihil præter peccatum odiſſe poſſit; neceſſe eſt odium omne diuinum, quodcumque poſſibile eſt, & omnem poſſibilem in Deo iram contra ſolum peccatum colligi.

10. Satis, vt opinor, ex diuino illo tanto in peccatum odio, & ex ſuppliciis quæ peccatoribus conſtituta ſunt, eminet illa veritas, quam propoſueramus initio; nempe fieri nullo modo poſſe, vt à creatura, quæ Deus non ſit, pro peccato lethali condigna offeratur ſatisfactio. Qua enim cogitabili ſolutione puræ creaturæ expediri poſſit earum pœnarum debitum, quas finiri nunquam oporteat? Quomodo ad vltimum vſque quadrantem ſolutio peruenire queat, ſi debitarum pœnarum æternarum nullus ſit vltimus quadrans? Quæ autem creaturæ,aut omnium ſimul creaturarum poſſibilium dignitas poſſit ſatisfaciendo ſtare contra Dei dignitatem offenſi, ſpreti & contumelioſè tractati?

11. In huius tanta difficultate negotij ſuæ Deus putauit eſſe Sapientiæ viam inuenire,qua cumulatiùs miſericordiæ & iuſtitiæ ſatisfaceret, quàm vtraque in oppoſitum contendebat. Quare ad incarnationis remedium à ſe mirabiliter excogitatum recurrit. Sicque per illam grauior, quàm iuſtitia expoſcebat, pœna exacta eſt; & copioſior, quàm miſericordia petere poſſet,conceſſa fuit peccatoribus indulgentia. Atque ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, poteſt mens Chriſtiana fructum primò illum vtiliſſimum capere, vt intelligat quanta ſit peccati grauitas, & quanto in illud odio ferri, diuinum ſequentes exemplum, debeamus.

12. Quod ad ſecundum fructum attinet, quem initio diximus ex incarnationis neceſſitate decerpendum eſſe; is in eo conſiſtit, vt cognoſcamus quanta ſit in Chriſto dignitas, qui potuerit vel minimo aliquo ſuo actu, non ſolùm pro huius mundi peccatis, ſed & pro poſſibilibus omnibus creaturarum infinitarum quantiſcumque ſceleribus Patri ſatisfacere. Quanta item in eodem fuerit bonitas, qui non tantùm voluerit gratiam hominibus quocumque modo reconciliare cum Deo; ſed & ſe reum ſuppoſuerit pro abiectis, nefariiſque mancipiis. Verùm nihil attinet, vt prolixiores iam in eo ſimus: præſertim cùm ad infinitæ illius, quà dignitatis, quà bonitatis, quæ in Chriſto reperitur, expoſitionem, nihil poſſit deſiderari ampliùs, quàm quod ſparſim toto hoc tractatu diſputatur? ex quo habebit anima pia copioſiſſimam admirationis,meditationiſque materiam, ſi ea colligat, memoriaque repetat, quæ de natura, excellentiaque vnionis hypoſtaticæ Deum ſimul, hominemque perſonaliter adunantis, & de Chriſti aduerſus homines charitate, ſuis diximus locis.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

De cauſis Incarnationis.

NIHIL in hoc libro dicemus de cauſa materiali, & formali Incarnationis, ſeu vnionis hypoſtaticæ: tum quia hæc nullas tales habet proprias cauſas, ex quibus componatur, vt per ſe conſtat: tum quia diſputaturi ſumus aliis poſteà libris de humanitate, & Verbo, quæ ſunt duo extrema, ad quæ vnio illa mirabilis poteſt hinc quidem, tanquam ad materiam ſubiectantem; inde verò, tanquam ad formam extrinſecam terminantemque comparari. Supereſt ergo vt in præſenti tractemus de cauſa huius Myſterij efficiente, diſpoſitiua, meritoria, & finali. Ac primò videndum erit, num alia præter Deum fuerit, aut eſſe potuerit cauſa eius efficiens. Secundò, an fuerit neceſſaria cauſa quædam diſpoſitiua. Tertiò, num Patres antiqui fuerint incarnandi Verbi cauſa meritoria. Quartò, num Beatiſſima Virgo meruerit Incarnationem, & num diuinam Maternitatem. Quintò, num eadem B. Virgo vt eſſet digna Dei Mater, exempta fuerit à peccato originali, & ſimul à proximo eius debito. Sextò, an Chriſtus aliquo modo meritus ſit, mererive potuerit ſuam exiſtentiam. Septimò agendum erit de cauſa Incarnationis finali. Ac tandem moralis addenda circa huius Myſterij cauſas conſideratio.

CAPVT PRIMVM.

De cauſa efficiente Incarnationis.

1. CIRCA efficientem cauſam quæritur hîc, vtrum ea eſſe potuerit aliqua creatura, an verò Deus ſolus. Atque loquendo non ſolùm de poſſibili, ſed de facto; dubitari poteſt, vtrum B. Virgo concurrerit efficienter, ſaltem vt inſtrumentum ad ſui fœtus vnionem cum Verbo. Id enim non videtur repugnare: poſita autem poſſibilitate, videtur eſſe conueniens; pertinet enim ad maiorem quandam Virginis dignitatem, & eſt conſentaneum quibuſdam Sanctorum loquutionibus, vt cùm ab Heſychio *homil. 2. de de B. Virgine.* vocatur inſtrumentum incarnationis, &c. Prætereà videtur hæc opinio accommodata ad explicandum, quomodo Virgo dicatur maiori proprietate Mater Dei. Si enim ad vnionem hypoſtaticam ipſa concurrerit, propriiſſimè concurrit ad conſtitutionem Dei hominis. Denique cùm Deus vti ſoleat creaturis ad eos effectus, ad quos idoneæ & applicatæ ſunt; quare non dicemus, Virginem, quæ præſens, & applicata erat, quando vnio hypoſtatica intra eius vterum producta fuit, ad talem productionem concurriſſe; ſi verum eſt, virtutem ad id inſtrumentalem ipſi non defuiſſe. Qualem virtutem non negat Suares in ipſa Virgine, & multi agnoſcunt, tum in verbis conſecrationis Euchariſtiæ, in qua Chriſtus, ac per conſequens vnio hypoſtatica producitur: tum in humanitate eiuſdem Chriſti, quam putant (nec audet Suares improbare) eas alimenti partes, quas per nutritionem acquirebat, vniiſſe perſonalitati diuinæ inſtrumentaliter.

2. Dico primò, nulli creaturæ poſſe competere vim productiuam vnionis hypoſtaticæ. Probatur primò, quia non videtur decens, nec veriſimile, aliquam creaturam habere Deum ita virtuti ſuæ ſubiectum, vt poſſit facere illum ſubſiſtere in aliena natura. Secundò, quia ſi creatura produceret vnionem hypoſtaticam, deberet conſequenter dici producere illud compoſitum, quod ex tali vnione conſurgeret: quemadmodum ille dicitur verè producere hominem, qui producit vnionem inter corpus & animam. Atqui impoſſibile eſt, vt creatura illa producat illud compoſitum, quod ex vnione hypoſtatica conſurgit, cùm tale compoſitum ſit verè Deus. Sic enim oporteret creaturam eſſe Deum vel formaliter, vel eminenter, quatenus eum contineret in ſua virtute productiua. Rationes hæ ad probandam concluſionem videntur bonæ, & quidem ferè ſolæ.

3. Nam aliquæ aliæ, quæ adducuntur, non con-

Digitized by Google

cludunt meo iudicio. Vt cùm Suares *diſp.* 10. *ſect.* 1. Sic argumentatur. Nulla creatura poteſt connaturaliter vniri perſonæ diuinæ. Ergo multò minùs poteſt eſſe in vlla creatura virtus connaturalis ad efficiendam hanc vnionem. Quod ſi non poteſt eſſe virtus connaturalis: ergo nec ſupernaturalis. Nam vt virtus ſupernaturalis eſſet, oporteret illam eſſe ſuperadditam, atque adeò accidentariam tali creaturæ. Subſtantia enim creaturæ non habet per ſeipſam quicquam ſupernaturale. Repugnat autem virtutem vllam productiuam vnionis hypoſtaticæ eſſe accidentariam. Nam accidens non poteſt eſſe cauſa principalis ad producendam vnionem vllam ſubſtantialem: ſic enim produceret ſubſtantiam totalem ex ea reſultantem. Quod cùm vniuerſim abſurdum ſit, multò adhuc abſurdius eſt in præſenti; vbi & vnio producenda ordinis eſt eminentiſſimi, vtpotè diuinam perſonalitatem attingens, & ſubſtantia totalis per eam reſultans eſt verè Deus. Non valet, inquam, hæc Suaris probatio, niſi quatenus continet id ſecundum, quod nos *num. præced.* ad probandam concluſionem attulimus. Nam reſponderi poteſt, in creatura non reperiri quidem virtutem naturalem ad producendam, quemadmodum nec ad recipiendam, vnionem hypoſtaticam; verumtamen quemadmodum poteſt in illa eſſe ſupernaturalis virtus ad hanc recipiendam, ſic & poſſe eſſe ſupernaturalem, ſeu obedientialem ad eam producendam. Non eſt autem verum, quod virtus ſupernaturalis, & obedientialis debeat eſſe aliqua entitas accidentalis ſuperaddita creaturæ. Eadem enim ſubſtantia & entitas, quæ dicitur naturalis in ordine ad effectus inferioris ordinis, vocatur ſupernaturalis & obedientialis reſpectu effectuum ordinis ſupernaturalis; quatenus ad eos talis virtus effectiua non eſt omninò completa, ſed tantùm inchoata; & eos attingere non poteſt, niſi compleatur per conſortium alicuius cauſæ ſuperioris (ſiue illa ſit creatus habitus ſupernaturalis, ſiue Deus non fungens ſimpliciter officio cauſæ primæ, ſed inſuper defectum cauſæ ſecundæ ſupplens quodam concurſu pleniore) per quam ſimul concurrentem eleuari dicatur ad agendum. Vt patet in virtute obedientiali intellectus noſtri, quæ nihil eſt aliud, quàm ipſa entitas animæ, prout habet vim inchoatam ad actus ſupernaturales fidei, vel viſionis diuinæ eliciendos cum concurſu habituum ſupernaturalium, per quos in ratione potentiæ compleatur, & eleuetur.

4. Non videtur etiam efficax probatio concluſionis deſumpta per ſimilitudinem ex impotentia omnium creaturarum poſſibilium ſeparandi accidens à ſubiecto. Nam huiuſmodi impotentia fortè non reperitur in omnibus creaturis poſſibilibus. Quamuis enim ſeparatio accidentis ſit valdè violenta naturæ, & aliquo modo per eam immutetur naturalis ordo rerum. Non eſt tamen clarum, quòd ſuperet omnem poſſibilium creaturarum potentiam, ſaltem ſupernaturalem. Denique non valet probatio, qua nonnulli ſic argumentantur. Non magis poteſt perſona creata producere effectiuè vnionem hypoſtaticam, quàm poſſit per vllam eleuationem ſuæ ſubſiſtentiæ terminare alienam naturam, quia non minus eſt efficere hanc vnionem, quàm terminare naturam alienam. Atqui non poteſt perſona creata per eleuationem ſuæ ſubſiſtentiæ terminare alienam naturam. Ergo, &c. Negabunt enim minorem, qui rationem ſubſiſtentiæ ponunt in totalitate, vt infrà videbitur. Negabitur etiam à multis maior, quandoquidem ſubſiſtentia creatæ perſonæ nihil eſt, iuxta ſententiam Suaris & multorum aliorum, niſi modus quem impoſſibile ſit modificare aliam entitatem, præter eam, cum qua indentificatur. At verò inde non ſequitur impoſſibilem eſſe eidem perſonæ creatæ productionem vnionis hypoſtaticæ terminatæ ad eam ſubſiſtentiam, quæ eius ſit capax, qualis de facto eſt triplex diuina.

5. Suares *loco citato*, poſtquam principalem excluſit, docet (quemadmodum etiam Ariaga *diſp.* 21. *num.* 53.) reperiri in creaturis inſtrumentalem virtutem productiuam vnionis hypoſtaticæ; ſed meritò id à multis reiicitur, qui non agnoſcunt extra inſtrumenta artis, vllam cauſam inſtrumentalem, quæ comparetur ad eum effectum, quem immediatè, phyſiceque attingit. Quare ab iis in Philoſophia negatur calorem v.c. in igne ita eſſe cauſam inſtrumentalem, vt attingat minùs principaliter, & per eleuationem vllum effectum ſuum immediatum. Licèt dici poſſit aliquo modo eſſe inſtrumentum ignis, quatenus remotè ad productionem formæ ſubſtantialis præludit, & ex intentione ipſius ignis, cuius eſt proprietas, diſpoſitionem producit. Negatur item habitus, vel ſpecies intentionales attingere effectiuè inſtrumentaliter noſtros vitales actus. Denique extra artefacta, quæ per motum efficiuntur, nullum equidem potui hactenus intelligere inſtrumentum propriè loquendo, & contradiſtinguendo illud à cauſa principali, per id quod non agat, niſi ab hac præmotum, & virtutem habeat ipſo ſuo immediato imperfectiorem effectu.

6. Ex dictis intelligitur B. Virginem, nec vt cauſam principalem, nec vt inſtrumentum concurriſſe de facto ad hypoſtaticam vnionem Filij ſui; poſita enim talis concurſus impoſſibilitate corruunt omnes allatæ ſuperiùs *num.* 1. pro contraria ſententia conuenientiæ. Sancti verò Patres noluerunt Virginem fuiſſe vnionis hypoſtaticæ cauſam phyſicam; ſed tantùm moralem quamdam conditionem: quatenus, niſi Chriſtus ſecundum humanitatem genitus fuiſſet, vnio hypoſtatica non extitiſſet. Negandum porrò eſt ad rationem Matris Dei ſpectare productionem vnionis hypoſtaticæ, maternitas enim non conſiſtit in productione ſubſiſtentiæ filiorum, ſed in organizatione, & forſitan in vnitione corporis & animæ. Præterea maternitas, ſeu matris denominatio non ſumitur a concurſu inſtrumentali, multo minùs à ſupernaturali, qualis foret concurſus ad vnionem hypoſtaticam. Mater enim vt mater, debet & principalis & naturalis eſſe cauſa. Negandum item, verba conſecrationis in myſterio Euchariſtiæ eſſe phyſicum inſtrumentum ad productionem corporis Chriſti. Quemadmodum etiam nego humanitatem eiuſdem Chriſti in ſui nutritione fuiſſe inſtrumentum ad dandam alimento diuinam ſubſiſtentiam.

7. Dico ſecundò totam Trinitatem eſſe cauſam efficientem incarnationis. Eſt de fide, fuitque ita definitum in Conc. duobus Lateranenſibus ſub Martino I. &c. ſub Innocentio III. Atque habetur *in cap. Firmiter, de ſum. Trinitate.* Ratio petitur ex eo quòd ſecundum fidem Catholicam, omnipotentia, ſeu principium effectiuum rerum ad extra, ſit quid commune omnibus perſonis Trinitatis. Vnde neceſſarium eſt actiones prodeuntes à tali principio (inter quas eſt actio productiua vnionis hypoſtaticæ) omnibus Trinitatis perſonis communiter, & indiuisè tribui. Quare in Scriptura operatio huius myſterij, & Patri aſſignatur, vt *Galat.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*: & Filio; vt *Hebr.* 2. *Non Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*: ac tandem Spiritui Sancto, vt *Matt.* 1. *Quod in eo natum eſt, ex Spiritu ſancto eſt.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

An ad Incarnationem requiſita fuerit vlla cauſa diſpoſitiua.

1\. SVNT qui exiſtimarint, naturam humanam, cùm ſit tam remota, & tam diuerſi ordinis à Diuinitate, non poſſe ſufficienter proportionari vnioni hypoſtaticæ, niſi eleuetur & reddatur apta per aliquam diſpoſitionem, quam ipſi vocant gratiam vnionis; ſiue ea diſpoſitio nihil aliud ſit, quàm gratia habitualis, vt ordinata ad huiuſmodi vnionem, ſiue aliqua alia ſuperior qualitas. Poteſt autem duobus modis intelligi hæc diſpoſitio. Prior modus eſt, vt phyſicè velut attingat vnionem, & ad eam phyſicè diſponat, propter connexionem naturalem; quatenus poſita ſemel & introducta in humanitate tali diſpoſitione, debet naturali ſequela produci à Deo vnio hypoſtatica; quemadmodum introducta in fœtum vltima diſpoſitione, debet creari & infundi anima rationalis, vel quatenus, licèt fortè non debeat vnio hypoſtatica ſequi naturali neceſſitate, ſaltem non poteſt abſque illa produci: quomodo gradus carnis, nerui, &c. cenſetur diſpoſitio animæ, non quòd anima debeat neceſſariò ibi eſſe, vbicumque eſt forma carnis, aut alia huiuſmodi partialis, nam poteſt dari caro inanimata; ſed quòd non poſſit eſſe alibi. Secundus modus quo intelligi poteſt neceſſaria ad vnionem hypoſtaticam diſpoſitio, eſt vt ea diſpoſitio ſit non phyſica, ſed moralis, qualem paulò poſt explicabimus. Neceſſariam eſſe, iuxta priorem modum, diſpoſitionem phyſicam videtur ſentire Alenſis *3.p.q.7.num.2.art.1.* & *q.11.num. vlt.* necnon *q. 12. num. 1.*

2\. Verùm hæc ſententia quoad diſpoſitionem phyſicam eſt improbabilis. Nam vnio hypoſtatica tam alti eſt ordinis, vt non videatur poſſibilis eſſe vlla qualitas, quæ connexionem habeat cum illa phyſicam. Et peto qua ratione concipi poſſit humanitatem reddi capacem vnionis huius in ſe immediatè recipiendæ per qualitatem accidentalem, ſi ipſa humanitas per ſe immediatè capax non eſt? Ad id enim oporteret eam qualitatem eſſe connaturalem diſpoſitionem ad ipſam vnionem, & per conſequens ad productionem Dei, eodem modo, quo calor & ſiccitas eſt diſpoſitio ad productionem ignis. Peto item, quæ ſit illa qualitas tam excelſa in materia prima & formis partialibus, quas aſſumpſit Chriſtus? Sanè non eſt gratia habitualis; nam ea non poteſt in corpore recipi. Non eſt etiam vlla alia quæ in corpore poſſit ſubiectari; omnis ſiquidem qualitas materialis longè magis diſproportionata eſt vnioni hypoſtaticæ, quàm ipſa per ſe humanitas, ſumpta præſertim ex parte animæ. In qua anima, licèt nuda, maiorem haud dubiè proportionem immediatam reperiet vnio hypoſtatica, quàm in quacumque diſpoſitione quæ ſit ex parte corporis. Adde quod nec poſſit in anima præſupponi ad hanc vnionem aliqua diſpoſitio ſpiritualis. Eam enim non apparet poſſe aliam eſſe, niſi gratiam ſanctificantem. At gratia ſanctificans in illo priori eſſe non poteſt, daret enim ipſi animæ ius ad gloriam, ac per conſequens faceret illam filiam Dei, non per filiationem naturalem, vt patet, cùm nondum ſupponatur vnitum eſſe Verbũ, ſed per filiationem adoptionis, quàm repugnat in humanitate Chriſti vllo modo exiſtere.

3\. Peto prætereà, quare hîc aliqua diſpoſitio phyſica requiri neceſſariò dicatur in humanitate? Verùm ob rationem communem potentiæ obedientialis, quaſi nulla potentia obedientialis poſſit formæ, ad quam recipiendam eleuatur, receptiua eſſe ſine præuia diſpoſitione? Contra. Nam cùm ad talem diſpoſitionem, vtpotè formæ recipiendæ proportionatam, nequeat eſſe potentia niſi obedientialis, deberet ad illam dari alia diſpoſitio, & ad hanc alia proceſſu infinito. An verò ob rationem ſpecialem huius vnionis? Sed item contra. Nam potiùs ratio ſpecialis huius vnionis nullam qualitatem diſpoſitiuam requirit, aut admittit; eſt enim ordinis nimis alti, vt dictum eſt. Valent etiam ad excludendam prædictam diſpoſitionem phyſicam ea quæ mox contra diſpoſitionem moralem dicemus. Rationes porrò quas iam attulimus, probant non tantùm non fuiſſe de facto in humanitate Chriſti, ſed ne quidem eſſe potuiſſe de potentia abſoluta diſpoſitiones vllas phyſicas ad vnionem hypoſtaticam: conſtat enim nullas qualitates poſſibiles habere eſſentiam proportionatam vnioni tam eminenti.

4\. Secundus modus, quo poſſunt intelligi diſpoſitiones ad vnionem hypoſtaticam neceſſariæ, eſt vt dicatur illas non eſſe phyſicas, ſed morales, hoc eſt, non debere propriè attingere ipſam vnionem, ſed eſſe ex decentia quadam & diuina ordinatione prærequiſitas. Cùm enim humanitas nudè ſumpta non ſatis decenter ornata, præparataque videatur ad tam excellentem vnionem; par fuit vt per gratiam, aut aliam accidentalem formam in priori ornaretur, ſi id fieri potuit. Nec eſt probabile, Deum omiſiſſe quicquam poſſibile, quod faceret ad dignam Verbi in aliena natura receptionem. Quod autem poſſibile fuerit humanitatem prædicto modo præparari, patet. Nam humanitas exiſtentiam habuit priùs naturâ, quàm aſſumeretur. Quod ſi priùs exiſtentiam habuit: ergo fuit in eodem priori capax actionis, & paſſionis, ſeu receptionis aliquarum formarum, per ſubſiſtentiam enim in poſteriori venientem non accipit vllam vim actiuam, aut receptiuam. Quo poſito non apparet vlla repugnantia, quin Deus qualitates aliquas in humanitate ſecundùm prioritatem productas, per extrinſecam ordinationem direxerit ad vnionem hypoſtaticam, quaſi diſpoſitiones ex inſtituto ſuo. Ita vt non produxerit in humanitate vnionem hypoſtaticam, niſi ex intuitu prædictarum qualitatum, eo modo, quo Doctores Catholici de contritione diſponente ad gratiam, philoſophantur.

5\. Confirmantur hæc omnia ex eo, quod negari non poteſt, factum fuiſſe in corpore humano per Verbum aſſumendo. Spiritus ſanctus enim, cum illud in vtero Virginis organizaret, haud dubiè tantam organorum perfectionem non modò ad animam, ſed etiam ad vnionem hypoſtaticam dirigebat, velut ei congruam diſpoſitionem, & ex decreto ſuo neceſſariam; ac per conſequens cùm poſteà producebatur ipſa vnio inter Verbum, & ipſum corpus; tunc in illo inſtanti reſpiciebatur ea organorum perfectio, vt quædam diſpoſitio; & eius ratio habebatur tanquam conditionis ſine qua non. Eæ fuerunt rationes, propter quas aliqui graues Theologi voluerunt, gratiam habitualem in gradu eminenti datam fuiſſe Chriſto vt diſpoſitionem, non quidem phyſicè, ſed moraliter influentem in vnionem hypoſtaticam. Ita *in 3. diſt. 2.* D. Thomas & Bonauent. Palud. Gabr. Marſi. à Suare citati *diſp. 10. ſect. 2.*

6\. Verumtamen cùm eodem Suare dicendum eſt,

eſt , nec gratiam habitualem , nec vllam aliam qualitatem fuiſſe diſpoſitionem moralem , & à Deo inſtitutam ad vnionem Verbi. Non poſſumus nos eodem modo ſententiam hanc probare , quo Suares, cùm longè aliter, ac ille de ſubſiſtentia, quam naturæ creatæ connaturaliter habent , philoſophemur. Is rationem cur negandam hic diſpoſitionem moralem putet , ſumit ex ordine , quem in ipſius ſententia habere debet receptio cuiuſque qualitatis comparata ad naturam vt in ſe ſubſiſtentem. Cùm enim dubium non ſit , quin omnis diſpoſitio ſiue phyſica, ſiue moralis debeat in priori naturæ ante illam rem, ad quam eſt diſpoſitio , recipi in ſubiecto ; probat citatus Author , nullam qualitatem receptam fuiſſe in humana natura Chriſti , priuſquam vnio hypoſtatica produceretur. Quia nullam , vt ipſe exiſtimat , recipi formam contingit in natura ſubſtantiali , priuſquàm ipſa natura in ſe ſubſiſtat , & in ſuo eſſe ſubſtantiali plenè completa ſit. Vinculum enim naturæ cum ſubſiſtentia eſt longè intimius , quàm vinculum cum quacumque qualitate. Confirmat ; quoniam vt actiones , ita & paſſiones , ſeu formarum receptiones ſunt ſuppoſitorum , ſeu naturarum iam ſuppoſitatarum. Vnde colligit , Deum ita de facto in inſtanti , quo vnionem hypoſtaticam produxit , ſe geſſiſſe , vt quamuis ſimul tempore gratiam habitualem , & alias eminentiſſimas qualitates in Chriſti humanitate produxerit ; tamen vnionem ipſam priùs intenderit , velut ſecundùm ordinem naturæ neceſſariam ad illarum in ſuo ſubiecto receptionem ; poſteriùs autem gratiam ipſam , & qualitates alias , tanquam proprietates quaſdam ad prædictam vnionem naturali neceſſitate conſequentes.

7. Ita quidem bene ille Doctor ſecundùm ſuam de creata ſubſiſtentia doctrinam. Sed quandoquidem nos in homine putamus , neque corpus , neque animam ſubſiſtere antequam inter ſe vniantur , & exiſtat totum compoſitum , cùm ſubſiſtentiam rerum in ipſa ponamus totalitatis ratione , non poſſumus aſſerere nullam partem , antequam ſubſiſtat , receptiuam eſſe formarum. Conſtat enim corpus antequam , iuxta noſtram ſententiam , ſit particeps ſubſiſtentiæ , & totum cum anima componat , multis informari qualitatibus , & formis partialibus cùm organizatur.

8. Ratio ergo vera , cur negemus dari in corpore vel anima Chriſti diſpoſitiones vllas moraliter præſuppoſitas ad vnionem hypoſtaticam eſt , quia in corpore quidem non potuit recipi vlla forma niſi materialis , & per conſequens nullam habens diſpoſitionis proportionem ad vnionem hypoſtaticam. In anima verò nec potuit dari aliqua forma ſpiritualis , quæ prædictam poſſet habere proportionem, nec debuit recipi vlla omninò forma accidentalis antequam ipſa anima hypoſtaſi diuinæ , imò & corpori ſuo vniretur.

9. Non nego tamen , quin abſolutè ac ſupernaturaliter formæ quædam accidentales recipi potuiſſent in anima , priuſquàm Verbo , corporiue vniretur. Licèt enim , vt videbimus ſuo loco , anima , & corpus vnionem priùs cum Verbo , quàm inter ſe habuerint , poterat tamen Deus ante talem Verbi vnionem facere , vt anima operaretur liberè ; vel formam aliquam , putà gratiam reciperet. Sed connaturalius fuit , vt anima Chriſti , quemadmodum ſolent omnes aliæ animæ , priùs ſubſiſteret, corporique ſuo etiam vniretur , quàm vllo informaretur accidente realiter diſtincto. Ex dictis conficitur gratiam ſanctificantem , & alia ſumma , quæ Chriſtus habuit , ornamenta , ipſi collata fuiſſe conſequenter ad vnionem hypoſtaticam , vt proprietates ei debitas.

10. Sed audiendus eſt D. Thom. qui ſententiam mutans , quam in 3. *diſt.* 2. docuerat , eundem ordinem prioris & poſterioris inter vnionem , & gratiam habitualem Chriſti eleganter *q.* 7. *art.* 13. triplici ratione congrua probat his verbis. Prima ratio ſumitur ex ordine principiorum ipſius vnionis & gratiæ habitualis , principium enim vnionis eſt Perſona Filij aſſumens humanam naturam , quæ ſecundùm hoc dicitur miſſa eſſe in mundum. Principium autem gratiæ habitualis , quæ cum charitate datur , eſt Spiritus Sanctus , qui ſecundùm hoc dicitur mitti. Miſſio autem Filij ſecundùm ordinem naturæ prior eſt miſſione Spiritus Sancti ; ſicut ordine naturæ Spiritus Sanctus procedit à Filio , & à Sapientia dilectio. Vnde & vnio perſonalis , ſecundùm quam intelligitur miſſio Filij , eſt prior ordine naturæ habituali gratiâ , ſecundum quam intelligitur miſſio Spiritus Sancti. Secundò accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiæ ad ſuam cauſam. Gratia enim cauſatur in homine ex præſentia Diuinitatis, ſicut lumen in aëre ex præſentia Solis , vnde dicitur *Ezech.* 43. *Gratia Dei Iſrael ingrediebatur per viam orientalem , & terra ſplendebat à maieſtate eius.* Præſentia autem Dei in Chriſto intelligitur ſecundùm vnionem humanæ naturæ ad diuinam Perſonam : vnde gratia habitualis Chriſti intelligitur vt conſequens hanc vnionem , vt ſplendor Solem. Tertia ratio huius ordinis ſumitur ex fine gratiæ, ordinatur enim ad bene agendum ; actiones autem ſunt ſuppoſitorum , vnde actio , & per conſequens gratia ad ipſam ordinans , præſupponit hypoſtaſim vnitam. Hactenus Sanctus Doctor in corpore articuli.

11. Ad rationes factas ſuperiùs pro contraria ſententia aſſerente morales ad vnionem diſpoſitiones ; Reſpondeo , humanitatem de ſe , ac nudè ſumptam non includere quicquam indecens , vel indignum Verbo , fuit ergo negatiuè digna , nec opus fuit maiori dignitate , poſitiuiſve diſpoſitionibus , & ornamentis. Totum enim quod hic Deus operatus eſt , referri debet ad benignitatem & charitatem ; Quæ quamuis dum creatam naturam vniret, decentiam ſeruare debuerit , quantùm ſecundùm rectam rationem opus fuit , non tamen quantùm ſecundùm ineruditam imaginationem fingere quilibet poſſet. Videndum enim vtrum per ſpeciem ſeruandæ decentiæ minùs neceſſariæ aſſerere debeamus , Deum nimiam intuliſſe vim naturis rerum. Aſſero autem in præſenti (quicquid ſit de prioritate totalis humanitatis ante vnionem cum ſubſiſtentia , & de poſſibilitate ſuſtentandi in illo priori formas, de qua re ſtatim dicam) nimiam futuram fuiſſe violentiam , ſi Deus in humanitate , vel aliqua eius parte nondum ſubſiſtente poſuiſſet aliqua accidentia , præter illa quæ naturaliter in omni humano corpore dum organizatur , &c. præmitti debent. Et quandoquidem in eodem inſtanti temporis cum gratia habituali , & aliis humanitatis Chriſti qualitatibus , certum eſt productam fuiſſe vnionem hypoſtaticam ; longè ſuauius , & magis conſequenter ad rerum naturas opinabimur , ſi Deum tunc priùs naturâ prædictam vnionem humanitati conceſſiſſe dicamus , quòd arctiùs cum ea vinculum habeat. Adde quòd gratia ſanctificans , quæ eſt præſtantiſſimum , quod in anima poſſit eſſe decus , nequit eſſe diſpoſitio ad filiationem naturalem diuinam, ſed tantùm ad adoptiuam in puris creaturis , quæ talis adoptionis capaces ſunt, cùm Chriſtus illius ſit incapax.

Quòd

Digitized by Google

12. Quod addebatur *num.* 5. in confirmationem eiuſdem ſententiæ de organizatione corporis facta à Spiritu Sancto in ordine ad futuram vnionem, non vrget. Nam reſpondeo, organizationem huiuſmodi non ordinatam fuiſſe ad vnionem hypoſtaticam eo modo, quo cauſa diſpoſitiua ordinatur ad ſuum effectum; ſed eo modo, quo medium aliquod ordinatur ad ſuam cauſam finalem. Cùm enim ea ſumma quæ fuit organizationis perfectio, deberetur vnioni hypoſtaticæ velut quædam eius proprietas, dicendum eſt, illam fuiſſe factam propter vnionem ipſam hypoſtaticam poſteà ſequuturam; eo modo, quo proprietates omnes ſunt propter naturam, à qua oriuntur.

13. Suares ſuprà citatus exiſtimat, non tantùm probabilius eſſe, Deum ſeruaſſe hunc ordinem vnionis hypoſtaticæ, & omnium humanitatis qualitatum, vtpote conformiorem naturæ; ſed vlteriùs docet fuiſſe neceſſarium omninò ita fieri, ſeu impoſſibile fuiſſe, vt Deus in priori naturæ poneret vllam qualitatem in humanitate nondum ſubſiſtente, quia nempe impoſſibile eſt, vt humanitas carens ſubſiſtentia ſuſtentet vllam formam accidentalem; nec poteſt voluntas Dei, & inſtitutio moralis humanitati conferre capacitatem ſuſtentandi ſine ſubſiſtentia. Sic prædictus Author *diſp. illa* 10. *ſect.* 2. §. *Atque hinc fit, verſus finem ſectionis.* Sed id non mihi videtur conſequens cum eiuſdem Suaris doctrina *in Metaphyſ. diſp.* 30. *ſect.* 2. docentis ſubſiſtentiam eſſe modum quemdam diſtinctum ex natura rei; & concedentis §. 1. fieri poſſe, per diuinam potentiam (quod etiam hîc concedit Delugo *diſp.* 12. *num.* 93.) vt natura ſubſtantialis, v. g. humanitas exiſtat, conſeruetur que ſine vlla ſubſiſtentia. Quo poſito non videtur poſſe negari conſequenter, quin in humanitate ita conſeruata ſuſtentari poſſint proprietates eius naturales, atque adeò quæcumque aliæ, quas Deus voluerit, qualitates. Quòd ſi Deus in humanitate exiſtente ſine hypoſtaſi poſſet qualitatem aliquam, putà gratiam habitualem, collocare; cur non poterit in illa eandem collocare ſimul tempore cum hypoſtaſi, ſed independenter ab hypoſtaſi, & in priori naturæ velut quamdam illius diſpoſitionem moralem?

14. In quo quidem caſu, licet eædem, quoad ſuas eſſentias, forent res ipſæ in humanitate productæ, habitudo tamen inter illas alia foret, nec vnio hypoſtatica produceretur, niſi ex intuitu exiſtentis gratiæ habitualis, aut alterius qualitatis diſpoſitiuæ; eo modo, quo iuſtificatio non eſt niſi ex intuitu exiſtentis contritionis; quæ contritio propterea cenſetur eſſe naturâ prior. Hanc verò prioritatem Deus per ſolam ſuam voluntatem, & intentionem tollere poſſet, ſi iuſtificationem v. c. poneret abſolutè ſine vllo intuitu contritionis vt exiſtentis. Imò poſſet ordinem ita inuertere, vt iuſtificatio eſſet prior contritione, nec iſta poneretur niſi ex intuitu illius. Atque tunc gratia & charitas, vtpote præexiſtens, & ſufficienter applicata, produceret phyſicè ipſam contritionem. Et quamuis Dei voluntas, ſeu intentio ſit aliquid extrinſecum huic toti negotio; poteſt tamen ponere, vel tollere prædictum rerum ordinem in obiectis.

***

CAPVT III.

An, & quomodo Sancti Patres antiqui potuerunt mereri Incarnationem.

1. MVLTIPLEX circa meritoriam incarnationis cauſam aperit ſe difficultas. Queri enim poteſt, tum de iis hominibus, qui Chriſtum longè præceſſerunt, quales fuerunt Sancti Patriarchæ, & Prophetæ; tum de Sacra Virgine eiuſdem Chriſti Matre, tum de humanitate ipſius Chriſti conſiderata in priori, quàm eſſet aſſumpta per Verbum; tùm denique de ipſomet Chriſto conſiderato totaliter ſecundùm humanitatem & ſubſiſtentiam increatam: vtrum reapſe meriti ſint, vel mereri potuerint de condigno, aut ſaltem de congruo, incarnationem ſpectatam ſiue ſecundùm æternam ſui prædefinitionem ac prædeſtinationem, ſiue ſecundùm actualem exhibitionem, & exequutionem; idque rurſum, illam conſiderando vel ratione ſui, vel ratione circumſtantiarum: oriuntur autem ex duabus conſiderationibus difficultates prædictæ. Primùm quia incarnatio, & Chriſti exiſtentia eſt principium omnis meriti, cùm Patriarcharum & Prophetarum, tum B. Virginis, tum ipſius etiam Chriſti, atque adeò non videtur poſſe ipſa cadere ſub vllum meritum, ſiue de condigno, ſiue de congruo, quod ei præſupponatur. Secundò quia meritum purarum creaturarum, non videtur habere proportionem vllam cum vnione hypoſtatica, vt hanc poſſit cauſare, vel reſpicere quaſi ſuum præmium. Hæc, inquam, duo difficultatem faciunt non paruam, & videntur omnem cauſam meritoriam reſpectu incarnationis excludere.

2. Dicendum eſt primò, Sanctos Patriarchas & Prophetas, qui Chriſtum præceſſerunt, non fuiſſe meritos incarnationis prædeſtinationem, nec de condigno, nec de congruo. Concluſio eſt certiſſima & euidens, quam docent vulgò Theologi, D. Thom. *q.* 2. *art.* 1. & *in* 3. *diſt.* 4. *art.* 1. *ad* 4. Bonau. *in* 3. *diſt.* 4. Scot. Gabr. aliique multi, quos Suares citat. *diſp.* 10. *ſect.* 3. Probatur primò authoritate ſcripturæ, quæ beneficium incarnationis ſoli diuinæ miſericordiæ adſcribit, nullo autem modo retributioni, vt *Luc.* 2. *Per viſcera miſericordiæ Dei. Ioan.* 3. *Sic Deus dilexit mundum.* Item *Epheſ.* 2. *Propter nimiam charitatem*, &c. *Titi* 3. *Apparuit gratia Dei.* Et *ibidem, apparuit benignitas, & humanitas*, &c. Quibus teſtimoniis fieri puto, vt hæc noſtra concluſio ſit de fide. Sed præter ſcripturæ authoritatem eſt perſpicua ratio. Nam certum eſt ſecundùm ordinem, qui iam fuit à diuina prouidentia inſtitutus, incarnationem eſſe fundamentum & principium omnis meriti, quod in hominibus poſt Adami lapſum reperitur. Quo poſito, neceſſarium fuit, vt incarnatio, ſaltem ſecundùm prædeſtinationem ſui, antecederet omne prædictum meritum, ac per conſquens non potuit præſupponere ipſum, & ex eo oriri. Si enim ex eo oriretur, non poſſet illius eſſe fundamentum, ac principium, vt conſtat. Applicari etiam poſſunt ad probationem huius concluſionis rationes, quibus probatur ſequens concluſio, eam enim probant à fortiori.

3. Dicendum eſt ſecundò, antiquos eoſdem

Patriarchas

Digitized by Google

Patriarchas & Prophetas non meritos fuiſſe de condigno actualem Incarnationis exequutionem, ſeu exhibitionẽ. Non poteſt efficaciter iſta concluſio per eam rationem probari, quam nunc afferebamus pro concluſione præcedenti: poſſet enim facilè reſponderi, incarnationem, vt à Deo prædeſtinatam & præuiſam, fundamentum fuiſſe meritorum, quæ ante ipſius exiſtentiam in antiquis Patribus extiterunt; eandem verò poſteà in ſui exhibitione & exequutione potuiſſe eſſe aliquo modo effectum eorundem meritorum. In quo nullam eſſe implicantiam patebit *cap.6. & 7.* Quod tamen, quicquid ſit de poſſibili, antiqui Patres non ſint condignè meriti de facto exhibitionem, ſeu exequutionem incarnationis, probatur: quia, vt ait bene D. Thom. *quæſt.2. art.11.* opera meritoria Patriarcharum propriè ordinabantur ad beatitudinem, quæ eſt virtutis præmium, & conſiſtit in actu fruitionis Dei. Vnio autem incarnationis, cum ſit in eſſe perſonali, tranſcendit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ eſt per actum fruentis; & ideò non potuit cadere ſub meritum Sanctorum Patriarcharum. Confirmatur. Nam eorum merita condignum habuerunt præmium in gloria, cuius ſolius erant ſemen.

4. Accedit ſecunda ratio, quòd opera Sanctorum Patrum, præterquàm quod non habebant ſufficientem proportionem cum actuali exiſtentia incarnationis exhibitæ, nullam habebant factam antecedenter promiſſionem (quod neceſſarium fuiſſet ad meritum de condigno) quâ Deus ſe obligaſſet ad vnionem hypoſtaticam concedendam eorum intuitu. Illa enim promiſſio quæ facta eſt *Gen.22. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quia obediſti voci meæ.* Et *Pſal.131. Iurauit Dominus, & non fruſtrabitur eum; de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam:* & aliæ ſimiles promiſſiones fuerunt omnes ſubſequentes; & intuebantur opera iam præterita, quare fuerunt ineptæ ad conſtituendum in illis verum meritum. Tertia ratio ſumitur ex eo, quod nullus vnquam purus homo meruerit alteri homini de condigno exhibitionem primæ gratiæ. Vnde infero; Ergo multo minùs dicendum eſt, puros homines meruiſſe Chriſto exhibitionem gratiæ vnionis, quæ gratia prima in eo fuit. Quartò denique probata manebit hæc concluſio ex iis quæ infrà de Chriſto, eiuſque humanitate docebuntur.

5. Dicendum eſt tertiò, Sanctos eoſdem Patriarchas, & Prophetas, ne quidem accelerationem, nec alias circumſtantias incarnationis (v. c. quod ab iis deſcenderit Chriſtus, &c.) meruiſſe de condigno. Contrarium *in 3. diſt* 4. cenſuerunt Richard. Bonau. Gabr. Marſi. & Alenſis 3. *p. q.*48. Ratio horum Authorum eſt, quia Patriarchæ conabantur à Deo promereri, ac obtinere incarnationis non quidem ſimplicem futuritionẽ, de qua iam certi erant, ſed aliquas circumſtantias. Ita Dauid accelerationem illius poſtulabat *Pſal.78. Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ,* &c. Quare ſe Deus talibus poſtulationibus permotum eſſe ſignificabat, vt *Iſai.51. Citò veniet ſalus tua.* Et *Abacuc.2. Veniens veniet, ac non tardabit.* Et *Daniel.9. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt.* Eodem modo cenſet Greg. circa illa verba *Pſal.50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,* Prophetam petiiſſe, ne propter peccatum ſuum Deus deſiſteret ſumere ex ſuo ſemine humanitatem Chriſti. Abraham autem *Gen.22.* meritus eſſe ſignificatur, vt ex ſe oriretur Chriſtus, *Benedicentur in te omnes gentes, quia obediſti voci meæ.* Nihilominus hæc infirma ſunt ad ſtabiliendum in antiquis Patribus meritum de condigno.

6. Quod ſanè meritum reſpectu talium circumſtantiarum nequaquam reipſa extitiſſe probatur ex eo, quod acceleratio incarnationis, vel productio Chriſti ex his, vel illis parentibus, eſt aliquid ſuperioris ordinis, & excedit purarum creaturarum meritum, quæ ſufficienter compenſantur per gloriam, ac beatitudinem. Confirmatur. Nam prædictæ circumſtantiæ moraliter loquendo confunduntur (quamuis metaphyſica ſubtilitate diſiungantur) cum ipſa incarnatione; & per modum vnius cum ea ſimul petebantur, ac intendebantur à ſanctis Patribus, & concedebantur à Deo. Qui enim iubet, vel petit fieri aliquid quantocyus, non ſolùm tempus, ſed etiam opus, provt ea temporis differentia veſtitum petit aut iubet. Vnde aſſeri debet fuiſſe proportionem, aut potiùs diſproportionem eandem in meritis ſanctorum Patrum ad prædictas circumſtantias, quæ fuit ad ipſam incarnationem.

7. Dicendum eſt Patriarchas olim & Prophetas fuiſſe probabiliter meritos de congruo exequutionem incarnationis tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circumſtantias. Hæc concluſio, licet non careat difficultate, vt ex obiectionibus patebit, eſt valde communis, & nititur authoritate D. Thom. qui ſic habet *q.2. art.11. in fine corporis; Ex congruo tamen,* inquit, *meruerunt Sancti Patres incarnationem deſiderando, & petendo: congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui & obediebant.* Vult igitur Angelicus Doctor, & cum illo paſſim alij, prædictos Patres id circa incarnationem ex congruo meruiſſe, quod circa eam deſiderando petebant. Atqui certum eſt illos ipſammet in ſe incarnationem deſideraſſe, petiiſſe ac obtinuiſſe, necnon accelerationem eiuſdem provt in ſuo, & non in alio ſemine faciendæ, vt liquet ex locis Scripturæ ſuperiori concluſione citatis *num.* 5.

8. Nec obeſſe debet huic noſtræ concluſioni, quod vulgò ſolet obiici: non magis cadere poſſe vnionem hypoſtaticam ſub meritum, licèt ſupernaturale, puræ creaturæ, quàm viſionem beatam, vel gratiam ſub meritum operum naturalium. Non minùs enim, imò plus diſtat vnio hypoſtatica ob ſummam ſuam excellentiam à merito ſupernaturali puræ creaturæ, quàm gratia ab operibus purè naturalibus. Atqui ſcriptura, & Concilia inſinuant, quod opera naturalia non habeant proportionem congrui meriti cum gratia, quæ ſit ſimpliciter ſupernaturalis: Ergo, &c. Ad huius ſolutionem argumenti Suares optimè ait merita ſupernaturalia purorum hominum, quamuis non habeant proportionem condignitatis cum incarnatione, habere tamen aliquam congruitatis. Quandoquidem conuenientiam talem habent, vt non poſſit vlla maior eſſe ad ipſam incarnationem obtinendam diſpoſitio. Nec enim proportio congruitatis petit comparationem tam exactam, neque fundatur in maxima vicinitate, ac ſimilitudine extremorum; ſed ſufficit aliqualis eorum inter ſe reſpectus, qui in præſenti negotio fundatur partim in ordinatione diuina, partim in ipſis rebus; quatenus nulla poterat altior, vt dictum iam eſt, ad incarnationem ordinari diſpoſitio. Additque idem Suares, differentiam eſſe inter diſpoſitiones ordinis naturalis, ſeu conatus puræ naturæ comparatos cum gratia ſupernaturali, & inter diſpoſitiones ſupernaturales comparatas cum vnione hypoſtatica: per fidem enim, ſpem, & petitionem, ac amorem ſupernaturalem huius myſterij eleuatur homo, vt mente quodammodo ipſum myſterium attingat. At verò non poteſt natura viribus actibuſque ſuis attingere, etiam obiectiuè, ſatis perfecto modo

Digitized by Google

modo ſupernaturalem ordinem,credendo ſcilicet,atque amando ſupernaturalia obiecta. Quare mirum non eſt,ſi actus naturales non poſſint congruè mereri gratiam vllam, quæ ad ſupernaturalem ordinem pertineat; actus autem ſupernaturales mereri poſſint exiſtentiam vnionis hypoſtaticæ.

9. Quod contra hanc Suaris doctrinam opponit Delugo *diſp.*8.*n.*26.*& ſequentib.*ac poſt illum Ariaga *diſp.*18.*n.*4. *& ſequentib.* non mihi videtur habere magnam vim.Nec poſſunt hi Authores, quin tãdem diſertè fateantur, meritorios actus ſupernaturales, quantumvis diſtent ab excellentia vnionis hypoſtaticæ,maiorem habere cum hac proportionem,quàm habeant vlli actus naturales cum gratia ſupernaturali. Illi enim ſunt eiuſdem cum ipſa vnione hypoſtatica ordinis,nempe ſupernaturalis; iſti autem cùm naturam non tranſcendant,ſunt ordinis longè diuerſi à gratia ſupernaturali, nec poſſunt vllo modo ad eam vt diſpoſitiones referri;quemadmodum ex Scriptura, Conciliiſque colligitur. Quod cùm prolixè tam Ariaga,quàm Delugo conantur explicare ſuo modo, nihil noui afferunt,aut ſondi,quod Suari aduerſetur, & non in iis, quæ ipſe dixit, fundetur. Cùm autem contra eum aſſerunt, actus naturales poſſe attingere obiectiuè ſupernaturalem ordinem, ac per fidem humanam,quam habet hæreticus,poſſe mentem humanam eleuari, vt incarnationis v. g. myſterium quatenus reuelatum attingat;non videntur audiendi. Actus enim fidei quem habet hæreticus non attingit formale, & verum obiectum fidei catholicæ: quandoquidem tale obiectum non eſt diuina reuelatio quocumque modo ſumpta, ſed prout ſumpta in tota latitudine ſuæ credibilitatis, quam accipit ab argumentis certiſſimis. Si enim hæreticus reuelationem eo modo, quo eſt fidei vniuerſale ac germanum obiectum (hoc eſt, eo modo, quo ſubiacet veris argumentis credibilitatis) attingeret, cùm incarnationem credit, non recuſaret alia obiecta credere, quæ ſunt æquè credibiliter reuelata.

10. Maior naſcitur difficultas contra noſtræ huius quartæ concluſionis doctrinam ex hac obiectione: Impoſſibile fuit vt ſancti Patres mererentur de congruo id quod antecedit omne eorum meritum de congruo: Sed executio ipſa incarnationis, & non tantùm eius prædeſtinatio antecedit omne meritum eorum de congruo, vtputà huius fundamentum: Ergo impoſſibile fuit,vt ſancti Patres mererentur de congruo executionem incarnationis. Huic obiectioni, ſanè difficili, ſuccumbunt non pauci ex recentioribus, inter quos eſt Vaſquez *diſp.*22. *cap.*4. Delugo *diſp.*8. *ſect.*4. & partim (vt infra referam) Ariaga *diſp.*18. *ſect.*2.

11. Qui tamen, dum aſſerunt ſanctos Patres non potuiſſe mereri executionem ipſam incarnationis,& nihilominus concedunt meritos fuiſſe illius aliquas circumſtantias, non videntur loqui conſequenter; cùm vtrobique ferè valeat eadem ratio. Eodem enim ferè modo probari poteſt incarnationis circumſtantias (v. c. quòd Chriſtus natus ſit ex talibus parentibus, &c.) anteceſſiſſe merita ſanctorum Patrum; quo illi authores id probant de ipſa ſubſtantia incarnationis vt exhibitæ, & conſideratæ in executione. Non enim Chriſtus,ſi conſideretur vt actu exiſtens, aliter operatus eſt, aut fundauit de facto ſuis meritis merita ſanctorum Patrum,quàm natus tali tempore, tali loco, & à talibus maioribus. Sed nos quid verè hac in re ſentiendum ſit, dicemus paulò poſt.

12. Minus quam cæteri placet Ariaga *diſp.* 18. *ſect.*2. in eo quòd modificare volens aduerſariorum noſtrorum opinionem, dicat merita ſanctorum Patrum,quæ obtinuerunt Chriſtum incarnari, præſuppoſuiſſe quidem (vt ſuam cauſam) incarnationem conſideratam in ipſa executione; non tamen ſumptam pro omni tempore, quo Chriſtus extitit; ſed pro eo tempore præcisè, quo ipſe Chriſtus pro ſanctis prædictis Patribus orabat,aut pro iis merebatur; vt petere poſſent,obtinereque incarnationem, quale fuit v. g. tempus ſuæ paſſionis. Aſſerit ergo nequiuiſſe Chriſti, ſeu incarnationis exiſtentiam pro illo tali tempore cadere ſub merita ſanctorum Patrum, quandoquidem hæc merita erant cauſata, & pendebant à Chriſto prout in eo tempore exiſtente. Sic enim incarnationis, ſeu Chriſti exiſtentia fuiſſet illis meritis abſolutè prior, atque poſterior, quod implicat. At verò nobis concedit hic Author, potuiſſe ſanctos Patres mereri vt Chriſtus naſceretur, & exiſteret alio toto tempore, quo pro ipſis non petiit, nec ſuis meritis impetrauit eam gratiam, per quam ipſi meriti ſunt incarnationem. Sic enim ait vitari periculum mutuæ cauſalitatis. Hæc, inquam, viri doctiſſimi ſubtilitas diſplicet; tum quia periculum illud mutuæ cauſalitatis nullum eſſe, ſatis intelligetur ex dicendis *num.* 14. *&* 16. tùm quia apparet contradictio in eo, quod ſanctorum Patrum merita quædam Chriſtum præſuppoſuerint vt orantem, ſeu patientem & impetrantem ipſis gratiam Patribus; & tamen eundem non ſuppoſuerint, ſed meritoriè cauſarint vt naſcentem, & abſolutè exiſtentem: tùm denique, quia malè tempus in Chriſti vita ponitur, in quo Chriſtus operibus, actibuſque ſuis, quà internis, quà externis non mereretur pro antiquis Patribus gratiam, quà peterent mererenturque ipſum incarnari; & tempus item aliquod in quo ſolo eam mereretur. Nullum enim fuit in tota eius vita tempus,in quo non fuerit pro cunctis hominibus gratias eas omnes meritus, quæ vnquam datæ fuerunt,nec fuit vllum eius opus,quod cum paſſione coniunctum Pater non acceptarit in eum finem.

13. In eo etiam diſplicet Delugo, quòd ex tribus circumſtantiis incarnationis quas proponit, nempe quòd Chriſtus ex iis ortus ſit parentibus, quòd tali loco, quòd tali tempore; duas quidem priores concedat potuiſſe cadere ſub meritum antiquorum Patrum, tertiam autem neget. Vt hoc probet,aſſerit meritum Chriſti, ex quo ipſorum Patrum merita pendebant, incluſiſſe eſſentialiter eam durationem quam habuit. Supponit enim durationem alicuius rei identificari cum actione, qua res illa producitur: quandoquidem,vt ait,produci hodie, & durare hodie, ſunt idem: atque ita cùm duratio non diſtinguatur ab exiſtentia, inde colligit antiquos Patres non potuiſſe Chriſti natiuitatis accelerationem mereri.Sic enim obtinuiſſent vt prædictum meritum Chriſti, quod eſſentialiter ſui temporis differentiæ annexum erat, aliam durationem haberet, aliamque eſſentiam. Ad hunc diſcurſum multis,quæ non probarim,Ariaga reſpondet. Ego vno verbo reſpondeo; verum quidem eſſe, durationem & exiſtentiam rerum non diſtingui formaliter niſi per mentem; ſed falſum, quòd res, quæ in hoc tempore producitur, aut nunc durat, non poſſit produci quocumque alio tempore, & quòd opus quo Chriſtus merebatur, includeret eſſentialiter eam numero durationem, quam habuit. Quare merita Chriſti, quæ fuerunt tempore Tiberij, potuiſſent eſſe centum annis ante; & fortè futura fuiſſent multis poſt Tiberium annis, niſi Patres antiqui accelerationem meriti fuiſſent incarnationis.

14. Supereſt nunc, vt allatæ *n.*10. obiectioni ſatiſfaciamus. Et quidem conceſſa maiore neganda eſt illius

Digitized by Google

illius minor, aſſerens quòd executio incarnationis antecedat omne antiquorum Patrum meritum de congruo, vt putà huius fundamentum. Fatendum id quidem eſt de prædeſtinatione incarnationis, ſiue de incarnatione conſiderata ſecundum ſui futuritionem, ſeu prædeſtinationem, vt diximus *n.* 2. ſic enim conſiderata incarnatio fundamentum fuit omnium meritorum, quæ in creaturis, ſaltem poſt Adami lapſum, extiterunt, nec potuit eatenus cadere ſub vlla merita. Verùm ſi incarnatio ſpectetur ſecundum ſui executionem, & actualem exhibitionem, nego illam fuiſſe fundamentum, & principium meritorum ſanctorum Patrum, & gratiarum earum, quas dico fuiſſe ipſi præſuppoſitas, quaſi diſpoſitiones, & aliquo modo cauſas.

15. Inſtabis. Atqui incarnatio vt prædeſtinata & præuiſa, non alia fuit quàm illa ipſa quæ de facto exhibita, & executioni mandata eſt. Cùm enim Deus præordebat incarnationem, & in ea fundabat gratias quas hominibus deſtinabat, haud dubie illam ipſam præuidebat incarnationis exiſtentiam, quæ de facto cum ſuis circumſtantiis futura erat, & qualis exhibita fuit. Ergo illa ipſa exiſtentia incarnationis præſupponebatur omnibus gratiis, & meritis ſanctorum Patrum, etiam ſecundùm prædeſtinationem ſuam conſideratis. Et licèt iterum reſpondeatur illam exiſtentiæ præſuppoſitionem fuiſſe tantùm vt futuræ & præuiſæ, non autem, vt exhibitæ; nihil tamen hoc ad ſolutionem difficultatis proderit. Nam ſi futuritio, & præuiſio illius ipſius exiſtentiæ, quam tandem incarnatio habuit, & quæ cum ſuis circumſtantiis exhibita eſt, fuit prior voluntate, quam Deus habuit dandi Patribus gratias & merita; oportuit vt Deus ipſam incarnationis exhibitionem, & pariter eius cauſas & circumſtantias, à quibus pendebat, in priori videret vt futuras, quàm vellet dare huiuſmodi gratias. Atque adeò antequam ipſæ gratiæ præuiderentur abſolutè futuræ, futura erat, & vt talis præuidebatur exiſtentia & exhibitio incarnationis, omneſque illius cauſæ. Non igitur potuit pendere à prædictis gratiis, & ſanctorum Patrum meritis, vt ab aliqua ſua cauſa.

16. Ad hanc inſtantiam dico, incarnationem, prout fuit fundamentum & principium gratiarum & meritorum eorum, de quibus iam diſputamus, non fuiſſe præuiſam, nec prædeſtinatam adæquatè ſecundum eas omnes exiſtentiæ rationes, cauſas, & circumſtantias, quæ de facto poſteà contigerunt; ſed inadæquatè tantùm, & præcisè ſecundum futuritionem infallibilem & abſolutam; quam futuritionem facilè potuit intueri Deus in eo priori, antequam merita ſanctorum Patrum videret eſſe extitura. Quemadmodum plurimi ſummi Theologi gloriam prædeſtinatorum volunt abſolutè & efficaciter decerni à Deo, ac per conſequens vt abſolutè futuram cognoſci, in priori antequam cognoſcantur merita, quibus velut mediis & cauſis, talem gloriam ſunt conſequuturi. Et in hac ipſa materia, quam tractamus, tenentur omnes eandem difficultatem votare. Certum enim eſt, conſenſum, quem, vt eſſet Mater Chriſti, præbuit B. Virgo, fuiſſe (nam erat meritorius & ſupernaturalis) fundatum in meritis eiuſdem Chriſti, atque adeò in eius incarnatione. Et tamen ille conſenſus præſupponi debuit exhibitioni actuali incarnationis, vt quædam cauſa illius, cùm ad illam ex inſtituto Dei neceſſarius fuerit. Incarnatio enim ex talis conſenſus intuitu mandata fuit exequutioni in Virginis vtero. Atque idem eſt de eiuſdem Virginis puritate & ſanctitate, qua ſeipſam diſpoſuit; idem de precibus, quibus actualem exiſtentiam incarnationis obtinuit. Quæ omnia, cùm gratiam inuoluant, fuerunt fundata in Chriſto & incarnatione. Quid? Si verum eſt Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante omnem peccati, vel aliarum quarumcunque rerum præuiſionē, & ex eius præuiſis meritis omnes creaturas fuiſſe productas, quemadmodum Doctores grauiſſimi optimis ducti rationibus voluerunt; nonne in tali caſu & opinione valde probabili duo hæc manent; & phyſicam Virginis exiſtentiam fundari in incarnatione vt præſuppoſita ſecundùm futuritionem; & eandem ſimul eſſe ipſius incarnationis exhibitæ cauſā, illuſque præſupponi executioni?

17. Reſtat hîc ea denique difficultas, quomodo Patres illi antiqui potuerint incarnationis accelerationem ſic mereri, vt Deus ſuum decretum non mutauerit circa tempus ipſius incarnationis exequendæ. Si enim tempus accelerauit: Ergo citiùs Chriſtum produxit, quàm decreuerat. Reſpondeo non eſſe magnam hanc difficultatem: potuit enim Deus ex vi primi ſui decreti abſolutè determinare, vt eo præcisè tempore, quo facta eſt incarnatio, fieret per talia media; nimirum per merita & preces, quibus eam tali tempore merituros eſſe ſanctos Patriarchas præfinire potuit, ſi voluit vti ſcientia ſua media. Potuit etiam Deus non ſtatuere antecedenter & abſolutè quicquam de tempore Incarnationis; ita vt intelligatur ante præuiſa Patrum merita non ſtatuiſſe abſolutè certum id tempus, ſed dumtaxat conditionatè, ſi nempe tales preces, & talia merita adhiberentur. Quare dum preces & merita adhibuerunt Sancti Patres, iure dicuntur acceleraſſe incarnationem: quia Deus paratus erat aliter illam in longius tempus differre, nec ad tale breue tempus ſe determinauit, niſi conſequenter ex præuiſione precum huiuſmodi, & meritorum.

CAPVT IV.

De merito Beatiſſimæ Virginis circa incarnationem, & circa ſuam maternitatem.

1. ADVERTE aliud eſſe mereri incarnationem, & aliud mereri maternitatem diuinam; licet enim maternitas diuina coniunctionem habeat arctam cum incarnatione, eamque connotet; differt tamen ab illa, nec ipſam includit intrinſecè. Nam incarnatio Chriſtum habet pro ſubiecto, maternitas autem ſubiectum habet B. Virginem: nec aliud ſonat quàm ſtatum, ſeu dignitatem Matris Dei. Quem ſtatum, ſeu dignitatem bene poſſumus intelligere cadere ſub meritum, poſtquàm Deus antecedente ſua voluntate decreuit incarnationem ſine vllo reſpectu ad merita. Quemadmodum poſtquam aliquis Princeps nullo reſpectu ad ciuium merita decreuit ire in aliquam ciuitatem, & cùm id exequitur, præcisè quia illi placet, fieri poteſt, vt ciuis aliquis impetret, ac mereatur, vt potiùs in ſuam, quàm in aliorum domum diuertat. Quo in caſu facilè intelligo talem ciuem non meruiſſe Principis aduentum ſimpliciter; & nihilominus meruiſſe vt eſſet hoſpes illius aduenientis. Quærimus ergo hîc quomodo ſe habuerint Virginis merita cùm circa incarnationem, hoc eſt circa Chriſti aduentum, tum circa maternitatem ſuam, quâ illius velut hoſpes fuit.

2. Dicendum primò, Beatiſſimam Virginem non potuiſſe mereri nec de condigno, nec de congruo prædeſtinationem incarnationis; executionem autem eius, & circumſtantias de condigno quidem mereri non potuiſſe, at meritam fuiſſe de congruo.

Ita

Ita concluſio quoad omnes ſuas partes facilis eſt iam poſt dicta ſuperiùs de meritis antiquorum Patrum: eſt enim eadem ferè quoad hoc illorum & B. Virginis ratio. Atque quoad primam partem, quæ eſt de incarnationis prædeſtinatione, probatio petenda eſt ex prima concluſione, ſeu num. 2. ſuperioris capitis. Vbi allata eſt & ſcripturæ authoritas, quæ ad ſolam Dei miſericordiam beneficium incarnationis ita refert, vt omne meritum, & retributionem euidenter excludat; & perſpicua item ratio addita eſt, quod nempe incarnatio, Chriſtique exiſtentia ſit principium omnis meriti, atque adeò non potuerit ſub vllum meritum cadere.

3. Secunda pars concluſionis, quòd B. Virgo nequiuerit mereri de condigno executionem & circumſtantias incarnationis, probatur quoad executionem quidem ex ſecunda concluſione, ſeu num. 3. & 4. capitis ſuperioris; quoad circumſtantias autem ex cõcluſione tertia ſeu n. 5. & 6. Vbi reperies, nec actualem executionem, nec circumſtantias incarnationis fuiſſe præmium propoſitum bonis ac meritoriis vllis operibus; quæ tota ſemper ordinata ſunt ad beatitudinem conſiſtentem in actu fruitionis Dei, ſiue vnionis mentis ad Deum; quam vnionem ea vnio quæ eſt in eſſe perſonali tranſcendit, ſiue quoad ſuam ſubſtantiam, ſiue quoad circumſtantias. Et ſanè merita creaturarum ſatis plenum habent præmium in gloria, cuius ſunt ſemen. Eſt autem ferè in hoc eadem B. Virginis, quæ ſanctorum Patrum ratio.

4. Vltima pars huius concluſionis, quòd Beata Virgo ſit merita de congruo incarnationis executionem tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circumſtantias, certa eſt à fortiori ex iis, quæ dicta ſunt quarta concluſione ſuperioris capitis num. 7. & ſequentibus, vbi ſolutæ ſunt graues quædam difficultates & obiectiones, quæ de ipſa Virgine fieri æquè poſſent, ac de ſanctis Patribus.

5. Dicendum ſecundò, Beatiſſimam Virginem diſpoſitiones habuiſſe condignas ad hoc vt eſſet Mater Dei, quas accepit partim ex pura gratia præueniente, partim ex propriis meritis de cõdigno. Antequam iſta concluſio probetur, notandum eſt, nos hîc per diſpoſitiones condignas non intelligere vllum genus meriti ſiue de condigno, ſiue de congruo; ſed tantùm eas diſpoſitiones, quæ licèt nullũ ius inducerent, nec meritum (de quo in concluſionibus ſequentibus agetur) habere ſupponerentur annexum, ſufficientes tamen erant, vt ſine indecentia, imò cum ſumma decentia in Matrem Chriſti talis Virgo eligeretur, & electa perſonam Matris Dei digniſſimè ſuſtineret; quomodo dicimus aulam ornatam ſignis & picturis, inſtructamque rebus excellentiſſimis, dignã eſſe quæ Regem excipiat. Hoc prænotato probatur concluſio. Nam B. Virgo fuit digna Mater Dei. Ergo habuit dignas ad id diſpoſitiones. Atque hoc à nullo piè & rectè ſentiẽte negari poteſt, inquit Suares, cùm ſit communis ſenſus ſanctorum Patrum. Ita Ambr. *lib. 2. de Virginib. Mariam appellat dignam, ex qua Dei Filius naſceretur.* Chryſoſt. *hom. 49. in Geneſin. Si cognouiſſes*, inquit, *virum, non fuiſſes habita digna, vt huic miniſterio deſeruires.* Epiphan. *hæreſi 48. Quomodo audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta eſt habitaculũ fieri Filij Dei, & electa ex multis millib. quòd vas & habitaculum dignum eſſet.* Damaſc. *lib. 4. c. 15.* eandem Virginem vocat *ſanctum, admirabile, ac ſummo Deo dignum Templum.* Multa ſimilia paſſim habet ſanctus Bernard. vt cùm dixit *ſerm. 5. de Aſſũpt. Quæ vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti ſacrarium fieri, & habitaculum Filij Dei?* Accedit authoritas Eccleſiæ, quæ in quadam oratione de Virgine ſic ait, *Vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.* Quæ, & alia multa ſimilia non eſſent vera, niſi Virgo diſpoſitiones haberet ad ſuam maternitatem condignas, hoc eſt, ita proportionatas & conuenientes, vt ſecundum creaturarũ capacitatem & ordinem diuinæ prouidentiæ, non modò tollant omnem ab ipſa Virgine indignitatem & indecentiam, ſed ponant dignitatem quamdam poſitiuam in ordine ad prædictam maternitatem, vt videri poſſint ſufficientes.

6. Quòd autem hæ diſpoſitiones partim acceptę ſint ex pura gratia ſine meritis, & partim ex meritis de condigno, patet. Nam parens hæc ſanctiſſima non per vnam indiuiſibilem gratiam fuit ad maternitatẽ ſuam diſpoſita, ſed per cumulum gratiarum omnium quæ in ipſa extiterunt. Clarum eſt autem, quòd earum gratiarum nonnullæ datæ ei fuerint ſine vllo merito, v. c. illæ primæ quibus præuenta fuit in ſui conceptione, & aliæ propemodum infinitæ illam toto eius vitæ tempore præuenientes: propter quas ſolas intelligendi ſunt aliqui Sancti Patres negaſſe merita Virginis. Vt cùm ſanctus Bern. dixit: *Quærant alij meritum, nos inuenire gratiam ſtudeamus, Maria non prætendit meritum, ſed gratiam quærit.* Et Hieron. *dialogo 1. contra Pelag. Aduerte*, inquit, *quod beatam ſe dicat, non proprio merito, ſed Dei in ſe habitantis clementia.* Verũ tamen plurimæ gratiæ conceſſæ fuerunt ipſi B. Virgini ob eius meritum & cooperationem, quales extiterunt omnes ij ſanctificationis gradus, quos per ſuos charitatis, & aliarũ virtutum actus acquirebat. Quapropter multi ſancti Patres illius merita, ob quæ facta Dei Matrem eſſe volunt, commendant; vt Aug. *ſerm. 2. de natiu.* qui eſt 14. *de tempore: Talis eligitur Virgo, quæ tantũ haberet meritũ, vt Dei Filium in ſe reciperet.* Idem habet S. Greg. *lib. 1. Reg. cap. 1.* & alij plures.

7. Dicendum tertiò Beatiſſimam Virginem non fuiſſe quidem meritam de condigno, vt eſſet mater Dei; potuiſſe tamen facere Deum, vt id illa de condigno mereretur. Prior pars ex eo probatur, quòd eſſe Matrem Dei, quemadmodũ eſſe præcurſorem Chriſti, qualis fuit Ioannes; aut eſſe caput Eccleſię, qualis fuit Petrus, & quęlibet alia ſimilis prærogatiua non habet naturalem coniunctionem & ſufficientem proportionem cum meritis & operibus gratiæ, vt illis ſubordinetur, quaſi eorum præmium. Secundò probatur ex eo quòd opera Virginis Deus plenè & adæquatè remuneratus ita ſit per gratiam ſanctificantem, & per gloriã, vt in iis non ſuperſit ius & condignitas ad vlteriorem remunerationem. Quòd autem ita factum ſit, debet eſſe certum. Remuneratus eſt enim Deus merita Virginis illo præmio, quod ipſi Virgini optabilius fuit. Atqui gratia & gloria vtilior, commodiorque ei fuit, vtpotè maius ipſius bonum, quàm eſſe Matrem Dei. *Beatior enim fuit*, inquit Aug. *lib. de ſancta Virginit. c. 3. percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem.* Et addit; *Sic materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi feliciùs Chriſtũ corde, quàm carne geſtaſſet.* Sanè cauſam fuiſſe Chriſti phyſicam (quod potuiſſet concedi naturæ etiam alicui irrationali) non continet aliud niſi excellentiam & denominationem quamdam, quæ nec fundat amicitiam Dei, neque dat ius ad beatitudinem. Cùm igitur dubium eſſe non poſſit, quin B. Virgo gratiam, & gloriam acceperit ſuis omnibus meritoriis operibus adæquatã, non ſuperfuit illis eius operibus vis vlla meritoria, ſiue condignitas reſpectu maternitatis. Probatur ſecundò hæc prior eadem pars concluſionis. Quoniam ad hoc vt Virgo mereretur de condigno maternitatẽ diuinam, fuiſſet neceſſe, vt conſtat *ex tract. de merito*, factam ei eſſe à Deo promiſſionem de illa maternitate concedenda in mercedem ſuorum operum: Atqui nullibi talis promiſſio apparet, nec illam ego in

verbis Angeli Virginem ſalutantis, ad quæ nos remittit Peres, inuenio.

8. Secunda pars concluſionis, quod non repugnarit maternitatem diuinam cadere ſub meritum de condigno, Vaſquem *diſp.* 5. *cap.* 8. quem Delugo, Petrus Hurtadus, aliique quidam ſequuntur, contra ſententiam habet. Ratio Vaſquis eſt, proptereà quod res, quæ non ordinatur ad aliquod præmium, non poſſit eſſe eius meritum de condigno: maternitatem autem negat ordinari potuiſſe ad Virginis opera meritoria. Sed bene id Ariaga refutat *diſp.* 18. *num.* 16. ex eo quod ipſe Vaſques fateatur reperiri hîc in Virgine meritum de condigno ratione maternitatis. Inde namque ſequitur, opera Virginis meritoria ad maternitatem fuiſſe ordinata. Meritum enim congruum, & meritum condignum nequaquam in eo differunt, quòd vnum ordinetur ad præmium, & alterum non ordinetur: vtrumque enim debet ad præmium ordinari, vt per ſe conſtat; ſed in eo differentia conſiſtit, quòd meritum congruum non adæquet valorem præmij, nec habeat proportionem ſufficientem; condignum autem adæquet valorem. Non oſtenditur porrò, quod merita Virginis non habere potuerint ſufficientem proportionem ad maternitatem, & ad hanc ordinari quaſi ad præmium. Ratio quam item affert Delugo *diſp.* 18. *num. vlt.* non eſt multò melior; nimirum, quod maternitas ſit inferioris ordinis, quàm opera B. Virginis, ſupponiturque talia opera non potuiſſe condignitatẽ habere niſi cum eo præmio, quod ipſi Virgini melius eſt, atque vtilius, nempe cum gratia ſanctificante, & cum gloria. Verùm vt bene ait idem Ariaga, aliud eſt quod maternitas non cenſeatur æquale præmium, & ſit infra valorem operum B. Virginis; aliud verò, quod opera non valeant tantum, quantùm ipſa maternitas. Sunt enim ea duo non ſolùm diuerſa, ſed etiam contraria. Quare priore admiſſo, ſecundum negari debet. Quid enim vetat, quo minùs id quod meretur condignè centum, mereatur item condignè, & quidem à fortiori, quinquaginta? Sanè cùm quærimus, num opus aliquod mereatur condignè aliquod præmium, & attingat illius valorem; non quærimus, an præmium attingat valorem ipſius operis, & non valeat minùs. Neque ad operis condignitatem neceſſaria eſt præmij reciproca, vt ita loquar, condignitas. Nam ſi opus excedat valore præmium, non deſinet ex eo eſſe condignum, cùm ſit etiam pluſquam condignum. Sicut actiones, & paſſiones Chriſti non deſinunt habere condignitatem in ordine ad noſtram redemptionem, quamuis ſint pluſquam condignæ. Porrò quamuis gratia ſanctificans, & gloria, melior ſit, vtiliorque Virgini, atque ideò huius opera pleniùs, ac meliùs per hanc, quam per diuinam maternitatem compenſentur; non tamen proptereà deſinunt ipſius opera eſſe condignè meritoria maternitatis ex parte ſua; eſto maternitas ex parte ſua non poſſit illa condignè compenſare.

9. Denique non valet ratio Petri Hurtadi, cùm diuinam maternitatem non potuiſſe cadere ſub Virginis meritum de condigno inde probat, quòd maternitati diuinæ debeat eſſe neceſſariò adiuncta incapacitas & impotentia ſiue moralis, ſiue etiam phyſica peccandi; nulla verò merita Virginis, aut creaturæ vllius poſſint mereri condignè prædictam impotentiam: quandoquidem hanc obtinere, præſeruarique à peccato eſt tam magnum, imò maius beneficium, quàm ab eo liberari. Atqui nulla creatura poteſt de condigno mereri liberationem à peccato mortali, de eo enim loquimur. Ergo neque poterit mereri præſeruationem ab illo. Ergo nec impotentiam ad peccandum. Sed ad id reſpondendum eſt primò quidem, hunc Authorem malè aſſumere, quòd incapacitas ad peccandum debeatur ex omni neceſſitate dignitati Matris Dei. Duo enim diſtincta ſunt beneficia, Matrem eſſe Dei, & incapacem eſſe peccandi. Nec neceſſarium eſt, vt mulier, quæ illud mereatur de condigno, mereatur etiam iſtud; quamuis iſtud alterum ex decentia, ſiue ex decreto Dei ſequatur poſt illud prius. Secundò, quamuis præſeruati à peccato mortali ſit maius beneficium, & vtilius, quàm ab illo poſt permiſſionem lapſus liberari; falſum tamen eſt, quòd ſi nulla creatura poſſit mereri liberationem à peccato, nulla item poſſit mereri præſeruationem. Non enim oportet metiri difficultatem merendi rem aliquam ex vtilitate ſolùm, ac ſimpliciter, quam ea res affert merenti; ita vt id cariùs conſtet, maiorique pretio debeat obtineri, quòd ei à quo petitur, eſt futurum vtilius. Neque ſi quis in extrema fame panes emit, poſſunt iure panes ei ob vtilitatem vitæ conſeruatæ vendi cariùs, & tanti, quanti æſtimatur vitæ conſeruatio.

10. Deinde videtur per ſe conſtare, præſeruationem à peccato mortali faciliùs cadere poſſe ſub meritum, quàm ab eo liberationem. Euidens enim eſt, nullum mereri poſſe huiuſmodi liberationem, nec ſuam, nec alterius. Non quidem ſuam, cùm is qui eſt obſtrictus peccato mortali, ſit inuiſus Deo, & incapax meriti de condigno; atque alioqui debitor etiam ſatisfactionis infinitæ, quantam nulla creatura Deo poteſt offerre. Non etiam alterius, quia pro altero remiſſionẽ peccati, licèt ſolùm venialis, nulla creatura, quæ non ſit etiam Deus, mereri poteſt. Id enim proprium eſt ſolius Chriſti, ſeu capitis, vt ſuo loco docuimus *lib.* 2. At verò præſeruationem à peccato mereri longè minus videtur eſſe impoſſibile. Nam talis præſeruatio ſupponit nondum fuiſſe peccatum commiſſum. Atque ita non eſt neceſſarium, vt offeratur Deo compenſatio, quæ ſit infinita; nec Deus vllo modo, cùm præſeruationem à peccato concedit, decedit à ſuo iure, quin potiùs conſulit ſuo iuri. Sic enim impedit, ne ſuum ius per peccati, quod alioqui committeretur, iniuriam violetur.

11. Hactenus refutatione contrariæ ſententiæ, velut probatione negatiua, oſtendimus non repugnare, quin diuina Maternitas cadat ſub meritum de condigno; quæ eſt ſecunda pars præſentis tertiæ concluſionis. Nunc idipſum ratione poſitiua firmandum eſt. Et quidem potuiſſe Deum, ſi viſum ita ei fuiſſet, Beatiſſimæ Virginis meritis maternitatem ſubiicere, inde patet, quòd ea merita ſatis magnam ſublimitatem haberent, vt diſproportionata non eſſent illi maternitati, quæ excellentiam non habet maiorem, quàm gratia ſanctificans, & gloria. Quare dubium non videtur, quin tali maternitati condigna fuiſſent, ſi ad illam ordinarentur ac dirigerentur per extrinſecam Dei voluntatem, atque promiſſionem. Præſertim cùm non deſint Theologi (inter quos eſt Bellarminus & Peres ſupra citatus) qui probabile cenſeant, gratiam habitualem, & merita, quæ in hac fundantur, non dirigi per ſe ad ſolam gloriam, ſed hoc habere ex mera Dei inſtitutione, per quam potuiſſent æquè connaturaliter, vt ipſi putant, ad alia præmia dirigi. Porrò cùm probabile ſit, Maternitatem diuinam minoris eſſe dignitatis, quàm filiationem Dei adoptiuam, ac poſſeſſam nunc à B. Virgine beatitudinem; dicendum foret in caſu, quo Deus merita ipſius Virginis per maternitatem eius compenſaſſet, quòd ipſa merita fuiſſent quidem condigna maternitati, ſed non condignè per hanc compenſata. Debuiſſet ergo ipſi maternitati (ad inducendam æqualitatis proportionem) gloria ſimul, ſeu beatitudo addi, non tamen quanta nunc à Virgine poſſidetur; ſed tanto ex ea detracto, quanti conceſſa diuina ipſa Maternitas æſtimaretur.

12. Non deſunt Theologi, qui non tantùm concedant cum ſecunda noſtræ huius concluſionis parte, potuiſſe

potuiſſe

Digitized by Google

potuiſſe Virginem mereri de condigno, vt eſſet Mater Dei; ſed etiam defendant contra priorem partem eiuſdem huius concluſionis, id illam de facto fuiſſe meritam. Ita Gabr. *in 3. diſt.*4. cum Almai. Maiore, Abulenſi, noſque nouiſſimè ſequutus eſt P. Martinus Peres *diſp.*12. *ſect.*10. Quorum omnium argumenta ex dictis in vtraque iſtius concluſionis parte facilè ſoluentur. Cùm autem obiicit Gabr. B. Virgo meruit de condigno aliquid excellentius maternitate diuina, nempe gloriam: Ergo & ipſam maternitatem. Neganda eſt conſequentia. Nam in iis quæ ſunt diuerſarum rationum, fieri poteſt, vt ſit facultas ad id quod perfectius eſt, & non ad id quod eſt minùs perfectum, vt patet in phyſicis. Aquila ſiquidem poteſt generare aquilam, & non poteſt veſpertilionem. Atque in moralibus poteſt quilibet iuſtus de condigno mereri augmentum gratiæ & gloriæ, non autem ſcientiæ, vel valetudinis. Prætereà debuit conſiderare Gabr. maius eſſe mereri totum hoc ſimul, gloriam & diuinam maternitatem, quàm mereri ſolam gloriam. Non ergo ſequitur; Potuit Virgo mereri de condigno gloriam: Ergo ſimul cum gloria, quæ ipſi conceſſa eſt, maternitatem diuinam.

13. Dicendum quartò, B. Virginem reipſa meruiſſe de congruo vt eſſet Mater Dei. Refragatur huic concluſioni cum paucis quibuſdam aliis, ob rationes in obiectionibus mox exponendas Lorca *diſp.* 22. Patrocinantur tamen cæteri communiter Doctores cum ſanctis Patribus, quorum multos videre potes apud Vaſquem & Suarem. Hanc veritatem celebrat Eccleſia illo ſacro carmine temporis Paſchalis, *Quia quem meruiſti portare*, &c. Idem habet ipſa etiam alibi; vt cùm de Virgine loquens ait in quadam Oratione, *Vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur*, &c. Probari eadem veritas facilè ratione poteſt, ſi attendas dicta ſuperiùs in ſecunda concluſione, ſiue *num*.2. & quod ſuperiore capite docuimus concluſione quarta, ſiue *num*.7. Patriarchas meruiſſe de congruo ipſam incarnationem, quæ eſt quid excellentius maternitate diuina. Et ſanè cùm Virgo tales haberet in ſe diſpoſitiones, quales concluſione ſecunda huius capitis diximus, ob quas fuit digna Mater Dei; ſatis congruum erat, vt illam Deus ſecundùm huiuſmodi eius dignitatem eueheret ad ſtatum Matris Dei. Confirmatur. Nulla enim fœminas inter pura ſic erat, ornataque ad Chriſtum concipiendum. Ergo congruum fuit, vt ſuppoſito incarnationis decreto, non aliam Deus ad tanti priuilegij faſtigium eueheret. Quàm acceptabilis eſt hæc veritas, & quàm facilis eius probatio, tam difficiles ſe offerunt, quæ iam ſoluendæ ſunt, contra eam obiectiones.

14. Primò enim difficile illud occurrit, quod Chriſtus ex probabili opinione ſibi Mariam elegit in Matrem, & in eius gratiam ſua merita Patri obtulit, vt per ea liberaretur ab originali noxa. Hoc poſito antequam ipſa Virgo poſſet, ſiue de condigno, ſiue de congruo mereri quicquam, ac per conſequens antequam mereri poſſet ſuam maternitatem, iam erat conſtituta Mater Chriſti. Igitur falſum eſt illam meruiſſe de congruo maternitatem. Nec valet ſi quis reſpondeat, Virginem ſtatim poſt Chriſti petitionem fuiſſe ſine meritis prædeſtinatam, vt quoad exequutionem ſuo tempore obtineret per merita eſſe Mater Dei: quomodo à multis communiter Theologis ante præuiſionem meritorum ponitur electio Sanctorum ad gloriam, vt obtinendam per ipſorum merita. Iſtud, inquam, videtur non valere. Nam Virgo non potuit conuenienter, ac decenter eſſe Mater Dei, niſi cum exemptione ab originali peccato: at non potuit prædeſtinari ad illam exemptionem in exequutione obtinendam per merita. Non enim vllo modo eſſe potuit, vel præuideri merens, niſi vt exiſtens in ſtatu gratiæ, atque adeò vt in priori exempta à peccato originali. Et prætereà hanc exemptionem oportuit actu exequutioni mandari in primo inſtanti ſuæ creationis antequam Virgo poſſet mereri. Imò oportuit, vt probabilius eſt, illam exemptionem fieri cum ipſius Virginis excluſione à pacto, quod Deus fecit cum Adamo. Quam excluſionem conſtat præceſſiſſe neceſſariò merita omnia eiuſdem Virginis, nec ſub illa etiam præuiſa cadere potuiſſe. Quomodo enim potuit Virgo mereri, aut præuideri merens, vt id fieret quod iam factum tanto ante eſſe præſupponebatur, ita vt poſſet dicere, ego iam mereor, vt præterito tempore fuerim excluſa ab Adami pacto, & nata ſim abſque macula originali?

15. Reſpondeo, totam iſtam difficultatem, tortuoſis inuolutam prioritatum ac poſterioritatum implicationibus, poſſe ita breuiter expediri. Vt Deus Chriſtum ante omnes creaturas decreuerit, & ſimul antequam de Adamo, vel Adami lapſu cogitaret, prædeſtinarit Mariam in Matrem Chriſti (præuiſo ipſius Chriſti ea de re deſiderio) ſic tamen vt illa ſine meritis ad id prædeſtinata, eam dignitatem, ſeu prædeſtinationis exequutionem obtineret per ſua ipſius merita, fundata in Chriſti ipſius ante iam prædeſtinati meritis à Deo præuiſis. Ea verò diuinæ maternitatis dignitas continebat inter alia liberationem ab originali noxa; & vt probabilius eſt, Virginis exemptionem ab Adami pacto cunctos huius poſteros includente. Neque eſt difficile concipere talem à pacto exemptionem, & liberationem ab originali contrahendo reatu fuiſſe ex Chriſti meritis conceſſam ipſi Virgini, ſiue abſque eius meritis, vt ita diſponeretur ad merendam actualem maternitatem diuinam; ſiue propter meritoria eiuſdem opera præuiſa, & in meritis filij ſui fundata.

16. Hinc tamen ſecunda oritur, & quidem difficilior obiectio. Nam ad hoc vt (quemadmodum iam dicebatur) meritoria Virginis opera mereri poſſent maternitatem, debuerunt antecedere naturâ, cùm maternitatem ipſam, tum exiſtentiam Chriſti ab ea pendentem. Atqui fieri non potuit vt Virginis merita Chriſti exiſtentiam, & multò minùs maternitatẽ, quę Chriſto naſcente, & exiſtentiam accipiẽte prior fuit, antecederet: Ergo, &c. Maior probatur, nam quod meretur maternitatem diuinam eſt cauſa ipſius maternitatis, & conſequenter, ac mediatè filij illius, qui ex tali maternitate naſcitur. Minor etiã eſt euidens, quandoquidem Virginis merita fundantur in meritis & exiſtentia Chriſti, tanquam in principio omnis meriti: ac per conſequens prioritatem non habuerunt reſpectu Chriſti, eiuſq; meritorũ, nedũ reſpectu maternitatis, quã & Chriſtus, & Chriſti merita præſuppoſuerunt. Hæc obiectio multorũ exercuit ingenia Theologorũ.

17. Et quidem Vaſq. *diſp.*23.*c.*4. negat quod tam in maiore, quàm in minore argumenti iam facti tanquam certum aſſumitur, nempe merentis Chriſti exiſtentiã pendere à maternitate. Quare vult meritoria Virginis opera præſupponere quidem Chriſti exiſtentiam, & in huius fundari meritis; ſed tamen nullo modo ſupponere maternitatem; atque ita nihil obſtare, quin maternitas ipſa à prædictis Virginis operibus meritoriis pendeat, vt à ſua cauſa. Quod autem Chriſti exiſtentia & incarnatio non pendeat à Virginis maternitate, ſed cum ea ſe habeat concomitanter, probat ex eo quòd, licèt incarnatio, Chriſtique exiſtentia contineat ſubſtantialiter humanitatem hanc indiuidualem Verbo vnitam, conſtantem tali anima, talique materia; atque hæc materia

Digitized by Google

teria ſumenda fuerit ex Virgine, tamen ad hoc, in quo tamen non requiritur maternitas. Non enim ad hoc vt Chriſtus contineat hanc humanitatem requiritur aliud, quàm vt intelligatur ſumpta eſſe materia corporis Chriſti ex viſceribus Virginis, & ex illa formatum fuiſſe ipſius Chriſti corpus. Atqui ad hoc præcisè non requiritur maternitas, ſiue vlla matris operatio. Nec enim maternitas conſiſtit in eo, quòd ex viſceribus fœminæ tantùm paſſiuè ſe habentis extrahatur materia: ſed requiritur inſuper, vt fœtus intra matricem ita generetur, vt coniunctus per vmbilicum genitrici, ab hac foueatur & nutriatur vſque ad ipſius ſeu partum, ſeu abortum. Quomodo Virgo reipſa fuit Mater Dei in primo inſtanti conceptionis Chriſti. Sed talis maternitas, ſeu talis matris influxus non ſe habuit niſi concomitanter ad Chriſti exiſtentiam, & incarnationem; quæ fuiſſet ſubſtantialiter eadem, ſi abſque tali influxu corpus humanitatis fuiſſet ſimpliciter, ac ſolummodo ſumptum ex Virginis ſacris viſceribus, & extra illa formatum. Quomodo Chriſtus quidem fuiſſet ille ipſe qui fuit; operari potuiſſet, eſſeque principium & fundamentum omnis meriti: atque ita Virginis meritum in Chriſto fundatum non ſuppoſuiſſet maternitatem, & per conſequens potuiſſet eam mereri.

18. Nimis videtur affectata hæc Doctoris ingenioſiſſimi ſubtilitas, & violenter ad id ſolùm accerſita, vt obiectionis propoſitæ difficultatem euadat. Eſtque parum acceptabilis. Nullus enim eſt, qui dum audit Chriſtum eſſe principium omnis meriti, Chriſtum non intelligat provt filius fuit Virginis, & provt corpus habuit productum ac dependens ab influxu Matris: nec eum aliter concipiendum nobis proponit Scriptura, quæ paſſim ipſum vocat filium hominis, factum ex muliere, factum ſub lege, de eodemque ſcribit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium; fœmina circumdabit virum*, &c. Nec putandum eſt, Deum quando illius meritis mouebatur ad gratias hominibus, ipſiſque etiam Virgini conferendas, aliter illum ſpectaſſe, quàm vt filium hominis, & à matre aliqua procreatum. Quod ſi quis fortè reſpondeat, conſideratam fuiſſe tunc à Deo matrem aliquam indeterminatè, non autem determinatè Mariam, non effugiet difficultatem. Nam illi matri, quæcumque futura fuiſſet, Chriſtus gratiam merebatur, & erat principium ac fundamentum meritorum eius. Vaſqueſij ſententiam Ariaga *diſp.* 18. *num.* 25. non videtur aſſequutus, idque refutat quod ille non aſſeruit.

19. Ad obiectionis eiuſdem ſupradictæ ſolutionem præterea fuerunt à nonnullis quædam alia improbabiliter excogitata, quæ longiùs perſequi non attinet. Seligenda tantū viſa ſunt quæ ſequuntur. Sunt igitur ſecundò, qui dixerint non repugnare, quin ea maternitas, quæ fuit cauſa exiſtentis Chriſti, pependerit, cauſataque fuerit à Virginis Mariæ meritis, licèt pendentibus & cauſatis ab ipſa Chriſti exiſtentia, vt à principio omnis meriti. Aiuntque mutuam, quæ hîc inter maternitatem, & Chriſti exiſtentiam repetitur, cauſalitatem, atque dependentiam non repugnare. Quia maternitas huiuſmodi non pendet immediatè à Chriſti exiſtentia, ſed mediatè ſolùm, quatenus pendet à meritis pendentibus ab ipſa Chriſti exiſtentia. Negant autem implicare dependentiam, ſeu cauſalitatem inter duas res mutuam, modò non ſit immediata. Sed malè. Nam conſtat tam repugnare aliquem eſſe patrem ſui aui, quàm ſui patris, &c.

20. Sunt alij tertiò, qui vt ſoluant obiectionem prædictam, de qua hîc agimus, fingunt Chriſtum fuiſſe per duas totales productum actiones: vnam priorem, & à Virgine independentem; atque ipſum Chriſtum aſſerunt, provt ab hac productum, potuiſſe eſſe principium meritorum Virginis: alteram poſteriorem, & à Virgine pendentem, & Chriſtum provt ab hac productum, fatentur nequiuiſſe fundare, cauſareque merita ipſius Virginis. Hac voluntaria de duabus huiuſmodi totalibus actionibus diuinatione ac fictione nihil videtur improbabilius. Neque eſt quod in hac prolixius refutanda immoremur. Quamuis Ariaga *diſp.* 18. *num.* 27. *& ſequentibus*, in ea multus ſit exponenda, nec illam improbet.

21. Quartò non minùs improbabilis atque voluntaria videtur alia Patris Delugo ſubtilitas. Qui in Chriſto ex Virgine nato, & quoad cæteras omnes vitæ ſuæ partes ab illa dependente, comminiſcitur quandam ab eadem independentiam pro tempore paſſionis, ſiue pro tempore earum actionum, quibus ipſe fundare poterat Virginis merita, & eidem obtinere auxilia ad merendum maternitatem. Sed quis non videt Chriſtum quocumque ſuæ vitæ tempore habuiſſe exiſtentiam ſemper dependentem à ſua matre; quatenus is in totius vitæ ſuæ conſeruatione, omnibuſque ſuis momentis ſupponebat primum ſuum ex Matre ortum, atque generationem? Nec valent quæ in contrarium ab Ariaga *n.* 39. *& ſequentib.* proferuntur argutiæ. Mirabilis verò eiuſdem Ariagæ eſt opinandi facultas, atque libertas, in eo quod ait *num.* 41. poſſe dici actum, quo Chriſtus acceptauit mortem, aut quo fundauit merita Virginis, independentem fuiſſe omninò à materia & actuali animæ ad corpus vnione. Quid? Independenſne fuit à materia, & ab actuali animæ ad corpus vnione, quando ſui etiam corporis paſſione, actualique ſanguinis effuſione fundauit omnia Virginis merita?

22. Omiſſis improbabilibus ſummorum licèt Theologorum ſubtilitatibus, non videmur poſſe meliùs reſpondere obiectioni huic ſanè difficili ſuperiùs propoſitæ *num.* 16. quàm ſi cum Suare *diſp.* 11. *ſect.* 8. concedamus maternitatem Virginis in prædeſtinatione & præuiſione diuina eodem modo, quo ipſum in indiuiduo Chriſtum fuiſſe priorem omni merito eiuſdem Virginis, ſed non in exequutione. Atque ita Virginem non potuiſſe quidem mereri ſuam maternitatem, provt conſideratam in prædeſtinatione, ac præuiſione diuina; potuiſſe tamen in exequutione illam obtinere per merita fundata in meritis Chriſti vt prædeſtinati, ac præuiſi à Deo: quo modo Chriſtus fuit prior incarnatione & maternitate Virginis, provt exiſtente, mandataque exequutioni. Dices; potuit igitur eo modo Virgo mereri prædeſtinationem ſuæ maternitatis per merita fundata in meritis Chriſti vt prædeſtinati, ac præuiſi, tanquam certò futuri. Reſpondeo negando conſequentiam. Nam Chriſtus quemadmodum in exequutione ſuæ productionis, & in incarnatione, provt per Virginem exequutioni mandata, non potuit ſupponi ante maternitatem ſumptam item in exequutione. Sic in ſua prædeſtinatione, & vt certò per incarnationem prædeſtinatam futurus, non potuit ſupponi ante maternitatem conſideratam ſimiliter in mera prædeſtinatione. Non enim fuit prædeſtinatus niſi ex Virgine, & (quemadmodum loquitur Paulus, *initio epiſtolæ ad Rom.*) vt factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem; atque provt talis homo, talem habens materiam corporis in indiuiduo. Nec enim, vt ait ſanctus Thom. *quæſt.* 4. *art.* 4. Chriſtus prædeſtinatus fuit vt homo in genere, quo modo nobis mereri non potuiſſet; nullum enim poteſt eſſe meritum, niſi ab homine qui ſecundum omnes ſubſtantiales differentias, determinatus eſſe ſupponatur.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

An Beatiſsimam Virginem, vt foret digna Mater Dei, præſeruari oportuerit à peccato originali?

SVPPONENDVM eſt primò, nullum eſſe dubium, quin Deus potuerit facillimè Virginem, ex Adamo viâ naturali prognatam, eximere peccato originali; idque non vno modo. Nam primò potuit eam, ſi in Adamo lapſam ſupponamus, à peccato quod alienâ in voluntate commiſiſſet, liberare per condonationem, ſiue antequam crearetur, ſiue in ipſo quo crearetur inſtanti. Quod vt intelligatur, aduertendum eſt, vnumquemque noſtrum (poſtquam in Adamo actualiter peccauit, & ipſe actualiter, iuxta illud Pauli, *in quo omnes peccauerunt*) manſiſſe deinde in eodem peccato, perſeuerante moraliter ſub ratione peccati habitualis, quamdiu Deus illud per non condonationem retinuit; non quidem illud conſeruando, ſed relinquendo ipſum in ſua perſeuerantia naturali. Perſona enim omnis quæ in Adamo peccauit, licèt exiſtentiam phyſicam non habeat, pergit tamen ipſa habere quandam in memoria Dei exiſtentiam moralem, qualem initio habuerat in Adamo; ſecundùm quam in æſtimatione ipſius Dei recordantis quòd peccarit in Adamo, eſt rea, odioque diuino ſubiecta, donec Deus peccatum eius deſtruat per condonationem; deſtruendo ſcilicet illud ius quod in ipſo reſidet habendi odio talem perſonam peccatricem. Nemo autem non intelligit Deum, ſui illius iuris dominum, poſſe remittere, ac velut deſtruere tale ius in quocumque inſtanti voluerit. Poteſt Deus nunc, ſi velit, condonare peccatum quod in Adamo commiſit ea perſona v.g. quæ naſcitura eſt poſt centum annos; ita vt huiuſmodi perſona, habens exiſtentiam moralem, non ſit nunc, neque deinceps obiectum odij Dei, & in æſtimatione diuina ab illo maneat liberata peccato. Quare ſuo tempore poſt centum annos naſcetur vacans peccato originali, quod nempe deſtructum pridem ſupponitur, nec vllo modo eſt per potentiam diuinam reproducibile. Poterat & Deus condonationem illam, deſtructionemque peccati differre vſque ad inſtans præcisè conceptionis, ita vt prædicta perſona ſub odio Dei perſeueraret vſque ad inſtans excluſiuè, quo eius crearetur anima. Poterat etiam (quod nunc ex lege ordinaria in nobis omnibus facit) condonationem & deſtructionem peccati illius differre vſque ad tempus Baptiſmi.

2. Secundus modus, quo potuit Deus Beatiſſimam Virginem eximere peccato originali, fuit vt ipſam nollet includere in pacto, quod initum eſt cum Adamo. Quandoquidem enim nullus conſtitutus eſt membrum morale Adami, ita vt illius voluntas in huius voluntatem transfunderetur, niſi quatenus id ita Deus voluit ac inſtituit: clarum eſt, quod ſi id noluiſſet reſpectu omnium ex Adamo procreandorum, ſed tantùm reſpectu aliquorum, exempli gratia reſpectu ſolorum primogenitorum, &c. Non omnes, ſed tantùm illi aliqui peccatum originale contracturi fuiſſent. Si ergo vnam ſolam perſonam (nempe ſacratiſſimam Virginem) ſupponatur exemiſſe; ad eam neceſſe erit præuaricationem Adami nullo modo pertinere. Quemadmodum ſi Rex nobilem aliquem, ob crimen è gradu nobilitatis deiiciat, omneſque illius poſteros eſſe velit ſeruilis conditionis; ſic tamen, vt eum v.g. qui inter eius poſteros decimus naſcetur, excipiat, ac nobilitet, Marchionemque creet: certum eſt quod cæteris omnibus poſteris in ſeruitute relictis, decimus ille naſcetur nobilis & Marchio. Ex dictis apparet Deum non potuiſſe vno modo ſolo Chriſti Matrem præſeruare ab originali noxâ. Id autem illum voluiſſe nemo dubitabit, ſi eam præſeruationem neceſſariam eſſe conſtiterit, vt B. Virgo eſſet digna Dei Mater, quod hic oſtendere ſuſcepimus.

3. Supponendum eſt ſecundò, non poſſe vllum cogitari, nedum eſſe, immanius monſtrum originali peccato: quod nempe malorum omnium, quà ſpiritualium, quà corporalium, quæ terris incubuerunt, non modò maximum ſit, ſed & fons & origo. Per huiuſmodi peccatum ſic mors corporis intrauit in mundum, vt ipſum mors ſit animæ, homines Deo reddens odibiles, filioſque diaboli. Quæ mors vnius delicto in omnes regnauit per vnum, in ipſos naſcentes homines inuadens, eorumque præoccupans ortum: comprehenſos verò in ipſo vitæ ingreſſu, per omne deinde calamitatum, ærumnarumque genus traducit, ſiquidem ob peccatum originale, vt ait Auguſtinus *in Enchiridio*, in malis voluitur, & de malis in mala præcipitatur totius generis humani maſſa damnata, & adiuncta parti eorum qui peccauerunt Angelorum, luit impiæ deſertionis digniſſimas pœnas. Tandemque trahitur per errores, doloreſque diuerſos ad extremum cum deſertoribus Angelis vitiatoribus, & poſſeſſoribus, & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. Non poteſt quicquam infinita illa calamitate, in qua totum genus humanum ſex ferè iam annorum millia ob noxam originalem contabeſcit, cogitari grauius.

4. Concluſio. Beatiſſima Virgo non potuiſſet eſſe digna Mater Dei, ſi peccatum originale contraxiſſet. Concluſio illi erit euidens, qui ex vna parte conſiderauerit diuinæ Maternitatis excellentiam, & ex altera naturam, qualem typo deſcripſimus, peccati originalis, quod hominem facit membrum eſſe diaboli, eumque affectum ignominiá turpiſſima, Deo reddit inuiſum. Quod ad Diuinam Matrem attinet, ad tantum ea decus euecta eſt, vt eundem ſuum pro indiuiſo, quem æternus Pater, Filium agnoſcat. Nec enim duo Filij ſunt, ille Virginis, & ille æterni Patris. Quare, cùm Verbum æternum commune ſit Virginis Matris, Deique Patris pignus, in promptu eſt cuilibet ex eo tam nobili vinculo æſtimare qualis, & quanta ſit vtriuſque huius parentis coniunctio; & quanta, ſi fas eſt dicere, æqualitas. Cùm enim relationum ſpecificationem atque nobilitatem ex earum termino Philoſophi metiantur, ſi Filius, qui vnus & idem Mariæ maternitatem, Deique paternitatem terminat, conſideretur, Mariam aliquo modo neceſſe eſt non felicem minùs eſſe Matrem, quàm Deus ſit felix Pater. Et quia gloria parentum, vt ſcriptura teſtatur, eſt filius ſapiens; fateri oportet, non minorem à Maria vt Matre, quàm à Deo vt Patre poſſideri gloriam: cùm vterque Filium eundem, qui non modò ſapiens, ſed ipſa ſit æterna ſapientia, poſſideat. Hæc dicta ſint attendendo ſolùm eius perſonam Filij, qui communis eſt terminus & Paternitatis diuinæ, & maternitatis humanæ. Nam alioqui licèt vnus & idem ſit vtriuſque Filius, non tamen eſt vtrobique generandi ſimilis modus.

5. Quòd ſi poſſibilium omnium creaturarum multitudinem infinitam, & inter illas eam, quæ Dei mater deſtinata ſit, conſideremus, nullam prorſus

ſus in tota poſſibilitatis latitudine tam excelſam naturam, quæ cum ea comparabilis ſit, inuenimus. Etenim cùm naturarum omnium, quæ intra diuinas ideas commorantur, nulla ſupra conditionem ſeruilem poſſit aſſurgere, ſed omnes in Dei manentes neceſſario famulatu eſſentialem ſeruiant, profiteanturque ſeruitutem; ſola Dei Mater eam honoris amplitudinem nacta eſt, vt rerum poſſibilium vniuerſarum domina, Reginaque, nihil ſe ſublimiùs præter diuinas Trinitatis Perſonas habeat, quas perſonas ita veneratur tanquam ancilla, vt ſimul è ſeruili faſtigio emineat. Quod ex ipſius intelligi perſpicuè poteſt prædeſtinatione. Hanc enim neceſſe eſt inextricabiliter fuiſſe cum ea coniunctam prædeſtinatione, quâ Dei filius prædeſtinatus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Quare oportuit ſacram Virginem intra illius ineffabilis myſterij ſplendorem innolutam, atque Trinitatis ipſius cognatione deuinctam, diuinæ immiſceri quodammodo puritati. Ex quo patet, quàm fuiſſet indecens, Deum, qui nihil inquinatum in cœlum & in conſortium Angelorum ingredi patitur, inquinatam voluiſſe ingredi creaturam in hoc diuinitatis penetrale myſterium, vt ſuâ illud fœditate dedecoraret. Sanè tunc *maximè decuit* (vt dixit Anſelmus *lib. de concepta virginali, c. 18.*) *Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Quin & eam oportuit diuina ipſa Trinitatis puritate nitere, ipſiuſque Verbi æterni ſplendore fulgere. Quod Verbum ſe viſceribus illius ita inſeruit, vt quemadmodum ei quam aſſumpſit humanitati, ſic & proportione quadam ipſi Virgini (cuius ſanguis conuerſus fuit in Deum, quatenus ipſe ex pura creatura factus eſt per aſſumptionem hypoſtaticam Deus) genus quoddam, vt aſſerit D. Thom. infinitatis inuexit; fierine potuit fœminam illam, velut in familiam Trinitatis admitti tanquam Verbi quidem Matrem, Sponſam autem Spiritus ſancti; item omnium conſtitui Dominam, Reginamque creaturarum; quæ diaboli, hoc eſt, omnium viliſſimæ creaturæ, foret mancipium? Ea cùm ita ſint, ſuperuacaneum videtur ſtudium probandi vlteriùs, nequaquam potuiſſe peccatum originale cum ea Virgine coniungi, quæ digna eſſet Deum in vtero geſtare quadam ſecum identitate, & carnis vnitate coniunctum, hæc enim veritas ſic per ſe nota eſt, & ab omnibus ferè Catholicis tam acriter defenditur, contrariam vt ſententiam vel ipſis auribus pij reſpuant. Et quidem meritò. Quis enim velit Empyreo inferos commiſceri, aut iudicet dignam Dei Matrem, quæ filia ſit Diaboli? Quis audeat affirmare, illum qui paterno genere in ſplendoribus Sanctorum genitus ſit, materno genere ex diabolicæ ſtirpis tenebris prodiiſſe: diuinam Sapientiam in vterum peccatricis, vt ex eo naſceretur, introiiſſe, & habitaſſe in corpore ſubdito peccatis: participationem fuiſſe iuſtitiæ cum iniquitate, ſocietatem lucis ad tenebras, conuenientiam Chriſti ad Belial? Quomodo Chriſtus fœminam, quam graui turpificatam peccato ne quidem amare poterat, potuit in Matrem eligere? Et cùm filius omnis naſcatur in ſuorum parentum ſimilitudinem, quis credat illum qui eſt imago Patris æterni, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, ex matre naſci voluiſſe, cui ſimilis eſſe non poſſet, vtpote gerenti naturalis eius characterem peccati; quod Sanctus Dionyſ. *c. 2. de cel. hierar.* vocat habitum diſſimilitudinis ad Deum? Sanè cùm partus vterum ſequatur, hoc eſt, eius conditio ex vtero cenſeatur, talem ſibi Chriſtus cenſendus eſt elegiſſe, manuque ſua formaſſe matrem, quæ ſibi foret honori. *Ego matrem de qua naſcerer feci* (inquit ipſe apud Auguſtinum *lib. de quinque hæreſib. c. 5.*) *Ego viam meo itineri preparaui. Hanc quam deſpicis, Manichæe, mater mea eſt, & manu fabricata eſt mea. Si potui inquinari cùm facerem, potui in illa inquinari, cùm ex ea naſcerer.*

7. Certè ſi Chriſti volumus in hac controuerſia ſtare iudicio, tantùm abeſt, vt is in Matre ſua locum habere poſſe iudicarit originale peccatum, quod mortale eſt, vt illam, quò digna tali maternitate foret, neceſſarium iudicarit ab omni vel veniali per ſingulare priuilegium remotiſſimam eſſe peccato. Quandoquidem, licèt hoc plus habeat voluntarij proprij, & exprobratione dignius ſit, ac imputabilius, quàm originale; atque adeò magis debeat Virgo ab illo committendo, quàm ab iſto contrahendo abhorrere: quod eſt dicere, peccatum veniale eſſe magis fugiendum & abominabilius ex parte voluntatis ipſius Virginis: nihilominus certum eſt, quod ex parte Dei originale longè odioſius ſit, quod reddit abominabilem Deo perſonam, æternaque morte puniendam: cùm nihil inueniatur in peccato veniali, quod amicitiam Dei ſubſtantialiter tollat, aut minuat. Ergo cùm Mariam iudicarit Deus indignam fore quæ Chriſti Mater eſſet, ſi peccati venialis probrum ei tribui potuiſſet, quantæ cæcitatis erit, eandem exiſtimare tanto decore dignam eſſe potuiſſe, licèt peccati originalis impuritatem contraxiſſet?

8. Accedit & hoc argumentum. Non iudicauit Chriſtus dignam ſe Matrem fore, ſi ex viro conciperet, aut ſi virginitatem, dum ſe pareret, amittere permitteretur. Quare illius corpori Virgineum florem, qui ſine probro, ac peccato perdi poterat, cùm in conceptu, tum in partu conſeruauit; quantò igitur magis ad ſuam, & parentis ſuæ dignitatem pertinere iudicauit, ne illa ex parentibus ſuis peccatum originale contraheret, néve animam, quæ (vt ipſe ait) plus eſt quàm corpus, pollutam haberet crimine capitali?

9. Varia hîc occurrunt alia conſideranda priuilegia, ideò Virgini conceſſa, vt digna fieret Dei Parens: quòd nempe fuerit exempta fomite peccati; quòd eius carnem ſanctiſſimam Deus non permiſerit in ſepulchro videre corruptionem; quòd Euæ maledictio de dolore partus ad ipſam non ſpectarit, &c. quæ & alia ſimilia illi conceſſa ſunt velut ad maternitatis diuinæ dignitatem neceſſaria ornamenta. Vnde argumentando à minori ad maius, in promptu cuilibet eſt intelligere; num Chriſtus ſalua Matris ſuæ dignitate illi denegare potuerit immunitatem à peccato originali; quod ipſe in aliis per eam, & per carnem ab eadem acceptam deſtructurus venerat; & quod Virgo ipſa ſignificatur deſtructura, cùm dicitur *in Geneſi* caput contritura ſerpentis; quod ſerpentis caput non aliud eſt, quàm peccatum originale, vtpotà & omnium primum, & à ſerpente inductum.

10. Sententia noſtra, quam hactenus ratione probauimus, accipit maximam firmitatem ex perſuaſione fidelium, & Eccleſiæ, quæ in noſtras partes manifeſtè propendet. Ideò enim omnes iam Catholici ferè virginem putant à peccato originali præſeruatam, quòd alioqui non potuiſſet eſſe digna Dei mater. Illiſque qui contrarium cenſent, Eccleſia ſilentium imponit, prohibens ne ſuam ipſi opinionem publicè, priuatimve defendant, aut tanquam veram proponant. Nemo ignorat quorsùm illa prohibitio tendat, & vtram in partem hac in cauſa vergat ſummorum Paſtorum iudicium, qui per varios quoſdam declarationum in ſententiæ noſtræ fauorem diuerſis temporibus factarum gradus eò tandem progreſſi ſunt, vt obſtruerent os loquentium parùm

æqua

Digitized by Google

æqua contra puritatem conceptę Virginis. Certè oportuit Eccleſiá ab illorum plurimùm abhorrere ſentẽtia, quos pro eius probabilitate diſputantes; nequidem audiri velit. Editæ primùm ſunt (vt omittam decretum quod Buſtos *ſerm.4. de Conceptione*, teſtatur emanaſſe ab Alexandro V. anno 1411.) in commendationem doctrinæ, quam hæc noſtra concluſio defendit, Conſtitutiones duæ à Sixto IV. quas Tridentinum Concil. innouauit, obſeruarique mandauit. Earum prior data fuit anno 1476. cuius initium, *Cùm præcelſa.* Altera anno 1483. quæ incipit, *Graue nimis.* Anno deinde 1502. Alexander VI. id ipſum grauioribus pœnis, quod à Sixto ſtatutum fuerat, præcepit Extrauagante, *Illius qui ſe.* Cùm autem nihilominus poſtmodùm non ſine periculoſa offenſione quidam Virginem cum originali noxa conceptam fuiſſe paſſim diſputarent, Paulus V. ſub initium huius ſæculi vetuit illam ſententiam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem paulò poſt Gregorius XV. ad priuata etiam colloquia extendit. Denique Alexander VII. cùm adhuc reperirentur nonnulli, qui magno cum ſcandalo pergerent fidelium pietatem impugnare, aut vellicare, & Pontificum decreta circa cultum & feſtum immaculatæ Conceptionis perperam interpretarentur; confirmationem anno 1661. edidit omnium decretorum, quæ à prædictis ſuis prædeceſſoribus emanarant. Vbi inter alia ſic habet. *Inſuper omnes & ſingulos, qui eandem ſententiam, feſtum, ſeu cultum* (immaculatæ Conceptionis) *in diſputationem reuocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quouis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, ſiue ſanctam Scripturam, aut SS. Patres, ſiue Doctores gloſſandi, vel interpretandi, aut alia quauis occaſione ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare contra ea, quicquam quouis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint; præter pœnas in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, &c. etiam concionandi, publicè docendi facultate, ac voce actiua & paſſiua, &c. priuatos eſſe volumus, &c.*

11. Non parum inſuper valuit ad prodendum totius Eccleſiæ in hac materia ſenſum Synodus Baſileenſis anno 1439. vbi Patres communi ſuffragio definierunt, piam eſſe, fideique conſonam hanc de immaculata Conceptione ſentẽtiam. Et quanquam hæc authoritas non faciat rem de fide diuina certam (quidquid in contrarium Gabr. *ſerm. 1. de Conceptione*, & quidam alij ſenſerint) cùm non ſimpliciter definiatur ibi eſſe de fide; & prætereà cùm illa Synodus iam eſſet ſchiſmatica: nihilominus magni momenti eſt, ad oſtendendum qualis hac in re fuerit eo tempore conſpiratio totius Eccleſiæ. Aderant enim in illo œcumenico conſeſſu ex omnibus locis Paſtores.

12. Sed longè antiquius ſui de intemerata Virginis Conceptione iudicij dederat Eccleſia teſtimonium, quando feſtum prædictæ Conceptionis inſtituit. Quod feſtum iam ante octo ſæcula celebrari cœptum eſt, cùm in Eccleſia Græca, vt ex Leonis Porphyrogeniti (qui ſæculo nono Imperium tenuit) ſcripto apud Baronium, alioſque conſtat; tum ſimul in Eccleſia Latina, vt ex Anſelmi epiſtola ad Epiſcopos Angliæ coniicit Salazar *in lib. de immaculata Conceptione, cap. 35. §.5.* Notandum verò eſt celebrari in hoc feſto non tantùm immaculatæ Viginis Conceptionem, ſed immaculatam ipſam Conceptionem naturalem, procreationemque Virginis. Quare fuit à Sixto damnata, & ſub pœna excommunicationis prohibita communis illa interpretatio veterum Thomiſtarum, qui ex D. Thom. *3.p.q.27. art.2. ad 3.* dicebant celebrari ſpiritualem Virginis Conceptionem, ſeu ſanctificationem, per quam ab originali peccato iam contracto liberata fuerit. Conſtatque ex Bernardi epiſtola 174. ex Concilio Baſileenſi, ex antiquis de Conceptione Officiis à Sede Apoſtolica approbatis, ex Summorum Pontificum, & nominatim Alexandri VII. diſerta explicatione, ſenſum fidelium eſſe, quod in hoc feſto celebretur omnimoda Virginis exemptio à peccato originali.

13. Fuit idem ſenſus celeberrimarum in orbe Academiarum. Pariſienſis enim, & hanc imitatæ Colonienſis, Moguntina, Valentina, Vrſaonnenſis, ac nouiſſimè Complutenſis, nullos ad Magiſterium euehunt, niſi prius ſacramento adſtrictos ad propugnandam ſententiam de prædicta Conceptionis puritate. Atque ſeuera quædam extant Pariſienſium Doctorum ſtatuta contra quoſdam Dominicanos, nempe Magiſtrum Fr. Monteſonum, & quendam alium Rhotomagi concionantem, vt Gaguinus narrat in Carolo VI. & Magiſtrum Franciſcum Ioannem à Very, vt habetur in Authentico, quod Murciæ apud Minoritas dicitur aſſeruari: quos omnes alma illa Academia iuſſit publicè recantare, idque damnare quod de maculata Virginis conceptione protulerant.

14. Videri poſſunt & Sanctorum Patrum authoritates apud Patrem Salazar *cap. 42.* vbi ſingula percurrit ſæcula. Valde ſunt expreſſæ voces, quas D. Andreas morti proximus apud Abdiam *lib. 4. hiſtor.* dicitur protuliſſe. *Quemadmodum primus Adam formatus fuit ex terra antequam eſſet maledicta, ita ſecundus formatus eſt ex terra virginea, nunquam maledicta.* Vt cæteros Patres omittam, validus eſt ille ex Auguſtino locus *in lib. de natura & gratia. Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Quem locum eſſe intelligendum de peccato etiam originali probat Vaſques *in 3.p. diſp. 117. cap. 3.* & Suares *tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 5.* Sed quid clarius, quam quod idem Auguſt. *5. contra Iulian. cap. 9.* pronuntiauit vt generalem regulam? Eum qui in adulta ætate peccatum non fecit, in infantili ætate peccatum non contraxiſſe. Atqui B. Virgo in adulta ætate peccatum non fecit, quemadmodum ex priori eiuſdem Auguſtini loco vt maximùm conſtat. Ergo ex huius Patris principiis neceſſariò conficitur, B. Virginem in infantili ætate non contraxiſſe peccatum. Huc facit quod ſcribit Anſelmus eius diſcipulus *lib. de conceptu virginali, cap. 18. Decuit Virginem*, inquit, *ea puritate nitere, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.* Cuius verba D. Thom. *in 1. diſt. 45. q. 1. art. 3.* ad originalem Virginis puritatem retulit, docens omninò ſententiam de immaculata conceptione, & iis quæ leguntur in eius Summa, contradicens. *Puritas intenditur*, inquit, *per receſſum à contrario; & ideò poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil eſſe purius poteſt in rebus creatis, & nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit. Fuit autem ſub Deo* (explicat Anſelmi ſupradicta verba) *in quantum erat in eâ potentia ad peccandum.* Idem ferè ad eadem Anſelmi verba dixerat *diſt. 17. q. 2. art. 4.* Eandem tenuit ſententiam in commentariis epiſtolæ ad Galatas, *lectione 6. ſuper cap. 3.* vbi pulcherrimis, conceptiſque verbis ſic habet, citans, & ad ſuum propoſitum accommodans locum *ex cap. 7. Eccleſiaſtæ. Virum de mille vnum reperi, ſcilicet Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato. Mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omninò immunis eſſet, ad minus originali, vel veniali; excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo Maria.* Quæ vltima huius loci verba cum inſigni veritatis fraude

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt ſublata ſupreſſaque in exemplaribus quæ nunc teruntur. Vbi notandum eſt, in prædictorum ſupreſſione verborum fieri, vt D. Thomas immaculatam Conceptionem non modò non aſſerat, ſed poſitiuè neget. Porrò habetur in Burdigalenſi noſtro Collegio vetus exemplar, & in Aginnenſi alterum vetuſtius; in quo legitur illa expreſſa Virginis exceptio, & ab originali peccato exemptio. Non deſunt, qui ſuſpicentur nequaquam Doctorem ſanctum in Summa ſua mutaſſe priorem ſententiam, ſed aliunde inſerta fuiſſe in quæſt. 27. tertiæ partis ea, quæ in articulo 2. leguntur.

CAPVT VI.

An Beatiſſima virgo, quemadmodum vt foret digna Dei mater, libera fuit à contrahendo peccato originali, ſic etiam debuerit libera eſſe à debito contrahendi.

1. EX iis quæ hactenus dicta ſunt habetur, ſenſum communem omnium ferè Catholicorum eſſe, Beatiſſimam virginem non potuiſſe dignam Dei Matrem cenſeri, ſi reipſa contraxiſſet peccatum originale. Sed vlterius inquiri poteſt; num vt digna foret Dei mater, neceſſarium fuerit, eam ne quidem incurriſſe debitum contrahendi: ſiue, quod idem eſt, non fuiſſe contentam in pacto quod Deus fecerat cum Adamo; ita vt non peccarit in ipſo Adamo cum cæteris huius poſteris, circa quod ſit.

2. Concluſio, vt Beatiſſima virgo poſſet eſſe digna Dei Mater, oportuit eam non modo non contraxiſſe reipſa originale peccatum, ſed etiam fuiſſe ab Adami pacto exemptam, & caruiſſe proximo debito contrahendi illud in ſua conceptione naturali. Caietanus *tom.* 2. *opuſculo primo*, Corduba *quæſt.* 44. *concl.* 5. & alij ex Thomiſtis non pauci, quemadmodum ſuperiorem concluſionem reiiciunt tanquam minùs probabilem, ſic iſtam cenſurâ hæreſeos notare non dubitant, velut Scripturæ ſanctæ aduerſantem. Aliqui etiam ex iis, qui ſuperiorem concluſionem tuentur, huic valde repugnant. Bellarminus enim eam non admodum tutam, Vaſques erroneam, Suares improbabilem pronunciant, quorum fundamentis & obiectionibus infrà ſatisfiet: nihilominus eam nunc paſſim Theologi plurimi, virique grauiſſimi ſtudioſè propugnant, quorum mox plurimos recenſebo, à quibus Salazar *cap.* 8. *&* 41. Cardinalis Delugo *diſput.* 7. *ſect.* 3. *&* 4. necnon Ariaga *diſput.* 16. *ferè tota*, adeò putarunt nefas eſſe diſcedere, vt huius noſtræ concluſionis defendendæ ſtudio, conati ſint opinionem ſuam, quæ Chriſtum fuiſſe venturum negat, ſi Adamus non peccaſſet, cum illa conciliare; maluerintque, ne conſequenter ad ſua principia debitum contrahendi ex Adamo peccati tribuere Virgini cogerentur, in difficultates, anguſtiaſque ſe implicare magnas, vt videbimus *lib.* 5. *cap.* 5.

3. Plurimi autem viri inſignes, qui Concilio Tridentino interfuerant, & mentem Concilij apprimè nouerant, hanc noſtræ concluſionis ſententiam habuere tanquam certam: neque putarunt defendi ſolidè poſſe puram reipſa fuiſſe Virginis conceptionem, niſi ipſam Virginem aſſeramus ab Adami pacto fuiſſe exemptam, atque proximo contrahendi peccati debito caruiſſe, vt notauit Salazar *cap.* 41. *canone* 1. Vbi plures eorum recenſet. Atque imprimis patrem Alfonſum Salmeronem affirmat ita ſenſiſſe; vt reperitur in eius manuſcriptis *diſp.* 49. *in epiſtolam ad Rom.* aitque ſpuria eſſe, quæ in excuſis codicibus habentur, & in iis contrariam ſententiam aſſutam fuiſſe; vt ex ſtylo ipſo, aliiſque non obſcuris indiciis deprehendet quiſquis erit emunctæ naris. Cenſuit idem nobiſcum etiam Franciſcus Turrianus, Catherinus item *opuſculo de Conceptione.* Atque is qui fuit in Concilio valdè illuſtris P. Iacobus Laynes Societatis noſtræ ſecundus Generalis, quem Catherinus, & Salmeron mirificè obſeruarunt. Hunc de Virginis conceptione per duas horas dicentem tota Synodus cum admiratione audiuit, nec ſine diuinæ approbationis ſignificatione. Nam eo die quartana febris, qua grauiter vexabatur, diſceſſit prorſus. Atque ipſum Patres ſequuti præcipuè authorem, cenſuere illam Virginis immaculatæ exceptionem addendam, quæ legitur ad calcem decreti de peccato originali; vt habet Ribadeneira in eiuſdem vita. Adfuerunt etiam Synodo, & hanc quam continet noſtra concluſio doctrinam tradiderunt Cornelius Muſus Epiſcopus Bitontinus, cui decretorum compilatio fuit à Patribus commiſſa; Luiſius Carabaſalius ex ordine Minorum; & ex Dominicanis Dominicus Soto, qui *in epiſtolam ad Rom. cap.* 5. ait Tridentinam Beatæ Virginis ab hac vniuerſali Diui Pauli ſententia, *In quo omnes peccauerunt*, exceptionem adeò celebrem eſſe inter bonos Doctores, vt ei nullus in publica diſputatione refragari debeat. Præter ſupradictos, qui Concilio Tridentino interfuerunt, concluſionem hanc noſtram alij docuerunt multi, vt *in lib. de Conceptione Virginis*, Granadus, Ioannes Baptiſta Lezana *in lib. apologetico pro immaculata Conceptione*, Ludouicus de Ponte *lib.* 7. *in Cantica, exhortatione* 20. §. 3. *num.* 5. &c. Omittendum non eſt habuiſſe approbatores hanc ſententiam, vt refert Salazar *capite* 8. §. 3. Iudices ſupremi Concilij ſanctæ Inquiſitionis; & prætereà Complutenſes omnes Doctores, qui illam piam eſſe pronunciarunt.

4. Primum pro noſtra concluſione argumentum ſumimus ex intentione Concilij Trid. quæ non tantùm ex teſtimonio iam allato eorum Theologorum, qui Concilio illi adfuerunt, eiuſque ſenſum perfectiſſimum habuerunt, nobis nota eſt; ſed etiam non obſcurè intelligitur ex ipſo decreto, verbiſque illius. Nam cùm peccatum originale conſiderari poſſit duobus modis, nempe prout homo, qui cecidit in Adamo, habet obligationem, & debitum proximum contrahendi illud in ſua conceptione; & ſecundò prout de facto ipſe homo illud contrahit, ſignificatur in decreto vterque ſtatus. Prior quidem his Verbis; *Si quis Adam ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam iuſtitiam ſibi ſoli, & non nobis etiam eam perdidiſſe, anathema ſit.* Nos enim in Adamo cùm peccauit, iuſtitiam perdidiſſe nihil eſt aliud, quàm tunc nos debitum incurriſſe, vt in conceptione, & phyſica animatione maculam peccati contrahamus. Poſterior autem ſtatus deſignatur ſequentibus verbis; *Aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, anathema ſit.* Et infrà dicitur hoc peccatum *propagatione, & non imitatione transfuſum ineſſe omnibus, vnicuique proprium*: Vbi transfuſio actualis, per quam re peccatum vnicuique ineſt, denotat

Digitized by Google

denotat pluſquam debitum contrahendi. Poſtquam verò Concilium de peccato prædictis modis explicato, & ſecundùm illos duos ſtatus ſumpto definiuit, quod ad omnes homines pertineat; ſubdit ſtatim illi ſuæ definitioni, & decreto exceptionem pro immaculata Virgine. Vnde apparet, cùm hæc exceptio duas habeat partes, & decretum reſpiciat integrum, hoc eſt, intelligenda ſit reſpectu totius decreti; mentem Concilij eſſe, quòd non minùs prior illius exceptionis pars, quæ eſt de debito, quàm poſterior, quæ eſt de actuali maculæ, ſeu peccati contractione, ad Virginem pertineat.

5. Secundum argumentum eſt; quia eadem ratio, quæ dictat non eſſe conueniens, vt Mater Dei maculam originalem contrahat de facto in ſui conceptione, probat etiam non eſſe conueniens, vt habeat debitum illam contrahendi. Patet ex eo quod tale debitum turpiſſima ſit ſeruitus, incompatibilis cum dignitate Matris Dei, vtpote ſubiiciens non tantùm Adamo vt capiti, ſed etiam mortis ac peccati regno, tyrannidique dæmonis. Videri poteſt hac de re Salazar *cap 15. num. 7. & ſequentibus.* Patet item præcipuè ex eo quòd, cùm peccatum ſit in genere entium moralium, quæ non pendent à phyſica exiſtentia ſuorum ſubiectorum, videtur nihil intereſſe in ordine ad excitandam, fundandamque auerſionem, ſeu iram Dei, vtrum actus qui malitiam, ſeu peccaminoſitatem importans commiſſus eſſe ſemel aliquo modo ſupponitur, exiſtat phyſicè, an tantùm moraliter; quemadmodum nec intereſt vtrum ſit in ſubiecto phyſicè, vel tantùm moraliter exiſtente. Et quemadmodum peccatum habituale perſonale, quamuis non exiſtat niſi moraliter, non minorem cenſetur habere malitiam, aut minorem infamiam, & odibilitatem importare, quàm ipſum peccatum actuale, dum committebatur phyſicè: ſic perſona quæ peccauit exiſtens moraliter in Adamo; & quæ, licèt phyſicè non exiſtens, perſeuerat moraliter habere peccatum in Adamo commiſſum, non minùs habet infamiæ vel odibilitatis in ſua illa perſeuerantia morali, hoc eſt, in æſtimatione & memoria Dei, quàm haberet ſi de facto peccaret hic & nunc in eodem Adamo pomum actualiter comedente.

6. Quod explicari poteſt exemplo. Supponamus v. g. quòd Deus nullo modo culpam condonans Iudæ, velit nihilominus ipſum Iudam ſic annihilare, & per tres dies eum manere annihilatum, vt elapſo triduo reſtituenda ſit illi exiſtentia phyſica; atque interim futuritionem habeat, & in æſtimatione, memoriaque Dei exiſtentiam moralem: clarum eſt quod durante illo triduo Iudas (ſi Deus nolit ei culpam ipſius relaxare) perſeuerat moraliter vt peccator eodem modo, quo dum exiſtebat phyſicè. Atque cùm nulla interuenerit condonatio, debebit in inſtanti in quo reproducetur eſſe peccato ſuo infectus. Et quamuis durante triduo nequeat ille puniri pœna ſenſus; nihilominus poteſt integram habere culpam, ſufficientem vt odio non minùs, quàm dum exiſtebat, habeatur: imò etiam vt puniatur morali quodam pœnæ genere, putà diffamatione, &c. vt ſolent Principes punire quoſdam reos, putà hæreticos, &c. poſt mortem. Atque poteſt etiam per phyſicam illam, quam ſuprà ſuppoſuimus exiſtentiæ priuationem diutiùs continuatam puniri, ſi Deus velit eam in illum finem infligere. Eodem igitur modo dicendum eſt, ſi perſona quædam exiſtens moraliter in Adamo peccet actu, & poſteà (Deo non condonante) in illo peccato habitualiter, vſque dum producatur, perſeueret, non debebit cenſeri toto illo tempore minorem habere infamiam & odibilitatem, quàm deinde quando nullâ interueniente condonatione phyſicam exiſtentiam per productionem accipiet. Ergo ſi hæc infamia & odibilitas, quam talis perſona in phyſica ſua exiſtentia contraheret, iudicatur indecens eſſe dignitati Matris Dei, non minùs iudicari debet indecens (nam moraliter eadem eſt) illa, quam in Adamo & ante ſui productionem, eſſet iuxta ſententiam aduerſariorum ipſa Dei Mater habitura.

7. Tertium argumentum ſit. Quia, vt iam ſupponimus, & *libro 5.* fusè infra docebimus, longè probabilius eſt, atque tum ordini prouidentiæ diuinæ, tum dignitati Chriſti conformius, vt Deus Verbum ſuum hypoſtaticè naturæ creatæ vnire decreuerit independenter à peccato Adami, & in priori quàm vlli alij creaturæ decerneret exiſtentiam. Dico autem debuiſſe Deum ſimul in illo priori Matrem, per quam Chriſtus talem in indiuiduo carnem eſſet habiturus, deſignare, ac per conſequens illi eximiam innocentiam ſanctitatemque deſtinare per efficax & infallibile decretum. Ita Scotus, Alenſis, Pighius, Catherinus, aliique multi, & nominatim Suares, qui hanc ſententiam optimè illuſtrauit *in 3. p. q. 27. diſput. 7. ſect. 3.* Probatur verò ex his Sapientiæ verbis, quæ ab Eccleſia Virgini aptantur; *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Prouerb.* 8. Quibus conſonant quæ habentur *Eccleſ.* 24. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Accedit ratio ſumpta cùm ex coniunctione quam habuit cum Chriſti exiſtentia, ac prædeſtinatione, tum ex ſupereminenti Virginis ipſius dignitate. *Nam ea* (inquit Bonau. *ſerm. 2. de Virgine Maria*) *in tantùm Deo proxima fuit, tantaque ſanctitate reſplenduit, & ſic in ſummo bonorum omnium culmen obtinuit, vt creatura aliqua non vnita Verbo nec perfectior, nec maioris boni capacior ſit.* Ob quam Virginis perfectionem, & cum Deo coniunctionem Chryſologus *ſerm. 14. de Annunciatione*, ait, *Quod ille ſatis Deum ignorat, qui illam non ſtupet.* Eodem ſpectat quod Auguſtinus *ſerm. 14. de tempore*, qui eſt de Annuntiatione, Virginem vocat Dei formam; *Si formam*, inquit, *Dei te appellem, digna exiſtis.* Iure igitur nos aſſerimus Deum in quo priori Chriſtum prædeſtinauit antequam de aliis creaturis quicquam decerneret, de Maria cogitaſſe, atque illam coniunctim prædeſtinaſſe cum Filio ad diuinam Maternitatem, & ad dignam tali maternitate ſanctificationem.

8. Atque cùm iſtud de Beatiſſima Virgine ſic prædeſtinata, decretum, efficax fuerit, & abſolutum; aſſero quòd Deus in poſteriori ſigno rationis, quando Adamum condere, & conſtituere ſuorum poſterorum caput voluit, non potuit poſt prædicti ſuppoſitionem decreti Virginem in Adamo includere, aut in pacto quod cum eo iniit, comprehendere. Sic enim illam manifeſto periculo peccandi in ipſo Adamo, & contrahendi debitum perdendæ ſanctificationis, expoſuiſſet. Quod nullo modo dici poteſt cohærenter ad præſuppoſitum de eius ſanctitate vt abſolutè futura, decretum. Sic enim Deus paratus fuiſſet conſentire, vt ſuum decretum euerteretur, aut deberet euerti. Si dicas illam includi potuiſſe in Adami pacto ſine periculo euerſionis præſuppoſiti decreti: quandoquidem licèt in peccatum per alienam voluntatem laberetur, ac debitum contraheret amittendæ ſanctificationis, & naſcendi in peccato; nihilominus Deus præſtò futurus erat per gratiam infallibilem, vt imminens

peccatum

peccatum impediret, & ſanctificationem, ad quam ius amiſerat, imperriret. Contrà, nam ſat abſurditatis eſt, quòd poſt abſolutum Dei decretum prædictum, res eò euaderet, vt Virgo deberet illo decreto euerſo naſci abſque ſanctitate. Atque ita Deus ludum non ſatis decentem luſiſſe introducitur ab aduerſariis, vt nempe primò decretum ederet efficax & abſolutum de Deiparæ innocentia, & ſanctificatione originali infallibili: & ſecundò pactum iceret cum Adamo, vnde futurum eſſet vt Virgo poſſet in illo peccare, imò reipſa peccaret, Deoque fieret exoſa: ac demum tertiò, Deus recordans prioris decreti, & velut pœnitens ſecundi, emendare curaret, quod in hoc ſecundo malè ſucceſſerat, atque in huiuſmodi decretorum antinomia impediret, ne totum hoc negotium aliter, quàm iuxta primam Virginis prædeſtinationem, eueniret. Ego verò libenter petierim, num poſſit vlli videri probabile, quòd Deus tali modo ſe geſſerit? Et cui bono Matrem ſuam, quam omninò implicabat non concipi ſanctiſſimam, voluerit permittere maledictioni Adami, debitoque probroſiſſimo, vt turpis & maculata conciperetur. Præterea velim hîc conſiderari, quòd licèt Deus impedire potuerit, ne in Adamo lapſa maculatam conceptionem incurreret, non potuit tamen impedire, quominus in Adami pactum incluſa, Adamo ſuæ libertati relicto, & reipſa peccante, Mater Dei peccaret, atque ipſo facto protinus in diuina æſtimatione eſſet odibilis, filiaque Diaboli.

9. Quod reſpondent aduerſarij, ſanè, vt leuiter dicam, frigidum eſt, permiſiſſe Deum Matrem ſuam cadere, vt poſſet redimi, & à lapſu excitari, atque ita diuinus in eam eluceret amor. Optimè. Quemadmodum, ſi quis diceret ſe tanto tui amore teneri, vt pati velit te in peſtem incidere, quia nempe ſic habebit occaſionem te ſanandi. Hoc ſuum reſponſum vt explicet & ſtabiliat Suares, quædam ſigna, ſeu inſtantia decretorum diuinorum ita ordinat, vt primò velit præfinitum eſſe Chriſtum, ſeu incarnationem quoad ſubſtantiam, & eas proprietates quæ illam per ſe comitantur, ſiue in paſſibili, ſiue in impaſſibili natura. In ſecundo inſtanti iuxta hunc Authorem, Deus Virginem Mariam fore decreuit, ſic quidem, vt priùs illam in Matrem Chriſti abſolutè & efficaciter eligeret; deinde ad eum gratiæ & gloriæ cumulum, quem demum obtinuit, deſtinaret, ex illis Chriſti meritis, quæ Chriſtus de facto, ſiue paſſibilis, ſiue impaſſibilis habiturus erat: in tertio inſtanti Deus omnes alias creaturas, ſeu ipſum mundum vniuerſum producere ſtatuit propter Chriſtum, & ipſam etiam Virginem. In quarto ſigno prædeſtinatos omnes, tum Angelos, tum homines elegit ac determinauit, circa reprobos negatiuè ſe habens. In quinto Adamum decreuit conſtituere omnium poſterorum, atque adeò ipſius etiam Virginis caput morale. In Sexto permittere voluit lapſum Adami, in quo omnes (atque inter illos ipſa Virgo, vt nempe à Filio redimi poſſet) permiſſi ſunt peccare, & conſequenter debitum contrahere ſuſcipiendi maculam in ſui conceptione. In Septimo prædeſtinauit Chriſtum in carne paſſibili vt Redemptorem omniũ hominum lapſorum. In octauo denique Virginem in maſſa perditionis incluſam perſeuerare ſtatuit, ne concepta macularetur, illique gratiam per quam peccatum originale formaliter impediretur, præparauit conformiter ei, quod in ſecundo inſtanti fuerat iam ſtatutum; cui ſecundo inſtanti quintum & ſextum inſtans iam derogaſſe, contradixiſſeque videbantur, vt nemo non videt: vnde manifeſtum eſt, non eſſe bonam illam decretorum diuinorum, & rationis inſtantium ordinationem iam recenſitam.

10. Meliùs ergo totum hoc negotium ordinare poſſumus. Et quidem in primo, ſecundo & tertio inſtantibus nihil à Suare diſſentio; excepto quod in ſecundo inſtanti oportet plura ſubdiuidere inſtantia. Virginem enim non eligit Deus, niſi conditionatè, quòd vellet gratias offerendas acceptare, iiſque vti. Poſteà verò videns, quòd præparatas gratias eſſet acceptatura, ipſam abſolutè elegit in Matrem Chriſti, & ſtatum ſanctitatis matri tali conuenientem definiuit. In quarto porrò inſtanti aſſeri debet, quòd Deus omnes homines atque Angelos, conditionatè, ſi gratiis & mediis offerendis, vt par eſt, vterentur elegit ad ſalutem. In quinto inſtanti prædeſtinauit gratias & media, & quod ad homines attinet (nam Angelos nunc omittimus) gratiam illis in Adamo præparauit, atque ipſum Adamum, tam in mortem, quàm in vitam voluit caput eſſe morale omnium ſuorum poſterorum, præterquam Virginis Mariæ; cui ſcilicet iam inde à ſecundo inſtanti conſultum fuerat per eximiam prædeſtinationem, quam labefactari, aut in periculum vocari nefas erat. In ſexto præuidit lapſum Adami, & omnium in illo contentorum. In ſeptimo Chriſtum, quem iam ex Virgine naſciturum in carne ſiue paſſibili, ſiue impaſſibili, prout occaſio foret, decreuerat, ſtatuit in carne paſſibili & cum ſuperaddito Redemptoris munere venturum, vt crucis ſupplicia ſubiret. Quaſdam alias circa hanc materiam ordinationes diuinorum decretorum, & rationis inſtantium à diuerſis excogitatas videre potes apud Salazar *cap.* præſertim 9. & 12. quas hîc examinare, ac refutare non vacat.

11. Vt ex iis, quæ iam dicta ſunt in explicatione tertij argumenti, quo concluſionem noſtram probauimus, deſumpti ex Chriſti prædeſtinatione prout antecedente peccatum Adami, manifeſtum eſt, poſita tali Chriſti prædeſtinatione non potuiſſe Dei Matrem in pacto Adæ comprehendi: ſic etiam non apparet, quomodo illi, qui è contrà cenſent Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum, niſi poſt præuiſum humanæ naturæ lapſum, poſſint commodè explicare, atque defendere, quod Beatiſſima Virgo propter maternitatem conſertè ſe cum Chriſti prædeſtinatione habentem, exempta fuerit à pacto, quòd Deus cum Adamo iniit. Nam vel exempta fuit tunc quando prædeſtinata eſt Mater Chriſti. Et hoc non: nam in illorum ſententia, pactum Dei cum Adamo, & Adami peccatum præceſſerat. Nullus autem à pacto & peccato quod iam totum ſuum effectum habuit, & omninò completum eſt, excludi poteſt. Vel exempta fuit ipſo tunc initio, quando pactum inibatur. Sed nec hoc. Nam tunc non poterat eximi à Deo ſub titulo Matris Chriſti, cùm nec de Chriſto, nec de eius Matre Deus adhuc cogitaſſe intelligatur. Quàm miris ſubtilitatibus hîc expedire ſe Salazar, Delugo, & Ariaga conentur, videbimus, eoſque refutabimus *lib. 5. cap. 5.* cùm adſtruemus venturum fuiſſe Chriſtum, Adamo etiam non peccante.

***

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

Satisfit eorum fundamentis, & obiectionibus Authorum, qui contra duo ſuperiora capita, Beatiſſimam virginem aſſerunt, vel contraxiſſe, vel debitum proximum habuiſſe contrahendi originale peccatum.

1. FVNDAMENTALIS eorum ratio, qui ſanctiſſimam Virginem putant vel contraxiſſe in ſeipſa originale peccatum, vel in Adamo lapſam debitum habuiſſe illud re contrahendi, non alia eſſe potest, quàm authoritas Scripturæ, & Apoſtoli dicentis abſolutè, ac ſine vlla exceptione *Rom. cap. 5. Per vnum hominem mors in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Et 1. *Cor. c. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificabuntur.* Item 2. *Cor. c. 5. Quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Vbi magnam vim faciunt in hac voce, *omnes*; quæ vniuerſim diſtribuit ſine vlla exceptione, ita vt nullum relinquat. Quare ſi opinio, quæ B. Virginem hîc excipit, vera eſt, ſequitur (inquit Caietanus *opuſc. 1. tom. 2.*) ſcripturam eſſe falſam. Apud Paulum enim habetur iſta conditionalis; *Si Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, omnes mortui ſunt.* Patet enim, quod omnis conditionalis vera, eſt neceſſaria; & quòd à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis valet argumentum. Itaque ſi B. Virgo non eſt mortua morte peccati, de qua morte hîc agitur, dicendum erit falſum eſſe quod ait ſcriptura 2. *Cor. 5. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Vt huic aduerſariorum fundamento ex ſcriptura deſumpto reſpondeatur; aduertendum eſt, nonnullos reperiri Authores, qui propoſitiones ſupradictas ſcripturæ non putent eſſe vniuerſaliter de omnibus hominibus intelligendas ratione maculæ peccati originalis reipſa contractæ in ipſorum naturali conceptione; ſed tantùm ratione ipſius peccati in Adamo actualiter commiſſi, & obligationis, ſeu debiti maculæ contrahendæ ſuo tempore in conceptione. Atque ita videtur ſenſiſſe Caietanus, dum concedit (ne communiorem Eccleſiæ ſenſum de immaculata conceptione damnare cogatur hæreſeos) non eſſe de fide ex prædictis Apoſtoli locis, Virginem contraxiſſe re in ſua conceptione & perſona maculam originalem: mordicùs tamen de fide eſſe tuetur, peccaſſe illam in Adamo, & obligationem, debitumque habuiſſe contrahendi re, quando concipiebatur, maculam peccati. Expoſitionem tamen illam verborum Apoſtoli, tanquam erroneam Doctores communiter iure improbant. Et de omnibus planè poſteris Adami pronunciaſſe volunt Apoſtolum, quòd non tantùm in Adamo peccauerunt, ſed quòd reapſe concipiuntur, & naſcuntur filij iræ. Atque ita Suares, aliique (licèt defendant immaculatam Virginis Conceptionem) intelligenda eſſe volunt ſupradicta Apoſtoli verba.

2. Intentio enim Trident. *ſeſſ. 5.* Vbi de hoc agit, eſt vt definiat, ſolam Dei Matrem ſingulari priuilegio excipiendam eſſe, reliquoſque præter ipſam omnes poſteros Adami, dum eorum anima corpori infunditur, maculam originalem reipſa contrahere. Quare damnat quod voluit Caluinus, omnes quidem pueros ex infidelibus natos contrahere peccatum originale, non verò natos ex fidelibus, ac propterea illos abſque Baptiſmo poſſe ſaluari.

3. Vt igitur fundamentali rationi aduerſariorum deſumptæ ex authoritate Apoſtoli reſpondeamus. Duæ ſententiæ diſtinguendæ ſunt aduerſantes duabus ſupradictis & ſtabilitis concluſionibus noſtris. Et quoad primam eorum ſententiam, qui priori noſtræ concluſioni repugnantes conceptam reipſa fuiſſe volunt Dei Matrem in peccato originali: Reſpondemus, verum quidem eſſe fide diuina, omnes Adæ filios non tantùm habere proximum debitum, vt in ſua conceptione contrahant originalem maculam, ſed illam etiam de facto contrahere; illamque eſſe legem communem iuxta Pauli verba. Nihilominus prædictam Beatiſſimam Virginem ſpeciali priuilegio exemptam eſſe ab ea lege, quæ non pro illa, ſed pro omnibus eſt conſtituta. Pro omnibus, inquam, ita vt nullus præter illam eximi poſſit citra hæreſim. Nec tamen exempta Virgine falſum propterea eſt, omnes in Adamo peccauiſſe, naſci filios iræ, &c. Nihil enim vſitatius eſt in ipſis etiam ſcripturis, quàm vt regularum & propoſitionum generatim prolatarum vniuerſalitas ſumatur moraliter, ita vt per vnius, aut alterius exceptionem non deſtruatur. Sic dicitur *Pſ. 13. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: & ſimilia multa.

4. Quoad alteram eorum ſententiam, qui primam noſtram concluſionem de immaculata conceptione amplectentes, ſecundam reiiciunt, quâ aſſerimus Beatiſſimam Virginem, vt eſſet digna Dei Mater, exemptam fuiſſe ab Adami pacto, nec habuiſſe debitum proximum contrahendi in ſua conceptione maculam originalem; eadem debet adduci reſponſio, nempe communem illam quidem fuiſſe legem, vt omnes vniuerſaliter Adæ poſteri includerentur in ipſius Adæ pacto, & peccante ſuo primo parente, peccarent in illo. Nec enim admittenda eſt Theodoreti expoſitio circa illa verba Apoſtoli *Rom. 5. Vnius delicto multi mortui ſunt*; & infrà: *Peccatores conſtituti ſunt multi.* Ait enim, Paulum vſum fuiſſe illo Verbo, *Multi*, quia non omnes in Adamo tranſgreſſores legis facti ſunt, ſicut non omnes fiunt iuſti propter Chriſti iuſtitiam: ſed non aduertit quod ibidem ait Apoſtolus, omnes in Adam peccaſſe. Id igitur Bellarmino, Suari, aliiſque fatemur, pronunciaſſe, vniuerſaliter Paulum, omnes Adami poſteros & incluſos in pacto fuiſſe, & in Adamo peccaſſe. Sed quemadmodum Doctores iſti, cùm fateantur pronunciatum eſſe vniuerſaliter à Diuo Paulo omnes ita peccaſſe, & mortuos eſſe in Adamo, vt conceptionem habeant maculatam, & naſcantur filij iræ; aſſerunt nihilominus immaculatam fuiſſe Deiparæ conceptionem, ob ſingulare illius priuilegium: Sic improbare non debent, quòd nos pari prorſus ratione priuilegium eiuſdem Deiparæ agnoſcamus omninò ſimile in exceptione à pacto, alios omnes Adæ poſteros comprehendente.

5. Sed vrget Suares, cùm in omnibus ſupradictis Apoſtoli de peccato originali locis, neceſſarium ſit Virginem aliquo modo comprehendere; non poſſimus autem illam comprehendere, quaſi in ſui conceptione infectam peccato, & in ſeipſa mortuã Deo,

ſupereſt vt ipſam comprehendamus quaſi in Adamo infectam, & vt habentem debitum recipiendi peccatum mortiferum in ſui conceptione. Reſpondeo me inficiari, quod neceſſarium ſit Virginem vllo modo comprehendere in prædictis Diui Pauli locis. Cùm enim Concilium Tridentinum eos locos Apoſtoli indicaſſet, definit, nullam eorum diſtinctionem faciens, nequaquam iis Virginem comprehendi. Eſtque aduertendum, Synodum in ſuo decreto claré definire, omnes Adami poſteros debitum contrahendæ in ſui conceptione, & in ſeipſis culpæ incurriſſe tunc, quando Adamus peccauit: non enim aliud important hæc verba ipſius Synodi; *Si quis aſſerit Adamum, acceptam à Deo ſanctitatem, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam perdidiſſe, anathema ſit.* Et tamen iidem poſteà Patres Concilij Tridentini ab illa ipſa definitione & decreto Virginem eximunt. Ergo eorum mens eſt, quod non ſit certum eam incurriſſe in Adamo debitum exiſtendi in ſeipſa ſine ſanctitate originali; hoc enim eſt ſanctitatem in Adamo perdidiſſe.

6. Inſtant adhuc Suares & alij, ac nominatim Caietanus vehementiſſimè. Si Beatiſſima Virgo non fuit in pactum incluſa Adami, nec in hoc peccante mortua eſt: Ergo nihil debet Chriſto vt Redemptori, & morienti; quandoquidem, vt habetur ex Apoſtolo iam ſæpius citato, non mortuus eſt Chriſtus, niſi pro mortuis per peccatum; nec redemit ſuo ſanguine, niſi iam captiuos ac venundatos. Conſequens autem, quòd ſanctitas Virginis dependentiam à Chriſto Redemptore non habeat, falſum eſt, nec vllo modo ferendum. Reſponderi facilè poteſt, quod non tantùm is à me redimitur, pro quo in captiuitatem iam lapſo pretium ſoluo, vt in libertatem reſtituatur, ſed etiam ille, pro quo antequam in captiuitatem, quæ illi imminet, labatur, pretium ſoluo, vt libertatem non amittat. Iſtudque redemptionis genus, quod eſt non ſimplex redemptio, ſed ipſius redemptionis redemptio, longè excellentius eſt; & non tantùm perſonam redemptam maiori beneficio afficit; ſed redemptorem etiam longè magis commendat. Dico autem Beatiſſimam Dei Matrem, cùm non ſit permiſſa peccare in Adamo, & liberata ſit à debito contrahendi in conceptione peccatum, redemptam fuiſſe hoc ſecundo genere redemptionis per Chriſtum, quatenus ex eius præuiſis meritis, & acceptato velut illorum pretio, Deus ipſam prædeſtinauit ad originalem ſanctitatem independenter ab Adamo, aut à pacto quod cum ipſo Adamo ineundum erat. Cùm tamen, ſuppoſito, quod Deus vellet pactum cum Adamo contrahere, Virgo deberet, conuenienter loquendo, in illud pactum includi, in quod includebantur omnes Adami poſteri, quà tales, inter quos cenſebatur. Habebat igitur illa eatenus debitum proximum, & immediatum, vt pacto Adami includeretur, & hoc peccante, peccaret in eo; ac per conſequens debitum mediatum, ſeu remotum, vt ſuppoſito Adami futuro peccato, maculam originalem contraheret reipſa in ſui conceptione.

7. Si inſiſtas, fore quidem ſic redemptionem aliquam per Chriſtum vt abſtrahentem à carne paſſibili, non autem per Chriſtum vt patientem, nec per eius mortem. Ad illud primò quidem reſpondeo. Quandoquidem vidimus ex Concilio Tridentino, non eſſe neceſſarium vt B. Virgo comprehendatur in Diui Pauli verbis, & in eorum numero mortuorum, de quibus Apoſtolus diſputat: nullum ſupereſt fundamentum, cur neceſſariò dicere debeamus ipſius Virginis ſanctificationem pendere à Chriſto vt paſſibili, & ab eius morte. Satis enim eſt, ſi dicatur eximiam eius ſanctitatem, vt antecedentem pactum Adami, & præuiſionem paſſibilitatis Chriſti, pendere à Chriſto vt eam excellentiùs redimente per merita, quæ à ſtatu paſſibilitatis abſtraherent, ſiue de facto ſecundùm exiſtentiam, & à parte rei; vt videre eſt in actibus internis charitatis, religionis, aliarumque virtutum, quos Chriſtus ita exercebat re ipſa, vt ad eos impertinens eſſet paſſibilitas: ſiue abſtraherent non ſecundùm exiſtentiam realem, ſed tantùm ſecundùm eam conſiderationem inadæquatam, quam omnia Chriſti opera quæ de facto iam extiterunt, habere poterant in illo priori (quatenus nempe heroïca, Deo grata, &c.) antequam ſupponeretur, aut præuideretur peccatum Adæ. Quia tamen huiuſmodi merita velut inadæquatè in illo priori præuiſa non alia extiterunt, quàm ipſæ Chriſti tolerantiæ in carne paſſibili, proptereà ad inſtantiam hîc factam reſpondeo ſecundò, Beatiſſimam Virginem de facto, dum redempta ſpeciali ſuo redemptionis genere fuit, debuiſſe omninò Chriſti paſſionibus, atque morti (ſub prædicta conſideratione inadæquata) ſuam illam redemptionem, quemadmodum & Angeli, Adamuſque ſuam primam ſanctificationem.

CAPVT VIII.

An Chriſtus aliquo modo meritus ſit, mererive potuerit vnionem hypoſtaticam.

1. DISTINGVENDVS hîc eſt, vt fecimus capite tertio & quarto, duplex incarnationis, ſiue vnionis hypoſtaticæ ſtatus: prout ea nimirum conſiderari poteſt in ſui præfinitione, ſeu prædeſtinatione; & prout in exequutione, ſeu actuali exhibitione. Cùm enim certum ſit vnionem hypoſtaticam, prout eſt in prædeſtinatione, non poſſe ſub vllum meritum ſiue Chriſti, ſiue cuiuſcumque alterius cadere; non tamen parum eſt diſputationis quoad hoc de eadem conſiderata, prout eſt in exequutione. Quare mirum eſt, cur Ariaga *diſputatione* 17. *num.* 1. diſtinctionem prædictam improbet, vt factam hîc alieno loco, nec ad rem: aſſeratque falſum eſſe, quod vnio hypoſtatica vt conſiderata in ſui prædeſtinatione, nequeat cadere ſub meritum vllum; quaſi hoc non alio dicatur à nobis fundamento, quàm quia præfinitio, ſeu prædeſtinatio ſit actus liber Dei, qui ſub creaturæ meritum venire non poſſit. Non id illo, vt ipſe fingit, dicimus fundamento. Cui enim dubium eſt, quin homo poſſit mereri multas Dei volitiones liberas? Quando enim aliquis meretur verbi gratiâ, beatitudinem æternam, ſatis intelligitur mereri, vt Deus illam ſibi velit dare: quod eſt mereri Dei quandam volitionem liberam. Meritum ſiquidem, cùm ſit cauſa moralis, aliud nihil eſt, quàm aliqua permotio Dei, vt habeat voluntatem dandi rem quampiam. Non ergo cepit eorum mentem Ariaga, qui negant prædeſtinationem incarnationis cadere poſſe ſub vllum meritum. Illi enim longè alio nituntur, quàm exiſtimet hic Author, fundamento: nempe quia prædeſtinatio incarnationis antecedit

omne

Digitized by Google

omne quarumcumque creaturarum ; etiam ipſiuſmet Chriſti meritum ; vtpote primum omnis meriti principium. Hoc ita ſuppoſito reſtat , vt videamus hìc , num Chriſtus meritus ſit , mereríve potuerit vnionem hypoſtaticam , ſaltem ſpectatam in exequutione. Videndum autem id eſt primò de humanitate , ſeu anima ipſius , prout antecedit vnionem , & prout in eo rationis priori potuit operari meritoriè. Secundo de eodem ipſo Chriſto Homine-Deo , & prout conſtituto per vnionem hypoſtaticam.

2. Concluſio prima. Chriſti humanitas , nec de condigno mereri potuit , nec de congruo meruit vnionem hypoſtaticam in priori , quàm Verbo vniretur. Patet. Nam ſi loquamur de prioritate temporis , damnati ſunt ab Eccleſia in primo Epheſino Concilio , *can.* 11. & in 6. Synodo , *actione* 2. nec non in 7. Synodo, & Conc. Toletano II. tum Origenes , volens animam Chriſti extitiſſe ante incarnationem ; tum Cherintus, Photinus, atque Neſtorius , aſſerentes humanitatem Chriſti , ſiue hunc hominem extitiſſe priuſquam eſſet Deus , ſeu Deo vnitus. Si autem loquamur de prioritate naturæ, certum eſt humanitatem in illo priori antequam vnita eſſe Verbo intelligatur , non habuiſſe ſufficientem dignitatem , vt poſſit per potentiam Dei abſolutam de condigno vnionem hypoſtaticam mereri. Cùm enim ipſa non ſit Deus in illo priori , de ea , quoad hoc , erit ferè eadem ratio , quam de ſanctis Patribus , & B. Virgine ſuperiùs diximus. Atque ſic probata manet prior concluſionis pars, quæ meritum de condigno excludit.

3. Quod autem nec de congruo mereri in aliquo priori potuerit prædictam vnionem humanitas totalis conſurgens ex corpore & anima , clarum quidem erit , ſi quis opinionem , quam ego (vt fuſiùs dicam ſuo loco) veram eſſe cum Suare exiſtimo , ſequi voluerit ; quæ aſſerit , vnionem naturalem corporis & animæ , atque adeò ipſam totalem humanitatem fuiſſe , ſecundùm naturæ ordinem , quem Deus de facto tenere voluit , poſteriorem vnione hypoſtatica: nam iuxta hanc opinionem non priùs fuit , nec priùs operari , mereríve potuit totalis humanitas , quàm Homo - Deus ; de cuius Hominis Dei merito in ordine ad vnionem hypoſtaticam agemus ſtatim poſt hanc concluſionem. Sed quidquid ſit de illa opinione , dico totalem humanitatem , licèt quis eam conſideret vt priorem vnione hypoſtatica , non tamen operatam fuiſſe in illo priori , atque adeò nec per vllum actum meritam fuiſſe ipſam vnionem. Cuius rei rationem Thomiſtæ afferunt , quia cùm humanitatem putent exiſtere per exiſtentiam Verbi , negant illam in eo priori exiſtere.

4. Sed hæc ratio procedit ex principio falſo, quod ſuo loco infrà reiiciemus. Rationem afferunt alij , inter quos eſt Suares ; quòd implicet naturam operari antequam ſubſiſtat : ſubſiſtentiam enim aiunt præſupponi eſſentialiter operationi; vnde vulgare illud effatum in ſcholis ; *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Verùm nec illa ratio eſt admittenda. Nec enim ſubſiſtentia eſt conditio eſſentialiter neceſſaria , vt naturæ operentur , aut patiantur. Et cùm Suares id aſſerit hìc *diſput.* 10. *ſect.* 3. *in fine* , videtur contradicere iis , quæ docuit in Metaphyſicis *diſput.* 30. *ſect.* 2. §. 20. concedens , fieri poſſe diuinitùs , vt natura ſubſtantialis exiſtat , conſeruetúrque ſine vlla ſubſiſtentia. Quo poſito negari conſequenter non poteſt , quin in humanitate ita conſeruata , locum habere poſſint , & receptæ qualitates , & operationes elicitæ. Quamuis enim (quod Philoſophis eſt in prouerbio) actiones ſint ſuppoſitorum ; non tamen id ſic intelligendum eſt , quaſi oporteat ſubſiſtentiam in priori ſupponi ante actiones. Nam & eodem modo ſuppoſitorum eſt generari , v. c. & tamen quis dicat in priori hominem debere ſubſiſtere , quàm generetur ? Senſus ergo illius prouerbij ſolùm eſt , actiones tribui ſuppoſito , denominareque ſuppoſitum: Non eſt autem neceſſarium , vt quicquid denominat aliud , præſupponat illud vt in priori ſubſiſtens; quemadmodum apparet in ea , quam iam dicebam, denominatione generati,vel creati. Nec enim generatio , vel creatio ſupponit ſubiectum ſuæ denominationis , vt præſubſiſtens. Idemque eſt de ipſa ſubſiſtentia , quam clarum eſt Petrum ſic denominare ſubſiſtentem , vt non eum ſupponat in priori ſubſiſtere. Sed & hìc aduertendum eſt , cùm ratio ſuppoſiti non ſit aliud , quàm totalitas ; vt oſtendemus *lib... cap...* nec Ariſtoteles aliud eſſe ſuppoſitum agnouerit , quàm totum ; Philoſophos, quando ex ipſo Ariſtotele dicunt , actiones eſſe ſuppoſitorum , velle dumtaxat actiones tribui toti ; v. g. homini , equo , leoni , &c. Non enim dicimus, oculus hominis videt , os equi , aut leonis hinnit, aut rugit , &c. Sed homo videt , equus hinnit ; &c.

5. Vaſques vbi prædictas rationes latè impugnauit , aliâ ipſe vtitur , qua probare ſe putat aſſertionem hanc noſtram excludentem ab humanitate meritum de congruo in priori ante vnionem. Quia, inquit , illud meritum de congruo , quod humanitas in illo priori haberet , deberet eſſe ex gratia vel habituali , vel ſaltem actualiter auxiliante. Atqui non poſſet eſſe ex gratia habituali , quia hæc pro eo priori conſtitueret humanitatem filiam adoptiuam; quod nefas eſt. Non item ex auxilio actuali , quia opus quod tunc foret , deberet habere infinitum valorem ; foret enim à Chriſto , quandoquidem in illo eodem inſtanti realis temporis (licet poſteriùs naturâ) humanitas vnionem hypoſtaticam haberet; atque ita illud opus humanitatis foret meritorium ipſius vnionis de condigno , & non ſolùm de congruo. Non magis videtur admittenda hæc ratio Vaſquesij , quàm præcedentes. Nam primò negatur, gratiam , quæ in humanitate antecederet vnionem, conſtituere poſſe humanitatem filiam adoptiuam ; filiatio enim adoptiua non poteſt conuenire niſi in perſonam extraneam. Atqui humanitas in illo priori rationis non poteſt dici perſona extranea , cùm nequidem ſit perſona ; nullam enim habere concipitur perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam. Negatur item ſecundò infiniti poſſe eſſe valoris opus illud , quod eliceret per gratiam auxiliatem humanitas ; hæc enim in illo priori ante vnionem concipitur mera eſſe creatura.

6. Vera igitur , atque legitimâ ratio , cur aſſerendum ſit humanitatem Chriſti non fuiſſe promeritam de congruo , vt Verbo vniretur , eſt quia in illo priori , licèt abſolutè potuiſſet operari (vt iam dictum eſt *num.* 4.) non tamen dici debet eam vllo modo operatam fuiſſe. Nam priùs naturaliter eſt,rem aliquam habere ſuum eſſe completum,& velut clauſum , quàm operari. Quicquid enim agit, & quodam modo ſe mouet , oportet vt ſtatum quemdam habeat , quo vel in ſeipſo velut quieſcat , conſiſtat,atque ſubſiſtat ; vel nitatur & fulciatur aliquo alio,in eoque quieſcat. Conſiderando autem humanitatem Chriſti eo modo, quo iam illam conſideramus, non poſſumus intelligere ipſam exiſtere ſui iuris

in ſe ipſa, & ſeparatam ab omni alio; nunquam enim de facto extitit in illo ſeparationis ſtatu, ſed in quo inſtanti producta fuit, pertinuit ad Verbum, & fuit non ſua, ſed Verbi. Non poſſumus etiam ipſam intelligere operari, vt nixam determinatè Verbo, & ſubſiſtentem in huius hypoſtaſi, cùm ſupponamus eam operari naturâ prius. Sequitur ergo illam in eo ſigno rationis nullum actum exercere poſſe, niſi velimus Deum magnam inferre violentiam naturæ, cùm nullum ſufficiens habeamus id dicendi fundamentum. Vt enim quod non nititur alicui immobili, aut ipſum immobile non eſt, haud intelligitur quicquam mouere; ſic nec operari natura, quæ neque in ſeipſa, neque in alio eſſe concipitur.

7. Ex dictis facilè intelligitur, quid ſentiendum ſit de Chriſti ipſius anima, prout ratione antecedit non ſolùm vnionem hypoſtaticam, ſed etiam vnionem naturalem cum corpore, atque adeò prout fuit prior totali humanitate. De tali enim anima quæri poteſt, vtrum merita ſit de congruo aſſumi à Verbo. Reſpondeo clarum eſſe ex dictis, illam id potuiſſe abſolutè per diuinam potentiam. Nam priùs fuit ipſam creari, & exiſtere, quàm Verbo vniri. Si ergo Deus in eo priori, animam quam creabat, gratia ſanctificante ornauiſſet, ac excitaſſet ad ſupernaturalem tum cognitionis, tum amoris actum, quo ipſa ſe ad vnionem hypoſtaticam diſponeret, poterat illi ex talis actus intuitu prædicta vnio concedi, fuiſſetque in huiuſmodi humanitate, meritum de congruo. Nam ſi Beatiſſimam Virginem, & Sanctos Patres ſuprà diximus meruiſſe de congruo incarnationem, multò magis id affirmandum eſſet de ſanctiſſima illa anima; ſi eam in priori, antequam aſſumeretur, totam gratiam, quam nunc habet, habuiſſe, & ex gratia illa operatam eſſe concederetur. Sed id tamen ego factum eſſe non concedo. Nam quamuis, vt iam dicebam, id fuerit abſolutè poſſibile, longè connaturalius eſt, vt priùs tota humanitas ſubſiſtat, ac ſuo eſſe ſubſtantiali compleatur intrinſecè, quàm vt vel ipſa eius anima operetur, aut recipiat accidentia extrinſeca; vt dictum eſt *num. præcedenti*. Hoc non impedit, vt per te aduertere potes, quominus in ſui creatione Angeli & Adamus ſe diſponerent de congruo ad gratiam habitualem, habebant enim illi in priori ſuam ſubſiſtentiam.

8. Concluſio ſecunda. Chriſtus Homo-Deus non meruit per opera quæ vnionem hypoſtaticam ſubſequuta ſunt, accipere ipſam vnionem conſideratam in prima ſui exiſtentia. Notandum eſt poſſe dupliciter intelligi, quòd opera Chriſti, quæ præſupponebant vnionem hypoſtaticam, fuerint huius meritoria. Primò quidem prout à Deo erant præuiſa per ſcientiam mediam, non vt futura abſolutè, ſed vt futura ſolùm conditionatè: ita nempe vt Deus vnionem hypoſtaticam humanitati Chriſti dare voluerit tanquam mercedem eorum operum quæ videbat fore futura, ſi fortè humanitas Verbo vniretur. Atque nos hìc de illo meriti modo non agimus. Semipelagianorum enim eſt conſiderare, adſtruereque rationem meriti in operibus conditionatis, & per ſcientiam ſolùm mediam præuiſis. Alter ſenſus in quo ſolo hìc loquimur, eſt, vt Deus poſt factam prædeſtinationem Chriſti, præuidens abſolutè per ſcientiam, quæ dicitur viſionis, futuritionem horum, & illorum operum ipſius Chriſti, decreuerit illorum intuitu per anticipatam ſolutionem dare eidem vnionem hypoſtaticam, atque illius de facto producere primam exiſtentiam.

9. Circa id verò concluſio noſtra eſt negatiua. Dum enim Chriſtus incepit operari ac mereri, non tantùm erat prædeſtinata, ſed etiam exequutioni mandata, & exiſtentiam habebat vnio hypoſtatica, talique merito præſupponebatur, ſecundùm prioritatem naturæ, & vt illius cauſa. Dicere autem, quòd Deus actualem exiſtentiam incarnationis, ſeu exhibitionem vnionis voluerit ſubordinare merito Chriſti pendenti ab ipſa vnionis exiſtentia, non tantùm explicatu eſt difficile, vt ex concluſione ſequenti patebit; ſed etiam gratuitum eſt, & vt vult Suares, temerarium, atque in fide periculoſum. Quamuis enim neceſſarium fuerit Chriſti merita ſuum habere influxum, vt præuiſa, & ſecundùm ſolam ſui futuritionem, reſpectu ſanctorum Patriarcharum, qui tempore illum præceſſerunt: id tamen reſpectu Chriſti ipſiuſmet nec neceſſarium fuit, vt per ſe conſtat; nec niſi vix intelligibile eſt, cùm illam eandem vnionem, quæ à præuiſis meritis pendere aſſereretur, fateri oporteret eſſe cauſam ipſorum meritorum, iiſque dediſſe dignitatem quam habent infinitam. Et quidem non ita fuiſſe à Deo reipſa inſtitutum, communis eſt Patrum, atque Theologorum ſenſus. Suntque varia ſcripturæ loca, quæ abſolutè incarnationem ſic ad Dei gratiam, & liberalitatem referant, vt omne verum meritum, quod in ipſam influxerit, videantur excludere. Et licet reſponderi poſſet, gratiam & liberalitatem fuiſſe meram in incarnatione quoad ſolos homines, non autem quoad Chriſtum, quemadmodum iuſtificatio peccatoris gratuita liberalitas eſt reſpectu peccatoris ipſius, non autem reſpectu Chriſti, cuius meritis ea conceditur; nihilominus excluſio meritorum, quam ſcriptura loquens de incarnatione, facit, abſoluta eſt, & videtur eſſe omnium omninò meritorum, nec admittere illa etiam, quæ ſunt Chriſti. Et ſanè illa eſt natura meriti, vt non ſubſequi, ſed antecedere debeat ſuum præmium: nec Deus illum ordinem ſolet inuertere. Prætereà non decebat, vt Deus vnionem hypoſtaticam daret Chriſto, quaſi ſub conditione futuri meriti; hic enim modus quamdam ſonaret in Chriſto imperfectionem. Denique vt decet concedi primas gratias creaturis à ſolo Deo ſine vlla ab ipſis creaturis dependentia; ita, & multo magis id dicendum de vnione hypoſtatica, quæ inter omnes primas gratias eſt maximè prima, vtpote omnium baſis.

10. Porrò hæc noſtra concluſio (vt in ea expreſsè dicitur) non debet intelligi, niſi de prima incarnationis, ſeu Chriſti exiſtentia. Si enim de ſecunda, vel continuata loquamur exiſtentia, dubium non eſt, quin illam Chriſtus, poſtquam ſemel in primo inſtanti extitit, potuerit condignè mereri pro toto tempore ſequenti. Verum autem eam de facto meruerit, non poſſumus ex vllo principio tanquam certum definire. Pendet enim ex libero inſtituto Dei, de quo nullam habemus reuelationem. Saltem videtur certum eam vnionis hypoſtaticæ productionem, quæ contingit quotidie in conſecratione panis & vini Euchariſtici, eſſe ex meritis Chriſti. Nam Chriſtus meruit quicquid attinet ad Sacramenta. Improbabile etiam non eſt Suari, hypoſtaticæ vnionis conſeruationem, ſeu continuationem, quæ in Chriſto poſt primum inſtans conceptionis fuit, & illam aſſumptionem hypoſtaticam, quâ ſecundum progreſſum nutritionis, partes cibi aggeneratæ incipiebant ſubſiſtere in Verbo, cecidiſſe ſub Chriſti meritum. Quamuis

Digitized by Google

uis enim, tum conſeruatio vnionis ſemel productæ, tum aggeneratarum partium aſſumptio fieret conſequenter ad primam productionem, & ex huius ſuppoſitione, quaſi naturaliter deberetur. Tamen nihil obeſt, quin etiam conceſſa Chriſto fuerit titulo meriti, vt certum videtur de gloria corporis, quæ quamuis ex natura rei poſt incarnationem huic Homini-Deo deberetur, nihilominus data ei fuit etiam ex merito.

11. Concluſio tertia. Quamuis Chriſtus non meritus ſit de facto primam vnionis hypoſtaticæ exiſtentiam, nulla tamen apparet contradictionis implicantia, quo minùs eam mereri potuerit. Multi ſunt, qui huic concluſioni repugnent. Eam tamen propugnat Suares *diſput.* 10. *ſectione* 4. aliique cum illo: & nominatim Ægidio Coninch neceſſaria eſt, cùm is doceat, vt refert Ariaga *diſput.* 17. *ſectione* 2. poſſe in nobis primam gratiam cadere ſub merita, quæ deinde fiant per eandem gratiam. Probatur verò; quia licèt merita Chriſti præſupponant incarnationem, & vnionis hypoſtaticæ exiſtentiam: non tamen neceſſariò eam ſupponunt quocumque modo ſumptam, ſed tantùm, vt prædefinitam vt ſimpliciter futuram, & vt præuiſam. Non videtur enim repugnantia, quin Deus poſtquam incarnationem abſolutè & efficaciter decreuit, Chriſtumque operaturum præuidit, aggreſſus ſit nouo accedente decreto exequutionem eiuſdem incarnationis ex intuitu operum in Chriſto futuro-ro-præuiſorum.

12. Quod ita elucido & explico. Nam quemadmodum bene intelligis, poſtquam Chriſtus præuiſus eſt cum ſuis operibus, datam eſſe ex eorum intuitu gratiam aliquam Abrahamo, vel Dauidi, antequam ipſe Chriſtus exiſteret: quare non etiam intelligere poteris ex eorundum intuitu datam eſſe in exequutione gratiam hanc vnionis ipſi Chriſto? Sanè quamuis identitas perſonæ merentis reddat difficiliorem intelligentiam veri meriti reſpectu huius vnionis, quæ eſt prima gratia, per quam ipſa perſona in ſuo primo eſſe conſtituitur, & à qua meritum in ſuo eſſe dependet: non tamen ſatis hîc videtur oſtendi vlla contradictio. Nam ante meritum Chriſti vt præuiſum, & ſimpliciter futurum, non præſupponitur exiſtentia actualis, & exhibitio iam realiter facta vnionis hypoſtaticæ. Itaque nihil impedit, quo minùs hæc ab illo pendere poſſit. Quid enim contradictionis in eo eſt, quòd Chriſti incarnatio non actualis, ſed ſolùm decreta, certò futura, & præuiſa fundamentum ſit meritorum eiuſdem Chriſti vt præuiſorum; & nihilominus eadem incarnatio, non vt ſolùm præuiſa, ſed vt actualis, & re exiſtens, fundetur in prædictis meritis, non vt realiter iam exiſtentibus, ſed vt præuiſis? Sic enim non idem eodem modo ſumptum reperitur prius & poſterius, ſeu cauſa ſui; ſed idem diuerſo modo ſumptum, quod non repugnat. Nec ſequitur, principium meriti cadere ſub meritum. Nam incarnatio non eſt primum principium meriti, vt actualiter exhibita, quo modo cadit ſub meritum; ſed tantùm vt certò futura, ac exiſtentiam habens in ſola Dei præuiſione: quo modo non cadit ſub meritum.

13. Confirmatur hoc totum exemplo, cui (inquit Suares) aduerſarij, quantumuis conentur, nunquam bene ſatisfaciunt. Idem enim eſt in præſenti negotio, ac ſi Rex tribuat militi arma & equum, non per gratuitam donationem, non etiam per ſimplicem commodationem, aut per hunc contractum; *Do, vt facias*: ita vt ſi bene dimices, hæc poſſeſſurus ſis; ſi non bene dimices, ſis redditurus. Non, inquam, ita, ſed illa per anticipatam ſolutionem dando verè in ſtipendium futuri laboris ac militiæ, & in præmium meritorum illis ipſis armis & equo futurorum. Quod nullo modo repugnat, vt patere poteſt experientiâ, & per ſe clarum eſſe poteſt; præſertim ſi exemplum iſtud bene aptetur noſtræ ipſi opinioni, cui confirmandæ affertur. Si verbi gratiâ, ſupponatur ille Rex abſoluto, & efficaci decreto deſtinaſſe militi equum & arma; & abſolutè præuidere certò (putà per reuelationem diuinam) militem illum armis, & equo ſibi deſtinatis bene pugnaturum, ac de facto mercedem illam meriturum. Sanè non apparet, cur non in eo caſu talis Rex veniens ad exequutionem poſſet hunc nouum actum habere: *Do tibi arma, & equum, eorumque in te dominium transfero, non conditionatè, ſed abſolutè: non item vt bene pugnes, ſed quia bene pugnabis.*

14. Nec valet quod Ariaga iam citatus reſpondet, facinora illius militis non eſſe meritum prioris donationis, ſed gratiarum actionem, aut meritum vlterioris beneficij; nempe vt in perpetuum illi deinceps relinquantur equus & arma. Id, inquam, non valet. Fert enim noſtra ſuppoſitio, Regem illum non habere intentionem conferendi munus, aut donum, ob quod miles ille maneat obligatus ad gratitudinem aliquam exhibendam; ſed habere intentionem remunerandi, & equum & arma antidoraliter concedendi, tanquam mercedem & compenſationem, quæ adæquet penitus valorem eorum facinorum, quæ miles prædictus patrabit: ſic vt per illa facinora, vtpote ſatis compenſata, non poſſit vllam prætereà mercedem mereri, aut expectare aliquod vlterius beneficium. Non valet etiam quod reſpondet Delugo, equum & arma non fuiſſe primò data in præmium, ſed gratis ſub conditione operum futurorum: ita vt iis factis, poſteà eſſent ſub dominio militis; iis verò non factis, redderentur Regi: data ſunt ergo ab initio, non quia miles meruerat, ſed vt mereretur: poſteà verò perſeuerant in dominio militis ex meritis iam factis. Sic ille. Sed contra: nam in re præſenti intentio Regis debet eſſe menſura conceſſionis eius, quam fecit armorum. Eſt enim impoſſibile, vt aliter conceſſerit, quàm intenderit concedere. Ille autem poſt deſtinationem armorum gratuitò à ſe factam, ait in ipſa exequutione ſe intendere dare illa in præmium operum certò præuiſorum, non autem gratis, aut ſub eorum futurorum conditione, ita vt ſi opera poſteà non fiant, miles arma conceſſa debeat reddere. Non enim conditio pendens eſt, ſed in præuiſione Regis certa & infallibili (vt ſupponimus) opera iam patrata ſunt, & vt talia Rex intendit compenſare.

15. Totius huius doctrinæ fundamentum ſitum eſt in natura cauſæ meritoriæ. Cùm enim hæc cauſa ſit moralis, nec influat immediatè in effectum, ſed tantùm mouendo remunerantis voluntatem, bene poteſt influere antequam exiſtat: quandoquidem poteſt ab ipſo remunerante eius exiſtentia, vt abſolutè certoque futura præuideri. Poteſt autem variè præuideri: & primò quidem in genere, ſeu confuſè abſtrahendo à via, & à cauſis, per quas de facto extitura eſt. Verbi gratiâ, ſi Regi illi (de quo ſuperior fiebat ſuppoſitio) Deus abſolutè reuelaret talem militem editurum certò, & infallibiliter egregia pugnando facinora; non explicando quibus mediis, quibus armis, poteſt huiuſmodi Rex talium facinorum cognita certa futuritione moueri ad illa compenſanda per traditionem armorum, quibus pugnans illa facinora miles patrabit. Non repugnat tamen ſecundò, quin is qui futura opera remunera-

Digitized by Google

tur, præuideat adæquatè & opera futura, & cauſas modumque, quo facienda ſint. Sic Deus præuidens futura Chriſti merita, præuidet ſimul ea per vnionem hypoſtaticam à ſe deſtinatam, producendamque patratum iri: & Rex de quo loquebamur, poteſt vbi ipſe deſtinauerit abſolutè & efficaciter arma talia dare militi, præuidere (ſi præſertim eius rei accedat diuina reuelatio) militem ſtrenuè iis ipſis pugnaturum, & talia editurum facinora. Poſt eam verò præuiſionem ſiue vnionis hypoſtaticæ, vt à Deo deſtinatæ, certoque exhibendæ in exequutione, ſiue armorum prædictorum concedendorum ſuo tempore militi, quid vetat Deum? Quid vetat prædictum Regem permotum præuiſione illa infallibili, venire ad actualem exhibitionem, ſiue exequutionem? Et illum quidem exhibere actu, producereque vnionem hypoſtaticam; hunc autem concedere arma militi, propter opera certiſſimè ſequutura.

CAPVT IX.

Soluuntur quædam contra tertiam præcedentis capitis concluſionem obiectiones.

1. OBIICI poteſt primò contra tertiam concluſionem præcedentis capitis. Non obſtante illa diſtinctione vnionis hypoſtaticæ vt prædeſtinatæ, & vt actu exhibitæ in exequutione ſtare, quod vnio prædeſtinata, ſeu præuiſa eadem ſit cum vnione actualiter exhibita: atque item, quod eadem planè ſint merita præuiſa quæ cauſant vnionem, & merita exiſtentia, quæ ab vnione cauſantur. Itaque manere ſemper illam repugnantiam, quod nempe vnum & idem ſit cauſa ſui ipſius, & in ſua prima exiſtentia ſupponat ſuam ipſius exiſtentiam. Etenim merita, quæ futura præuidentur, & mouent Deum ad remunerandum, non præuidentur niſi vt exiſtentia; nec mouere poſſunt, niſi per præuiſam illam exiſtentiam, quam ſortitura ſunt dependenter ab vnione hypoſtatica exiſtente, & vt tali ſuppoſita. Ergo merita vt exiſtentia ſupponuntur ad vnionem, hancque cauſant, & vnionem eandem exiſtere ſupponunt, atque ab hac cauſantur, valoremque ab ipſa accipiunt, quem habent. Atque ita cùm pendeant ab vnione ab ipſis pendente, ſequitur ea pendere quoad ſuam primam exiſtentiam à ſeipſis mediatè. Reſpondeo, eandem quidem eſſe realiter vnionem præuiſam, & vnionem actualiter exhibitam: eadem item eſſe realiter merita præuiſa, & merita actualiter exiſtentia. Verumtamen diuerſum eſſe in illis ſtatum præuiſionis, & ſtatum actualis exiſtentiæ; atque ratione talis diuerſitatis nullam eſſe repugnantiam, quòd merita cauſent vnionem, & ab hac etiam cauſentur. Cauſant enim moraliter vnionem, non vt actualiter exiſtentia, ſed vt præuiſa, quatenus Deum mouent, vt eam actualiter exhibeat; & ab vnione cauſantur, non vt præuiſa, ſed vt actualiter exiſtentia. Eodemque modo vnio ab iis præuiſis cauſatur, non vt præuiſa, ſeu prædeſtinata, ſed vt exequutioni mandata, & actualiter exhibita & exiſtens. Qua ratione nihil repugnat merita exiſtentiam accipere ab vnione, cui ipſa exiſtentiam dederunt. Cauſant enim vt præuiſa vnionem, & ab ea cauſantur vt exiſtentia. Quare conſiderata eodem modo, & ſecundùm eundem ſtatum, non pendent mediatè à ſeipſis. Porrò notanda eſt omnibus eadem difficultas, ſi res bene conſideretur. Nam ſanctitas Beatiſſimæ Virginis, & conſenſus, quem dedit Angelo, pependit à præuiſis Chriſti meritis, quæ vt exiſtentia pependerunt ab ipſius Virginis ſanctitate, atque conſenſu. Atque idem ferè dicendum de ſanctitate omnium ſurſum Chriſti parentum, quà meriti ſunt de congruo, vt eſſent eius progenitores.

2. Obiici poteſt ſecundò, ſequi ex noſtra concluſione, quod non implicet contradictionem, quin homo iuſtus mereatur primam gratiam. Si enim Deus prædeſtinet alicui iuſto efficacem vocationem, ſeu gratiam, præuidebit illius infallibiliter ſequuturum actum, v. c. contritionis, ſeu charitatis perfectæ. Poterit ergo ex illa præuiſione infallibili dare efficacem ipſam vocationem, & gratiam præuenientem in compenſationem, & mercedem actus meritorij ab ipſa pendentis gratia, hoc eſt, contritionis, ſeu charitatis. Atque adeò talis homo iuſtus nihil tunc (ratione exequutionis, & actualis exhibitionis) habebit gratis, ſed totum ex merito; ſicque gratia non erit gratia, ſed merces. Reſpondeo. De fide eſt, Deum non ita ſe gerere, vt primam gratiam det homini ex eius merito, & vt mercedem. Quod autem poſſet (vt poſſe docet Coningx) alium inſtituere ordinem, & in illo aliter ſe gerere, quàm ſe iam in inſtituto ordine gerat in concedenda gratia; id non mutat quicquam in ordine & lege, quam ſemel inſtituit, vt conſentaneum naturæ tam gratiæ, quàm mercedis. Natura enim gratiæ eſt, vt gratis, & antecedenter ad merita detur: natura verò mercedis eſt, vt præſupponat, & ſequatur in actuali exhibitione meritum. Conſtatque ex ſcriptura, Deum ita ſe gerere.

3. Obiici poteſt tertiò, contradictionem quandam in noſtra concluſione inuolui. Opinio enim noſtra eſt, quod poſtquam abſolutè, & efficaciter Deus prædeſtinauit incarnationem, hoc eſt, poſtquam decreuit abſolutè ſe ad illius exequutionem, exhibitionemque actualem proceſſurum; ipſe poſſit moueri per infallibilem præuiſionem futurorum Chriſti meritorum, vt ex eorum intuitu, nec niſi dependenter ab ipſis, nouum decretum habeat procedendi ad ipſius incarnationis exequutionem. Hîc, inquam, apparet contradictio. Nam in eo, quod Deus primùm prædeſtinauit incarnationem, decreuitque ſe illam exequuturum, continetur neceſſariò intentio exequutionis, ſiue decretum exequutiuum: ita vt non ſit iam locus, vt Chriſtus talem intentionem, ſeu decretum exequutionis, & actualem incarnationis exhibitionem mereatur. Reſpondeo; verum quidem eſt incarnationis prædeſtinationem, ſeu decretum de illa efficax inuoluere intentionem exequendi ipſam incarnationem in tempore, & obligare Deum ad nouum habendum decretum, quo ſe deinde applicet actualiter ad exhibendam reipſa incarnationis exiſtentiam. Verumtamen illa prædeſtinatio, ſeu decretum primum non præſcribit ipſi Deo motiuum ſequuturi poſteà decreti, quo ſe applicet ad exhibitionem, productionemque incarnationis actualem. Ex quocumque enim motiuo id faciat, ſatisfacit primò illi decreto. Ex multis ergo motiuis poſſibilibus dico potuiſſe Deum eligere, ſi voluiſſet, motiuum quod ex præuiſis meritis Chriſti ſumatur.

4. Obiici poteſt quartò. Si vera eſſet præcedentis capitis tertia concluſio, quòd Chriſto potuerit exiſtentia, ſiue vnio hypoſtatica concedi ex præuiſis ipſius meritis; ſequeretur nos non debuiſſe negare in ſecunda eiuſdem capitis concluſione, quin de facto incarnatio exhibita fuerit ex meritis ipſius Chriſti, tanquam ipſorum merces. Eſt enim perfectius, & Chriſto honorificentius, quòd exiſtentiam & vnionem hypoſtaticam habuerit ſuis meritis, & non per puram

Digitized by Google

puram gratiam; ſi ſemel ſupponatur id eſſe poſſibile. Vrgetque vlteriùs Delugo, nos non poſſe ad illud reſpondere, aliud eſſe loqui de facto, aliud de poſſibili. Noſtram autem hanc tertiam concluſionem procedere reſpectu diuinæ potentiæ abſolutæ; concluſionem verò ſecundam loquutam fuiſſe de eo quod actu factum eſt: quia ex natura rei meritum debet prius eſſe præmio. Inquirit enim contra hoc prædictus Author quanam prioritate meritum debeat eſſe prius, exequutioniſne, an ſolùm præuiſionis? Non exequutionis, vt patet in gratia SS. Patriarcharum data ex Chriſti meritis nondum exequutioni mandatis. Ergo ſufficit vt ſit præuiſionis prioritas. Atqui hæc præuiſionis ſufficiens prioritas non defuit ſecundum noſtram ſententiam Chriſti meritis, vt mouere Deum poſſent ad producendam incarnationem. Mouerunt ergo ipſum de facto, & fuere cauſa incarnationis. Reſpondeo. Qui aliquid aſſerit fuiſſe poſſibile per abſolutam & extraordinariam Dei potentiam, non illicò tenetur aſſerere oportuiſſe, vt reipſa contingeret. In præſenti autem quæſtione certum eſt, longè conuenientius eſſe vniuerſim, vt mercedem merit um antecedat, non tantùm ſecundùm præuiſionem, ſed ſecundùm exiſtentiam actualem. Ita vt non ſolùm præuiſio meriti præſupponatur, ſed vt ipſa etiam eius exiſtentia & exhibitio actualis nullo modo mercedem tempore ſubſequatur; atque ſi tempore non antecedat, ſaltem ſit in eodem inſtanti temporis priùs naturâ. Quare cùm nulla neceſſitas Deum in myſterio incarnationis coëgerit, vt ordinem illum rebus connaturalem inuerteret, non debemus præſumere illum id feciſſe. In gratiarum quidem conceſſione ſanctis Patriarchis facta, id poſtulauit neceſſitas; cùm & hos dum viuerent, ſanctificari oporteret, & non poſſent niſi ex meritis Chriſti, quæ tunc nondum exiſtebant. At vnionem hypoſtaticam concedi ex meritis Chriſti nondum tempore exiſtentibus nulla cogebat neceſſitas, & aliunde difficultas augebatur ex identitate perſonæ merentis, & exiſtentiam accipientis in præmium.

5. Quod verò dicebatur in obiectione, futurum fuiſſe Chriſto honorificentius, ſi ex meritis exiſtentiam accepiſſet, negatur. Apparet ſiquidem magis eius excellentia ex eo quod intuitu ſolius entitatis ſuæ obiectiuæ tam fuerit amatus à Deo, vt non expectato vllo eius, vt ita loquar, labore, ſiue opere tanquam pretio, exiſtentia illi gratis vt decreta, ſic & de facto exhibita fuerit. Imò quandam ſonaret in Chriſto deiectionem, ſi Deus noluiſſet illi dare vnionem hypoſtaticam, niſi velut ſub conditione quod illam emeret operando. Neque obſtant quædam ſcripturæ loca, quæ videntur aſſerere datam Chriſto fuiſſe Diuinitatem per vnionem hypoſtaticam, intuitu meritorum ipſius, vt cùm dicitur *Pſalm.* 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus tuus* (per vnionem hypoſtaticam, vt interpretatur Auguſtinus & Beda, aliique nonnulli) *oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.* Vbi particula *Propterea*, meritum videtur ſonare. Sic & *Apocal.* 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere* (per vnionem hypoſtaticam) *diuinitatem.* Hæc, inquam, ſcripturæ loca nihil nobis obſtant, cùm à multis non de vnione ipſa hypoſtatica, ſed de Chriſti exaltatione & gloria explicentur: & particula illa *Propterea*, non ad cauſam meritoriam, ſed finalem referatur.

6. Obiici poteſt quintò, ſi Chriſtus mereri potuiſſet exequutionem incarnationis, ſequeretur eum mereri potuiſſe in tempore ſequenti, vt id fieret, cuius exequutio tempore præcedenti facta ſupponebatur. Id autem admitti non debet. Non enim minùs abſurdum eſt, quod Chriſtus in tempore B, mereatur vt factum aliquid ſit in tempore A, (v. g. vt facta fuerit vnio hypoſtatica) quàm quod petat rem eam factam fuiſſe, quæ iam facta eſſe certò ſupponitur. Exempli cauſa, quod paſſionis tempore Patri offerat talem petitionem, velut ſuæ pridem productæ exiſtentiæ cauſam: *Oro te Pater, vt ante triginta quatuor hinc annos me creaueris, & vnionem hypoſtaticam conceſſeris.* Aut quod petens & cauſans præteritam incarnationis accelerationem, ſic Patri dicat: *Peto Pater, vt me creaueris ante triginta quatuor hinc annos ſub Auguſto, & non expectaueris tempus Neronis, aut Traiani.* Quem orandi modum quis Chriſto dignum eſſe putet? Idem enim eſt ac ſi quis ita oraret: *Obſecro Domine, vt heri occideris Turcam, quem fuiſſe conſtat occiſum heri.*

7. Reſpondeo: duplex hîc implicata apparet difficultas. De priore quidem, quæ intricatior eſt circa mutuam cauſalitatem, & eiuſdem ad ſeipſum prioritatem, nihil dicendum reſtat ampliùs, cùm ſatis explicata, ſolutaque fuerit ſupra in prima obiectione, *num.* 1. vbi oſtendimus, idem conſideratum in ſtatu prædeſtinationis & præuiſionis poſſe eſſe cauſam meritoriam, ſiue mediatè, ſiue immediatè ſui ipſius provt conſiderati in exequutione. Monuimuſque illam difficultatem omnibus vorandam eſſe; cùm certum ſit conſenſum Beatiſſimæ Virginis v. g. dicentis, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, & ſummam eius ſanctitatem, fuiſſe cauſam productionis Chriſti, atque adeò mediatè omnium operum ipſius Chriſti iam producti; & tamen illum conſenſum vtpote ſupernaturalem, & ſanctitatē Virginis oportuit neceſſariò fundari in ipſis Chriſti meritis, vt præuiſis in ſua futura exiſtentia. Atque idem ferè dicendum eſt de ſanctitate Patriarcharum, & petitione ſupernaturali eorundem, cùm incarnationem petierunt, & eius ſaltem accelerationem obtinuerunt. Et qui hoc euitare conantur, non poſſunt, niſi per effugia, per quæ incidunt in difficultates maiores, quàm ſint eæ, quas declinare ſtudent. Vt cùm aliqui apud Ariagam *diſp.* 17. *num.* 19. dixerunt Chriſtum, quando orauit pro Abrahamo, pro B. Virgine, aliiſque Patribus determinatè, non ſciuiſſe in eo priori in quo orabat, an illi, ex quibus ſcilicet natus erat, eſſent antiquiores tempore ſe, necne. Aut cùm ipſemet Ariaga *num.* 24. & alibi ait, mereri potuiſſe Chriſtum ſuæ Matris, & progenitorum exiſtentiam, etiamſi hi fuerint vera cauſa eiuſdem Chriſti vt exiſtentis in vtero materno: quia ſcilicet non eſt illis, inquit, promeritus quicquam quatenus exiſtens pro eo tempore in vtero, & quatenus dependens ab illis; ſed vt exiſtens in tempore paſſionis per actionem à ſolo Deo productam; perinde ac ſi Chriſtus non fuiſſet natus ex Virgine, ſed eo modo productus quo Adamus in ætate perfecta. Quæ Auctoris huius merè voluntaria diuinatio & fictio, ad hoc ſolùm excogitata, vt poſſet ex propoſita difficultate euadere, nullo modo videtur admittenda. Palam enim eſt Chriſtum exiſtentem in tempore paſſionis præſuppoſuiſſe ſuam ex matre natiuitatem.

8. Altera difficultas, propria iſtius quintæ obiectionis, eſt merè circa tranſpoſitionem, vt ita dicam, temporis, quòd merita, ſeu petitiones Chriſti extiterint in tempore B, & præmium talium meritorum, ſeu conceſſiones petitionum ſupponantur in tempore A, præextitiſſe. Ad quam difficultatem dicendum putat idem Ariaga *num.* 20. aliter iudicandum eſſe de precibus, quæ offeruntur Deo, ac de iis quæ offeruntur hominibus. Non enim homines, à quibus aliquid petimus, præuiderunt futura; nec circa ea voluntatem ſuam determinarunt. Quare cùm eos oramus, petimus, vt iam primò concipiant voluntatem id nobis

dandi quod optamus ; & non poſſumus petere,vt eam inceperint habere voluntatem heſterna die. At in Deo conſiderare debemus eſſe neceſſariò præſcientiam , & conceptam , determinatamque voluntatem ab æterno circa res omnes. Quare quoties aliquid à Deo petimus, non ita rem petimus futuram , quin petamus extitiſſe præteritam eius, æternamque tum præſcientiam, tum voluntatem circa id quod futurum petimus. Atque ita idem eſt, cùm Deum oramus, ac ſi diceremus; *Rogo te vt habueris & præuiſionem , & voluntatem eius rei , quam velim vt facias.* Si autem id concedimus, ait ſupradictus Author , vt omninò concedere debemus , eodem iure debet dici , quod bene peti poſſit à Deo , vt habuerit ab æterno voluntatem dandi Adamo locum pœnitentiæ , & verò vt reipſa dederit : vt enim Chriſtus ſimilè queat facere petitionem, ſufficit, quod ipſe non ſciuerit, an res quæ petitur fuerit data, necne. Nam ſi hoc ſciuiſſet pro orationis priori , iam planè inutiliter petiiſſet,vt daretur. Hæc ille, qui addit nullum eſſe , nec leue incommodum in hac petitione, quà Chriſtus ita cum Deo ratiocinetur ; *Domine ſcio, quod ego hodierna mea libera volitione efficiam , vt ab æterno huius volitionis habueris præuiſionem ; item vt ea tibi placuerit , perinde ac ſi ea fuiſſet ante æternitatem. Hoc ergo ſuppoſito, rogo te, vt ſicut hac efficit, vt ipſius habueris ſcientiam , ita efficiat etiam vt habueris voluntatem dandi , imò vt iam dederis Adamo gratiam, & Mariæ priùs tempore, quàm mihi exiſtentiam.*

9. In hac Ariagæ doctrina non quidem apparet difficile , quod per orationem Deo factam à Chriſto v. c. pro Adamo , aliiſve patribus , aut pro B. Virgine efficiatur , vt Deus ab æterno alicuius beneficij conferendi præuiſionem & volitionem habuerit, quæ per talem orationem cauſetur. Illa enim oratio præcedit naturæ ordine , atque ita cauſare poteſt præſcientiam & volitionem quam Deus habuit ab æterno ; & hanc reſpicere poteſt vt a ſe dependentem. At verò perdifficile eſt , quod prædicta oratio ſic offeratur Deo , vt reduplicatiuè ſupponat non modò præſcientiam, volitionemque diuinam , ſed eam ſimul actualem beneficij factam anteà conceſſionem : hoc eſt, quod per eam poſcatur , & obtineatur , vt Ariaga videtur velle, præuiſio & volitio, collatioque beneficij , provt facta olim. Quaſi nempe Chriſtus petat , vt Deus iam habuerit voluntatem dandi , & actu iam dederit gratiam quam pridem Adamo,&c. dedit. Quomodo idem Author ait *num.* 22. poſſe paulò ante puerperium matrem aliquam , aut alium quemlibet petere à Deo , vt det maſculam prolem : non vtique orando , vt ſi iam proles eſt fœmina , conuertatur in maſculam ; ſed orando , vt fuerit initio concepta proles maſcula : ita vt fiat petitio pro præterito tempore. Id inquam eo modo explicatum difficultatem habet. Nec admittendum eſt , vt oratio Chriſti petat in tempore B , rem fieri, quam expreſsè ſupponat eſſe iam in tempore A, exequutioni mandatam ; ſiue vt petat in terminis exequutionem talis rei pridem extitiſſe. Omnis enim petitio quæ offertur Deo, vt eſt prior naturâ, quàm præſcientia & volitio Dei æterna ; ſic non poteſt hanc petere vt anteriorem & præexiſtentem , ſed quaſi conſtituenda eſt in ſummo apice æternitatis.

10. Itaque ad præſentis difficultatis ſolutionem dicendum expeditiùs videtur, Chriſtum , quando fuit meritoria cauſa gratiarum , quæ eius intuitu collatæ ſunt in tempore ipſum præcedente, nequaquam propriè obtuliſſe Deo precationem , vt eæ collatæ iam fuiſſent : ſed cùm in tota ſua vita ſeu patiebatur , ſeu operabatur, paſſiones , operationeſque eius fuiſſe tam infiniti valoris per ſeipſas , & ex propria ſua ratione, vt nullum præmium excogitabile , poſſibileque eſſet tam magnum , quod non promererentur : ita vt poſſent obiectiuè mouere Deum ad quamlibet , quibuſlibet , & quocunque ipſe Deus vellet modo gratiam conferendam. Quare potuit Deus ex intuitu & præuiſione tam excellentium operationum Adamo , aliiſque omnibus antiquis Sanctis gratias concedere. Quemadmodum videmus poſſe aliquem per egregia facinora mereri compenſationem & præmium, quamuis nullam eius petitionem faciat. Poteſt ſiquidem Imperator intuens militem heroicè pugnantem illi non petenti concedere in præmium v. c. præfecturam. Atque ſi talis Imperator certò per aliquam reuelationem præuidiſſet heroïcum militis facinus futurum, potuiſſet illi, vt aliàs diximus , dare per anticipatam ſolutionem ipſa etiam arma (licèt non petenti) quibus pugnaret , mereretur que. Ergo potuit Deus in gratiam Chriſti , cuius opera præuidebat, conferre illius progenitoribus beneficia , vt ſic ipſi extituro , & in mundum venturo viam pararet.

11. Aduerte porrò , eum qui à Deo petit quippiam fieri, non petere vt Deus ab æterno præuiderit, & exaudierit ſuam petitionem ; ſed tantùm vt exaudiens faciat rem quæ petitur. Si autem inde eueniat, vt Deus ab æterno petitionem illam audierit , hoc per ſe reſultat ex neceſſitate diuinæ æternitatis & perfectionis ; non autem eo quòd is qui orat , id petat, aut cogitare debeat : quaſi nempe idem ſit, ac ſi diceret, *Peto vt ab æterno me audieris , & voluntatem habueris hoc faciendi.*

CAPVT X.

Cauſam Incarnationis finalem fuiſſe redemptionem hominum, & extinctionem peccati.

VT bene omnia , quæ ad cauſam incarnationis finalem pertinent , intelligantur, aduertendum eſt , nullum actum liberum, ſiue à Deo , ſiue à creaturis elici poſſe ſine aliquo motiuo ſeu cauſa finali, quæ voluntatem alliciendo & mouendo, in effectum morali cauſalitate influat. Accidit autem non raro, vt vnius actionis non vnum ſe motiuum offerat, ſed multiplex. Nam in aliqua re tot ſunt motiua , quot per ſe amabilitates. In qua motiuorum multiplicitate poteſt libertas vnum, quo ſufficienter moueatur , eligere, aliis relictis. Poteſt item non vno eſſe contenta , ſed plura intendere, quorum quodlibet ſit totale motiuum , hoc eſt , ſufficientem habeat per ſe ſeorſim ſumptum cauſalitatem finalem. Cùm enim plures conſiderationes , quæ per ſe ſingulæ ſufficiant ad mouendum voluntatem, reperiantur in aliquo negotio , & omnes repræſententur intellectui ; non videtur eſſe vlla repugnantia , quo minùs ab omnibus illis apprehenſis & applicatis voluntas trahatur. Vnum enim motiuum non excludit, nec impedit aliud. Ita poſſum ire Romam & curioſitatis cauſâ , & ſimul propter negotium ; ſic vt alterutro motiuo deficiente , ſufficeret alterum. Porrò cùm ita voluntas ſiue diuina , ſiue creata pluribus finibus totalibus mouetur , concipitur habere plures actus virtualiter diſtinctos , ſiue vnam intentionem , quæ plures virtualiter in ſe contineat.

2. Hæ verò plures intentiones virtuales in vna formali contentæ variis modis poſſunt inter ſeipſas comparari. Nam primò ita ſe habere poſſunt , vt vna non præcedat aliam naturâ; ſed omnes ſimul,& eodem

in

in ſigno rationis determinent voluntatem, vtpotè inuicem independentes. Vel ſecundò poteſt vna intentio præcedere aliam ordine naturæ, ita vt poſt eam alia concipiatur adiungi. Hic autem ordo prioris & poſterioris non fundatur in prioritate & dependentia obiectorum: nam obiecta quæ habent inter ſe dependentiam, poſſent ſine vlla inter ſe dependentia amari: imò id obiectum, à quo aliud in exiſtere pendet, poteſt ab hoc pendere in amari; vt ſi amem aliquam cauſam propter ſuum effectum: ſed fundatur in ea virtuali dependentia, quæ eſt inter ipſas intentiones, & reperitur inter actus etiam diuinos (quicquid in contrarium dicant quidam Nominales) ita vt illud priùs intendi à Deo, & cognoſci intelligatur, cuius intentio, ſeu cognitio eſt quodammodo cauſa alterius intentionis, ſeu cognitionis. Eo modo, quo clarum eſt, intellectionem, & cognitionem, quam Deus habet de peccato Iudæ, non tantùm eſſe virtualiter diſtinctam à volitione, quâ Iudam æternis deſtinat flammis, ſed etiam eiuſdem eſſe cauſam virtualem, ac verè priorem non re, ſed ratione. Poſſunt item intentiones diuinæ ſic comparari inter ſe, vt vna intentio feratur ad motiuum aliquod nobilius, ſeu principalius; alia verò ad minus nobile, ac minùs principale.

3. Prætereà conſiderandum eſt, quod poſtquam voluntas ſiue ex vno, ſiue ex pluribus motiuis totalibus rem aliquam quoad ſubſtantiam determinauit, poteſt ex nouo motiuo occurrente modum, & circumſtantiam illius ipſius rei de nouo determinare. Qualis modus & circumſtantia in incarnatione eſt ſtatus mortalitatis, & paſſibilitatis Chriſti. Non repugnat enim intelligere, quòd poſtquam Deus determinauit incarnationem & Chriſtum quoad ſubſtantiam, deinde ſtatuerit illum fore paſſibilem, ex occaſione rationis alicuius poſterioris, putà peccati Adami. His ſuppoſitis inueſtigandum eſt, quidnam Deus in hoc myſterio intenderit, num redemptionem humanæ naturæ lapſæ; & an prætereà quædam alia potuerit habere, vel etiam habuerit totalia motiua, quoue ordine. Et quidem quod attinet ad redemptionem, expediemus præſenti capite: cætera, quia longam habent diſputationem, reiiciemus in librum ſequentem.

4. Concluſio. Deus incarnationem decreuit propter redemptionem hominum, extinctionemque peccati. Eſt de fide, Chriſtianæque Religionis fundamentum, contra Pelagianos, qui peccatum originale cùm non agnoſcerent, & ad liberationem à peccatis vires naturales ſufficere putarent, aſſeruerunt, Chriſtum non ad redimendum, ſed ad ſuo docendum homines exemplo veniſſe; vt habet Auguſtinus *lib. 2. de gratia Chriſti, & peccato orig. cap. 16.* Sed adeò plana eſt in ſcripturis paſſim hæc veritas, vt hanc nullus qui illas recipiat, negare poſſit. Teſtatur enim Chriſtus *Luc. 19.* veniſſe ſe *quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Similia ſunt ex vtroque Teſtamento loca plurima, quæ ab iis congeruntur Theologis, qui nullum alium incarnationis finem, quàm ſolam incarnationem agnoſcunt, vt videbimus infra in ſequenti libro.

5. Cùm autem ſint duo peccatorum genera à quibus nos redimi per Chriſtum oportuit, originale, & perſonale, quærunt hoc loco Doctores cum D. Thom. vtrius extinctionem principaliùs in incarnatione Deus intenderit? Ad quod communis eſt reſponſio ſancti Doctoris, quòd quemadmodum, ſi conſideretur grauitas peccati extenſiua, principaliùs intenta fuit extinctio peccati originalis, vtputà ſe extendentis ad omnia naturæ humanæ indiuidua (nec quidem Adamo & Eua exceptis, cùm in iis illud quod in nobis originale eſt, fuerit repertum ſub ratione perſonalis) ita ſi attendatur prauitas intenſiua, principaliùs intenta fuit extinctio peccati perſonalis. Intenſior enim eſt huius malitia, cùm habeat plus voluntarij. Omnibus verò perpenſis conſiderabiliorem in peccato cenſet Angelicus Doctor extenſionem peccati originalis, quàm intenſionem peccati perſonalis. Illa enim ad totam naturam attinet per ſe, & aliunde coniuncta eſt cum malitia moraliter intenſa; at peccato perſonali per accidens eſt, quòd latiſſimè pertineat. Quare omnibus perpenſis concludit, fuiſſe principaliùs decretam incarnationem propter peccatum originale. Bonum enim publicum & vniuerſale debet principaliùs intendi, quàm priuatum & perſonale. Fatetur nihilominus idem ſanctus Doctor, intentionem deſtruendi peccatum perſonale, dicendam etiam verè principalem: alioquin vi principalis intentionis Deus non intendiſſet nos redimere: quandoquidem perſonale peccatum non minùs nos damnationi ſubiicit, quàm originale; & ſiue per ſe, ſiue per accidens (quid enim intereſt) maximam hominum partem mortaliter inficit. Imò pernicioſior in eo eſt, quòd pœnam acerbiorem inferat, atque adeò miſeriorem reddat naturam humanam. Forte non abs re erit nos ita hìc philoſophari de peccato originali & perſonali, vt cùm illud ſit huius radix, & ambo connexionem tantam habeant, non vnum ab altero ſeparemus, ſed ex vtroque vnum quaſi indiuiſibilem finem conſtituamus; quem Deus per adæquatam vtriuſque præuiſionem ſibi in incarnatione propoſuerit. Si tamen vnum ſeorſim ab altero conſiderare libeat, ſtandum puto ſententiæ D. Thomæ, licèt dicendum multis videatur, Chriſtum omnibus perpenſis, veniſſe æquè principaliter propter perſonale, atque propter originale.

6. Ex his colligere potes reſponſum ad illam vlteriorem quæſtionem, quæ hìc proponitur à Suare & aliis: vtrum ſi originale peccatum non extitiſſet, ſed ſolùm perſonale, Chriſtus venturus fuiſſet vt Redemptor. Eſt enim aſſerendum, poſito quòd mortale eandem ferè habuiſſet extenſionem in humano genere, quam de facto habuit, venturum fuiſſe Chriſtum: & quidem vi eius diuini decreti partialiter ſumpti, quod reapſe extitit. Ratio eſt, quia quamuis peccatum originale abeſſet, ſufficiens tamen foret, ac ferè eadem quam iam experimur in hominibus, miſeria, ex cumulo peccatorum mortalium totam ferè naturam inficientium. Quare cùm Deus in illo decreto, quod habuit de mittendo Filio vt paſſibili, intenderit deſtructionem peccatorum perſonalium, vt finem etiam principalem, quemadmodum fatetur D. Thom. ſuprà relatus; mihi dubium non eſt, quin hic finis principalis (eſto concedatur alius fuiſſe principalior) verè fuerit ſecundùm ſe totalis. Sed & addo prætereà, quod quamuis non fuiſſet niſi vnum, aut alterum peccatum mortale, aut ſola venialia, Chriſtus, poſito quòd in priori ante conſiderationem peccati fuiſſet propter alios fines prædeſtinatus, Patri pro omnibus peccatoribus in rigore iuſtitiæ per ſua, citra mortem, paſſionemve, merita ſatisfacere voluiſſet; leuiorem aliquam actionem, quæ ob dignitatem perſonæ fuiſſet infinita, offerendo.

8. Obiicies. Chriſtus non potuit decerni ex præuiſione omnium peccatorum; ſunt enim multa, quæ præſupponunt exiſtentem Chriſtum, vt originalia peccata eorum, qui per merita Chriſti ex parentibus nati ſunt ſterilibus: & illa actualia, quæ commiſſa ſunt

ſunt contra ipſum Chriſtum; vt Iudæorum blaſphemiæ, & carnificum in eum crudelitas, hæreſes item Neſtorianorum, Euthychianorum, &c. Reſpondeo primò, quamuis ea peccata quæ Chriſtum ſupponunt, non fuerint in priori rationis ſigno cauſa cur incarnatio decerneretur; tamen in poſteriori parte decreti, per quandam eius extenſionem potuerunt eſſe cauſa mittendi Chriſtum. Reſpondeo ſecundò, Deum in omni priori habuiſſe ſcientiam mediam de illis peccatis, vt futuris, ſi Chriſtus decerneretur. Potuit ergo ex ea cognitione ipſum ad ea delenda deſtinare, vt gratias efficaces mittit prædeſtinatis, eas præuidens, ſi dentur, ſortituras effectum. Suarez *diſp.5.ſect.6.* & Vaſquez *diſp.13.cap.2.* aſſerunt Chriſtum vt Redemptorem, ſi ſola extitiſſent peccata perſonalia, venturum quidem fuiſſe, at non vi eius decreti, quod re fuit. Sed contra. Nam conſiderandum eſt in intentione actuali illius decreti fuiſſe incluſam miſerationem Dei efficaciter & abſolutè compatientis miſeriis hominum. Dico autem eſſe per accidens illi efficaci miſerationi diuinæ, quòd miſeriæ ortæ ſint potiùs ex peccato originali, quàm ex perſonali. Et exiſtente ſemel tam ſincero Dei erga homines amore, non eſſe conſentaneum, vt in ipſo Deo voluntatem fuiſſe negemus, quà paratus eſſet nos eripere à peccatorum perſonalium miſeria, ſi ea peccata eſſe ſola contingeret: horum enim miſeria ſumma eſt, quam is ardentiſſimus Dei erga nos amor, qui actu fuit, non poterat contemnere. Qualis enim ille foret meus in te amor, qui te naufragio pereuntem vellet liberare, non vellet autem pereuntem incendio?

9. Prædicti Authores ad ſuæ probationem ſententiæ aſſerunt, Chriſtum fuiſſe in priori prædeſtinatum Redemptorem pro peccato originali, quàm pro perſonali. Quia, inquiunt, anteà fuit præuiſum peccatum originale, quam perſonale; cùm iſtud ab illo, vt à priori, & vt à cauſa, pendeat. Verùm contra. Nam primò quidem ea ratio non admittenda videtur: quamuis enim demus exiſtentiam peccati perſonalis pendere ab originalis exiſtentia, atque adeò eſſe hac poſterior (quod tamen non eſt verum vniuerſim de omni perſonali, multa enim, & vt aliquorum eſt opinio, non multò quàm iam pauciora, extitiſſent perſonalia, licet Adamus non peccaſſet) nihilominus non inde ſequitur, quod omnis præuiſio & prædeſtinatio, quæ circa perſonale verſatur, pendeat à præuiſione & prædeſtinatione verſante circa originale, & ſit hac poſterior. Nam, vt omittam Deum habuiſſe peccatorum omnium perſonalium ſcientiam conditionatam; peccatum perſonale futurum poteſt omne præuideri per ſcientiam viſionis, non tantùm mediatè, ſeu in peccato originali tanquam in ſua cauſa, ſed etiam immediatè in ſeipſo, & independenter à præuiſione ipſius peccati originalis. Quare licèt ſit ordo prioris & poſterioris inter illa duo peccati genera; non tamen neceſſariò inter eorum præuiſiones, nec inter prædeſtinationes, quæ circa illa fiunt. Neque enim dependentia & ordo, qui eſt inter obiecta, debet eſſe inter actus ad ea tendentes. Quemadmodum ſi videam patibulum & latronem ex eo pendentem, non eſt opus viſionem, qua cerno latronem, pendere à viſione qua cerno patibulum. Item ſi intuear ſimul duos homines, quorum vnus præcedat & prior ſit inter ambulandum, alter verò ſequatur, aut quorum vnus ſit Pater, & alter filius; non opus eſt vt viſio, quâ vnum cerno ſit prior; & viſio, qua alterum, poſterior.

10. Secundò. Quamuis verum eſſet præuiſionem peccati originalis, & prædeſtinationem redemptionis ab illo, eſſe priorem naturâ, quàm præuiſionem peccati perſonalis: tamen inde nihil concluderent prædicti Authores pro ſua ſententia. Poteſt enim accidere, vt Deus vnico decreto decernat aliquid ex duobus motiuis totalibus, quorum vnum ſuperaddi alteri in poſteriori naturæ intelligatur. In quo caſu dicendum eſt, quod ſi prius motiuum deficiat, manente ſecundo, effectus perinde ſequetur vi decreti illius diuini, cuius adæquatè ſumpti pars poſterior remanens & ſuperſtes ad ponendum effectum ſufficit. Poſtquàm vidimus incarnationis indubitatum finem fuiſſe redemptionem generis humani, & liberationem à peccato, quà originali, quà perſonali; ſupereſt vt iam inueſtigare debeamus, quod toto ſequenti libro fiet, num alij fuerint etiam fines independentes à præuiſione omnis peccati, & per ſe totales ac ſufficientes, vt Chriſtus vi eorum decerneretur venturus, Adamo non peccante.

CAPVT XI.

Moralis circa incarnationis cauſas conſideratio.

1. Vere tuum eſt, ô Deus, nec vllius alterius, efficientis cauſæ eſſe potuit opus incarnatio; cùm in eam ipſe, & ſolus incubueris, & totus. Omnes enim tres Numinis tui perſonæ ita Filium, qui medius ipſarum eſt, humanitati noſtræ copularunt, vt nulla ſe in hoc negotium interponere creatura potuerit. Per vnionis hypoſtaticæ productionem, & Pater Filium miſit factum ex muliere, *Galat.4.* & Filius ſemen Abrahæ apprehendit, *Hebr.2.* & quod ex Virgine natum eſt, ex Spiritu ſancto eſt, *Matth.1.* Atque ita in huius effectione myſterij, tota, quæ illud operatur, eſt agnoſcenda, adorandaque Trinitas. Vbi id cum Patre & Spiritu ſancto communiter operatur Filius, quod ipſe propriè patitur, ac in ſe recipit ſolus: & humanitati per hypoſtaticam vnitionem, quæ non à ſe ſolo, ſed ad ſe ſolùm fit, implicatur. Neque verò putandum eſt vel ipſam Beatiſſimam Virginem ſic miniſterium ſuum exhibere potuiſſe, vt ſe huic vnioni mirabili producendæ immiſceret. Sanè, quandoquidem hoc fuit primum, & ante omnia intentum à Deo opus, non potuit Deus non ſibi reſeruare ſoli has omnipotentiæ ſuæ primitias. Quare non alij quam ipſi debemus, huius exiſtentiam, beneficiumque myſterij.

2. Sed neque decuit, aut neceſſe incarnando Verbo fuit creatam aliquam intercipi, ſiue phyſicam, ſiue moralem diſpoſitionem, quæ naturam humanam priùs imbueret, ad tantique Sacramenti faſtigium euehendam præpararet. Nullo Verbum diuinum intermedio qualitatum velut temperamento, nullo indiguit creaturæ alicuius, tanquam admiſſionali officio, vt in eam humanitatem introduceretur, quam voluit nudam, inornatamque immediatè complecti, & pro ſumma poteſtate arbitratu ſuo poſſidere, diuino eam ſatis decoraturus amplexu. Adeò ſcilicet illud opus ex omni creaturarum perfectione eminet, ac ſublimiſſimum eſt diuinæ omnipotentiæ monumentum!

3. Quamquam porrò moueri potuerit Dei benignitas Sanctorum precibus, longa multorum ſæculorum patientia incarnationem enixè petentium; &

& aliquam eorum, ac præſertim eius Virginis, quæ digniſſima & meritiſſima Dei Mater extitit, rationem habuerit: non tamen vllius creaturæ ſanctitas, meritumque tanti ad hanc rem eſſe potuit, vt condignum eſſet, parque tanto, quod orbi parabatur, beneficio. Ipſa etiam illa humanitas, quæ ad Diuinitatis amplexum, & ad ſortem tam excelſam vocabatur, non eſt cur ratione priùs, quàm Verbo vniretur, vllum actum elicuiſſe cenſeatur, qui vnionis hypoſtaticæ meritorius eſſet. Quòd ſi quem actum talis humanitas, vt poterat, elicuiſſe concederetur, non fuiſſet ille condignè meritorius. Quin & Chriſtus ipſe Dominus, licèt actibus infiniti pretij, quos præuidebat Deus poſt adeptam diuinam hypoſtaſin eliciendos, ſuam ſibi mereri abſolutè potuerit primam exiſtentiam; non tamen decuit, ſuis vt emptam meritis, acciperet. Sed in hoc toto negotio mera benignitas, gratuitaque liberalitas apparuit Dei, qui ſecundum ſuam miſericordiam communicare ſe miſabili eo modo voluit creaturis, & nominatim generis humani, ad extremam perniciem profligati ſeruire rationibus, ac ſaluti ſubuenire.

4. Vt autem celſiſſimas alias, atque mirabiles in mundum veniendi rationes finales Chriſtus habuerit; ea tamen præcipuam admirationem habet, quòd Pater Filium dilectionis ſuæ pro ſceleratiſſimis ſeruis, qui ab obſequio ſuo contumelioſiſſimè deſciuiſſent, tradiderit; vt is omnium reorum peccata in ſe recipiens, pro iis condignas pœnas redderet; ſicque pacificaret per ſanguinem Crucis ſuæ ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Fidelis ſermo, & omni vt apud homines acceptione, ſic & apud Angelos admiratione, ſtuporeque dignus. Veniſti Chriſte nos omnes ſaluos facere peccatores; & dilexiſti nos, cùm adhuc inimici eſſemus. Qui non noueras peccatum, pro nobis peccatum factus es, vt nos efficeremur in te iuſtitia Dei. Qui in ſplendoribus Sanctorum, & in ſinu Patris puriſſimum nactus eras naſcendi principium; voluiſti tamen poſt Adami lapſum humana carne veſtiri, & infinitæ tuæ puritati ex peccatorum noſtrorum ſordibus atque putredine naſcendi occaſionem, & originem inuenire. Num ideò fortè vermem te ipſe appellaſti *Pſal.* 21. ſiue (vt LXX. Interpretes vertunt) ſcarabæum? *Bonus ſcarabæus* (ait Sanctus Auguſtinus de te loquens apud Pierium *in Scarabæo*) *non ea tantùm de cauſa, quòd vnigenitus, quòd ipſemet ſui author mortalium ſpeciem induerit: ſed quòd in hac fæce noſtra ſeſe volutarit, & ex ipſa naſci homo voluerit.*

5. Hic verò quis non admiratione ſtupefactus hæreat, iudicia duo attendens, quæ Deus, rerum omnium æquiſſimus æſtimator, tam diſparia exercuit in prima Angelorum, hominumque non valdè diſpari cauſa? Angelos quidem in ipſo articulo, cùm primùm ab eius imperio defecerunt, oppreſſit, & ad æterna ſupplicia ſummo iure conſtituta detruſit, nec vllum aut gratiæ ſuæ, aut illorum pœnitentiæ locum reliquit. Nihil quidem immeritò, vel iniuriâ. Quid enim iuſtius, quàm vt in manifeſto facinore deprehenſi iuſtitiam vindicem, pœnas à ſe perſequentem illicò ſentirent? At non ea Deus cum hominibus egit iuris acerbitate. Quos nimirum ita dilexit, vt nullam rationem habens, nec dignitatis ſuæ, nec abiectæ eorum conditionis, ad eos de cœlo, velut abrogata ſibi quodammodo Diuinitate, deſcenderit, ſeque cum ipſorum mortali natura deuinxerit indiſſolubili hypoſtaſeos ſuæ nexu; neque (quod ſtultum eſt Dei) ſe vadem ad mortem pro iis dare, nimio velut amore inſaniens, dubitarit. *Ego in tantum dilexi* (loquentem ita Chriſtum inducit Hieron. *in cap.* 2. *Oſeæ*) *& tam demens paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis portarem, mea paſſione curarem, & qui amator ſum omnium hominum, traherem eos in vinculis charitatis.* Illud erat quod ipſe Chriſtus fatebatur Patri his verbis; *Pſalm.* 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam.* Cumque noſtras infirmitates ſuſcepiſſet, poterat altiore quàm Paulus 2. *Corinth. c.* 12. myſterio dicere: *Placeo mihi in infirmitatibus meis propter vos; infirmitate potens ſum, factus ſum inſipiens; vos me coëgiſtis.*

6. Atque illud beneficium quantum, & quale ſit, locus quidem hic eſt, vt fidelis, & pius lector, ſpatio ad ſe colligendum ſumpto, ſecum ipſe magis magiſque conſideret: & quàm exitialem oportuerit eſſe noſtram in peccando ſtultitiam expendat, quæ emendari Deo Iudice nequiuerit, niſi Verbum æternum ſanguine proprio, morteque teterrima ſatisfactionem, quæ pretij eſſet infiniti, Patri ſuo pro humanis offerret iniuriis: quarum nempe iniuriarum tanta grauitas eſt, vt ſi quis Adami peccatum in vnam libræ lancem imponat, & in alteram omnes eas, quas Deus poſſibiles nouit creaturarum ſatisfactiones, tantum propendere illam peccati lancem comperiet, vt iſti alteri (tanquam plumæ leuiſſimæ tota mundi moles) infinitis partibus præponderet. Sed prætereà nobis hic plurimùm & longè, longeque plurimum cogitandum eſt quanta fuerit illa Dei benignitas, vt cùm neceſſe videretur omnem Adami progeniem meritiſſimas pœnas damnatæ ſuæ ſtirpis originiſque ſuſtinere; nihilominus rei exitus contra ac ſperari potuerat, euenerit. De nobis redimendis tunc Deus optimus cogitauit, cùm pœnas inter alias mereremur, illam maximè, ne de redemptione noſtra cogitaretur.

7. Neque verò contentus fuit de humano genere ſimpliciter redimendo cogitare; talem enim illi Saluatorem ſuſcitauit, qui ipſum non modò infinitis, quæ iam ei conſtituta fuerant, ſuppliciis eximeret; ſed longè maioribus, quàm mala illa fuiſſent futura, beneficiis ornaret. Non enim ſicut delictum, ita & donum. Sicque cum Adami poſteris actum eſt, quaſi de illorum remuneranda virtute, perſoluendoque magnorum meritorum præmio ageretur. Ita vt facti quodammodo videantur ſua calamitate felices; maiorem bonorum copiam in medicamento nacti, quàm in ſanitate, integritateque naturæ ſperaturi fuiſſent. Neque Theologos inter defuit, qui Adamum aſſererent poſt peccatum euaſiſſe ſanctiorem, quàm futurus erat, ſi ſemper culpa vacauiſſet; multoſque nunc lapſos ab inferni faucibus eripi, qui nequaquam in priore innocentiæ fulgore, & in iis vanæ gloriæ blandimentis (quibus tum ipſius Adami, tum Angelorum ſopita virtus concidit) ſalutem ſuam expediuiſſent. Quòd quidem verum eſſe ſuadet humani generis arctiſſima colligatio cum Verbo diuino, quod vel nullum habuiſſet in mundum veniendi inuitamentum, vel certè mortem noſtra causâ non ſuſcepiſſet, ſi in has, quibus premebamur, miſerias non incidiſſemus. Quam in rem Sanctus Bernardus egregiè *in illud Apocalypſis cap.* 12. *Signum magnum. Vehementer*, inquit, *nobis vir vnus, & vna mulier nocuere. Sed gratia Deo, per vnum virum, & mulierem vnam omnia reſtaurantur, nec ſine fœnore gratiarum. Neque enim ſicut delictum, ita & donum: ſed excedit damni æſtimationem beneficij magnitudo. Sic enim prudentiſſimus, & clementiſſimus artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed vtiliùs omninò refecit: vt nobis nouum formaret Adam, & Euam transfunderet in Mariam.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

An Chriſtus fuiſſet, etiam Adamo non peccante, venturus?

CELEBRIS hæc eſt inter Theologos diſputatio, quam illuſtrium vtrinque Doctorum pari ferè librâ ſuſpendit authoritas: at non ita, quin multùm apud nos pars affirmatiua præponderet. Hanc igitur partem vt hoc libro firmemus, explicandum nobis eſt ante omnia, quo decreto, quibuſve motiuis Deum aſſeri poßit incarnationis futuritionem ſanxiſſe. Deinde verò, ſententiam noſtram de Chriſto ante peccati prauiſionem deſtinato, validis per aliquot capita ſtabiliemus argumentis. Ac demùm oppoſitam opinionem proponemus, & eas quibus nititur rationes, examinabimus.

CAPVT PRIMVM.

De natura, motiuiſque decreti, quo Deum aſſerimus incarnationis futuritionem ſanxiſse.

1. HÆc inſtituitur diſputatio non de poſſibili, ſed velut de facto. Nec enim quæritur quid Deus, Adamo non peccante, potuiſſet; ſed quid re vera facturus eſſet. Nulluſque dubitat, quin pro ſua libertate ex hoc, vel illo motiuo carnem tum aſſumere, tum non aſſumere, Adamo ſiue peccante, ſiue non peccante, potuerit. Negant tamen Vaſquez *diſp.*10.*c.*1. & Tannerus *diſp.*1. *q.*1. *dub.*5. fas eſſe diſputare, an ſi Adamo non peccante, Deus non habuiſſet hoc decretum quod re extitit, habiturus fuiſſet aliud ex diuerſo motiuo, quo eandem incarnationem voluiſſet. Putant enim non debere Theologum occupari in ſcrutandis liberis Dei decretis ſub conditione, quæ non exiſtit, futuris; cùm de illis nullam reuelationem habemus. Quomodo idem Vaſquez *diſp.* 130.*cap.*3. & Delugo *diſp.*3. *de Sacramentis*, *ſect.* 1. cenſuerunt ſimiliter temerarium, velle decernere; vtrum in ſtatu perſeuerantis innocentiæ, deſinentibus motiuis ex peccato ſũptis, Deus eſſet inſtituturus per aliquod nouum decretum Sacramenta. Nihilominus id nec inutile, nec ſibi illicitum æſtimarunt diſputantes de Incarnatione, Albertus, Ricardus, Maior, Gabriel: atque de illis, quæ Dei futurum aliquod in alia ſerie decretum inuoluant, debere ſæpè tractare Theologos, aſſerit Ariaga *diſp.*14. *ſect.* 1.*n.*4. Et ſanè in hac de incarnationis futuritione controuerſia tot & tam efficacia præter redemptionem inueniuntur motiua, vt iure cenſeri poſſit, Deum alio decreto (ſi præſens decretum non ſufficeret) Chriſti exiſtentiam deſtinaturum fuiſſe, quamuis homo non peccaſſet.

2. Verumtamen nobis mens non eſt hanc in prædicto, tamque laxo ſenſu, qui abſtrahat à præſenti Dei decreto, agitare quæſtionem; ſed nec agitauit Scotus, qui non aliud, quàm quod actu fuit, conſiderauit Dei decretum; voluitque vi illius incarnandum fuiſſe Verbum in priori, quàm vlla ſubeſſet eius ex Adamo peccante cauſa. Nos ergo contenti in eius, quod de facto fuit, decreti conſideratione hærere, quærimus; an vi eius, ſaltem inadæquatè ſumpti, Chriſtus fuiſſet venturus, Adamo ſtante; quemadmodum vi eiuſdem reipſa venit, Adamo lapſo. Circa illam quæſtionem duæ ſunt extremæ ſententiæ; quarum vna affirmat, negat altera. Eſt & inſuper alia velut media, quam Suarez excogitauit.

3. Vt in ſequentibus capitibus quid hac in re probabilius ſit, ſtatuamus, ſupponendum eſt, plurimos præter conſiderationem redemptionis aſſignari incarnationis fines; quos omnes ad duo capita reuocare commoditatis causâ poſſumus. Nempe primò ad intrinſecam rationem ipſius myſterij, quod per ſe manifeſtat gloriam Dei, atque eatenus ſecundùm ſe eſt amabile. Secundò ad rationem eiuſdem extrinſecam, per quam eſt amabile reſpectu alterius. Hæc autem extrinſeca ratio non eſt vna, ſed multiplex. Conſiderandum enim eſt, Chriſtum eſſe totius vniuerſi decus maximum: præthereà ipſum eſſe omnium creaturarum Principem ac Dominum: ſpecialiter verò eſſe hominum, & Angelorum caput morale, vt in eos de ſua plenitudine ſanctificationem infundat; eſſe ſummum eorum Ducem ac Paſtorem, Regem, Sacerdotem, & ad gratias merendas, obtinendaſque Mediatorem. Quæ rationes ab hominum tum peccato, tum redemptione abſtrahunt, vtpotè priores; & potuerunt Deo eſſe incarnationis decernendæ motiuum.

4. Priuſquam verò progrediamur vlteriùs, aduerto quòd illi, qui volunt Chriſtum, ſi Adamus in innocentia perſeueraſſet, non fuiſſe vi præſentis decreti venturum; debent dicere, nec fuiſſe venturum vi vllius alterius decreti, aut motiui. Cùm enim

enim alia motiua quæ abſtrahunt ab Adami peccato, ſint priora motiuo redemptionis, & Deo ſe ante peccati conſiderationem obtulerint, atque illa Deus velut prætergreſſus, vt iſti volunt, non curarit, nec ad incarnationem decernendam ſit motus, donec nouum poſteà occurrerit motiuum ex occaſione peccati; ſatis apparet, niſi nouum hoc motiuum occurriſſet, non futurum fuiſſe decretum propter alia priora & neglecta motiua. Inconſtans enim foret Deus, ſi ad ea ſemel omiſſa regrederetur amplectenda. Qui autem cenſent Chriſtum prædeſtinatum in priori fuiſſe, quàm Adami præuideretur peccatum, debent dicere, Deum quando peccatum deinde occurrit, non abieciſſe, quæ iam erat amplexus, motiua priora. Vnde fit vt decretum præſens, quo Chriſtus Adamo lapſo prædeſtinatus de facto eſt, tale iuxta eorum ſententiam extiterit, vt vi eius ſecundùm priorem ſui partem conſiderati ipſe Chriſtus ob ſuam excellentiam & alias rationes à peccato independentes fuiſſet omninò venturus, licet Adamus non peccaſſet.

5. Variè porrò ab his explicatur quomodo præſens Dei decretum ſe habeat reſpectu diuerſorum motiuorum, ob quæ de facto Chriſtum aſſerunt fuiſſe prædeſtinatum. Primò Petrus Hurtadus exiſtimat hoc decretum, quod fuit etiam ex præuiſione peccati, tale extitiſſe, vt conſequenter ad illud neceſſe fuiſſet, in caſu quo Adamus non peccaret, poni aliud diſtinctum, vi cuius Chriſtus omninò veniret. Quemadmodum ſi quis, inquit, velit ire Romam, & vi eius decreti eligat equum non ob aliud, quàm vt ſic impediat itineris moleſtiam; is ex efficacitate talis decreti acceptabit (per decretum aliud) neceſſariò currum, poſito quod ſe non offerat equus, ſed currus æquè commodus. Non placet tamen hic Author, dum ad hanc acceptationem currûs faciendam requiri vult nouum totaliter, formaliterque decretum. Nam ſi viator ille non intendebat antea equitationem quà talem, ſed tantùm commoditatem itineris, atque reperiat ſimilem commoditatem in curru, non magis mutabit formaliter, ac ſubſtantialiter decretum, accipiendo currum, quàm ſi pro equo ſuo albo, de quo cogitaſſet, acciperet rufum, aut nigrum. Ad eius enim decretum ſe habent materialiter currus, equus; quemadmodum albus, rufus. In præſenti verò materia dico quod ſimiliter Deus, ſi Adami peccatum non inueniſſet, nequaquam indiguiſſet nouo actu, quo acciperet nouum motiuum incarnationis; ſed tantùm non occurente motiuo redemptionis ſeruaſſet præcedentem ſuum actum inadæquatum, quatenus terminatum ad alia priora, & altiora motiua, quæ iam anteà habuiſſe ſupponitur.

6. Secundò. Tannerus *diſput.*1. *quæſt.*1. *n.*143. ſic rem hanc explicat, vt ſimul extiterint duo formaliter decreta diuerſa: vnum quod ſit ex motiuis prioribus, & ab Adami peccato abſtrahentibus: alterum, quod ſit ex motiuo redemptionis, poſtquam præuiſum fuit peccatum Adami.

7. Ego quidem non multùm à Tannero diſcedens rem ſic explicandam iudico, vt Deus ante præuiſionem lapſus Adami habuerit rationem motiuorum priorum, atque altiorum; ex iiſque decretum fecerit abſolutum & efficax mittendi Chriſtum. Poſteà verò vbi præuiſum fuit Adami peccatum, perſeuerauerit in voluntate mittendi Chriſtum propter eadem totalia & efficacia, quæ antè habuerat, motiua; & nouum acceſſerit inſuper efficax motiuum redemptionis humanæ: ſiue plura formaliter in Deo decreta concipiantur ratione diſtincta pro varietate motiuorum: ſiue vnum intelligatur decretum, quod ſimplex ſit formaliter, compoſitum autem virtualiter, reſpiciensque plura motiua quaſi vnum obiectum totale. Sed quocumque modo ſe id habeat, illi qui aſſerunt, Chriſtum vi præſentis decreti Adamo non peccante venturum, dicere debent, extitiſſe vnum de facto adæquatum decretum conſtans duabus ſeu formaliter, ſeu virtualiter partibus: vi cuius decreti conſiderati ſecundùm priorem partem, futura omninò fuiſſet incarnatio, quamuis non ſuperueniſſet conſideratio peccati.

CAPVT II.

Chriſtum independenter ab hominum peccato, & redemptione prædeſtinatum fuiſſe ob ſuam intrinſecam excellentiam.

1. OSTENSVM eſt *cap.*8. libri præcedentis redemptioné generis humani in Adamo lapſi fuiſſe cauſam incarnationis finalem, & quidem non tantùm partialé, ſed etiam totalem, per ſeque ſufficientem. Sunt verò non pauci, qui totalem ita putent, vt ſolam eſſe velint. Nec deſunt qui aſſerant, ſi totalis ea, & ſufficiens fuit, nullam aliam eſſe potuiſſe pariter totalem, ac ſufficientem. Mihi tamen ſemper viſum eſt contrariam ſententiam (quæ aſſerit Chriſti prædeſtinationem fuiſſe decretam ob alios etiam fines totales independentes ab Adami peccato) ad Dei gloriam ſpectare longè maiorem, Chriſto item honorificentiorem eſſe, ſcripturis conformiorem, & rationi magis conſentaneam. Quare.

2. Dico Deum incarnationem non decreuiſſe propter ſolam redemptionem hominis lapſi, ſed alios præterea fines habuiſſe totales, & per ſe ſigillatim ſufficientes; & quidem nobiliores, ac prius, quàm de incarnatione Deus cogitaret, intentos. Hæc eſt ſententia Scoti *in* 3. *diſt.*7. quem tota eius ſchola ſequitur. Eſt item Alexandri 3. *part. quæſt.*2. Alberti, *in* 3. *diſt.* 20. *art.*4. Catherini *lib. de eximia prædeſt. Chriſti*, Salmeronis *tom.* 15. *diſp.* 3. *aſſert.*5. Suaris *diſp.*5. *ſect.*5. Feuardentij *ad cap.* 14. *lib.* 5. *Irenei*, Petri Hurtadi *diſp.*13. *ſect.*3. Martini Peres *diſp.* 14. *ſect.* 6. & 7. nec non *diſp.*15. *ſect.* 1. & 2. Nicolai Ylamberti *diſp.* 7. Ioannis Martinoni *diſp.* 3. aliorumque multorum Theologorum. Eandem opinionem inter eos qui oppoſitam defendunt, laudat Bonau. *in* 3. *diſt.*1. *art.* 24. ipſamque ait eſſe ſubtiliorem, & rationi magis conſentaneam. Illam ex profeſſo docuit Rupertus *lib.*13. *de gloria Trinitatis, & proceſſione ſpiritus ſancti, cap.*19. & *ſequent.* Item *lib.*8. *de gloria & honore Filij hominis.* Sanctos Patres referemus infra.

3. Fundamenta huius ſententiæ ſumi debent ex dictis *cap. præced.* Cùm enim alia ſint motiua longè excellentiora, & Deo qui eſt vltimus verus finis, propinquiora; non eſt cur dicamus, Deum iis prætermiſſis ad motiuum ignobilius atque remotius præpoſterè adhæſiſſe. Hic verò inter illa motiua quæ dicimus eſſe excellentiora, finique vltimo propinquiora, ſe primùm offert ipſius intrinſeca excellentia myſterij, & ſumma Chriſti amabilitas, quam conſtat eſſe infinities maiorem, quàm omnium hominum, vel Angelorum in quocumque ordine ſeu naturæ, ſeu gratiæ, aut gloriæ conſideratorum.

torum. Nec vllum opus poteſt æquè ſapientiam, bonitatem, omnipotentiam, aliaque attributa diuina manifeſtare, aut æquè cum Dei gloria coniunctum eſſe, ac communicatio hypoſtatica. Igitur ſi ad manifeſtandam gloriam ſuam Deus Angelos creauit, homines verò non creauit ſolùm, ſed & lapſos ſubleuauit, atque propter hos, vt per ſe, & ex vera charitate amabiles, cætera creauit omnia, imò & Redemptorem ipſum, vt volunt aduerſarij: nonne magis conſentaneum eſt, vt dicamus Deum ad manifeſtandam gloriam ſuam, Chriſtum decreuiſſe, & propter hunc Angelos ipſos, & homines, creaturaſque cæteras condidiſſe?

4. Quàm ergo indecens eſt aſſerere, Sapientiam Dei Incarnatam, quæ præſtantiſſima eſt omnium creaturarum, & quæ quodammodo cum Deo fuit (vt dicitur *Prouerb.* 9.) eas cunctas componens, non propter ſe volitam fuiſſe, ſed tantùm propter homines, & ex occaſione peccati? Quod ſi teſte Auguſtino 14. *de Ciu. cap.*23. (inquit Rupertus ſuprà citatus) abſurdum eſſet dicere, Adamo non peccante generationes hominum non fuiſſe futuras; quaſi propter homines vt naſcerentur, peccatum fuiſſet neceſſarium, quid ſentiendum erit de illo qui eſt Rex, & Caput omnium cùm Angelorum, tum hominum, niſi quod & ipſe nullo modo ad hoc vt exiſteret, peccati neceſſitatem habuerit exiſtentiam? Atque velim vt D. Thom. in præſenti negotio recognoſcat quid ipſemet 1. *part. quæſt.* 89. *art.*1. dixerit his verbis; *Reſpondeo dicendum, quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio ad multiplicationem humani generis: alioquin peccatum hominum fuiſſet valdè neceſſarium, ex quo tantum bonum conſequutum eſt.* Et poſteà ſubdit animam rationalem propter ſuam immortalitatem eſſe per ſe intentam à natura, id eſt, à naturæ Authore, non tantùm in ſpecie, ſed etiam in multiplicatione ſecundum numerum. Et inde concludit, hunc ipſum animarum numerum qui iam eſt, fuiſſe futurum, etiamſi non eſſet peccatum. Atqui, inquam ego, longè abſurdius eſt dicere, peccatum hominum neceſſarium fuiſſe ad hoc vt Chriſtus præordinaretur, quàm dicere, neceſſarium fuiſſe ad generationes hominum; quorum tamen multos conſtat ex adulteriis, & ex ſuppoſitione peccati natos eſſe. Sanè ſi peccatum ad Chriſti exiſtentiam neceſſarium fuit, Deus, contra cuius voluntatem peccatum extitit, vellet ex ſe, & ex primaria ſua intentione, Chriſtum nunquam extitiſſe. Quod vel ipſis videtur auribus reſpuendum.

5. Ad hanc intrinſecam excellentiam Chriſti, ob quam incarnatio debuit eſſe decreta, ſpectat argumentum Scoti in hac materia celebre, ſumptum ex prioritate, quam incarnatio, & Chriſtus obtinuit in mente diuina ante hominum peccatum. Quod argumentum anſam hîc dedit diſputandi de ordine præuiſionis ac prædeſtinationis diuinæ, quem Theologi tribuunt Chriſto comparato cum aliis creaturis. *Vniuerſaliter* (inquit ſubtilis Doctor *in 3. diſt.7. quæſt.3.*) *ille, qui ordinatè aliqua vult, priùs videtur velle id, quod eſt fini propinquius. Et ita Deus inter prædeſtinatos, quibus vult gloriam ordinatè, priùs videtur velle gloriam illi, quem vult eſſe proximum fini. Et ita huic animæ Chriſti vult gloriam, priuſquam vlli alteri velit gloriam. Et priùs cuilibet alteri vult gratiam & gloriam, quàm ipſius gratiæ & gloriæ præuideat oppoſita, ſcilicet peccatum & damnationem. Ergo à primo priùs vult animæ Chriſti gloriam, quàm præuideat Adam caſurum.* Hactenus verba Scoti.

6. Qui pro fundamento ponit, Deum, cùm ſuam gloriam velut vltimum finem intenderet, ea priùs media voluiſſe, quæ tali gloriæ ſuæ erant propinquiora; ac inde infert priùs ab eo Chriſtum, quàm cæteros homines, aut eorum redemptionem volitum fuiſſe, vtputà proximum, & coniunctiſſimum gloriæ ſuæ: nec Deum potuiſſe priùs homines, eorumque redemptionem velle, quàm Chriſtum; niſi ordinem inuerteret, hoc eſt, inordinatè, præpoſtereque amaret. Quo poſito ſequitur, Chriſtum vi decreti, quod re extitit, venturum fuiſſe, licèt redemptio non fuiſſet neceſſaria. Id enim quod prius eſt, non pendet ab eo poſteriori, ad quod nullum habet reſpectum. Huc ſpectat quod ait Trident. *ſeſſ.6. cap.7.* cauſam finalem noſtræ iuſtificationis eſſe gloriam Chriſti. Vnde infertur eam gloriam, ac proinde Chriſtum ipſum priùs intentum fuiſſe, quàm peccati remiſſionem ac iuſtificationem, quia prior eſt intentio finis, quàm mediorum.

7. Ad prædictum Scoti argumentum variè reſpondent aduerſarij, vt videre eſt apud Vaſquem *diſp.*11. qui aliis refutatis reſpondendi modis, hanc ipſe *cap.6.* ſolutionem affert; concedit nempe illum, qui ordinatè vult, poſtquam voluit finem, debere velle priùs fini propinquiora media. Hic enim eſt ordo intentionis, quem ſeruat voluntas; cùm tamen in ordine exequutionis, qui inuerſus eſt, incipiamus à mediis remotioribus. Cæterum negat illa eſſe ſemper fini propinquiora media, quæ ſunt in ſe nobiliora: poteſt enim liberæ voluntatis intentio conſtituere immediatiùs propè finem media de ſe ignobiliora; ſi nempe velit his ſubordinare alia nobiliora. Quod in præſenti contigit. Nam Deus finem vltimum, hoc eſt, ſuam gloriam, intendit immediatè per hominum, qui iam lapſi ſupponuntur, redemptionem, hanc autem vult procurare per Chriſti incarnationem: ita vt redemptio, & incarnatio ſint duo media comparandæ gloriæ diuinæ ſibi ſubordinata, vt incarnatio ſit remotius medium, quàm redemptio, & ad hoc referatur quaſi medium ad ſuum finem proximum. Nec enim in ea ſerie quam ſibi diuina voluntas hîc proponit, incarnatio attingit finem vltimum, aut ad hunc vtilis eſt, niſi mediante redemptione. Ex quibus ſequitur, quòd Deus in hoc negotio ordinatè volens, debuerit priùs velle redemptionem hominum, quàm incarnationem. Atque hæc eſt prædicti Authoris ſolutio.

8. Quæ quidem foret optima, ſi Deum ita ſe pro ſua libertate geſſiſſe conſtaret, vt ipſe ſupponit. At verò id non conſtat. Imò mens Scoti erat in adducto argumento probare, non potuiſſe id fieri niſi præpoſterè, & inordinatè; atque adeò minùs decenter; quare non præſumendum eſſe Deum ita feciſſe. Non igitur tollit Vaſquez vim argumenti Scotici: manetque eiuſdem argumenti confirmatio deſumpta ex prædeſtinatis, quos Deus ad gratiam elegit, & gloriam, vt fert probabilior multorum ſententia, ante præuiſionem peccati Adami. Vnde conſequens eſt, Chriſtum fuiſſe ante præuiſionem eiuſdem peccati prædeſtinatum, vtpotè exemplar omnium prædeſtinatorum, & eorundem primogenitum, iuxta illud *Rom.*8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

9. Ex dictis apparet conſtituenda eſſe hæc inſtantia in ordine prædeſtinationum diuinarum: vt primò Deus Chriſtum, non quidem ſolitariũ, ſed prout alias creaturas ſub ratione capitis, ac Principis connotantem, & ſecum trahentem, decreuerit. Secundò, (vt alia omittam)

Digitized by Google

omittam) peccatum Adami permittere voluerit, & de facto futurum præuiderit. Tertiò denique ex occaſione talis peccati Chriſtum non tantùm (vt voluit Scotus, in hoc corrigendus) ſtatuerit eſſe paſſibilem, vt eſſet Redemptor; ſed etiam ex nouo motiuo decreuerit quoad ſubſtantiam, vt eſſet homo. Scriptura enim docet, ipſam ſubſtantiam incarnationis, & Chriſti deſcenſum de cœlis fuiſſe propter noſtram redemptionem: *Miſit Deus*, inquit Diuus Paulus *Galat. cap. 4. Filium ſuum factum ex muliere, factum ex lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret.*

10. Caietanus inter aduerſarios excogitauit nouum modum reſpondendi argumento Scoti. Et cùm rationi conſentaneum exiſtimet, vt Chriſtus, putà propinquior vltimo fini, ametur in aliquo priori ante cæteras omnes creaturas, diſtinguit duplex genus prioritatis. Aitque Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante redemptionem hominum in genere cauſæ finalis, quatenus redemptio hominum volita eſt propter ipſum: non tamen fuiſſe priorem in exiſtendi conſequentia; quia Deus, cùm prædeſtinauit Chriſtum, vt finem creaturarum, ac nominatim redemptionis, eum illigauit, implicuitque ipſi redemptioni, quaſi vnico medio, per quod voluit illum producere. Ita vt inter ipſum & hominum redemptionem, mutua & æqualis detur hinc & inde exiſtendi conſequentia. Tam enim ex Chriſti exiſtentia infertur redemptionis exiſtentia, quàm è contra. Quandoquidem poſito Dei decreto, & inſtitutione non magis poteſt Chriſtus exiſtere ſine redemptione, quàm redemptio ſine Chriſto; cùm ex Dei voluntate redemptio ſit medium vnicum ac neceſſarium incarnationis.

11. Hæc Caietani doctrina, quàm aliquibus placuit recentioribus Thomiſtis, qui ſic & cum Scoto, Chriſtum ante creaturas omnes prædeſtinatum, & cum D. Thom. non venturum, niſi Adamus peccaſſet, defendunt, tam aliis vulgò diſplicet. Putatque non immeritò Vaſques implicare contradictionem, vt cùm alia multa poſſibilia ſint ad incarnationem media, Deus hanc vni redemptioni alligarit, ita vt tali medio deficiente paratus eſſet nullum aliud eligere, & potiùs ab incarnatione deſiſtere. Videtur enim ſic amari redemptio ſupra rationem medij, & ſupra incarnationis exigentiam finalem. Prætereà ex Caietani doctrina ſequitur, Deum vi ſuæ antecedentis de Chriſto decreti teneri ad procurandum peccatum. Vult enim hic Author illum abſoluta voluntate ante omnes creaturas (atque adeò ante Adamum, & antequam Adamus peccaſſe ſupponeretur) decreuiſſe efficaciter Chriſtum, idque per vnicum redemptionis medium. Oportuit ergo abſolutè, vt fieret redemptio, Atque ſic antecedenter neceſſarium reddebatur hominum peccatum, ac per conſequens Deus illud procurare cogebatur.

12. Ioannes Delugo conatur oſtendere, quomodo cum ſententia, quæ negat venturum fuiſſe Chriſtum Adamo non peccante, congruere poſſit, quòd Chriſtus fuerit finis creaturarum, atque adeò illis omnibus prior. Vult enim Deum in illo ſigno, in quo creaturarum productionem deſtinabat, habuiſſe affectum ſimplicem erga Chriſtum, quem videbat adhuc tantùm vt poſſibilem, & ex illo affectu voluiſſe tum creaturas, tum permiſſionem peccati, vt ſic ad ipſius Chriſti productionem via pararetur: non quaſi Deus peccatum vellet directè, tanquam medium ad Chriſti gloriam vtile; ſed quatenus, cùm præuidens (per ſcientiam nempe mediam) & odio habens futuritionem peccati, poſſet per illam præuiſionem, odiumque à mundi creatione retardari: videndo tamen aliunde peccatum, ſi permitteretur, non fore irreparabile, imò fore occaſionem eximiæ gloriæ Chriſti, non retardatus eſt; at potiùs complacentia erga Chriſtum reddidit odium peccati ita inefficax, vt nequaquam rerum creationem impediret. Illud verò, inquit, ſufficit, vt ex affectu Chriſti, quamuis nondum abſolutè voliti, creaturas à Deo efficaciter fuiſſe volitas dicamus. Sicut voluntas dandi nobis auxilia oritur in Deo ex voluntate noſtræ beatitudinis; non quidem ſemper in intentione efficaci beatitudinis, ſed ex aliqua; & hoc ſatis eſt vt dicatur Deus auxilia propter beatitudinem dare, vt propter finem.

13. Atque ex hac doctrina explicat deinde *eadem ſectione*, quomodo Chriſtus, licèt prædeſtinatus non fuerit, niſi poſt præuiſum Adami lapſum, ſit tamen prædeſtinatus ante ipſum etiam Adamum, & Euam. Hos quidem ille Author non negat fuiſſe priuſquam peccaret, prædeſtinatos, gratiamque habuiſſe independentem à Chriſto: quæ gratia fuerit effectus prædeſtinationis ipſorum, & cui reſponderit gradus aliquis gloriæ eiſdem deſtinatæ. Quare non videtur negandum, inquit, illos accepiſſe tunc ſpecialia beneficia orta ex peculiari erga ipſos beneuolentia Dei, qui quando illa dabat, præuidebat per ſcientiam mediam, ea tandem profutura efficaciter ad ſalutem. Verumtamen hoc non obſtante vult Chriſtum poſſe dici primum prædeſtinatum, quatenus Deus incepit priùs operari ex ſpeciali affectu & ſimplici complacentia erga Chriſtum, quàm erga Adamum; quandoquidem mundi creationem, quam peccati præuiſio impedire poterat, decreuit Deus ex ſpeciali erga Chriſtum affectu, vt indirectè mouente & auertente prohibens. Ac licèt, inquit, creatio mundi ipſi etiam Adamo eſſet futura vtilis, potuit tamen Deus in illa non attendere ſpecialiter ac diſtinctè ad ipſum, ſed ad totum genus humanum; vt reſeruaretur Chriſto ille honor, quòd ipſe eſſet primus ſpecialiter & diſtinctè à Deo dilectus. Aſſerit deinde, quòd poſt productum mundum creauit Deus Adamum ex ſpeciali eius amore, quo eum ad beatitudinem deſtinabat. Ac denique, quòd poſt peccatum decreuit abſolutè Chriſtum; & propter eius merita reſtituit gratiam Adamo, reparauitque eius prædeſtinationem per peccatum interruptam: cæteros autem prædeſtinatos omnes tunc primùm elegit ac prædeſtinauit. Nec quoad hos eſt vlla difficultas, quin prima eorum electio fuerit per Chriſtum. Hæc eſt prædicti Authoris doctrina, intellectu ſatis difficilis.

14. Contra cuius primam partem eſt, quòd creaturæ non poſſint dici eſſe propter Chriſtum, ſi Chriſtus ante illas non præſupponitur eſſe efficaciter volitus: ſi enim Deus in productione creaturarum non habuit erga Chriſtum niſi ſimplicem affectum, ſequitur quòd ex illo affectu non aliter, quàm ex remouente prohibens voluerit creaturas, ac per conſequens, non in has Chriſtus vt finis, nec magis quàm in peccati exiſtentiam influxerit; quatenus nempe affectus in Chriſtum ita odium peccati à Deo præuiſi temperauit, vt cùm productionem creaturarum, & permiſſionem ipſius peccati impediturum videretur, non tamen impediuerit. Quomodo tam propriè Chriſtus dici poterit finis peccati permiſſi, quàm finis creaturarum. Conſtat autem, quod tum Apoſtolus, tum ſancti

Digitized by Google

Patres volunt creaturas eſſe propter Chriſtum, in longè maiori proprietate, quàm peccatum: atque illas verè ac directè intentas fuiſſe propter Chriſtum.

15. Nego porrò parem eſſe rationem de auxiliis quæ Deus dat propter beatitudinem, licèt non abſolutè volitam. Nam Deus verè auxilia vult, ac directè eligit tanquam media ſufficientia ad beatitudinem, ſi per homines non ſteterit, acquirendam. At verò nec peccatum, nec creaturas directè vult ac eligit tanquam medium ad Chriſti exiſtentiam, vt ipſe Delugo fatetur. Atque cùm affectus in Chriſtum non aliud fecerit, quàm amouere prohibens, clarum eſt, quod antequam ille affectus dicto modo quicquam operaretur, iam ſupponebatur ex alio motiuo & fine, decreta productio creaturarum; quandoquidem eius exequutio in periculo, ne per peccati præuiſionem retardaretur, verſabatur; & Deus ad illam fuiſſe intelligitur velut in procinctu. Clarum item eſt, quod ante productionem creaturarum, & permiſſionem peccati, Chriſtus volibilis fuit, & amatus per illam complacentiam, quæ fecit, vt Deus non retardaretur per præuiſionem peccati, ne mundum crearet, peccatumque permitteret: non ergo amatus ac volitus fuit ſolùm vt Redemptor.

16. Refutata nunc prima expoſitæ ſuperiùs doctrinæ parte, corruit id quod eius Author in illa fundabat; nempe Chriſtum poſſe dici primum prædeſtinatum, & ſpecialiter dilectum ante ipſos etiam primos noſtros parentes. Nam ſi in illo priori, in quo mundum creare decernebat, nondum Chriſtus erat efficacier decretus, nec abſolutè venturus, nec peccatum, quod illi occaſio veniendi fuit, abſolutè præuiſum, quomodo dici poteſt in illo ſigno fuiſſe prædeſtinatus? Sed cùm conſtet hunc mundum materialem factum fuiſſe propter homines, nimis voluntaria eſt diuinatio, vt Deum hic Author aſſerat, quando mundum creabat, nondum vllos homines præuidiſſe ſpecialiter ac nominatim, ne quidem primos parentes, quos creatum ibat independenter ab omni præuiſione peccati. Sanè dubium non eſt, quin tunc elementa, ac alias mundi partes, ignobilioreſque creaturas in ſpecie, & in indiuiduo deſtinaret, atque præuideret. Cur ergo non ſimiliter Adamum à peccati præuiſione independentem? Confirmatur. Nam quis ſibi perſuadeat Deum, quando antecedenter ad peccati, Chriſtique, vt Redemptoris præuiſionem pactum fecit cum Adamo, & ipſius poſteros incluſit in illo pacto, nullum ſpecialiter hominem incluſiſſe, ſed tantùm omnes confusè, & indeterminatè? Clarum eſt Doctores communiter ſupponere contrarium, quando diſputant, num Beatiſſima Virgo fuerit ab illo pacto nominatim exempta; cùm nimirum debuiſſet eodem modo, quo alij ſinguli, nominatim includi. Nec videtur probandus ille modus, quo idem Delugo 7. *illa diſput. ſect. 3.* exemptionem hanc Virginis explicat, vt videbimus *cap. 5.* ſed faciamus ita eſſe, vt nullus hominum, ne quidem Adamus, fuerit à Deo ſpecialiter amatus in eo ſigno rationis, in quo Deus voluit mundum creare ad illum finem, vt in eo homines habitarent, ac ſe ad beatitudinem æternam præpararent. Saltem non euitabit Delugo, quin omnes vniuerſaliter homines in mundi creatione ante peccatum, & per conſequens ante Chriſtum fuerint à Deo præuiſi, & ad beatitudinem, ſaltem conditionatè prædeſtinati. Ergo Chriſtus non erit ſimpliciter primus prædeſtinatus, nec cauſa prædeſtinationis omnis.

Hactenus argumentum expoſuimus pro noſtra opinione, deſumptum ex intrinſeca Chriſti amabilitate, propriaque excellentia. Nunc afferenda ſunt alia argumenta, quæ ſumuntur ex eiuſdem amabilitate intrinſeca, quam habuit præcipuè vt Caput Angelorum, & primorum antequam peccarent, noſtrorum parentum; vt Caput item Beatiſſimæ Virginis.

CAPVT III.

Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe independenter à peccato, vt Caput Angelorum.

1. EX ſumma Chriſti excellentia intrinſeca, ob quam eum iam vidimus expetibilem fuiſſe, oritur vt ſit Dominus, Caput, & finalis cauſa omnium creaturarum; atque adeò ſummam habuerit earum reſpectu amabilitatem independentem ab Adami peccato. Quare Apoſtolus *ad Coloſſenſ. cap. 1.* illum eſſe dicit, *Primogenitum omnis creaturæ: quoniam in ipſo,* inquit, *condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia; ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, vt ſit in omnibus principatum tenens.* Quo ex Apoſtoli loco validum confici videtur argumentum ad probandum Chriſti prædeſtinationem non potuiſſe ab Adami peccato pendere. Aſſeritur enim ibi manifeſtè Chriſtum fuiſſe cauſam creationis, prædeſtinationis, & ſanctificationis Angelorum nullo modo præſupponentis peccatum Adæ. Quod argumentum aduerſarios non parum vrget: coguntur enim de Chriſto vt omnium Sanctorum Capite minùs honorificè ſentire, & facere ab illo independentes, contra Diui Pauli doctrinam, omnes gratias Angelis communicatas. Id euitare conantes illorum aliqui apud Ariagam *diſputatione 14. ſectione 3.* non dubitant concedere præuiſionem peccati Adami, & prædeſtinationem Chriſti priorem eſſe ſanctificatione, & prædeſtinatione Angelorum, vtpote factâ ex meritis ipſius Chriſti iam conſtituti Redemptoris poſt Adami lapſum.

2. Quod vt explicent, & contradictione ſe eximant, in mirificas quaſdam difficultates implicantur, quas exponere hîc propè reformido, ne ob ſuam obſcuritatem faſtidio Lectorem ſatient. Primò enim ſupponunt peccatum Adami eſſe independens à ſanctificatione Angelorum: quare potuiſſe peccatum illud, & ab eo pendentem Chriſti exiſtentiam præuideri à Deo ante Angelorum ſanctificationem, & creationem: atque conſequenter potuiſſe Deum ex intuitu Chriſti pendentis ab Adamo peccante, cogitare, & deliberare de creandis propter ipſum Chriſtum, ſanctificandiſque Angelis. Quoties enim vnum ab alio non pendet, nihil vetat ei præſuppoi. Quod autem peccatum Adami, & Chriſtus, vt ab illo peccato dependens, non pendeat ab Angelorum ſanctificatione, oſtendere nequeunt, & in eo laborant multùm: nam Chriſtus præſupponit, ſecundùm ipſos, peccatum Adami: pecatum autem Adami manifeſtè ſupponit Angelorum tum creationem, tum ſanctificationem

Digitized by Google

tionem: factum eſt enim id peccatum per tentationem vnius Angeli anteà creati, & inuidentis homini ſanctificationem; quâ videbat ſe & primò ornatum, & poſteà ſpoliatum fuiſſe per ſuum peccatum.

3. Inanis verò eſt illorum ſubtilitas, qui, vt Ariaga refert, dicunt fuiſſe quidem Adamum tentatum ab Angelo, qui ſua iam gratiâ exciderat; ſed tamen peccatum ipſius Adami nullo modo fuiſſe dependens ab illa tentatione; atque adeò neque à tentantis Angeli exiſtentia, & inuidia. Quid ita? Quia, inquiunt, in eo præcisè inſtanti, quo Adamus peccauit, nullo modo operatus eſt ex tentatione, aut inductione Angeli, ſed ex cognitione, quam aliunde ipſe habebat de ſuauitate pomi, quod comedit. Illa, inquam, ſubtilitas inanis eſt, & contraria ſcripturæ, aſſerenti, malitiâ Dæmonis peccatum introiuiſſe in mundum; atque adeò tentationem eius fuiſſe cauſam peccati Adami; ob eamque cauſalitatem fuit à Domino ſerpens punitus.

4. Nec minore digna eſt reprehenſione ſubtilitas hæc altera quorundam apud eundem Ariagam, fatentium quidem pendens fuiſſe peccatum Adami à tentatione dæmonis, & à peccato, quod tunc dæmon committebat, tentando ipſum Adamum; ſed tamen aſſerentium Chriſtum, qui prædeſtinatus ſit dependenter ab illo Adami peccato, fuiſſe prædeſtinatum priùs Angelis omnibus, & meritum his fuiſſe primam ſanctificationem. Volunt enim Deum independenter à Chriſto produxiſſe Angelum tentatorem pro eo ſolo tempore, quo Adamum tentauit, & cauſa fuit peccati: poſteà verò, præuiſo Adami peccato dependente à tentatione ipſius Angeli, prædeſtinaſſe Chriſtum, vt peccato illi mederetur; ac demùm ex meritis Chriſti ita prædeſtinati decreuiſſe omnibus Angelis (& ipſi per conſequens tentatori) primam cùm exiſtentiam, tum ſanctificationem. Quare aiunt dæmonem à Deo viſum fuiſſe priùs vt tentantem primos parentes, quàm fuerit viſus exiſtens prioribus aliis inſtantibus, in quibus creatus fuerat in gratia, & ex ea exciderat peccans per ſuperbiam. Atque ita volunt peccatum, quod dæmon Adamum tentando commiſit, independens fuiſſe ab illius primo peccato per ſuperbiam commiſſo: quod eſt dicere, dæmonem nequaquam ideò tentaſſe Adamum, quòd inuideret ei ſanctificationem, ſed ex recordatione, quòd ipſe ex ea excidiſſet.

5. Chimærica videtur eſſe Theologorum iſtorum ſubtilitas, & communi aduerſatur Patrum, Doctorumque ſententiæ, qui dæmonem cenſent per inuidiam homini tentationem adornaſſe, ne is in locum aſſumeretur, à quo ſe videbat excidiſſe. Prætereà nemo poteſt negare, quin voluntas hominem interuertendi ſuſcepta fuerit à dæmone ex odio Dei ob ſui damnationem. Præuidit ergo Deus ante peccatum Adami, dæmonem eſſe damnatum, & excidiſſe gratiâ, quam non potuerat habere à Chriſto dependente à peccato Adami, pendente à dæmone ipſo vt damnato, & tentante. Vnde neceſſarium eſt, ſi Chriſtus fuit prædeſtinatus poſt præuiſum Adami peccatum, præſuppoſitam fuiſſe illius prædeſtinationi tentationem dæmonis, & eiuſdem dæmonis primam ſanctificationem, cuius amiſſio fuit cauſa cur homini inuideret, ac inſidiaretur. Quare impoſſibile fuit, vt prima illa ſanctificatio dæmonis penderet à Chriſti meritis.

.6 Addendum eſt in hac ſententia (quæ tota ex voluntariis fictionibus conſtat) abſurdum videri, quòd ante omnes alios Angelos vnicus ille tentator Angelus à Deo fuerit præuiſus vt exiſtens; & quidem pro illo duntaxat tempore, quo tentandus homo erat. Qui homo, tentari cùm non poſſet niſi exiſteret, debuit in priori habere exiſtentiam, quàm ille tentator eſſet præuiſus à Deo vt actu tentans. Sed quàm abſurdum eſt fingere illum Angelum habuiſſe exiſtentiam ante alios Angelos ob id ſolum negotium, vt hominem tentaret? Vnde ſequitur fuiſſe intentam à Deo tentationem Adami: quandoquidem in illo priori ante omnes alios Angelos illum ſolitariè Angelum ſupponitur creaſſe ob ſolam illam cauſam (ob quam enim aliam?) vt exiſtens & inuidens homini, tentaret ipſum. Sed quomodò potuit ille Angelus videri à Deo exiſtens pro illo ſolo tempore quo tentabat, & non pro præcedenti; ſi dum tentabat, præſupponebatur eſſe factus Dei hoſtis, & ſanctificatione ſpoliatus per peccatum anteà commiſſum? Et quomodo potuit ſanctificari per Chriſtum, ſi antequam Chriſtus decerneretur, hominem tentarat, iam damnatus?

CAPVT IV.

Chriſtum fuiſſe Caput primorum parentum antequam peccarent.

1. CONSIMILE eſt, nec minùs vrgens pro noſtra opinione argumentum; quod ſumitur ex Adami ſanctificatione ante peccatum. Ex Apoſtolo enim ſupra citato conſtat, in Chriſto condita fuiſſe vniuerſa in cœlis, & in terra; & ipſum eſſe omnis fontem ſanctitatis, omniumque prædeſtinatorum caput. Quod eſſe non potuit, niſi ipſe fuerit ante omnes gratias primis parentibus in innocentia collatas, prædeſtinatus. Loquor autem de gratiis illis provt per primam infuſionem in ipſo innocentiæ ſtatu fuerunt conceſſæ; non autem provt fuerunt per reuiuiſcentiam poſt pœnitentiam recuperatæ: ne quis fortè dicat, primas Adami gratias fuiſſe quidem à Chriſto dependentes, ſed ſolùm quatenus per peccatum extinctæ, ex eius meritis reuixerunt. Quamquam nec ea ſubtilitas quicquam prodeſſet contra nos. Nam illæ gratiæ per peccatum amiſſæ non aliter reuixerunt per Chriſtum; quàm quia ipſe ſuſtulit peccatum quod iſtas mortificauerat: quo peccato, velut impedimento, ſublato, eæ gratiæ quaſi ſponte redierunt, non vi meritorum Chriſti vt Redemptoris, ſed vi eius alterius cauſæ, à qua initio fuerant introductæ; quemadmodum fit in omni peccatore, qui facta gratiarum iacturâ, illas contritione, vel Sacramento recuperat, non propriè vi & efficacia contritionis, aut Sacramenti, ſed vi priorum ſuarum cauſarum moraliter influentium, impedimento ſublato.

2. Quòd autem Adamus gratias, non tantùm in recuperatione, ſed in prima earum infuſione accipere à Chriſto potuerit; probatur ex eo, quòd certum ſit, Deum ipſi Adamo in ſtatu innocentiæ reuelaſſe myſterium Incarnationis præfiguratum (vt teſtatur Apoſtolus) in eius, Euæque coniugio; nec enim eſt vllo modo probabile, Adamum ignoraſſe ſui ſignificationem coniugij. Quod ſi Adami coniugium ante peccatum incarnationem præfigurauit. Ergo

Digitized by Google

Chriſtus in eo priori & venturus erat, & poterat eſſe cauſa meritoria gratiarum in innocentia collatarum. Nullatenus eſt probabile, quod ait Ariaga, non tunc reuelatum fuiſſe Adamo Chriſtum aliter venturum, quàm vt Redemptorem, & ſupponentem peccatum ipſius Adami; quo ſcilicet modo non poteſt concipi fuiſſe cauſa gratiarum in innocentia collatarum. Magnam verò habet difficultatem, quod addit prædictus Author, non obfuturum fuiſſe libertati illius, vt poſſet euitare poſteà peccatum, quamuis reuelatione, fideque diuina factus fuiſſet certus de abſoluta, & infallibili ſui peccati futuritione.

3. Sed maior eſt pro nobis vis argumenti in eo, quod Adamus, ſi habuit ex ſignificatione ſui coniugij ante peccatum fidem in Chriſtum venturum, haud dubiè promeritus eſt per illam fidem charitati coniunctam, & præſupponentem ipſum Chriſtum, aliquod augmentum gratiæ: & conſequenter quando deinde peccauit, amiſit illud ipſum gratiæ augmentum. Quare ſi, vt volunt aduerſarij, peccatum fuit naturâ prius, quàm Chriſti prædeſtinatio; prius etiam fuit illa amiſſio augmenti gratiæ. Quod ſi amiſſio prædicti augmenti: ergo multò magis illius poſſeſſio, quæ præſupponi debet amiſſioni: non enim amittitur, quod non præſupponitur poſſideri.

4. Vides hîc contradictionem. Nam ſequitur, quòd illud augmentum gratiæ eſt prius ſeipſo, quatenus eſt prius ſua causâ, nempe Chriſto; ex huius enim meritis ortum eſt, quemadmodum ex fide in ipſum. Sanè quod hîc euoluere nititur Ariaga, magnas habet perplexitates: vult enim peccatum Adami propter quod abolendum Chriſtus venit, non promeritum fuiſſe amiſſionem augumenti gratiæ, (quod ipſe ſupponit eſſe verbi cauſâ quatuor graduum) ſed tantum amiſſionem illius prioris gratiæ, in qua creatus Adamus fuerat (quam item ſupponit eſſe octo graduum.) Difficile, inquam, eſt inobedientiam illam primi parentis, & peccatum, propter quod Chriſtus venit, ſpoliaſſe ipſum Adamum ea tantùm gratiâ, cum qua creatus fuerat, non autem illo etiam gratiæ augmento, de quo eſt quæſtio. Spoliare enim debuit omni gratiâ, quam tunc habebat: habebat autem etiam illud augmentum gratiæ, quod ante peccatum meritus erat, & acceperat.

5. Dices. Illud augmentum gratiæ quatuor graduum ſublatum fuit ab illo inobedientiæ peccato, poſtquam in priori naturæ ſublati fuerant octo primi gradus, & poſtquam præſuppoſitus fuerat Chriſtus cauſaſſe illud ipſum augmentum. Sed contra: nam primò nihil hîc video, niſi meram vndecunque contradictionem. Quomodo enim Chriſtus, cuius prædeſtinatio poſterior ſit peccato Adami, potuit ante præuiſionem illius peccati operari augmentum vllum gratiæ in Adamo. Præterea inde fit peccatum illud adæquatè ſumptum (hoc eſt prout habuit vim auferendi etiam augmentum huiuſmodi) non præſuppoſitum fuiſſe Chriſto, quin potiùs fuiſſe Chriſto poſterius: atque ita Chriſtum non prædeſtinatum fuiſſe propter peccatum illud totum adæquatè, nec vt repararet ruinam illius augmenti gratiæ, iam cauſatam ab eodem peccato. Nam illius augmenti & acquiſitio, & amiſſio ſupponit, iuxta aduerſarios, ipſius Chriſti prædeſtinationem.

6. Vt ſuam opinionem tueatur Ariaga, cogitur quædam inſtantia rationis hoc modo ordinare, vt Deus primò viderit Adamum cum gratiæ, quam in creatione acceperit, gradibus v.g. octo. Secundò viderit illum peccantem. Tertiò decreuerit ob eius peccatum extinguere illos octo gradus acceptos in creatione. Quartò decreuerit Chriſtum. Quintò dederit (in anteceſſum iam inde à primo inſtanti) ex meritis ipſius Chriſti Adamo (qui nondum tunc lapſus erat niſi in præuiſione Dei) fidem Chriſti, & augmentum gratiæ ſanctificantis, verbi causâ, vt quatuor. Sextò tandem voluerit augmentum illud, ſeu quatuor graduum acceſſionem deſtruere in pœnam peccati præſuppoſiti: Negari non poteſt, quin ſi hæc ſex inſtantia rationis reperirentur omnia in vno eodemque inſtanti temporis realis, implicarent manifeſtam contradictionem. Nam ſic idem peccator committeret ſimul peccatum, priuareturque gratiâ, & ſimul gratiæ perditæ augmentum acquireret, &c. Veruntamen quamuis hæ prioritates, poſterioritateſque non concipiantur reſpectu eiuſdem inſtantis realis, non euitatur quin difficultates maximæ, & multa voluntaria improbabiliter inuoluantur.

7. Maiores fatetur Ariaga ſentire ſe anguſtias, dum obiicitur, fuiſſe in peccato Adami rationem ingratitudinis reſpectu gratiæ omnis, quam acceperat anteà; & per conſequens reſpectu illius etiam augmenti gratiæ, de quo dictum eſt ſuprà. Quis enim non videt, vt in Adamo peccante fuerit ingratitudo reſpectu prædicti gratiæ augmenti, debuiſſe tale augmentum præſupponi peccato habenti circumſtantiam ingratitudinis, atque ſecundùm aduerſarios, futuritioni Chriſti, vtpote pendenti à peccato illo? Id autem eſt impoſſibile, cùm tale augmentum præſupponat Chriſtum, proueneritque ex actu fidei in ipſum Chriſtum, & ex meritis ipſius Chriſti.

8. Non diſſimulat prædictus Author impoſſibile eſſe ad hanc obiectionem reſpondere in ſua de Chriſto non venturo, ſi Adamus non peccaſſet, opinione, niſi dicatur Adamum quando peccauit, non recordatum fuiſſe, neque per diuinam potentiam recordari potuiſſe reuelationis, quam de Chriſto habuerat; nec gratiæ, quam per fidem in Chriſtum ſibi reuelatum acquiſiuerat. Si enim tunc recordatus fuiſſet, contraxiſſet rationem ingratitudinis, quod implicare contradictionem patet. Sic enim peccatum circumſtantiam habens prædictæ ingratitudinis, foret Chriſto poſterius, vt hæc intendit & oſtendit obiectio: foret item prius, vt fert opinio aduerſariorum. Ex dictis vides, quàm certa videri debeat eſſe noſtra de Chriſti à peccato independentis aduentu doctrina, cuius argumentis nequeunt aduerſarij reſpondere, niſi per incomprehenſarum ſolutionum cumulatas abſurditates, & per eam ſubtilitatum ſolertiam, quæ difficultatem potiùs augeat, quàm tollat.

CAPVT V.

Probatur ex ſingulari Beatiſſimæ Virginis ſanctificatione, Chriſtum independenter ab Adami peccato fuiſſe venturum.

SENTENTIAM hanc noſtram de Chriſto non præſupponente peccatum, quam aliæ multæ rationes efficaciter ſuadent, probabilem valdè reddit ſingulare priuilegium, quo Beatiſſimam Virginem fuiſſe ex illo, quod cum Adamo Deus iniit, pacto exemptam, docent iam multi Theologi. Idque priuilegium etiam inter aduerſarios conantur defendere Salazar, De-

lugo

Digitized by Google

lugo, Ariaga, nonnullique alij, explicantes fusè quomodo ſua de Chriſto prædefinato ſententia nequaquam illi aduerſetur. Sed hac in re tam improbabiliter philoſophantur, vt eorum vel expoſuiſſe ſententiam, refutaſſe ſit. Nam ſi Adamus præſupponitur peccaſſe antequam decerneretur Chriſtus, atque adeò antequam Deus deſtinaret ei Matrem; negari non poteſt, quin Adamus in illo priori conſtitutus fuerit omnium poſterorum ſuorum caput, ac per conſequens Mariæ ipſius Virginis; quam ob Chriſtum eximi ab Adami pacto, in aduerſariorum ſententia nunquam fuit poſſibile. Non enim poſt Adami lapſum, vt per ſe conſtat: non etiam ante lapſum, cùm in illo prioritatis ſigno Deus nihil de Chriſto, aut de Chriſti Matre decreuiſſet. Mirum verò eſt, in quas anguſtias ſe coniiciant hi Doctores, contra quos diſputo; cùm hac in parte pij erga Dei Matrem eſſe volunt, & illam contendunt, non tantum peccato originali caruiſſe (qua de re iam vix fidelium vllus dubitat) ſed etiam eius contrahendi non habuiſſe debitum. Proponam quid nobis reſpondeant tres ſupradicti Authores, Salazar, Delugo, & Ariaga, qui hanc fuſiùs quæſtionem attigerunt.

2. Salazar quidem *lib. de immaculata Conceptione, cap. 14.* comminiſcitur decretos fuiſſe ante Chriſtum omnes ac ſingulos diſtinctè, nominatimque homines futuros, excepta Beatiſſima Virgine, nondum à Deo præuiſa; & eos omnes ac ſolos, qui tunc decreti erant, incluſos ait fuiſſe in pacto Adami, vt capitis: poſteà autem addit, Adamum peccaſſe, ac deinde decretum fuiſſe Chriſtum; huncque petiiſſe Matrem à Deo, non quidem vllam ex fœminis priùs præuiſis futuris, & peccato iam infectis, ſed aliam totam pulchram, & decoram, quæ pactum cum cæteris non intrauerat, nempe Mariam. Quare hanc ait debere Chriſto, quòd ſit in rerum natura; atque adeò cenſet, ſi Chriſtus non veniſſet, durante ſtatu innocentiæ, illam non extituram fuiſſe. Quamuis ergo tribui non debeat præuiſis meritis Chriſti, quòd Virgo dilata fuerit, nec decreta pro priori ſigno, ac per conſequens, nec incluſa in pacto Adami; hoc enim commune habuit cum aliis poſſibilibus hominibus non futuris. Deinde tamen, cùm poſt Adami peccatum decretus fuit Chriſtus, gratiam & exiſtentiæ, & ſingularis ſanctificationis accepit ea nominatim feliciſſima puella à Chriſto, ipſam ſibi deſignante Matrem.

3. Hinc Salazaris doctrinam reiiciunt iure Delugo, & Ariaga, &c. Nam præterquam quod in ea nihil eſt aliud, quàm diuinatio accommodata ſolùm ad ſoluendam difficultatem, quam opinioni de Chriſto peccatum Adami ſupponente faceſſit priuilegium Beatiſſimæ Virginis; fatendum erit conſequenter Salazari, B. Virginem ſic debere Chriſto ſuam exiſtentiam, vt ei nullo modo debeat exemptionem à peccato originali; atque adeò non fuerit redempta, nec ab actuali contractione ipſius originalis peccati, nec à debito contractionis, vt per ſe patet rem conſideranti. Sequitur etiam quòd in caſu, in quo Adam non peccaſſet, ac nos omnes iuſtitiam originalem habuiſſemus, illam Virgo non fuiſſet habitura, niſi ei Deus illam dare nouo decreto voluiſſet. Præterea cùm aſſerat hic Author omnes, & ſingulos nominatim poſteros Adæ fuiſſe determinatos, atque in pacto incluſos independenter à Chriſti nondum decreti exiſtentia, quomodo poteſt explicare, quòd multi dependenter à meritis Chriſti, & per orationes Sanctorum (vt Nicolaus Tolentinus obtentus precibus ſancti Nicolai Myræ Epiſcopi) exiſtentiam & ortum ab Adamo habuerint? Si enim omnes omninò Adæ poſteri antequam Chriſtus decerneretur, fuere decreti, ac determinati; quo modo hi, quorum exiſtentia Chriſtum ſupponit, potuerunt inter Adami poſteros cenſeri? Atque hæc contra opinionem Salazaris.

4. Nec minùs tamen improbabile eſt ipſius Delugo commentum, aſſerentis, nullum poſterorum determinatè in Adami pacto incluſum, ſed indeterminatè quotquot, & quicumque futuri eſſent; vna tamen excepta illa fœmina, quæ eligenda foret in Matrem Chriſti, poſito quod eſſet venturus. Quando autem poſteà Beatiſſima Virgo electa eſt in Matrem Chriſti per merita eius, cenſet ille Author, illam eo ipſo fuiſſe excluſam ab eo pacto, ac proinde non peccaſſe in Adamo. Quòd verò peccatura eſſet, ſi non fuiſſet à Chriſto in Matrem electa, dici meritò debet, inquit, redempta per Chriſtum ab eo proximo debito, ſeu ab hoc quod eſt peccaſſe in Adamo.

5. Sed contra. Nam, vt omittam cætera, ſi verum eſt quod ait Delugo, ſequitur nullam potuiſſe peccare fœminam tunc quando peccauit Adamus, ſiquidem vt fœminæ aliæ præter illam vnam incertam, quæ futura erat Mater Chriſti, peccarent; oportuit determinari illas ipſas alias; & priùs declarari quænam eſſet illa indeterminata fœmina, quæ exempta fuerat, & eligenda erat in Matrem Chriſti, vt cæteræ ab ipſa diſtinguerentur, nec manerent cum ipſa confuſæ: quamdiu enim illa declaratio facta non ſupponebatur, nulla fœminarum erat, quæ non eligibilis eſſet in Matrem Dei, ac per conſequens, quæ adhuc peccare poſſet. Illa autem declaratio nec facta erat in inſtanti, quo peccabat Adam; nec fieri poterat antequam Chriſtus, eo peccato poſterior, ab eoque pendens, decerneretur; & decretus eligeret ſibi in Matrem ex omnibus fœminis (adhuc vtique peccati expertibus) vnam. Nec poteſt dici omnes fœminas, quando Adamus peccauit, manſiſſe in ſtatu ſuſpenſo, & indifferenti, quaſi expectantes quænam ipſarum eligeretur in Dei Matrem, vt poſt talem electionem factam inciperet verum eſſe, quòd illa quæ electa fuiſſet, non iam ante peccauerat, cæteræ autem peccauerant omnes.

6. Neque intelligi poteſt, veritatem quæ non fuerat initio, & inceperit poſteà eſſe, retrotrahi in præcedens tempus, ita vt dicantur nunc cæteræ fœminæ in præcedenti tempore peccaſſe, in quo non peccauerant tunc, quando illud tempus erat præſens: & Maria item (determinatè ſumpta) dicatur nunc cum veritate non peccaſſe in Adamo, hoc eſt, vt verum poſteà inceperit eſſe, illam fuiſſe tunc exemptam, quæ nondum in eo præſenti tempore, quo peccabat Adamus, à peccato exempta erat. Non valet autem exemplum quod affert prædictus Author. Sit, inquit, aliquis Religionem profeſſus inualidè anno præterito. Deinde verò Pontifex hoc anno diſpenſet, vt profitendo nunc cenſeatur profeſſus anni præteriti. In eo caſu hodie quidem phyſicè profeſſionem ſuam ille facit, moraliter tamen anno præcedente. Quia hæc profeſſio hodierna æquiualet profeſſioni tunc factæ, ac proinde denominat ſubiectum de præterito, ſeu profeſſum moraliter anno præcedenti. Non valet, inquam, illud. Nec enim propriè ille nouus profeſſus cenſetur ob diſpenſationem Pontificis profeſſus duorum annorum; ſed tantùm gaudet quibuſdam priuilegiis, quæ propria ſint veteris profeſſi, & quoſdam poteſt habere effectus, qui ſequuntur

Digitized by Google

profeſſionem anni præcedentis. Quam tamen profeſſionem cùm non habeat, non poteſt propriè & formaliter ab ea profeſſus denominari. Quod patet ex eo quòd ſi præterito anno, aduertens inualiditatem ſuorum votorum, pecunias v. c. ſeruaſſet vt proprias, non cenſeretur violaſſe votum, retrotracta in præcedentem annum profeſſione huius anni.

7. Nihilo probabilius, quàm præcedentes philoſophatur hac in re Ariaga, qui *diſp.* 16. *num.* 44. non diſcedit quoad ſubſtantiam ab opinione Patris Delugo, & quæſtionem hanc *num.* 46. 47. & 48. ſic explicat, vt ſentire videatur, Deum nondum determinaſſe quinam forent naſcituri homines, quando Adamum conſtituit illorum caput. Vultque Deum dumtaxat ſtatuiſſe, vt omnes in Adamo continerentur, qui forent poſteà determinandi à ſe. Quare omnes illos indeterminatos peccaſſe, cùm Adamus, peccauit; non autem peccaſſe tunc me, vel te determinatè, Paulum, vel Franciſcum, &c. ſed tantùm quando Deus determinatè decreuit, vt hic, vel ille naſceretur, incepiſſe tunc determinatè hunc, vel illum eſſe peccatorem, Deoque exoſum, qui fuerat ante ſolùm indeterminatè peccator. Ita, vt poſtquam peccauit Adamus, Dei fuerit determinare nominatim quos vellet naſci, & eſſe peccatores; applicando vnicuique rationem ſuam peccatoris, quæ erat anteà in Adamo, ſed indeterminata & indifferens, vt cui Deus vellet, applicaretur. Quod quis admittat?

8. Ecce ſubtilitates & fictiones quibus aduerſarij indigent, vt ſuam de incarnatione, peccatum Adami ſupponente, ſententiam concilient cum ea exemptionis ab omni peccati debito prærogatiua, quam Beatiſſimæ Virgini nobiſcum volunt aſſerere. Nos ſanè in noſtra ſententia expeditiſſimè dicimus, ante præuiſum peccatum Adami ſic prædeſtinatum fuiſſe Chriſtum, vt ſimul Beatiſſima Virgo prædeſtinata fuerit. Non enim prædeſtinatus eſt Chriſtus, niſi vt filius mulieris, & vt factus Deo ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Quare neceſſarium fuit, vt in eodem æternitatis ſigno prædeſtinatio Chriſti futuri ex ſubſtantia Matris, ſe haberet inextricabiliter cum eiuſdem Matris prædeſtinatione. Atque in eodem decreto indiuiſibili, in quo Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei, prædeſtinari Mariam oportuit Matrem Dei. Itaque impoſſibile fuit, vt cùm poſteà Deus pactum fecit cum Adamo, & poſterorum voluntates in eius voluntate moraliter collocauit, Virgo illa, quam aliqua peccati vmbrâ obſcurari nefas erat, in illo pacto includeretur. Mirum eſt Petrum Hurtadum, cùm alioqui ſentiret nobiſcum de futura Chriſti exiſtentia independenter ab Adami lapſu, & poſſet eo modo, quo nos abſque difficultate explicare priuilegium ſupradictum immaculatæ Virginis, nouos quæſiuiſſe tortuoſarum reſponſionum anfractus, qui videri, ac non item facilè intelligi poſſunt apud Ariagam *diſp. illa* 16. *ſect.* 4.

CAPVT VI.

Probatur ex ſcriptura Chriſtum non veniſſe propter ſolum peccatum.

1. SENTENTIAM, quam nos ſequimur, fatentur plerumque aduerſarij ſuâ ſuperiorem eſſe, ſi ratione, & non ſola ſcripturæ authoritate pugnetur. Negari enim non poteſt, quin honorificentius Chriſto ſit, & rerum naturæ conformius, vt Deus in ipſo prædeſtinando Chriſto reſpexerit potiùs dignitatem eius, quàm ſubleuandam hominum calamitatem. Et quidem, quod ad vim ratiocinandi attinet, non dubitauit ſanctus Bonauentura aſſerere, hanc opinionem ſubtiliùs, quàm oppoſitam philoſophari: eam alioqui cum omnibus aliis amplexurus, niſi Scripturæ ſacræ, vt putat, authoritas videretur obſtare; in facti præſertim contingentis, & à diuina tantùm libertate pendentis quæſtione, vbi certum nihil haberi poteſt, niſi ipſius Dei teſtimonio. Nobis ergo iam incumbit vt doctrinam noſtram multiplici ſcripturarum authoritate firmemus; quandoquidem id vnum ſupereſt, quod aduerſarij petunt. Quod antequam præſtemus, aduerto, hanc ipſam in aduerſarios retorqueri poſſe petitionem. Quia enim totum hîc à ſola reuelatione pendere volunt, peto ego, quam ipſi reuelationem habeant, vt Deum aſſerant non aliud habuiſſe mittendi Chriſti motiuum, quàm redemptionem humanam? Quis illis reuelauit ſtatuiſſe Deum apud ſe, vt Chriſtus, niſi Adamo peccante, non veniret? In qua id ſcriptura, in qua traditione repererunt? Certè magis illi indigent expreſſa ad ſuam opinionem reuelatione, quàm nos ad noſtram rationi, vt ipſi fatentur, conſentaneam, & Chriſti excellentiæ, rerumque naturæ, vt per ſe patet, omninò conuenientem; atque adeò neceſſariam, niſi perturbato ordine, peruerſeque geſtum eſſe negotium iſtud velimus.

2. Deluduntur autem cùm ſibi patrocinari in in eo ſcripturam putant, quòd Chriſtum dicat propter noſtram redemptionem veniſſe. In quæſtionem enim Catholicos inter non ponitur, venerit, necne Chriſtus noſtræ ſalutis reſtaurandæ causâ: ſed num veniendi aliam habuerit prætereà cauſam; negant illi abſque vlla expreſſa authoritate Scripturæ; affirmamus nos authoritate Scripturæ multiplici. In nouo enim Teſtamento plures nobis teſtificationes ſuppetunt. Dicitur Chriſtus fuiſſe prædeſtinatus, vt eſſet noſtra iuſtitia & ſanctificatio, 1. *Cor.* 1. in gloriam noſtram, & iuſtitiam, 1. *Cor.* 2. vt eſſet Caput omnium Angelorum, & hominum, *ad Epheſ.* 1. Aſſeritur etiam *Ioan.* 3. Deus dediſſe Filium ſuum ex dilectione hominum, & totius mundi. Quibus locis manifeſtè ſatis datur intelligi, Deum quando Chriſtum prædefiniuit, non ſolùm intendiſſe peccatorum remedium, ſed alia inſuper bona quædam noſtra, putà iuſtitiam, ſanctificationem, &c. quæ ſunt à peccatis independentia, & habent integram vim finalizandi, etiamſi ſupponamus Adamum nunquam peccaſſe. Quamuis enim illa bona reperiantur de facto coniuncta cum hominum redemptione, per quam ſanctificamur, glorificamur, & influxum Chriſti, vt Capitis, experimur. Tamen vt abſtrahentia à redemptione, amabilitatem habent, & ſecundùm ſe, præciſeque ſumpta, proponuntur locis ſuperiùs allatis, quaſi à Deo intenta.

3. Et ſanè ſanctificatio, glorificatioque Angelorum, quorum Chriſtus fuit Caput, nullo modo coniuncta eſt cum redemptione, quemadmodum nec ſanctificatio Adami ante peccatum. Quam tamen à Chriſto manaſſe, non ſecus ac Angelorum, ſuperiùs oſtendimus, & indicat ſatis Paulus *Eph.* 1. his verbis, *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* Vbi docet omnem benedictionem (ac per conſequens, eam quæ fuit ante peccatum) fluxiſſe à Chriſto. Quare ratio prædeſtinandi Chriſtum in hunc finem, neceſſariò debet eſſe alia à redemptione, & vniuerſalior; vtputà ſe extendens ad eum priorem Adami peccato ſtatum, in quo non

Digitized by Google

non erat opus redemptione. Erui etiam poteſt efficax argumentum ex epiſtola ad Epheſios.

4. Nam ex Patribus, Hieron. *in cap. 5. ad Eph.* Auguſt. *lib. 9. de Geneſi, cap. vlt.* Bern. *ſerm. 2. de Septuageſima*, & aliis certum eſt, Deum Adamo in ſtatu innocentiæ reuelaſſe myſterium Incarnationis præfiguratum in eius, Euæque coniugio. Nec enim vllo modo eſt probabile, Adamum ignoraſſe ſui ſignificationem coniugij; *Quod magnum erat in Chriſto, & in Eccleſia Sacramentum. Epheſ. 5.* Sanè non ignoraſſe oſtendunt hæc eius verba; *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, &c. quæ verba diuino afflatus Spiritu protulit, ſignificans myſterium Chriſti & Eccleſiæ, vt conſtat ex Apoſtolo, citante eam ipſam in rem illa Adami verba *capite illo quinto, verſu 30.* Vnde ſic argumentor. Si Deus Adamo antequam peccaret, reuelauit incarnationem, oportuit etiam vt ei reuelaret finem aliquem totalem, & ſufficientem, propter quem Chriſtus de facto decretus, & venturus eſſet; nempe vt ab eo eſſet omnis Angelorum hominumque ſanctificatio, &c. Nec finis tunc reuelatus poteſt dici fuiſſe redemptio, vel aliquid neceſſariam habens connexionem cum redemptione: quandoquidem Adamus antequam laberetur, non debuit habere certitudinem de peccato ſuo. Nec admittendum quod ait Proſper *lib. 2. de promiſſionibus, c. 1.* Adamum ex latere Chriſti in cruce pendentis præuidiſſe formandam Eccleſiam. Licèt enim talis reuelatio facta de peccato ſuo liberè commiſſo, libertatem in ipſo Adamo non poſſet omninò, & abſolutè tollere, cùm eam præſupponeret: ad nihil tamen potuit eſſe vtilis, neque fuit diuinæ prouidentiæ tam triſti cognitione animum Adami affligere ac frangere. Illi ergo aliquem alium præter redemptionem oportuit reuelatum eſſe finem totalem & ſufficientem, vi cuius venturum eſſe Chriſtum intellexerit.

5. Non ſatisfacit quod Leſſius reſpondet *ſect. 2. de prædeſt. Chriſti*, ſignificationem incarnationis in matrimonio Adami fuiſſe tantùm allegoricam, & cognitionem, quam inde Adamus habuit Chriſti venturi, fuiſſe confuſam, nec diſtinctam. Dico enim ſignificationem illam allegoricam (hoc eſt, ad Eccleſiæ myſteria pertinentem) ſi vera fuit, præſuppoſuiſſe incarnationem decretam ante prædictum matrimonium, atque adeò ante peccatum. Cognitionem item Adami confuſam non minùs debuiſſe, vt vera eſſet, præſupponere ſuum obiectum, & futuram incarnationem, quàm ſi fuiſſet diſtinctiſſima. Nec prædicta ſignificatio & cognitio debuit eſſe tam imperfecta, vt nullus finis, cur Chriſtus venturus eſſet, Adamo appareret. Non item verum eſt, quod addit idem author, Adamum non fuiſſe typum Chriſti, niſi poſt ſuum peccatum; atque adeò in innocentia non potuiſſe repræſentare per ſuum coniugium vnionem Chriſti cum Eccleſia. Clarum enim eſt, quod quemadmodum cùm peccauit, repræſentauit per antithesin Chriſtum omnis gratiæ in nos deriuatæ fontem, ratione deriuationis peccati, & mortis in omnes homines: ſic etiam in ſua innocentia per veram ſimilitudinem eundem Chriſtum repræſentabat ratione deriuationis gratiæ originalis, & vitæ ſpiritualis, quæ fuiſſet in omnes poſteros traducta, ſi ipſe non peccaſſet. Erat enim tam verè conſtitutus caput ad ſalutem & iuſtitiam transfundendam, quàm ad culpam tranſmittendam. Igitur cùm typus eſſet Chriſti etiam ante peccatum, nihil eſt cur non potuerit ſuo coniugio Chriſtum repræſentare, vt Sponſum Eccleſiæ.

6. Principium verò petit ibidem Leſſius, cùm probat Adamum non habuiſſe reuelationem incarnationis, quia ſic fuiſſet præſcius ſui peccati, à quo incarnatio neceſſariò dependet. Id enim quod pro ratione affert, eſt in quæſtione, eique negatur. Principium etiam petit, cùm ſic argumentatur: Si quid Adamo fuiſſet diſtinctè reuelandum, non ſola incarnatio, ſed maximè formatio Eccleſiæ ex latere Chriſti in Cruce. Atqui hoc reuelatum non fuit, cùm ſupponat peccatum, ac mortem Chriſti. Ergo, &c. Ad maiorem enim reſpondeo, fatendum quidem eſſe, cùm reuelatum eſt ei myſterium Incarnationis, reuelatam etiam ei fuiſſe Eccleſiæ à Chriſto originationem, & vtriuſque ſponſationem, atque coniunctionem, at non perficiendam per Crucem, laterisque vulnus, ſed per cordis mirabilem dilectionem.

7. Afferri etiam meritò poteſt pro Chriſti ante præuiſum peccatum prædeſtinatione locus ille, in quo Apoſtolus *Coloſſ. 1.* vocat Chriſtum *primogenitum omnis creaturæ*. Ibi autem conſtat ſermonem eſſe de Chriſto vt homine, ſicut exponit epiſtola Concilij Sardicenſis ad omnes fideles; vbi Chriſtus eſſe dicitur vt Verbum, vnigenitus; vt homo, primogenitus. Quam expoſitionem ſequuntur Patres, Chriſoſt. Hieron. Anſelmus, &c. Item gloſſa illius loci. Porrò ſi Chriſtus, qui tardè natus eſt, dicitur ſecundùm humanitatem primogenitus omnis creaturæ, id non intelligi poteſt, niſi ratione prædeſtinationis in mente Dei factæ, priuſquam de cæteris creaturis aliquid decerneretur, ac per conſequens, priuſquam præuideretur peccatum. Quod Leſſius reſpondet, atque Cornelius à Lapide, locum illum Apoſtoli accipiendum eſſe de Chriſto vt Deus eſt, primò aduerſatur Patribus ſupra citatis, vt fatetur ipſe Cornelius. Secundò non videtur conuenire cum iis quæ Apoſtolus de Chriſto ſubdit dicens; *Ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, &c. Per ſeque conſtat, quàm ſit improprium, & propter Arianos periculoſum, dicere, quòd Verbum Patris, vt tale, ſit inter creaturas primogenitus.

8. Afferri ſolent & quidam alij loci ex ſacris Scripturis, quos, cùm iam dicta ſufficiant, non eſt mens longiore hîc diſputatione in rem noſtram exponere. Quale v.g. illud eſt quod dicitur *Prouerb. 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, &c. Vbi de Sapientia Dei creata, hoc eſt, de Chriſto, ſermonem eſſe probat verſio ſeptuaginta Seniorum, quæ habet, *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum*. Quale item eſt, quod ipſe Chriſtus ait *Ioan. 17. Clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet apud te.* In quem locum ait Maldonatus, ſecundùm omnes, quos legerat, Patres, Chriſtum loqui non de claritate diuina & increata; hanc enim apud Patrem ſemper habebat, nec erat quòd peteret; ſed de creata, quam nempe ſecundùm exequutionem nondum habebat apud Patrem, habuerat tamen apud eundem, priuſquam mundus eſſet, ſecundùm prædeſtinationem. Qua de re videri poteſt Diuus Auguſt. in eum locum.

***

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

Idem Probatur ex Patribus.

1. NOTANDVM eſt ſanctos Patres, cùm de Incarnationis myſterio diſputarunt, de illo ferè ſemper, quale in mundo reapſe apparuit, ſermonem feciſſe: nec alio modo repræſentare ſolitos fidelibus Chriſtum, quàm paſſibilem; eo ſcilicet modo, quo ipſe in terris de facto viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus. Quid enim de illo potiùs dicerent, quàm quod in humani generis oculis geſtum eſt? Quemadmodum & ipſos videmus facere pictores, qui eum non aliter, quàm vel in Cruce pendentem, vel in præſepi iacentem, vel aliquid in mortali, ærumnoſaque vita ſeu facientem, ſeu patientem penicillo & coloribus pingunt. Quia ſcilicet talem, nec alium mundus illum vidit. Ita qui Regem non vidit niſi armatum, quoties poſteà ipſum animo intuetur, non aliter eum vtique ſibi, quàm armis inſtructum, cogitatione depingit. Peculiaris verò eſt ratio, cur Patres debuerint in hoc Incarnationis myſterio Chriſtum proponere mortalibus vt Redemptorem, & atrociſſima, eorum cauſâ perpeſſum; quòd talis cogitatio aptior ſit vt excitentur animi quà ad peccati odium, quà ad ipſius Chriſti amorem. Inde factum eſt, vt rariùs ea, quæ Chriſtus in ſtatu perſeuerantis innocentiæ beneficia generi humano collaturus erat, attigerint: cùm ea, vt nunc eſt, minùs ad nos pertinere videantur. Non caret nihilominus ſanctorum Patrum præſidio noſtra hæc ſententia, quæ Chriſtum aſſerit, antecedenter ad peccati præuiſionem decretum, atque perſeuerantes in innocentia homines, gratiis, beneficiiſque cœleſtibus cumulaturum fuiſſe.

2. Atque adduci primò poteſt Irenæus, qui *lib.* 3. *c.* 33. aſſerit Chriſtum præextitiſſe in Dei mente, ac prædeſtinatione lapſui Adami; ſic loquens: *Vnde à Paulo typus futuri* (Chriſti) *dictus eſt Adam, quoniam futuram circa Filium Dei humani generis diſpoſitionem in ſemetipſum fabricator omnium Verbum præformauerat, prædeſtinante Deo primum animalem hominem, videlicet vt à ſpirituali ſaluaretur. Cùm enim præexiſteret ſaluans, oportebat & quod ſaluaretur, fieri, vti non vacuum ſit ſaluans.* Hactenus Irenæus, qui vult Deum, poſtquam ſpiritualis homo (nempe Chriſtus) prædeſtinatus eſſet, atque eatenus iam præexiſteret, prædeſtinaſſe conſequenter animalem hominem, vt ſaluaretur à Chriſto ipſo, qui nempe paratus erat vt ſaluaret, & erat ſaluans in actu primo, & quem oportebat (hoc eſt, conueniens erat) eſſe ſaluantem in actu ſecundo, vt non vacua in illo eſſet vis ſaluandi.

3. Circa hunc locum non eſt audiendus Leſſius, cùm vult Chriſtum non poſſe dici prædeſtinatum ad munus Saluatoris, niſi præſuppoſitis ſaluandis. Id enim verum non eſt ſi loquamur de illo qui non ſit Saluator in actu ſecundo, ſed tantùm aptitudinem habeat ad ſaluandum. Negatur item quod addit, hunc ſanctum Patrem loqui de ſaluantis præexiſtentia, non quoad prædeſtinationem; ſed quoad rem ipſam. Conſtat enim contrarium ex eo quod ait Irenæus, prædeſtinatum eſſe animalem hominem vt à ſpirituali ſaluaretur. Quis non videt illi prædeſtinationi hominis animalis præſupponendam eſſe hominis ſpiritualis prædeſtinationem? Quare dicit poſteà, cùm præexiſteret ſaluans, oportebat & quod ſaluaretur, fieri. Cui conſonum eſt quod dixerat *cap.* 22. lapſum hominis permiſſum fuiſſe à Deo præſtruente, & præparante adinuentionem ſalutis, quæ facta eſt à Verbo. Vult ergo ante permiſſionem peccati eſſe prædeſtinatum remedium.

4. Nec magis audiendus eſt Delugo cùm ait, Irenæum *illo cap.* 33. loqui de Chriſto vt volito ante præuiſionem peccati à Deo per affectum ſimplicem voluntatis, ſeu per ſimplicem complacentiam: vel de eodem Chriſto, vt Deo, ſeu de ipſo Verbo æterno; quod erat, inquit, potens ſaluare & ſaluans in actu primo. Huius reſponſi neutrum membrum valet. Nam prius quidem nullo modo conueniens eſt doctrinæ aduerſariorum. Si enim Deum ante præuiſionem peccati, & abſtrahendo à redemptione, fatentur habuiſſe actualem complacentiam Chriſti; quomodo negant hunc ab illo volitum tunc, ac decretum efficaciter? & quomodo ipſorum aliqui, vt Leſſius; inficiantur, Chriſtum ante præuiſionem peccati fuiſſe poſſibilem, vtpote incarnatione habente humiliationem Verbo indignam per ſe? Quod ad ſecundum membrum reſponſi attinet, dico Verbum ſecundùm Diuinitatem, ante decretum incarnationis, non poſſe dici ſaluans, ne quidem in actu primo, cùm non poſſit ſatisfacere, nec humiliari, nec mereri, niſi per humanitatem aſſumptam. Quod ſi ex eo præcisè, quòd ante decretam incarnationem haberet aptitudinem ad ipſam, dici potuit ſaluans: Ergo Pater, & Spiritus ſanctus, eodem modo fuit ab æterno ſaluans: atque adeò oportuit fieri quod & à Patre, & à Spiritu ſancto ſaluaretur, vt non vacuum ſit ſaluans. Id verò quis dicat? Quomodo Chriſtus, vt Deus, & vt Verbum æternum, dici non poſſit ſaluans, ſed ſit tantùm vt homo fundamentum noſtræ ſalutis, diſertè aſſerit, explicatque Cyrillus *lib.* 5. *Theſauri*, *c.* 8.

5. Clariùs etiam, quàm Irenæus loquitur pro noſtra ſententia idem Cyrillus loco iam citato; vbi iuxta verſionem Georgij Trapezuntij, ſic habet: *Præuidit Deus* (per ſcientiam nempe mediam) *peccaturum hominem; præuidit etiam, quomodo renouaretur, & ad immortalitatem rediret. Ideò quaſi radices huius ſpei in Filio ſuo nobis depoſuit, per quem nos ad adoptionem vocauit; vt quando præuaricatione in mortem caderemus, ex priſca illa radice in vitam rurſus reſurgeremus.* Subdit verò deinde ſanctus hic Pater. *Præfundatur igitur ante nos Chriſtus* (προθεμελιοῦται ἡμῶν) *hoc eſt, antea nobis fundamenti loco ponitur, & in ipſo nos omnes ſuperædificamur, idque ante initium mundi in præſcientia Dei: vt cùm ordine diuino benedictio maledictionem antecesſerit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & ſeruitutem diaboli a doptionis libertas, poſſit natura humana ſuperatis malis, quæ interim acciderunt, in priſtinam per gratiam Chriſti* (*qui fundauit eam in bonis*) *dignitatem recurrere; taliſque fieri, qualem Deus ex charitate per Filium ſuum futuram conſtituit.* Hæc Cyrillus, ad quæ reſpondent Vaſques, Delugo, & alij, ſenſum huius Patris eſſe, Chriſtum fuiſſe in decreto diuino, priuſquàm nos in tempore. Meritò hanc explicationem reiicit Ariaga, proptereà quod Cyrillus dicat, quòd ordine diuino benedictio maledictionem præceſſerit. Quæ verba (inquit Ariaga) ne planè nugatoriè explicemus. Patres debent ita intelligi, vt ſi loquamur de benedictione in intentione Dei, etiam accipiamus maledictionem in eadem intentione: aut ſi maledictionem in tempore, ita benedictionem in tempore. Conſtat autem, quòd benedictio, quæ in tempore Per Chriſtum fit, non præceſſit maledictionem

diĉtionem,ſed è contrario.Ergo loquitur Cyrillus de benedictione in intentione Dei , ob quam benedictionem permiſſa eſt in poſteriori maledictio. Ita quidem Ariaga,qui tamen difficiliorem ipſe,nec meliorem ſolutionem affert. Quare illi diffidens, fatetur videri hunc Sanctum Patrem in noſtra fuiſſe ſententia.

6. Poſſumus & huic negotio aptare, quod idem Sanctus Cyrillus *cap. 3.* eiuſdem libri ſcribit contra Arianos ; cùm enim ex eorum doctrina intuliſſet Chriſtum & poſteriùs nobis , & non niſi propter nos à Deo volitum : *Cur ergo gratias* , inquit , *nobis non agit , qui propter nos eſt ? Si propter nos factus eſt Filius , & non propter Filium nos, erimus nos ipſo multò præſtantiores.Præterea ſi propter nos Filius factus eſt, vt dicere audent , primi nos erimus apud Deum. Sic enim nos Deus primò , deinde Filium propter nos intendiſſe videbitur* , &c. Quæ Cyrilli ratiocinatio clarè oſtendit , Chriſtum , etiam vt hominem , non poſſe dici eſſe propter nos peccatores.

7. Huc referri poteſt quod ait Anſelmus *lib. 1. cur Deus homo , c.18. Non poſſe dici , homines ideò ad beatitudinem aſcendiſſe , quod ab ea Angeli cecidiſſent : quia ſequeretur id abſurdiſſimum , quòd nempe homines peruerſa gratulatione poſſent gaudere de Angelorum perditione.* Ergo inquam ego , non putauiſſet Anſelmus Chriſtum ob hominum cladem exiſtentiam habuiſſe. Sic enim occaſionem haberet de ea gaudendi.

8. Auguſtinus *tomo 7. lib. 1. de nuptiis , c. 21.* ſupponit neceſſariò exiſtentiam Chriſti Adamo non peccante , cùm ait *futurum fuiſſe in caſu perſeuerantis hominum innocentia , vt matrimonium eſſet ſacramentum , & ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia.* Reſpondet Ariaga, & alij, non dixiſſe Auguſtinum, quòd matrimonium foret verum ſacramentum, cùm tale non fuerit in vetere lege , nec aliud voluiſſe illum , quàm quod voluit Paulus , matrimonium eſſe magnum Sacramentum in Chriſto , & in in Eccleſia , hoc eſt , eſſe ſignum coniunctionis ſpiritualis Eccleſiæ cum Chriſto. Sed ad hoc ego dico , ſatis eſſe , quod Auguſtinus voluerit matrimonium , licèt non eſſet verum Sacramentum productiuum gratiæ , futurum tamen fuiſſe ſignum coniunctionis Chriſti , & Eccleſiæ , in caſu , in quo Adam non peccaſſet. Id enim eſt aſſerere , Chriſtum in illo caſu etiam futurum.

9. Ex eiuſdem Auguſtini *lib. 14. de Ciu. c. 23.* elicit argumentum pro noſtra ſententia Rupertus *lib. 13. de gloria Trinit. & proceſſione Spiritus ſancti.* Vult enim Auguſtinus, abſurdum eſſe dicere , quòd generationes hominum , Adamo perſeuerante in innocentia , non fuiſſent futuræ ; quaſi propter homines, vt naſcerentur , peccatum extitiſſet neceſſarium. Quid ergo ſanctum hunc ipſum Patrem æquum fuit ſentire de Chriſto Capite & Rege electorum omnium, cùm Angelorum , tum hominum, niſi quod & ipſe maximè omnium , neceſſarium non habuerit peccatum , vt nanciſceretur exiſtentiam ? Hanc ſententiam noſtram , quæ ſumma probabilitate Chriſtum , etiam Adamo non peccante , venturum fuiſſe euincit , ſic amplexus eſt Suares , vt eam nouo quodam, ſingularique proponat modo ; qui modus iam nobis conſiderandus ſupereſt.

CAPVT VIII.

Expenditur propria Suaris opinio.

1. SVARES *diſp. 5. ſect. 5.* doctrinam proponit , in qua ſecundùm varios ſenſus conciliari poſſint hæ duæ alioqui contradictoriæ propoſitiones Scoti, & Sancti Thomæ. Si Adam non peccaſſet , veniſſet Chriſtus : Si Adam non peccaſſet,non veniſſet Chriſtus. Vult enim Deum in primo ſigno rationis non ſimpliciter , ac nudè Chriſtum prædeſtinaſſe , ſed vt venturum eo modo , qui optimus & illuſtriſſimus intra fines omnipotentiæ diuinæ reperiretur , & de facto occurreret , non apponente ipſo impedimentum Deo. Quare ex vi prædeſtinationis ac decreti ſui tenebatur omninò Deus illum modum optimum permittere. Ergo , cùm ille modus ſit per hominum peccatum , & per redemptionem (adiunctam ſcilicet præſuppoſitis aliorum motiuorum conſiderationibus , quæ ſumuntur ab excellentia Chriſti , ſanctificatione Angelorum, atque hominum , &c.) debebat Deus conſequenter ad prædictum decretum, paratus eſſe peccatum permittere , quantum in ſe erat ; imò non tantùm paratus eſſe peccatum permittere ; ſed (quandoquidem habebat ſcientiam conditionatam) debebat in eo ſigno determinatè velle eam rerum oblatarum arripere ac deſignare ſeriem , in qua videbat Adamum peccaturum. Si enim hoc non ageret , ſuo nequaquam decreto faueret ; quatenus optimum impediret incarnationis modum. Addit verò præterea hic Doctor , Chriſtum in eodem illo ſigno decretum fuiſſe , non ſolitarium , & ſecundùm ſe ; ſed connexum cum creaturis , vt omnium Dominum , & vt Angelorum, hominumque Principem , & Caput. Hic enim modus ad maiorem redundabat ipſius Chriſti gloriam.

2. His poſitis,conſiderandum eſt , quòd Adamum à peccato abſtinuiſſe , concipi poteſt duobus modis. Primò , ſi dicatur non peccaſſe propterea quòd Deus ſpeciali prouidentiâ & gratiâ efficaciter impediuit peccatum illius. Secundò , ſi dicatur non peccaſſe , quia per ſcientiam conditionatam in nulla occaſione (quod antecedenter impoſſibile non erat) peccaturus præuidebatur ; ſiue , quod idem eſt , quia Deo per ſpecialem prouidentiam non impediente peccatum , ſed ſolùm dante gratiam ſufficientem, qualem de facto dedit , ipſe Adamus (quod abſolutè poterat) non peccato conſenſit , ſed vſus eſt gratia ſufficiente.

3. Iam inquit Suares : cùm in priori ſenſu hæc hypotheſeos verba proferemus , *Si Adam non peccaſſet* : debebimus dicere , Chriſtum non fuiſſe venturum vi eius decreti , quod de ipſo Deus habuit. Per id enim quod in tali hypotheſi includitur , tollitur permiſſio diuina peccati ; atque adeò decretum illud in quo permiſſio huiuſmodi continetur. Cùm autem in ſecundo ſenſu proferentur eadem hypotheſeos verba , *Si Adam non peccaſſet* : debebimus dicere , quòd Chriſtus vi præſentis decreti veniſſet. Nam ita non tollitur permiſſio peccati incluſa in diuino decreto , & decretum ipſum verè concipitur (quantumuis Adamus dicatur in hoc ſecundo ſenſu non peccare) integrum manere ; atque adeò debet, cum efficax fuerit , ſortiri ſuum effectum. Si enim in huiuſmodi ſenſu Adamus ſupponatur non peccare , ſequitur quod optimus modus qui ſe offert mittendi

Digitized by Google

mittendi Chriſtum, non eſt peccatum. Ergo alium modum inter eos qui ſe offerunt, eligere debebit Deus vi ſui decreti, quo ſe ad optimum modum qui ſe offerret, obligarat.

4. Vult igitur Suares Deum ſtatuiſſe in primo ſigno, Chriſtum (non ſine Angelis & hominibus, quorum Caput eſſet, Princeps ac Dominus) mittere in mundum; ſed optimo qui ſe offerret modo. In ſecundo ſigno voluiſſe dare præceptum Adamo, ne pomum comederet. In tertio, quia mittendi Chriſtum nullus erat melior poſſibilis modus, quàm ſi Adamo peccante veniret vt optans & petens eſſe Redemptor, noluiſſe impedire Adami peccatum; ſed voluiſſe conditionatè illum modum mittendi Chriſtum vt Redemptorem, ſi ipſe Adamus peccaret. In quarto præuidiſſe peccatum. In quinto Chriſtum mittere decreuiſſe illo nouo totali fine abſolutè, vt homines redimeret. Vbi nota hunc nouum finem vocari totalem; non quaſi non penderet hic ipſe nouus finis à prioribus finibus (quos Deus habuerat ſumptos à Chriſti excellentia, ab Angelorum, hominumque ſanctificatione, quæ per ſe abſtrahunt à peccatis) aut eſſe, operatiue poſſet, ſi illi non fuiſſent. Cùm enim Chriſtus non fuerit decretus vt Redemptor, niſi quatenus id ipſe petiit, & obtinuit à Patre, poſtquam vi præcedentium finium totalium iam præſupponebatur; conſtat quòd ille nouus redemptionis finis non extitiſſet, nec mouiſſet Deum, ſi alij fines non extitiſſent, & Chriſtum decerni feciſſent. Verumtamen non obſtante illa dependentiâ, redemptio non deſinit eſſe finis totalis. Non enim eſt vllo modo finis partialis, nec facit vnum finem totalem cum præcedentibus finibus; ſed habet ſufficientem vim finalizandi non adiutus ab aliis: quamuis tamen non extiturus fuiſſet abſque illis. Quemadmodum tu, quamuis hæc iam non legeres, niſi fuiſſes à tuo patre productus; non tamen ita te pater tuus iuuat ad hæc legenda (de quibus nunquam cogitauit) vt non ſis legendi verè cauſa totalis.

5. Hanc doctrinam ſummi Doctoris, quæ mihi videtur non nihil alludere ad eam Caietani opinionem, quam ſuperiùs *cap.2.num.*10. retulimus, Vaſqueſius *diſput.* 10. *cap.*3. explicat; ex principiis verò ſibi propriis impugnat *diſput.*11.*cap.*4. & 5. Reiiciunt pariter Delugo & omnes illi qui venturum fuiſſe negant Chriſtum, ſi Adam non peccaſſet; multi item eorum qui venturum in eo etiam caſu fuiſſe aſſerunt, vt Hurtadus, Peres, Martinonus, & alij. Ego quidem etiam probare non poſſum. Prima ratio eſt, quia nimis gratuitum, & falſum mihi videtur dicere, quod ſi Adam per peculiarem prouidentiam Dei ipſum efficaciter præuenientis abſtinuiſſet à peccato, non venturus fuiſſet Chriſtus vi præſentis decreti. Vnde enim hoc diuinari potuit? Quia, inquies, Deus voluit mittere Chriſtum optimo modo poſſibili: optimus autem modus eſt, vt mittatur per peccati permiſſionem. Sed contra: nam nec certum eſt, quod Suares aſſumit, optimum modum eſſe, vt mittatur Chriſtus per peccati permiſſionem. Potuiſſet enim Chriſtus forſitan æquè glorioſè & heroïcè virtutes exercere, ac attributa diuina prodere abſque hominum peccato, ſi Adamum per merita ſua incruenta quędam extraordinaria pręſeruaſſet à lapſu. Nec prætereà opus eſt vt Deus voluerit mittere Chriſtum optimo modo, qui in toto ambitu omnipotentiæ, & in omni ſerierum poſſibilium numero reperitur; ſed ſatis eſt quod voluerit mittere optimo eo modo, qui occurſurus eſſet in illa ſerie, quam aliunde per ſublimiſſimam ſuam prouidentiam eſſet electurus. Ita vt Deus non ſe ex vi talis decreti ad hanc, quæ de facto eſt, ſeriem obligarit; ſed potiùs manſerit adhuc liber ad aliam eligendam, in qua Adam efficaciter præueniretur, & in quo optimus modus mittendi Chriſtum alius occurreret, quàm is, qui fuit cum hominum peccato.

6. Secunda ratio eſt, quia mihi videtur valde durum aſſerere, quòd Deus antecedenter habuerit tale decretum de mittendo Chriſto, vi cuius decreti teneretur ex omnibus poſſibilibus rerum ſeriebus hanc vel eligere, vel ſaltem non vitare, in qua Adamus peccauit, & non poſſet eas ſtudioſè, vtens ſcientiâ conditionata, eligere, in quibus præuideret Adamum non lapſurum, & gratias efficaces habiturum.

7. Tertia ratio. Quoniam Suares per illam à ſe excogitatam doctrinam facit eſſe ridiculum ſenſum, in quo vera eſſe poſſit hæc Scoti propoſitio; Etiamſi Adam non peccaſſet, Chriſtus veniſſet vi eius decreti quod re extitit. Perinde enim eſt in ſenſu Suaris, ac ſi ita diceret Scotus; Etiamſi Adamus carens gratiâ efficaci, & habens gratiam ſolùm ſufficientem (hoc eſt, cum qua præuidebatur à Deo eſſe infallibiliter peccaturus) abſtinuiſſet à peccato, Chriſtus veniſſet. In quo ſenſu talis ſuppoſitio inutilis eſt & chimærica. Poſtquam enim ſuppoſuerimus gratiam eſſe ſolùm ſufficientem (qualem Deus præuideret omninò, ac ſupponeret, quando illam vi ſupradicti decreti daret) impoſſibile eſt omninò vitare peccatum. Itaque dico, ſi Adamus ex principiis Suaris non potuit ſine ſpeciali prouidentia Dei efficaciter præuenientis abſtinere à peccato; nonne opinionem Scoti, quem ſpecie tenus ſectatur, inutilem reddit, dum eam ad caſum redigit chimæricum; in quo ſcilicet is non peccet, qui iam ſupponitur gratia efficaci non præueniendus, & infallibiliter peccaturus? Nonne ridiculam illam reddit, cùm vult veram ſolùm eſſe in caſu, in quo is qui peccaturus ſupponitur, non ſit peccaturus? Interim verò, ſi hæc hypothetica Scoti propoſitio; Si Adamus non peccaſſet, Chriſtus veniſſet, ſumatur in eo ſenſu, in quo ſolo verificari, & in abſolutam, purificata conditione, tranſire poterat; vult Suares illam eſſe falſam. Sanè hoc eſt abſolutè pronunciare ſecundùm opinionem, quæ aſſerit Chriſtum Adamo in innocentia perſeuerante non fuiſſe vi præſentis decreti venturum: quam tamen opinionem ſe impugnare profitetur prædictus Author, hoc eſt, impugnare Scotum per ſpeciem hunc defendendi. Voluit enim omninò Scotus, vt quicunque hactenus ei adhæſerunt, Chriſtum fuiſſe vi præſentis decreti venturum, quamuis Adamus per gratiam Dei efficacem adiutus non peccaſſet.

8. Quarta ratio. Cùm Suares *diſp.*5.*ſect.*2 *ſub fin.* teneat Chriſtum in primo ſigno haud potuiſſe per voluntatem Dei antecedentem decerni vt Redemptorem, contra aliquos Thomiſtas, quorum meminit Vaſques *diſp.*11.*cap.*3. §.2. & 3. nam ita ſequeretur Deum antecedenti voluntate voluiſſe, vt homines redemptione indigerent, & peccarent: peto quomodo idem Author exiſtimet Deum voluntate antecedenti voluiſſe Chriſtum vt venturum optimo modo, cùm ille optimus modus, qui per ſcientiam conditionatam præuidebatur actu futurus, includat redemptionem, ſuppoſita eadem Dei ſcientiâ conditionata circa Adamum; & peccatum ſupponat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

Soluuntur argumenta ex Scriptura, & Patribus ſumpta, quibus fulcitur ſententia negans venturum fuiſſe Chriſtum Adamo non peccante.

1. DIuus Thomas *hoc loco*, & vniuerſa eius Schola contrariam defendit ſententiam; quam Diuus etiam Bonauentura in 38. *diſt. art.*2. magis eſſe Scripturæ, Patribuſque conſentaneam pronunciauit; & hunc tandem ſequutus Marſilius, poſtquam ſe in re tam abſcondita, & vtrinque probabili ancipitem eſſe dixiſſet *in* 3. *q.*1. *art.*3. Idem tenent Ricardus, Gabriel, & ex noſtris Vaſquez, Valentia, Becanus, Leſſius, ac nouiſſimè Delugo, Bernal, &c. fundamentum eorum ſæpiùs attigimus ſuprà. Quia nimirum in quæſtione facti contingentis, & Deo liberi non debemus ſapere vltra ſcripturarum reuelationem, & Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum traditionem. Scripturæ autem, & Patres nullam agnoſcunt incarnationis cauſam, præter hominum redemptionem. Huic fundamento accedunt argumenta nonnulla deſumpta ex ratione, quæ afferemus & ſoluemus infrà.

2. Quod attinet ad Scripturam; ex ea argumentantur negatiuè; quatenùs ſcilicet nullibi tradit, fuiſſe Chriſtum à Deo volitum independenter ab hominum redemptione. Argumentantur etiam poſitiuè, quatenus eadem Scriptura videtur omne incarnationis motiuum aliud excludere, vt *Matth.*4. vbi Chriſtus ait; *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Et *Luc.*15. vbi ex parabola paſtoris, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deſerto, deſcendit vt quæreret vnam aberrantem, non vtique deſcenſurus, niſi hæc aberraſſet; colligunt neque Chriſtum deſcenſurum fuiſſe de cœlo, niſi natura humana per peccatum aberraſſet, tanquam ouis. Eodem modo argumentantur ex alia parabola *Marc.* 12. vbi paterfamilias mittit filium ſuum, non ob aliam cauſam, niſi quoniam agricolæ occiderant ſeruos eius ad ſe miſſos: *Quia*, inquit, *reuerebuntur filium meum*, &c. Non afferuntur vlla Scripturæ loca his validiora.

3. Reſpondeo ad authoritatem Scripturæ negatiuam. Primo, quamuis verum eſſet, quod illi aſſumunt, non reuelari aliam cauſam incarnationis præter redemptionem; non tamen inde ſequeretur nullam aliam eſſe. Solorumque hæreticorum eſt negare id omne, quod in Scriptura non legerunt. Certè in præſenti materia nobis ſatis eſſe poſſet, quòd ſcriptura nulla, vel reuelatio ſit in contrarium. Quemadmodum licèt ſcriptura, quæ dicit Angelos productos eſſe in miniſterium hominum, non adducat vllam aliam finalem cauſam ipſorum creationis, id tamen non impedit quo minùs D. Thom. & alij vulgò teneant, illos creatos fuiſſe propter ſuam propriam excellentiam, & eam magnam ſimilitudinem quam cum Deo habent. Non enim eſt opus, vt Scriptura explicet omnia: præſertim verò eas rationes, quæ ſatis ex natura rei intelliguntur, & per ſe intrinſecæ ſunt alicui negotio. Sanè ratio amabilitatis per ſe, quæ in Chriſto reperitur, tam intrinſeca eſt incarnationi, vt non ad eam aſſerendam ſit opus reuelatione expreſſa, ſed potiùs ad illam inficiandam. Secundò dico, falſum eſſe ſileri in oraculis diuinis alias incarnationis rationes abſtrahentes ab hominum peccato, & redemptione, quemadmodum oſtendimus ſuprà *cap.*6. *num.*2.

4. Ad authoritatem Scripturæ poſitiuam reſpondeo, ſcripturam iis locis, quibus veniſſe Chriſtum propter peccatum aſſerit, nullibi poſitiuè excludere motiua abſtrahentia à peccato. Et aduerſarij quemadmodum cùm ab authoritate negatiua argumentantur, imitantur hæreticos, qui omne quod in ſcriptura non legitur, reſpuunt; ſic & nunc cùm argumentantur authoritate poſitiua, & particulas excluſiuas, quas ſcriptura non apponit, ipſi per expoſitionem ſuam addunt, ſic argumentantes; Redemptio hominum fuit ex ſcriptura occaſio incarnationis. Ergo ſola redemptio fuit occaſio. Quæ conſequentia non eſt melior, quàm dum Caluiniſtæ dicunt: Fides ex ſcriptura iuſtificat; Ergo ſola fides iuſtificat.

5. Ad Patrum authoritates, quas multas conglobant, reſpondeo in vniuerſum, ne ſingula proſequens infinitus ſim, illos ſolitos eſſe ſcriptis ſuis celebrare illas operum diuinorum rationes, quæ magis ad nos pertinent, & quas magis expedit à fidelibus intelligi ad mores informandos; qualis ratio in myſterio incarnationis eſt redemptio: hæc enim maximè nos tangit, & faciliùs, vtiliuſque intelligitur, quàm aliæ ſuperiores, & abſtruſiores, quas ſi ſancti Patres non ita ſæpè explicarint; non tamen ſequitur illos eas propterea negaſſe. Quare nullam habent difficultatem ea Patrum loca contra nos afferri ſolita, quæ multa inuenies apud Vaſquem *cap.*5. vbi Chriſtus dicitur veniſſe occaſione peccati, & cauſam incarnationis fuiſſe redemptionem; id enim & nos concedimus, & cum Nicænis Patribus canimus, *Qui propter nos homines* (redimendos) *& propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.*

6. Ad eos igitur præcipuè veniendum eſt Patres, qui viſi ſunt apponere particulam excluſiuam, & omne aliud motiuum negare. Quos tamen dico nec aduerſari nobis. Illi enim loquuntur de incarnatione, provt re contigit in Chriſti carne paſſibili, imò paſſura, & moritura. Quo modo nos fatemur venturum nunquam fuiſſe Chriſtum, ſi homo non peccaſſet; nam nec alij homines, ſi peccatum non extitiſſet, naſcerentur paſſibiles. Præterea eſt aduertendum, quod quoties in præſenti materia Pater aliquis loquitur de hominum ſalute, non eſt opus eum intelligi de ſola ſalute, quæ fit per redemptionem. Nam & ſalus fuiſſet in hominibus, quamuis non peccaſſent, & reperitur in Angelis, eaque per Chriſtum: Itaque qui produci ſolent, quaſi contrariæ ſententiæ expreſſiùs fauentes, reuerà non fauent.

7. Affertur Irenæus *lib.*5. *aduerſus hereſes*, *cap.* 15. ſic loquens: *Si enim non haberet caro ſaluari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet; & ſi non haberet ſanguis iuſtorum inquiri, nequaquam ſanguinem habuiſſet Dominus.* Quis huius Patris de hoc myſterio ſit ſenſus iam *cap.*7. vidimus, *num.*5. & ſequenti. Quare hic de Chriſto, vt paſſibili eſt neceſſariò explicandus. Athanaſius *ſerm.* 3. *contra Arianos: Neceſſitas*, inquit, *indigentiaque hominum anterior eſt, quàm illius natiuitas: quâ ſublatâ carnem non induiſſet.* Ambroſius *lib. de Dominicæ incarnationis Sacramento*, *cap.* 6. *Quæ erat cauſa incarnationis, niſi vt caro, quæ per ſe peccauerat, per ſe redimeretur?* Auguſtinus tum *Pſalmo* 36. vbi explicans illud, *A domino greſſus hominis dirigentur*, ita ſcribit; *Si tamen ô homo non dimitteres Deum, non fieres pro te Deus homo!* Tum

Digitized by Google

Tum *ſerm.*8. *de verbis Apoſtoli*; *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Si homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet.* Tum etiam *ſerm.* 9. *Nulla cauſa veniendi fuit, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera; & nulla cauſa eſt.* Leo Magnus *ſerm.* 3. *in Pentecoſten. Si enim homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus in ſuæ naturæ honore manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret, neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri Filius Dei, formam ſerui, & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret.* Greg. Magnus *in* 4. *Reg. cap.*1. *Et quidem, ſi Adam non peccaret, Redemptorem noſtrum carnem aſſumere noſtram non oporteret.* Cyril. 5. *dialog. de Trinitate*, ſic loquitur de Chriſti humanitate; *Sciat quòd humanitatis crimina illi Diuinitatis gloriæ occaſio fuerint. Nam ſi non peccaſſemus, neque factus eſſet nobis ſimilis, neque ſuſtinuiſſet*, &c.

8. Non afferunt aduerſarij vlla pro ſe ſanctorum Patrum loca fortiora iam adductis; quibus facilè reſpondere poteris ex ſuperiùs prænotatis. Nihilominus notandum eſt, ſententiam ideò noſtram non ruituram, quamuis fortè vnum, aut alterum experiretur Patrem ſibi minùs æquum. Qualem vereor, ſi eius verba rigidè expendantur, vnum aut alterum ex citatis. Vt Leonem, qui quemadmodum ponderat Vaſq. non dixit Chriſtum, ſi homo in ſuæ honore naturæ manſiſſet, non futurum paſſibilem, aut mortalem, ſed non futurum creaturam, aut temporalem, ſeu in forma ſerui. Quamquam & hoc ipſum explicationem patitur, vt intelligatur ſecundùm præſentem ſtatum, in quo Chriſtus non ſine paſſibilitate fuit creatura; & fuit temporalis, hoc eſt, mortalis, ſeu moriturus, & in forma ſerui, ac ſimilitudine carnis peccati. Dices illa gloſſa, ſeu conſideratio paſſibilitatis non magis poteſt addi verbis ſanctorum Patrum, quàm verbis ipſius Diui Thomæ. Nam illi tam plenè, tamque abſolutè, quàm iſte, loquuntur. Reſpondeo magnum eſſe diſcrimen. Sancti enim Patres non negant futurum in Chriſto fuiſſe ſtatum impaſſibilitatis & immortalitatis, Adamo non peccante; quemadmodum facit *quæſt.*1. *art.* 3. D. Thomas, qui abſolutè vult Chriſtum nec paſſibilem, nec impaſſibilem fuiſſe venturum, niſi peccaſſet Adamus, vt conſtat ex toto illo *articulo* 3. v. c. cum ait ad tertium; ſi Adamus non peccaſſet, Deum nequaquam impleturum fuiſſe capacitatem, quam ſecundùm ordinem diuinæ potentiæ habet natura humana: & nihil prohibere quominùs dicatur naturam humanam ad aliquid maius productam eſſe poſt peccatum, quandoquidem Deus permittit mala fieri, vt inde aliquid melius eliciat. Quod nunquam ſanctus Doctor dixiſſet, niſi negaret abſolutè venturum fuiſſe Chriſtum impaſſibilem ante peccatum. Si enim venturus fuiſſet Chriſtus impaſſibilis ante peccatum, non ad minus bonum, quàm nunc prouehi potuiſſet natura humana. Porrò circa Diuum Thomam aduertendum eſt, illum eo ad ſuam ſententiam vti fundamento; in liberis Dei actibus, qualis eſt incarnatio, non debere nos aliud aſſerere, quàm quod fuerit ab ipſo Deo reuelatum. Peto igitur, quare ipſe ſanctus Doctor aſſeruit 1. *part. quæſt.* 89. *art.*1. hunc ipſum animarum numerum qui iam eſt, fuiſſe futurum Adamo non peccante? Illius ſanè rei nulla facta eſt reuelatio.

CAPVT X.

Soluuntur contrariæ ſententiæ argumenta ſumpta ex ratione.

1. SEQVITVR vt videamus, quomodo contrariæ propugnatores ſententiæ poſt productam Scripturæ, ac Patrum authoritatem, ratione pugnent; qui tamen ſibi nec nitendum, nec fidendum eſſe in hac quæſtione fatentur. Omnia hîc argumenta proponemus, quæ validiora obiiciuntur. Vaſquez *cap.*9. affert hoc argumentum: Si verum eſt, Chriſtum, etiam Adamo ſtante, venturum fuiſſe vi eius decreti, quod fuit; is vel venturus erat paſſibilis, vel venturus erat impaſſibilis. Atqui nec paſſibilis venire potuit, nec impaſſibilis vi præſentis decreti. Ergo, &c. Maior eſt certa, cùm inter illos duos modos contradictoriè oppoſitos nullus ſit medius. Minor probatur. Nam paſſibilis non veniret, quandoquidem nec cæteri homines, ſi fidem Adamus Deo ſeruaſſet, paſſibiles fuiſſent. Et in confeſſo eſt, totam cauſam, cur Chriſtus venerit paſſibilis, fuiſſe redemptionis generis humani. Non etiam veniret impaſſibilis, quia ex vi præſentis decreti non poſſet aliam ſumere carnem, niſi eam quam ſumpſit, hæc enim ſola determinata fuit per huiuſmodi decretum: quod cùm fuerit efficax, non alio modo Chriſtum determinauit, quàm eo qui executioni mandatus eſt. Nam repugnat vllam rem aliter euenire, quàm efficaciter fuerit à Deo volita.

2. Reſpondeo negando minorem. Ad cuius probationem primò poſſet aliquis dicere, quòd nimis confidenter ſupponitur, Chriſtum non venire potuiſſe paſſibilem, ſi Adamus à peccato non redimendus fuiſſet. Paſſibilitas enim Chriſti potuit alios habere vſus, quàm redemptionem. Et vndenam habetur indubitatum, cæteros omnes homines futuros fuiſſe penitùs impaſſibiles? Secundò tamen concedo, Chriſtum in tali caſu venturum fuiſſe omninò impaſſibilem vi præſentis decreti. Nam tale fuit hoc decretum, vt incarnationis ſubſtantiam abſolutè definiuerit, modum autem paſſibilitatis, aut impaſſibilitatis Chriſti non niſi conditionatè, & dependenter ab euentu, ſeu ab vſu libertatis Adami: ita vt Chriſtum vellet Deus impaſſibilem quidem, ſi Adam in gratia perſeueraret; ſin minùs paſſibilem. Quare ex vi talis decreti indifferenter venturus erat hoc vel illo modo Chriſtus ſecundùm varietatem conditionis, cui modus incarnationis eius erat illigatus: & quemadmodum poſtulauit hoc decretum, cùm Adamus peccauit, vt Chriſtus veniret paſſibilis, eo modo quo de facto venit; ſic poſtulaſſet vt veniret impaſſibilis, ſi nullum extitiſſet peccatum. Quod contra præſentem ſolutionem replicat, *loco ſuprà citato* Vaſq. non eſt ſolidum, nec verum; & hanc vt à nobis iam propoſita eſt, non eneruat.

3. Gregorius de Valentia *hîc puncto* 7. poſt loca Scripturæ & Patrum affert hanc ſolam rationem, quâ item ferè ſola vtitur Becanus: quod ſententia Diui Thomæ, Dei bonitatem, charitatemque nobis peccatoribus multò magis commendet. Nam ſi quis attentiùs rem conſideret, plus aliquid videtur Deus propter nos peccatores feciſſe, ſi ad remedium peccati Filium ſuum ita miſit in

Digitized by Google

in mundum, vt aliàs miſſurus non fuiſſet. Reſpondeo hanc rationem eſſe infirmam. Nam primò non eſt opus vt Deus id fecerit quod eſt maioris charitatis erga homines lapſos, quemadmodum re ipſa non fecit aduersùs Angelos lapſos: neque enim obligatur id ſemper facere, quod melius in ſe eſt, atque conuenientius; alioqui non eſſet liber ad omnia ſuæ omnipotentiæ obiecta, cùm ea inæqualitatem habeant. Secundò licèt Deus in hac opinione noſtra, miſericordiam non tam oſtendiſſet, quàm ſi propter ſolum peccatum veniſſet, nihil contra nos inde ſequeretur. Nam alias multas perfectiones præter miſericordiam (quæ nulla eſſe poterat, ſi homines in miſeriam non incidiſſent) patefecit, cùm Chriſtum propter amabilitatem eius intrinſecam, & propter decus vniuerſi, bonum Angelorum, &c. miſit. Hæc autem omnia motiua ſimul ſumpta cum hominum redemptione (eo modo, quo nos in noſtra ſententia ſumimus) laudabiliorem, & meliorem faciunt actum, quàm ſola miſericordia, & redemptio, quam aduerſarij conſiderant. Tertiò nego diuinam erga peccatores charitatem prodi magis in opinione D. ui Thomæ, quàm in noſtra. Volunt enim Chriſtum veniſſe propter hominum redemptionem, quaſi propter finem verè totalem, & non ſolùm partialem. Si ergo quis aſſerat, Chriſtum ad nos veniſſe ſola illa charitate, & toto ſtudio, quo veniſſe volunt aduerſarij, & inſuper addat alia motiua altiora non incompoſſibilia (quorum etiam multa pertinent ad charitatem, vt ſunt ſanctificatio Angelorum, &c.) is non minùs, quàm illi, commendat charitatem diuinam; cùm de ea, qualem illi proponunt, nihil velit eſſe detractum. Addo in illis ipſis altioribus, & ab Adami peccato abſtrahentibus motiuis includi magnam ſpeciatim erga nos homines charitatem, verbi causâ, quod Chriſtus venerit vt Eccleſiæ Sponſus, vt noſter Sanctificator, & vt præparatas offerens infinitas gratias, quæ perpetuæ, ac perennes in aureis illis, & gemmeis ſæculis innocentiæ, ſi hanc Adamus conſeruaſſet, extitiſſent, &c.

4. Leonardus Leſſius *tract. de prædeſtinatione Chriſti, ſectione* 1. has nobis rationes opponit. Primò, quia ſi vera eſſet noſtra ſententia, dici verè, & propriè poſſet, Filium Dei non ſumpſiſſe carnem noſtra causâ, ſed ſolùm qualitatem carnis; & nos non eſſe cauſam aduentus illius in mundum, ſed ſolùm, quòd tali modo, & tali tempore venerit. Illud enim non propriè dicitur cauſa, ſine quo res æquè fieret vi cauſæ alterius iam poſitæ. Vnde infert idem Author, nos non teneri agere gratias Deo pro filij incarnatione, & infinita illa Diuinitatis exinanitione, quâ ipſam carnis ſubſtantiam ſibi vniuit; ſed ſolùm pro illa exinanitione, quâ paſſibilitatem carnis aſſumpſit, & paſſionem ſubiit; inter quas duas exinanitiones prior infinitè ſecundam ſuperat. Cùm enim hæc fuerit immediatè ſolius humanitatis, nec Diuinitatem, quæ nihil patiebatur, attigerit, niſi remotè & mediatè; illa fuit propriè, ac immediatè ipſius Diuinitatis, quæ per ſemet carni copulta eſt.

5. Secunda ratio quam prædictus Author opponit, eſt: cùm finis occultus alicuius actionis non poſſit meliùs deprehendi, quàm ex modo exequutionis, oportet præſentis controuerſiæ reſolutionem petere ex iis quæ apparent in exequutione huius myſterij: quæ talia ſunt, vt omnia videantur indicare non alium fuiſſe eius finem, quàm noſtram redemptionem; ſiue attendatur natura, quæ aſſumpta eſt, ſiue perſona aſſumens, ſiue differentia temporis, modus, & reliquæ circumſtantiæ incarnationis. Nam quare aſſumpta eſt natura humana imperfectiſſima, potiùs quàm Angelica, cùm præſertim naturis ſpiritualibus longè conuenientior ſit hæc vnio, quàm corporalibus, quæ non poſſunt eam cognoſcere, nec Deo gratias pro tanto dono agere, & quæ non ſunt propter ſeipſas? Cur Filius, & non Spiritus Sanctus incarnatus eſt? Certè ſi perfectio vniuerſi ſpectaretur, debuiſſet potiùs Spiritus Sanctus (in quo ſiſtit proceſſius intrinſecus Diuinitatis) vniri, quàm Filius. Quare myſterium iſtud poſt tot annorum millia eo peractum eſt tempore, quo genus humanum iam penè perditum eſſet idololatria & omni peccatorum genere? Cur denique Chriſtus ita natus eſt paſſibilis, pauper, humilis, inter tot ærumnas, &c. Hæc omnia nihil aliud videntur clamare, quàm ſolam ſpectatam fuiſſe lapſæ humanæ noſtræ naturæ reparationem.

6. Tertiam rationem adducit idem Leſſius, quia ab iis, qui Chriſtum, Adamo non peccante, futurum fuiſſe volunt, non benè ſtatui poteſt, vtrum glorioſus victurus eſſet, an verò non glorioſus? Vtrum inter Angelos in cœlis, an inter homines in terris?

7. Quarta denique ratio eſt, quòd non verum ſit fundamentum noſtræ ſententiæ, nimirum excellentiam incarnationis talem eſſe, vt hoc myſterium fuerit Deo per ſe, & ſine ordine ad redemptionem expetibile. Includit enim humiliationem, vt Apoſtolus loquitur, & exinanitionem Diuinitatis per ſe indecoram. Non etiam verum eſt, incarnationem pertinere propriè ad perfectionem vniuerſi creati. Neque enim gradus vnionis hypoſtaticę computandus eſt inter ordines & claſſes rerum creatarum. Sed vel eſt aliquid ſublimius ſupra, & extra creaturarum ordines: ſi nimirum conſideretur, vt ipſam inuoluens Perſonam diuinam: vel eſt admodum paruæ, & per ſe nullius entitatis, ſi conſideretur ſecundùm ſe, vt eſt quædam creata pefectio phyſica, non inuoluens ipſam hypoſtaſim. Sic enim aliud nihil eſt quàm modus quidam, vel reſpectus ſupernaturaliter communicatus naturæ creatæ. Confirmatur. Non enim magis perfectio vniuerſi incarnationem requirebat, quàm perfectio imaginis requirat eoſdem realiter, & indiuidualiter colores, qui ſunt in viuente prototypi vultu; aut quàm perfectio regni alicuius requirat, vt filius Regis habitum ruſticum, aut veſtem ſeruilem ſibi aſſumat.

8. Reſpondeo ad primum horum Leſſij argumentorum, mirum eſſe quomodo vir alioquin doctiſſimus non attendat, nos in præſenti materia docere, vnius, & eiuſdem effectus quoad ſubſtantiam conſiderati, poſſe eſſe plures cauſas totales, & per ſe ſigillatim ſufficientes; quod in cauſis finalibus facilè eſt, & frequens. Hoc autem poſito nihil valet obiectio hîc ab ipſo facta, nec refutatione longiore indiget. Nam quamuis aliæ cauſæ deeſſent, ſufficeret ad incarnationem decernendam conſideratio redemptionis hominum; quam dico fuiſſe rationem motiuam, & non ſolùm impulſiuam. Rationem, inquam, incarnationis conſideratæ non ſecundùm circumſtatias, ſed ſecundùm ſubſtantiam. In quo ſententiam Scoti emendamus, aſſerentis decretam fuiſſe propter primi noſtri parentis peccatum incarnationem quoad carnis tantùm paſſibilitatem. Volumus enim nos, eam

Digitized by Google

Tum *ſerm.*8. *de verbis Apoſtoli*; *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Si homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet.* Tum etiam *ſerm.* 9. *Nulla cauſa veniendi fuit, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera; & nulla cauſa eſt.* Leo Magnus *ſerm.* 3. *in Pentecoſten. Si enim homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus in ſuæ naturæ honore manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret, neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri Filius Dei, formam ſerui, & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret.* Greg. Magnus *in* 4. *Reg. cap.*1. *Et quidem, ſi Adam non peccaret, Redemptorem noſtrum carnem aſſumere noſtram non oporteret.* Cyril. 5. *dialog. de Trinitate*, ſic loquitur de Chriſti humanitate; *Sciat quòd humanitatis crimina illi Diuinitatis gloria occaſio fuerint. Nam ſi non peccaſſemus, neque factus eſſet nobis ſimilis, neque ſuſtinuiſſet*, &c.

8. Non afferunt aduerſarij vlla pro ſe ſanctorum Patrum loca fortiora iam adductis; quibus facilè reſpondere poteris ex ſuperiùs prænotatis. Nihilominus notandum eſt, ſententiam ideò noſtram non ruituram, quamuis fortè vnum, aut alterum experiretur Patrem ſibi minùs æquum. Qualem vereor, ſi eius verba rigidè expendantur, vnum aut alterum ex citatis. Vt Leonem, qui quemadmodum ponderat Vaſq. non dixit Chriſtum, ſi homo in ſuæ honore naturæ manſiſſet, non futurum paſſibilem, aut mortalem, ſed non futurum creaturam, aut temporalem, ſeu in forma ſerui. Quamquam & hoc ipſum explicationem patitur, vt intelligatur ſecundùm præſentem ſtatum, in quo Chriſtus non ſine paſſibilitate fuit creatura; & fuit temporalis, hoc eſt, mortalis, ſeu moriturus, & in forma ſerui, ac ſimilitudine carnis peccati. Dices illa gloſſa, ſeu conſideratio paſſibilitatis non magis poteſt addi verbis ſanctorum Patrum, quàm verbis ipſius Diui Thomæ. Nam illi tam plenè, tamque abſolutè, quàm iſte, loquuntur. Reſpondeo magnum eſſe diſcrimen. Sancti enim Patres non negant futurum in Chriſto fuiſſe ſtatum impaſſibilitatis & immortalitatis, Adamo non peccante; quemadmodum facit *quæſt.*1. *art.* 3. D. Thomas, qui abſolutè vult Chriſtum nec paſſibilem, nec impaſſibilem fuiſſe venturum, niſi peccaſſet Adamus, vt conſtat ex toto illo *articulo* 3. v. c. cum ait ad tertium; ſi Adamus non peccaſſet, Deum nequaquam impleturum fuiſſe capacitatem, quam ſecundùm ordinem diuinæ potentiæ habet natura humana: & nihil prohibere quominùs dicatur naturam humanam ad aliquid maius productam eſſe poſt peccatum, quandoquidem Deus permittit mala fieri, vt inde aliquid melius eliciat. Quod nunquam ſanctus Doctor dixiſſet, niſi negaret abſolutè venturum fuiſſe Chriſtum impaſſibilem ante peccatum. Si enim venturus fuiſſet Chriſtus impaſſibilis ante peccatum, non ad minus bonum, quàm nunc proueh potuiſſet natura humana. Porrò circa Diuum Thomam aduertendum eſt, illum eo ad ſuam ſententiam vti fundamento; in liberis Dei actibus, qualis eſt incarnatio, non debere nos aliud aſſerere, quàm quod fuerit ab ipſo Deo reuelatum. Peto igitur, quare ipſe ſanctus Doctor aſſeruit 1. *part. quæſt.* 89. *art.*1. hunc ipſum animarum numerum qui iam eſt, fuiſſe futurum Adamo non peccante? Illius ſanè rei nulla facta eſt reuelatio.

CAPVT X.

Soluuntur contrariæ ſententiæ argumenta ſumpta ex ratione.

1. SEQVITVR vt videamus, quomodo contrariæ propugnatores ſententiæ poſt productam Scripturæ, ac Patrum authoritatem, ratione pugnent; quâ tamen ſibi nec nitendum, nec fidendum eſſe in hac quæſtione fatentur. Omnia hîc argumenta proponemus, quæ validiora obiiciuntur. Vaſquez *cap.*9. affert hoc argumentum: Si verum eſt, Chriſtum, etiam Adamo ſtante, venturum fuiſſe vi eius decreti, quod fuit; is vel venturus erat paſſibilis, vel venturus erat impaſſibilis. Atqui nec paſſibilis venire potuit, nec impaſſibilis vi præſentis decreti. Ergo, &c. Maior eſt certa, cùm inter illos duos modos contradictoriè oppoſitos nullus ſit medius. Minor probatur. Nam paſſibilis non veniret, quandoquidem nec cæteri homines, ſi fidem Adamus Deo ſeruaſſet, paſſibiles fuiſſent. Et in confeſſo eſt, totam cauſam, cur Chriſtus venerit paſſibilis, fuiſſe redemptionis generis humani. Non etiam veniret impaſſibilis, quia ex vi præſentis decreti non poſſet aliam ſumere carnem, niſi eam quam ſumpſit, hæc enim ſola determinata fuit per huiuſmodi decretum: quod cùm fuerit efficax, non alio modo Chriſtum determinauit, quàm eo qui exequutioni mandatus eſt. Nam repugnat vllam rem aliter euenire, quàm efficaciter fuerit à *Deo* volita.

2. Reſpondeo negando minorem. Ad cuius probationem primò poſſet aliquis dicere, quòd nimis confidenter ſupponitur, Chriſtum non venire potuiſſe paſſibilem, ſi Adamus à peccato non redimendus fuiſſet. Paſſibilitas enim Chriſti potuit alios habere vſus, quàm redemptionem. Et vndenam habetur indubitatum, cæteros omnes homines futuros fuiſſe penitùs impaſſibiles? Secundò tamen concedo, Chriſtum in tali caſu venturum fuiſſe omninò impaſſibilem vi præſentis decreti. Nam tale fuit hoc decretum, vt incarnationis ſubſtantiam abſolutè definiuerit, modum autem paſſibilitatis, aut impaſſibilitatis Chriſti non niſi conditionatè, & dependenter ab euentu, ſeu ab vſu libertatis Adami: ita vt Chriſtum vellet Deus impaſſibilem quidem, ſi Adam in gratia perſeueraret; ſin minùs paſſibilem. Quare ex vi talis decreti indifferenter venturus erat hoc vel illo modo Chriſtus ſecundùm varietatem conditionis, cui modus incarnationis eius erat illigatus: & quemadmodum poſtulauit hoc decretum, cùm Adamus peccauit, vt Chriſtus veniret paſſibilis, eo modo quo de facto venit; ſic poſtulaſſet vt veniret impaſſibilis, ſi nullum extitiſſet peccatum. Quod contra præſentem ſolutionem replicat, *loco ſuprà citato* Vaſq. non eſt ſolidum, nec verum; & hanc vt à nobis iam propoſita eſt, non eneruat.

3. Gregorius de Valentia *hîc puncto* 7. poſt loca Scripturæ & Patrum affert hanc ſolam rationem, quâ item ferè ſola vtitur Becanus: quod ſententia Diui Thomæ, Dei bonitatem, charitatemque nobis peccatoribus multò magis commendet. Nam ſi quis attentiùs rem conſideret, plus aliquid videtur Deus propter nos peccatores feciſſe, ſi ad remedium peccati Filium ſuum ita miſit

in

Digitized by Google

in mundum, vt aliàs miſſurus non fuiſſet. Reſpondeo hanc rationem eſſe infirmam. Nam primò non eſt opus vt Deus id fecerit quod eſt maioris charitatis erga homines lapſos, quemadmodum re ipſa non fecit aduersùs Angelos lapſos: neque enim obligatur id ſemper facere, quod melius in ſe eſt, atque conuenientius; alioqui non eſſet liber ad omnia ſuæ omnipotentiæ obiecta, cùm ea inæqualitatem habeant. Secundò licèt Deus in hac opinione noſtra, miſericordiam non tam oſtendiſſet, quàm ſi propter ſolum peccatum veniſſet, nihil contra nos inde ſequeretur. Nam alias multas perfectiones præter miſericordiam (quæ nulla eſſe poterat, ſi homines in miſeriam non incidiſſent) patefecit, cùm Chriſtum propter amabilitatem eius intrinſecam, & propter decus vniuerſi, bonum Angelorum, &c. miſit. Hæc autem omnia motiua ſimul ſumpta cum hominum redemptione (eo modo, quo nos in noſtra ſententia ſumimus) laudabiliorem, & meliorem faciunt actum, quàm ſola miſericordia, & redemptio, quam aduerſarij conſiderant. Tertiò nego diuinam erga peccatores charitatem prodi magis in opinione Diui Thomæ, quàm in noſtra. Volunt enim Chriſtum veniſſe propter hominum redemptionem, quaſi propter finem verè totalem, & non ſolùm partialem. Si ergo quis aſſerat, Chriſtum ad nos veniſſe ſola illa charitate, & toto ſtudio, quo veniſſe volunt aduerſarij, & inſuper addat alia motiua altiora non incompoſſibilia (quorum etiam multa pertinent ad charitatem, vt ſunt ſanctificatio Angelorum, &c.) is non minùs, quàm illi, commendat charitatem diuinam; cùm de ea, qualem illi proponunt, nihil velit eſſe detractum. Addo in illis ipſis altioribus, & ab Adami peccato abſtrahentibus motiuis includi magnam ſpeciatim erga nos homines charitatem, verbi causâ, quod Chriſtus venerit vt Eccleſiæ Sponſus, vt noſter Sanctificator, & vt præparatas offerens infinitas gratias, quæ perpetuæ, ac perennes in aureis illis, & gemmeis ſæculis innocentiæ, ſi hanc Adamus conſeruaſſet, extitiſſent, &c.

4. Leonardus Leſſius *tract. de prædeſtinatione Chriſti, ſectione* 1. has nobis rationes opponit. Primò, quia ſi vera eſſet noſtra ſententia, dici verè, & propriè poſſet, Filium Dei non ſumpſiſſe carnem noſtra causâ, ſed ſolum qualitatem carnis; & nos non eſſe cauſam aduentus illius in mundum, ſed ſolùm, quòd tali modo, & tali tempore venerit. Illud enim non propriè dicitur cauſa, ſine quo res æquè fieret vi cauſæ alterius iam poſitæ. Vnde infert idem Author, nos non teneri agere gratias Deo pro filij incarnatione, & infinita illa Diuinitatis exinanitione, quâ ipſam carnis ſubſtantiam ſibi vniuit; ſed ſolùm pro illa exinanitione, quâ paſſibilitatem carnis aſſumpſit, & paſſionem ſubijt; inter quas duas exinanitiones prior infinitè ſecundam ſuperat. Cùm enim hæc fuerit immediatè ſolius humanitatis, nec Diuinitatem, quæ nihil patiebatur, attigerit, niſi remotè & mediatè; illa fuit propriè, ac immediatè ipſius Diuinitatis, quæ per ſemet carni copulta eſt.

5. Secunda ratio quam prædictus Author opponit, eſt: cùm finis occultus alicuius actionis non poſſit meliùs deprehendi, quàm ex modo exequutionis, oportet præſentis controuerſiæ reſolutionem petere ex iis quæ apparent in exequutione huius myſterij: quæ talia ſunt, vt omnia videantur indicare non alium fuiſſe eius finem, quàm noſtram redemptionem; ſiue attendatur natura, quæ aſſumpta eſt, ſiue perſona aſſumens, ſiue differentia temporis, modus, & reliquæ circumſtantiæ incarnationis. Nam quare aſſumpta eſt natura humana imperfectiſſima, potiùs quam Angelica, cùm præſertim naturis ſpiritualibus longè conuenientior ſit hæc vnio, quàm corporalibus, quæ non poſſunt eam cognoſcere, nec Deo gratias pro tanto dono agere, & quæ non ſunt propter ſeipſas? Cur Filius, & non Spiritus Sanctus incarnatus eſt? Certè ſi perfectio vniuerſi ſpectaretur, debuiſſet potiùs Spiritus Sanctus (in quo ſiſtit proceſſius intrinſecus Diuinitatis) vniri, quàm Filius. Quare myſterium iſtud poſt tot annorum millia eo peractum eſt tempore, quo genus humanum iam penè perditum eſſet idololatria & omni peccatorum genere? Cur denique Chriſtus ita natus eſt paſſibilis, pauper, humilis, inter tot ærumnas, &c. Hæc omnia nihil aliud videntur clamare, quàm ſolam ſpectatam fuiſſe lapſæ humanæ noſtræ naturæ reparationem.

6. Tertiam rationem adducit idem Leſſius, quia ab iis, qui Chriſtum, Adamo non peccante, futurum fuiſſe volunt, non benè ſtatui poteſt, vtrum glorioſus victurus eſſet, an verò non glorioſus? Vtrum inter Angelos in cœlis, an inter homines in terris?

7. Quarta denique ratio eſt, quòd non verum ſit fundamentum noſtræ ſententiæ, nimirum excellentiam incarnationis talem eſſe, vt hoc myſterium fuerit Deo per ſe, & ſine ordine ad redemptionem expetibile. Includit enim humiliationem, vt Apoſtolus loquitur, & exinanitionem Diuinitatis per ſe indecoram. Non etiam verum eſt, incarnationem pertinere propriè ad perfectionem vniuerſi creati. Neque enim gradus vnionis hypoſtaticę computandus eſt inter ordines & claſſes rerum creatarum. Sed vel eſt aliquid ſublimius ſupra, & extra creaturarum ordines: ſi nimirum conſideretur, vt ipſam inuoluens Perſonam diuinam: vel eſt admodum paruæ, & per ſe nullius entitatis, ſi conſideretur ſecundùm ſe, vt eſt quædam creata pefectio phyſica, non inuoluens ipſam hypoſtaſin. Sic enim aliud nihil eſt quàm modus quidam, vel reſpectus ſupernaturaliter communicatus naturæ creatæ. Confirmatur. Non enim magis perfectio vniuerſi incarnationem requirebat, quàm perfectio imaginis requirat eoſdem realiter, & indiuidualiter colores, qui ſunt in viuente prototypi vultu; aut quàm perfectio regni alicuius requirat, vt filius Regis habitum ruſticum, aut veſtem ſeruilem ſibi aſſumat.

8. Reſpondeo ad primum horum Leſſij argumentorum, mirum eſſe quomodo vir alioquin doctiſſimus non attendat, nos in præſenti materia docere, vnius, & eiuſdem effectus quoad ſubſtantiam conſiderati, poſſe eſſe plures cauſas totales, & per ſe ſigillatim ſufficientes; quod in cauſis finalibus facilè eſt, & frequens. Hoc autem poſito nihil valet obiectio hîc ab ipſo facta, nec refutatione longiore indiget. Nam quamuis aliæ cauſæ deeſſent, ſufficeret ad incarnationem decernendam conſideratio redemptionis hominum; quam dico fuiſſe rationem motiuam, & non ſolùm impulſiuam. Rationem, inquam, incarnationis conſideratæ non ſecundùm circumſtatias, ſed ſecundùm ſubſtantiam. In quo ſententiam Scoti emendamus, aſſerentis decretam fuiſſe propter primi noſtri parentis peccatum incarnationem quoad carnis tantùm paſſibilitatem. Volumus enim nos, eam

eam decretum fuiſſe etiam verè quoad ſubſtantiam poſt præuiſionem peccati Adami ex intentione redemptionis, tanquam cauſæ totalis, ac per ſe, ſi ſola fuiſſet, ſufficientis. Non poteſt ergo ex noſtra ſententia inferri, quod Chriſtus non ſumpſerit carnem, ſed ſolùm qualitatem carnis ad nos redimendos, & nos non teneri ad gratias agendas Deo pro Filij incarnatione, & vera, ac immediata Diuinitatis exinanitione, quâ carnem ſibimetipſi vniuit. Aduerte peccare etiam argumentum Leſſij; quia ſic procedit, quaſi idem eſſet Chriſtum venire noſtra cauſâ, & Chriſtum venire ad nos redimendos, cùm tamen illud multò, quàm iſtud pateat latiùs. Quamuis enim non veniſſet Chriſtus ad nos redimendos, veniſſet tamen noſtra cauſâ vt Caput, vt Sanctificator, vt Sacerdos, vt Eccleſiæ Sponſus, &c.

9. Ad ſecundum, nego primò, finem occultum actionis deprehendi ſemper, & inueſtigari debere ex omnibus circumſtantiis, quæ apparent in modo exequutionis. Si enim vnius actionis plures ſint ſimul fines totales (quemadmodum in incarnatione ſunt) fieri poteſt, vt circumſtantiæ, quæ magis apparent, accommodentur vni alicui fini, & non alteri, quem fortè vt non impediunt, ita nec iuuant. Secundò dico incarnationem in modo ſuæ exequutionis ita eſſe accommodatam redemptioni, vt tamen illæ omnes conſiderationes, quas obiectio ſumit, tum ex natura aſſumpta, tum ex perſona aſſumente, tum ex tempore, &c. non repugnent aliis finibus, imò iis inſeruiant. Nam & per naturam humanam aſſumptam, & per ſecundam Trinitatis perſonam aſſumentem, & per Chriſtum eo tempore naſcentem, paſſibilem, mortalem, &c. optimè potuit non tantùm redimi lapſus homo, ſed etiam glorificari potuit Deus; ſanctificari cùm Angelus, tum innocens homo, poſſideri, gubernarique mundus, &c. Nec Deus, licèt ſupponatur non cogitare de redemptione, carebit motiuis, cur humanam potiùs naturam, cur ſecundam Trinitatis perſonam, cur alias huiuſmodi circumſtantias incarnationis eligat.

10. Ad tertium dico, me non multùm laborare, vt ſtatuam vtrum Chriſtus Adamo non peccante futurus fuiſſet ſtatim glorioſus, an non potiùs glorioſus, in cælis, an in terra, inter Angelos, an inter homines. Hæc enim & alia ſimilia non ad noſtram coniecturam, ſed ad diuinam pertinent prouidentiam; cui perinde vnum, atque alterum facile fuit.

11. Ad quartum dicendum eſt, Chriſtum ita eſſe in ſe, & per ſe amabilem, vt ſine ordine ad redemptionem expeti poſſit. Atque contrarium dicere non eſt ſatis pium, & quis eſt, qui non videat eſſe manifeſtè falſum? Diuinitas porrò non eſt intrinſecè exinanita per incarnationem, nec eſt quicquam in ſe paſſa indignum: ſed naturam imperfectiſſimam, ac luteam ſic illuſtrauit, vt impollutus radius ſolet lutum, cui vt ſubiecto vnitur. Falſum verò eſt Paulum dixiſſe, Diuinitatem fuiſſe exinanitam; loquitur enim non de Diuinitate, ſed de Chriſto, qui ratione humanitatis exinanitus remanſit in forma ſerui. Verbum autem eo modo tantùm dici potuit per incarnationem exinanitum & humiliatum eſſe, quo dicitur factum eſſe homo. Vt enim factum eſt homo per adiunctionem naturæ humanæ; ſic & humiliatum, & exinanitum per adiunctionem naturæ humilis, & quæ in ſeipſa ferè nihil eſt. Et quemadmodum quicquid humani eſt in Chriſto, ſe tenet ex parte naturæ aſſumptæ, nullo autem modo ex parte Verbi, aut Diuinitatis; ſic etiam quicquid in eodem Chriſto eſt humilitatis, id totum ſe tenet ex parte humanitatis aſſumptæ, nullo autem modo ex parte aſſumentis Verbi. Poſt aſſumptam enim humanitatem Deus, omnia admiſit ipſius humanitatis propria prædicata. Vnde dici potuit admiratiuus, riſibilis, mortalis, paſſibilis, humiliatus, exinanitus, &c. quia formæ illorum prædicatorum, quæ nequaquam vllo modo recipiuntur ſubiectiuè in ente increato, ſunt omnes in humanitate, velut quædam huius idiomata, quæ per communicationem aptantur, non quidem Diuinitati in abſtracto, ſed Deo in concreto.

12. Vlteriùs ad id quod addebatur à Leſſio, reſpondendum eſt, nos non laborare hìc de ſola vnione hypoſtatica formaliter, & in ſe conſiderata, provt eſt modus; præſertim ſi ſupponatur, vt ſupponit hic Author, eſſe quid diſtinctum ex natura rei ab extremis, quæ per illam vniuntur. Nam in præſenti quæſtione diſputamus de Chriſto provt decreto, & in mundum venturo, hoc eſt, de eo toto, quod ex prædicta vnione conſurgit. Certum autem eſt, quod Chriſtus, ſeu tale totum pertinet ad perfectionem vniuerſi, & computari debet inter ordines, claſſeſque rerum creatarum, tanquam illarum caput & maximum Decus. Sed & metaphyſicè id falſum eſt quod iſte Author, conſiderans vnionem hypoſtaticam præciſè, provt eſt modus, ſupponit; nempe modos, cùm ſint paruæ entitatis, non addere magnam perfectionem rebus. Contrarium enim manifeſtè euincitur ex vnione eſſentiali, ſine qua nullam integram haberemus, perfectamque naturam, necnon ex actione, quam conſtat eſſe magnam perfectionem agentis, quod per eam conſtituitur in actu ſecundo, hoc eſt, in actu perfectiore, & meliore quàm cùm erat in ſolo actu primo. Nec omninò apud quoſdam improbabile eſt, quamuis non putem verum, actus vitales, qui ſunt noſtra maxima perfectio, nihil aliud eſſe, quàm modos. Neque concedendum eſt, modos eſſe tam paruæ entitatis. Quamuis enim iuxta veriorem doctrinam non habeant entitatem diſtinctam à rebus, quas modificant; includunt tamen formaliſſimè, & abſorbent totam realitatem ipſarum. Quare vnio hypoſtatica tantam continet entitatem, quantam humanitas, eamque vt eleuatam ad ſupernaturalitatem: Si autem quod ego nolim, concederetur ſe tenere item ex parte Verbi, dicendum foret continere & ipſam Verbi entitatem. Ad confirmationem, quæ à Leſſio ſumitur ex imagine, & regno, negatur eandem eſſe in hoc negotio rationem.

***

CAPVT.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Moralis conſideratio circa incarnationem vt abſtrahentem ab hominum peccatis.

1. NON eſt æquum, ô Chriſte, vt tibi in hunc mundum introëunti peccatores homines, abſque Angelorum comitatu occurrant: quaſi ad ſe ſolos veneris, nec alio conſilio in terras te contuleris, quàm vt eos à ſeruitutis iugo liberares. Prodeant igitur longo ſimul agmine Beati Spiritus, & omnibus ordinum ſuorum effuſionibus æterno Dei Filio humana carne veſtito obuiam properent, vt eum & ipſi excipiant tanquam Ducem, ac Principem, omniſque ſuæ felicitatis authorem; atque illius Numini obſequium clientare cum ſupremo latriæ cultu deferant. Venerentur & creaturæ cæteræ primogenitum ſuum, in quo, & per quem conditæ ſunt vniuerſæ: in quo conſtant omnia, ſiue in cælis, ſiue in terra, viſibilia, & inuiſibilia. Perfectionem eius ſibi natura omnis tanquam ad ſe pertinentem gratuletur, & ſe vndique ſentiat illius ſplendore perfundi; qui, vt Apoſtolus ait, eſt ante omnes; non ſolâ vtique dignitate, ſed etiam prædeſtinationis ordine.

2. Antequam enim Deo Patri veniſſet in mentem, extra ſe ad huius mundi creationem progredi, prima eius cura iam fuerat cogitandi de Chriſto, atque illam ipſam ſapientiam, ideamque ſuam, quæ creaturarum eſt cauſa, in ipſarum creaturarum aliqua ſubſtantiare; vt maximus Martyr *lib. 4. de charit. cap. 4.* loquitur; *ὁ δημιουργὸς ἐκ τῶν ὄντων προϋπάρχουσαν γνῶσιν, ὅτε ἐβουλήθη, οὐσίωσε.* Id eſt, *Artifex ille ſummus praexiſtentem ſuam de rebus cogitationem, atque notitiam, quando ipſi viſum eſt, ſubſtantiauit.* Ab initio igitur, & ante ſæcula creatus iam in diuino decreto fuerat Chriſtus, per quem ipſa facta ſunt ſæcula. Neque Deus Pater, vt ei exiſtentiam decerneret, expectare debuit, quid vel Adam eſſet acturus, vel humani rationes generis poſtularent. Ante omnem ſiquidem lapſorum hominum cauſam (habita ratione præſtantiæ ſingularum rerum) attendi debuit cùm ipſe per ſe Chriſtus, quo nihil amabilius Deo Patri, neque iucundius; tum Beatiſſimæ dignitas Virginis per eundem Chriſtum priùs ſancita, quàm futurus Adami caſus proſpici poſſet; tum denique Angelorum, & primorum noſtrorum innocentia parentum in ipſo Chriſto fundata.

3. Ac primò, quod ad Chriſti per ſe conſiderari amabilem excellentiam pertinet; tam eximia elucet in ſingulis, ex quibus conſtat, partibus, pulchritudo: tam aptus eſt & admirabilis in duarum eius naturarum copulatione contextus, mirum vt non ſit, voluiſſe Deum tam præclari operis dignitate ad illius decernendam creationem permoueri. Quàm enim gloriandum ſpectaculum æterno Patri? quàm iucundum? in gremio creaturæ depoſitam intueri plenitudinem eam Diuinitatis, quam Verbo ſuo ipſe per æternam generationem in ſinu genitali communicat; eamque ſic homini eſſe implicitam, vt natura diuina in humana natura habitet corporaliter, & humana, in diuina ſpiritualiter: atque ſuam ipſe imaginem in noſtræ ſubſtantiæ opacitate contempletur; non quomodo ſol in nube, cùm in ea ſe condit abſentem; ſed ita vt ſui ſubſtantiam Numinis in homine incluſam, ac realiter præſentem agnoſcat. Porrò licèt omne, quod iunctum eſt ex multis partibus, ab ipſarum partium & pretio, & nobilitate æſtimari poſſit, vt ſi v. c. partes aureæ ſint, vel gemmeæ: atque ita Chriſti ex Diuinitate, & humanitate conſtantis infinita appareat excellentia: nihilominus attendendum eſt excellentiſſima quædam opera inueniri, in quibus ſumma ineſt admirabilitas, quæ non ex materia ſola, partibuſve, ex quibus componuntur, ſed ex ipſa etiam compoſitione, partiumque vnitarum conſociatione naſcitur.

4. Sic in horologio rotato laus, dignitaſque operis non tam ex materia rotarum, licèt aureæ, gemmeæque forent, exiſtit; quàm ex earum ſibi inuicem inſertarum complexione & conuenientia: ita vt quamdiu iunguntur omnes, atque conſentiunt, machina ea vigeat, quæ motu cieatur interiore, velut animata; &, quaſi mente regatur, temporis partes numeret, momentaque deſcribat. Si autem vel vnam eximi rotam, aut deprauari, maleque procedere contingat, tota velut organi ratio diffingitur, atque non tantùm vtilitas, ſed & ſpecies, nomenque ipſum horologij ceſſat. Quanta in toto extra propriam partium excellentiam oriatur ex earum vnitione, compoſitioneque dignitas, poteſt & hoc præterà conſtare exemplo. Fac artificem reperiri, qui minutorum adamantum, quotquot in aliqua prouincia reperiuntur; multitudinem vniat: is vnum ex illorum vnitione conficiet adamantem, qui totius ipſius prouinciæ forſitan pretium exæquet; quamuis, ſi ea coniunctio, vnitioque auferatur, minutorum adamantum reſidua poſt diſſolutionem multitudo non ſit magni æſtimanda. Maiori verò dignum foret æſtimatione atque admiratione, ſi opus ex partium vnitione conſurgens vim ab ea vnitione acquireret quædam ſtupenda in mortalium ſalutem efficiendi prodigia.

5. Quantam igitur cenſendum eſt excellentiam eſſe Chriſti, qui ſic ex Diuinitate, humanitateque conſtat, vt non ſolùm vtriuſque illius naturæ perfectiones omnes contineat; ſed etiam ex vtriuſque conſociatione mirabili, & ex ſua totalitate vim id efficiendi contrahat; ad quod neutra, ſed nec vtraque ſimul abſque vnitione hypoſtatica valere quicquam poſſit? Actiones quæ theandricæ ſint, ſeu Deiviriles, nec Diuinitas, nec humanitas ſimul ſumptæ, niſi in vnam iungantur hypoſtaſin, exercere poſſunt. Et, quod conſequens eſt, pro peccatis noſtris nec vllo modo Diuinitas ſatisfacere, nec humanitas condignè poteſt: vtraque tamen, vbi vnio acceſſit hypoſtatica, id potuit.

6. Ex his eminet quantam Chriſtus & à Diuinitate, & ab humanitate, necnon ab hypoſtatica vnitione dignitatem obtineat; & quàm aliqui Theologi à veritate deflexerint, qui (vt Leſſius *de prædeſt. Chriſti ſect. 1.*) non dubitarunt aſſerere, myſterium Incarnationis non potuiſſe per ſe expeti. In eo enim, aiunt, includitur aliquid valdè indecorum, nempe humiliatio & exinanitio Diuinitatis. Quare nullo modo Chriſtum Deus Pater voluit propter Chriſtum; ſed nec propter perfectionem vniuerſi; cùm eius quidem Diuinitas ſupra ipſius ordinem ſit vniuerſi; humanitas autem non ſit per ſe in alio

genere, quàm cæterorum natura hominum. At hypoſtatica vnio modus ſit minimæ entitatis inter creaturarum non computandæ ordines. Vnde concludunt, non potuiſſe incarnationem decerni ob vllam rationem, quæ prior eſſet conſideratione peccati Adæ. Hæc opinio non videtur ſatis erga Chriſtum pia & honorifica. Nec verò concedendum eſt Verbi diuinitatem fuiſſe intrinſecè humiliatam, aut aliquid indecorè paſſam. Quicquid in incarnatione apparet abiectionis, id totum ad humanitatem pertinet. Nec Verbum aliter humiliatum per vnionem hypoſtaticam in incarnatione fuit, quàm per paſſionem mortuum in Cruce; per communicationem ſcilicet eorum idiomatum, quæ in ſola inſunt humanitate formaliter. Nihil eſt itaque quod obeſſe poſſit, quo minùs expetendus propter ſe fuerit Chriſtus. Sed nec, quo minùs ob perfectionem vniuerſi. Porrò nequaquam hypoſtatica vnio eſt quicumque modus. Eſt enim talis, tamque ſublimis, vt per eum exiſtat id compoſitum, quod nunquam ſatis nec homines, nec Angeli per omnem æternitatem mirabuntur, & cui debent creaturæ vniuerſæ id totum quod ſunt, referre acceptum; vtpote per ipſum, in ipſo, & propter ipſum conditæ.

7. Te igitur, à quo, & per quem facta ſunt omnia, Fili Dei, & idem qui factus es inter omnia, fili hominis; in ſummo rerum creatarum intuéor, veneror que faſtigio, velut ordine prædeſtinationis primam, diuinoque Numine miſtam creaturam: quæ vi ſua, propterque ſe ipſam ſic expetita & prædeſtinata fuerit, vt propter eandem cæteræ producendæ fuerint creaturæ. Nec enim decebat, vt ſine imperio, & ſine comitatu, ampliſſimaque rerum plurimarum poſſeſſione prodire te ſolitarium extra ſe Pater æternus permitteret. Quare voluit, vt qui iam in ſuo decreto natus eras, ita ſecum in mundi conſtructione eſſes cuncta componens; vt ipſas, quas creabat, daret tibi cum orbe vniuerſo gentes hæreditatem tuam. Et primò quoniam matre, vt homo naſcerere, indigebas; illius fœminæ prædeſtinationem ſimul cum tua inextricabiliter prædeſtinatione coniunxit, quam ipſe tibi in parentem præ cæteris eligere voluiſti, immaculatam, & omni laude ſanctitatis excellentem: quæ nimirum vt ſeruorum tuorum aliquis dixit, ea puritate niteret, quâ maior ſub Deo nequit intelligi. D. Anſelmus *de conceptu Virgin. capite* 8. Conſtat ergo beatiſſimam Virginem, antequam concipiamus Deum Adami præuidiſſe peccatum, eo conſtitutam eſſe loco, vbi metuere non poſſet, quod omni generi humano impendebat ab Adami lapſu periculum. Nec enim, quod nondum intelligebatur, Adami crimen eam turpificare, aut deformare poterat, quam ſibi pulcherrimam Chriſtus ipſe formauerat. Quem Chriſtum ideò Aug. *lib. de* 5. *hæreſib. cap.* 5. Sic loquentem contra Manichæum inducit: *Ego Matrem, de qua naſcerer, feci; ego viam meo itineri præparaui: hanc quam deſpicis Manichæe, Mater eſt mea, & manu fabricata eſt mea.*

8. Sed poſtquam ei, qui in ſplendoribus æternitatis Patrem habuerat Deum, aſſignata fœmina eſt, ex qua ſecundùm carnem in tempore naſceretur; & quæ diuinæ Maternitatis dignitatem merito ſuo ſuſtineret; conſequens fuit, vt tanto Principi conueniens aſſeclarum etiam comitatus deſtinaretur. Infinitus itaque miniſtrantium numerus hominum atque Angelorum ei tribui debuit: quibus vtriſque in vnam Eccleſiam, & quaſi Rempublicam conſociatis ita præeſſet, vt ipſos diuinarum perpetua deriuatione gratiarum ſub ſuo beatos imperio faceret. Quo ſenſu dixit Apoſtolus *ad Eph. cap.* 1. *Chriſtum eſſe caput ſuper omnem* (Angelorum ſcilicet, atque hominum) *Eccleſiam*: à quo capite in ſingula eius membra cæleſtes gratiæ manarent, tanquam à triplici cauſa; nempe finali, exemplari, ac meritoria. Ex eodem enim, quo homines, fonte Angeli cùm ſanctitatis gratiam, tum beatitudinis gloriam hauſerunt. Neque inter Angelos illi qui ſuo deiecti ſunt gradu, & ad inferos detruſi, aliam ob cauſam (vt probabilis fert opinio) ceciderunt, quàm quia ſuas Chriſto, quà naturæ, quà gratiæ dotes referre acceptas noluerunt, & eum humanitate veſtitum, tanquam in famulari indumento deſpexerunt. Quibus autem erga illum grati animi beneuolentia, venerationque non defuit, ij ſtatim in æternam Beatitudinem, & intimum cœli penetrale ſunt recepti, vbi in ſuas hierarchias, chorosque deſcripti non ceſſant eius ſe profiteri adminiſtratorios ſpiritus, per cuius confeſſionem, adorationemque ſeruauerunt ſuum principatum. Pergunt id abſque vlla intermiſſione fateri, quod de illis pronunciauit Apoſtolus: ſe nimirum omnes, ſiue Thronos, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates per ipſum, & in ipſo creatos eſſe, & ipſum eſſe ante omnes: atque ab illomet fonte, à quo gratiarum irriguum inferius, dum adhuc in via eſſent, in eos profluxerat, nunc in patria irriguum gloriæ ſuperius, torrentemque ſuauiſſimarum illuſtrationum in eoſdem manare?

9. Sanctus enim teſtatur Dionyſius, *de cæl. hier. cap.* 1. Seraphinos, & ſupremas eas eſſentias, quæ velut in veſtibulo Trinitatis excubant, & defixę ſunt in contemplatione κάλλους ὑπερουσίου, καὶ τριφαοῦς, hoc eſt, pulchritudinis ſupereſſentialis, & in tribus perſonis elucentis, ſumere immediatè à Chriſto primos diuinarum illuſtrationum radios, in totam gradatim deinde inferiorum ſpirituum ſeriem deriuandos, & continuandos. *Atque mirabilem*, ait, *primarum intelligentiarum cum Ieſu, ſummo ſuo Hierarcha, communionem in eo conſiſtere, vt illius virtutes humanitati implicatas participent*: τῆς ἰησοῦ κοινωνίας ἠξιωμέναι, κοινωνοῦσι ταῖς αὐτοῦ φιλανθρώποις ἀρεταῖς. Additque ſanctus idem Dionyſius, Principes in Seraphinorum ordine ſpiritus prædicare inferioribus Angelis, tanquam eorum Apoſtolos, Ieſum, iiſque annunciare quo modo inſerta Diuinitati humanitas in cœlum fuerit aſſumpta, vt omnibus ſupernarum mentium hierarchiis ſummo dominaretur imperio: ἰησοῦν κύριον εἶναι τῶν οὐρανίων δυνάμεων τὸν εἰς οὐρανοὺς ἀνθρωποπρεπῶς ἀναληφθέντα. Denique ſupremus ille cæleſtium ſpirituum ordo, qui Ieſum habet ἀμέσως μυοῦντα, & ſe immediatè docentem, occupationibus iis ſempiternis occupatur, vt circa Deum, quem proximè ſtipat, ac circumſtat, indefeſſis Ieſum ipſum celebret choreis: & beneficia quæ meritis eius accepit, omnemque ſibi traditam ab illo diſciplinam, qua purgatur, illuſtratur, atque perficitur, ad ſacram concinat hierarchicæ vocis harmoniam, ἡ κύκλῳ Θεοῦ διακόσμησις ἀκαταλήκτως ἐστὶν περιχορεύουσα τὴν αἰώνιον αὐτοῦ γνῶσιν.

10. Quemadmodum Angelis gratiam & gloriam, ſic etiam primis humani generis parentibus, antequam horum peccatum à Deo prænoſceretur, Chriſtus meritis ſuis originalem, quâ tunc inſtructi, ornatique fuerunt, ſanctimoniam peperit: eum vitæ feliciſſimæ inducens ſtatum, qui deinceps ad omnes eorum poſteros pertinuiſſet, niſi prima diuinæ prouidentiæ conſilia ipſimet peccato ſuo diſturbaſſent, & fortunatam rerum ſeriem à Deo deſtinatam in hanc temporum, quam experimur, calamitatem detorſiſſent. Nunc porrò viri ſapientis eſt memoriam

Digitized by Google

riam excitare ad cognitionem illorum bonorum, quæ nobis Chriſtus in hunc mundum, Adamo non peccante venturus parauerat. Eorum enim bonorum præparatione non minùs nos deuinxit, quàm ſi peccatis noſtris interuerſa non fuiſſent, ſed ad eos, quos ipſe Chriſtus ſinceriſſimè optabat, exitus perueniſſet.

11. Eminùs ergo contempletur anima pia, & velut ex ſumma ſapientiæ arce intueatur patentia, atque aperta ſpatia illa ſæculorum, quæ ſi Adamus in fide & officio perſtitiſſet, fuerant aureo perennis felicitatis fluxu lapſura. Regnum Dei tunc intra ſe propriè ſinguli homines, & cumulatam bonorum complexionem poſſediſſent. Non minùs ſub rationis poteſtatem caro, quæ nunc concupiſcit aduerſùs ſpiritum, quàm ratio ipſa ſub Dei voluntatem, imperiumque ſubiecta fuiſſet. Quod verò ad vniuerſum orbem attinet, nullæ in eo futuræ erant bellorum, quibus nunc ardet, commotiones: non peſtilentiæ, non vaſtitates, nulla funera, quæ mortalitas infert; ſed vbique ſumma tranquillitas.

12. Dubium non eſt, Chriſte, quin tuum illud tantæ felicitatis deſtinatum nobis munus ad immortales tibi gratias perſoluendas nos commoturum fuiſſet, ſi illius experimentum habere, poſſeſſioneque frui contigiſſet. At minorem ne idcò gratiam tanti doni author à nobis iniiſti, quòd nos in te ingrati fuerimus, tantùmque, quod amantiſſimè offerebas felicitatis beneficium, repudiauerimus? Imò ſanè extant tanto maiora tua in nos eo nomine merita, quòd illud tot gratiarum beneficium, quod parabas, obtuleris non tantùm immeritis, ſed & iis, quos fore præuidebas indignos. Omnes itaque mentes piæ, quæ oculis fidei, quos aperuiſti eis, te cogitant in ærumnoſa vita cum hominibus conuerſatum, & ſublatum intuentur in Crucem, eædem quando in eo ſtatu, qui peccati humani conſideratione prior eſt, paratum fuiſſe te ad veniendum contemplantur, adorant te, & benedicunt tibi coniunctim cum beatis Angelis, quibus re ipſa dum adhuc in eo ſolùm ſtatu conſiderareris, tantoperè profuiſti.

LIBER SEXTVS.

De modo vnionis hypoſtaticæ ſecundùm ſe.

CIRCA modum vnionis hypoſtaticæ conſiderandum occurrit, primò quidem productiua illius actio; qualis nimirum hæc ſit: hoc eſt, num per eam indiuiſibiliter & producatur ſimul, & vniatur humanitas: quis ſit eius ſiue totalis, ſiue formalis terminus ad quem; quis item terminus à quo. Deinde inſpicienda erit natura ipſiuſmet hypoſtaticæ vnionis, vtrum ſit modus pluſquam ratione diſtinctus ab extremis, quæ copulat, an ſubſtantialis: vtrum in eſſentiis, naturiſue fiat, aut aliquo accidente: vtrum diuina per eum ſubſiſtentia mutetur, aut afficiatur: ſitne poſitiuum aliquid: extrinſecane denominatio, an relatio: quàm perfecta, & num Chriſto eſſentialis.

CAPVT PRIMVM.

Vtrum indiuiſibiliter eadem actione, qua producitur vnio hypoſtatica, producatur & humanitas.

1. ADVERTENDVM eſt primò, nomen vnionis poſſe ſignificare tum actionem ipſam, ſeu exercitium, quo agens duo extrema vnit, quod exercitium meliùs vocaretur vnitio: tum formalem copulam, quæ per iam dictam actionem vnitiuam producta coniungit formaliter duo extrema. In præſenti & ſequenti capite agemus de vnione ſumpta priori modo, diſputaturi poſteà de illa in ſecundo ſenſu.

2. Aduertendum eſt ſecundò, vnionem hypoſtaticam prout ſignificat actionem, quam deinceps vocabimus vnitionem, & quæ eſt propriè incarnatio, varia ſortiri nomina ſecundùm varias, quas habet, rationes. Primò enim, ſi conſideretur ſimpliciter vt fieri copulæ, ſeu illius productio modi, qui nectit duo extrema, nominatur vnitio. Et ita non denotat expreſsè id, cui fit coniunctio. Secundò vocatur incarnatio, ſeu humanatio, prout ſimul denotatur (inquit Damaſc. 3. *de fide, cap.* 11.) caro, ſiue humanitas, cui Verbum vniatur, quod incarnatum; & humanatum denominatur. Tertiò vocari poteſt Deificatio, prout denotatur Verbum, ſeu Diuinitas, cui vniatur humanitas, quæ denominatur deificata. Quartò vocatur aſſumptio, ſi ſumatur ſub reſpectu quodam quaſi reciproco, & reflexiuo ad ipſum efficiens; hoc eſt, prout non tantùm egreditur ab agente, ſed etiam ad ipſum agens reuocatur. Eſt enim aſſumptio actio, qua quis aliud ad ſe ſumit. Quare aſſumptio denotat aliquid quod ſimul ſit & agens, & vnum extremorum. Vbi eſt:

3. Aduertendum tertiò, quod monet Diuus

Digitized by Google

Thomas, vnionem & aſſumptionem (poſſumus addere nos deificationem & incarnationem) in hoc diſtingui, quòd vnio, ſiue vnitio per quandam æquiparantiam fundet eandem denominationem in vtroque extremo. Nam quemadmodum humanitas dicitur vnita, ſic & Verbum dicitur vnitum: cùm tamen aſſumptio ſolam humanitatem denominet aſſumptam, vt deificatio deificatam; Verbum enim non denominatur aſſumptum nec deificatum: incarnatio autem denominet ſolum Verbum incarnatum; humanitas enim non denominatur incarnata. His poſitis circa vnitionem hypoſtaticam, ſiue actionem eam, qua modus qui Verbum humanitati copulat, producitur. Quærimus nunc vtrum ſit eadem indiuiſibiliter actio cum ea, qua humanitas vnita verbo exiſtentiam accepit.

4. Et quidem id affirmant nonnulli Thomiſtæ, cenſentes hanc actionem eſſe formaliter productiuam humanitatis, non in ſe, ſed in Verbo, quatenus per eam humanitas trahitur ad exiſtentiam Verbi. Nihil enim eſt produci, quàm accipere exiſtentiam, & ad hanc extrahi ex nihilo. Ad hanc verò ſententiam confugerunt, quoniam, cùm à Chriſti humanitate creatam exiſtentiam excludere velint, non id aliter commodiùs facere poſſunt, quàm ſi illam per ipſam ſui productionem, quâ exiſtentiam accipit, aſſerant pertinere ad Verbum. Sic verò inter eos aliqui ſententiam hanc ſuam explicant, vt nequaquam dicant per hanc actionem aliud quippiam præter humanitatem produci; nec faciant mentionem copulæ, ſeu modi vnionis, aut vllius rei, quæ circa humanitatem fiat: cùm tamen certum ſit dari veram vnionem hypoſtaticam, quæ ita eſt circa humanitatem, vt nequeat eſſe ipſa humanitas. Et ſanè quomodo poteſt humanitas ita per ſui productionem trahi ad exiſtentiam Verbi, vt formaliter vi ſolius illius productionis, ad nullam aliam rem terminatæ, vnionem habeat, qualem omnes Theologi intelligunt, cùm eam vocant hypoſtaticam? Nam talis vnio eſt ad hypoſtaſin, non ad exiſtentiam; & nihil dicitur vniri cum exiſtentia quam accipit; accipere ſiquidem exiſtentiam, non eſt vniri cum exiſtentia. Neque dicturos puto aduerſarios, ſe colligatos, & conſociatos eſſe cum ſua exiſtentia. Sed nec ſecundò dicere poſſunt ipſam Verbi exiſtentiam increatam, quam volunt participari ab humanitate, eſſe vnionem hypoſtaticam. Quis enim id ferat? Cùm eam vnionem certum ſit eſſe quid creatum, quid nouum, atque contingens. Requiritur ergo præter productionem humanitatis, productio cuiuſdam copulæ, non cum exiſtentia, ſed cum hypoſtaſi, perſonalitateque diuina. Non etiam tertiò dici poteſt, vnionem hypoſtaticam nihil aliud eſſe, quàm productionem humanitatis, in Verbo cum ipſa humanitate receptam, & ab ipſo Verbo efficienter profectam. Ita vt detur vnicus modus, qui vnionis, & actionis munus exerceat, abſque eo quod ſit opus vnionem aliam produci. Quod aliquorum recentiorum delitium indicatur ab Ariaga *diſp.* 20. *num.* 19.

5. Quo poſito, ſententia horum Doctorum, qui volunt per hypoſtaticam vnitionem humanitatem fuiſſe productam, ſic explicanda erit, vt dicatur productam ſimul cum humanitate fuiſſe copulam, ſeu modum vnionis hypoſtaticæ; ita vt vnius ſimplicis actionis duo fuerint termini indiuiſibiliter, & inextricabiliter ſe habentes, nempe humanitas, & ſimul vnio, ſeu copula hypoſtatica. Quod poſſet ſuaderi exemplo eductionis, quæ eſt actio ſimul & productiua, & vnitiua formæ. Nam calor v. g. non alia actione videtur produci, quàm ea ipſâ, qua vnitur. Si enim producatur actione non vnitiua, dicendum erit calorem vi talis actionis non pendere à ſubiecto. Non enim pendere poteſt niſi per vnionem. Quemadmodum igitur non repugnare videtur in phyſicis, actionem aliquam vnitiuam dari, quæ ſimul ſit productiua extremi quod vnitur, ſic in præſenti bene videtur intelligi poſſe, incarnationem eſſe ſimul & productiuam, & vnitiuam humanitatis.

6. Quòd verò id aſſerere oporteat, probare poſſunt, quia ſi humanitas per incarnationem formaliter non producitur, debebit dici producta per generationem in aliquo priori. Nam quando extremum aliquod per vnitionem formaliter non producitur, intelligitur terminare productionem, quæ ſecundùm ordinem naturæ ſit prior vnitione. Quoties enim exiſtentia per vnitionem non accipitur, priùs eſt ordine naturæ exiſtere, quàm vniri. Atqui humanitas Chriſti non poteſt dici producta fuiſſe per generationem in priori antequam vniretur: quod ita probant. Nam alioqui in ſuo fieri eſſet independens ab exiſtentia Verbi, atque per conſequens ſine hac poſſet conſeruari, nullo addito nouo maiore influxu. Secundò quia ſi humanitas Chriſti eſſet in priori producta antequam vniretur, dicendum eſſet, animam Chriſti priùs creatam eſſe, quàm ſubſiſtentem: quod falſum eſt. Tum quoniam in quo priori aliquid creatur, ſubſiſtit; creatio enim non terminatur niſi ad ſubſiſtens: tum quia Chriſti anima non tardiùs habuit ſubſiſtentiam, quàm noſtræ animæ, quas quis aſſerat creari priùs quam ſubſiſtere? Tertiò quoniam ſi humanitas Chriſti eſſet priùs generata, quàm vnita hypoſtaticè, talis generatio non eſſet generatio Dei, & non conſtitueret Beatiſſimam Virginem Matrem Dei: quod eſt contra fidem. Probatur hæc ſequela. Nam quia actio, per quam anima creatur, eſt diſtincta ab ea, per quam vnitur corpori, & hanc naturæ ordine præcedit; ideò per illam actionem non producitur homo, ſed ſola anima: è contrario autem, quia calor eadem actione, qua producitur, vnitur ſubiecto; ideò illa actione non tam fit calor, quàm calidum. Ergo in præſenti, ſi conceptio, ſeu generatio humanitatis eſt actio diſtincta, & prior, quàm aſſumptio; per illam concipitur, ſeu generatur humanitas ſola, & non Deus homo: & ita non erit conceptus Deus ex Virgine, ac per conſequens Virgo non erit Mater Dei. Quartò argumentari etiam poſſunt hi Doctores authoritate Leonis Papæ *epiſt.* 11. vbi ait; *Natura quippe noſtra non ſic aſſumpta eſt, vt priùs creata, deinde aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur.* Nec non Fulgentij *lib. de incarn. & gratia Chriſti, c.* 3. cùm ait, *Ipſa quippe acceptio carnis, fuit conceptio Virginis.* Poſſunt etiam afferri quod aliqui Patres Græci (vt Cyrillus contra Neſtorium) dicunt, humanitatem eſſe accidens Verbi, eique inexiſtere. Sit nihilominus ſequens indubitata:

7. Concluſio. Incarnatio fuit actio merè vnitiua, nec potuit eſſe vllo modo productiua humanitatis. Hæc eſt doctrina Sancti Thomæ *q.* 4. *art.* 2. Vbi dicit, illud quod aſſumitur (nempe humanitatem) debere præintelligi aſſumptioni, ſicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui. Et *q.* 6. *art.* 4. *ad* 3. Vult carnem priùs naturâ viniri animæ, quàm Verbo vnione perſonali. Vnde ſentit, conceptionem humanitatis eſſe diſtinctam ab vnitione ipſius humanitatis ad Verbum, eâque priorem: atque id ſæpius *in illa quæſt.* repetit. Idem ſentiunt Alex. Durand. Gab. Okam. &c. Quòd is fuerit

Diui

Digitized by Google

Diui Thomæ & aliorum vulgò Theologorum ſenſus, patet etiam ex eo, quòd illi quærant, num Chriſti humanitas potuerit aliquo modo mereri vnionem hypoſtaticam per aliquem actum, quem elicuiſſet in priori quàm vniretur, quæ quæſtio manifeſtè ſupponit humanitatem non fuiſſe productam eadem actione, quâ vnionem hypoſtaticam.

8. Ratio peti debet primò ex manifeſta falſitate fundamenti, quo vtitur contraria ſententia. Clarum enim eſt, humanitatem habere propriam exiſtentiam diſtinctam realiter à Verbi exiſtentia, & non poſſe per vnitionem ad Verbum accipere diuinam exiſtentiam intrinſecè ac formaliter. Quo poſito neceſſarium eſt humanitatem non formaliter produci per communicationem diuinæ exiſtentiæ. Aduerſariorum euerſo fundamento, ruere neceſſe eſt illorum de ipſius humanitatis in Verbo productione, doctrinam.

9. Sed nec aliæ deſunt contra eam rationes. Secundò enim certum eſt, humanitatem non habere formaliter exiſtentiam vnionis & vinculi, quod nempe ad illum comparatur, quaſi ad vnum extremum vnitorum. Supereſt igitur neceſſariò, vt ea non producatur per vnitionem. Productio ſiquidem humanitatis debet terminari ad propriam ipſius exiſtentiam, cùm vnitio formaliter ad exiſtentiam vnionis terminetur. Productiones autem diſtingui debent ſecundùm diſtinctionem exiſtentiarum, ad quas terminantur: atque vbi ſunt plures termini, non poteſt eſſe vna indiuiſibilis productio. Dixi, indiuiſibilis, quia quemadmodum ex multis terminis productis, ac inter ſe iunctis non repugnat conſtitui vnum terminum compoſitum & totalem; ita non repugnat ex multis actionibus ad partiales terminos tendentibus fieri quaſi vnam compoſitam & totalem actionem, quæ ad totalem terminum tendat. Quomodo aliqui productionem cœlorum volunt fuiſſe vnam totalem creationem; quâ ſimul & materia, & forma concreatæ ſint, includentem duas quidem diſtinctas, ſed inſeparabiles actiones. Ita & communiter intelligitur eductio eſſe vna actio, duas inſeparabiliter actiones includens, quarum vna non præſupponat, ſed comitetur ſimultaneè alteram, nempe productionem formæ eductæ, & vnitionem eiuſdem. Vtrum autem eodem modo ſit dicendum ex productione & vnitione humanitatis, quaſi ex duabus partialibus & inſeparabilibus actionibus totalem vnam actionem conflari, quæ vocetur incarnatio, paulò poſt videbimus. Iam ſtet non poſſe concipi incarnationem vt vnam ſimplicem actionem, quæ ſimul ſit humanitatis & productio, & vnitio. Nec verò intelligere, aut probare poſſum, quod ait Delugo *diſp.* 11. *ſect.* 1. cui adhæret Ariaga *diſp.* 20. *num.* 19. loquendo de poſſibili, non repugnare, quin eadem ſimplici actione producatur forma, & vnio ipſius cum materia, ne multiplicentur modi abſque neceſſitate. Quod potuiſſe aſſerit de potentia abſoluta contingere humanitati, & eius hypoſtaticæ vnioni cum Verbo: licèt dicendum non putet ita fuiſſe de facto. Sed cùm in principiis Delugo & Ariagæ actio non recipiatur in agente, ſed ſit ipſum fieri, dependentiaque termini; non poſſum intelligere, qua ratione poſſint vnius actionis ſimplicis duo eſſe termini. Quomodo enim accidere poteſt, vt res vna fiat per alterius fieri, ſiue vt dependeat per alterius dependentiam, & modificetur per alterius modificationem?

10. Probatur item vlteriùs noſtra concluſio ex eo, quòd productio animæ Chriſti eſt vera creatio; productio autem vnionis cum Verbo, non eſt creatio, quia non eſt actio ex nihilo: Ergo per productionem vnionis non producitur anima Chriſti, atque adeò nec humanitas. Prætereà productio cùm animæ, tum humanitatis Chriſti eſt in ordine rerum naturalium, & eiuſdem rationis cum productione aliarum animarum, & humanitatum, authore Sancto Thoma *q.* 6. *art.* 3. & Sancto Auguſt. *epiſt.* 99. *ad Euodium*, dicente, *Ita creauit ſibi animam Dei filius, vt cæteris creat*. Quod & docuit Hieronymus *apologia* 2. *contra Ruffinum*; necnon Sanctus Leo *epiſt.* 11. At verò productio vnionis hypoſtaticæ eſt in ſupremo ſupernaturalitatis ordine, ac diuerſæ rationis à productione animarum, & humanitatum noſtrarum.

11. Quartò inſuper ita argumentor. Si humanitas Chriſti formaliter per incarnationem accepit, vt volunt aduerſarij, exiſtentiam increatam Verbi: Ergo nec anima Chriſti creatur, nec humanitas generatur formaliter. Id enim non creatur, nec generatur, quod accipit exiſtentiam increabilem, & ingenerabilem, hoc eſt diuinam. Quintò argumentari etiam poſſumus ex eo, quod ſi producatur humanitas per vnitionem: Ergo materia prima hypoſtaticè aſſumitur ante productionem animæ, & ante productionem formarum partialium, & diſpoſitionum ad animam. Siquidem omnes ad animam diſpoſitiones, & ipſa per conſequens anima, huiuſque cum materia vnio naturalis, ſupponunt exiſtentiam, ſeu productionem ipſius materiæ, hoc eſt, vnionem eius hypoſtaticam, quandoquidem per aduerſarios materia prima, totaque humanitas non aliam habet exiſtentiam in Chriſto, quàm diuinam, ipſi communicatam per hypoſtaticam vnitionem.

12. Sextò Denique ſunt, qui negent poſſe ſe concipere quomodo fiat compoſitum, niſi ex duobus extremis, in priori ſaltem naturæ exiſtentibus, antequam vniantur. Quare hoc tempore nonnulli ipſam etiam eductionem, quatenus eſt productio, concipiunt ante vnitionem, ita vt in priori ſubiectum concurrat per ſpecialem quandam rationem ab vnione, ſeu inhæſione abſtrahentem; vel, ne concurrat quidem vllo modo ad productionem entitatis formæ, vt docet Leſſius *lib.* 3. *de ſummo bono*, *cap.* 4. *num.* 51. citans pro ſe Scotum *diſt.* 12. *q.* 1. Sed quicquid ſit ea de re, certum puto, non poſſe concipi compoſitum niſi ex iis extremis, quæ intelligantur habere plures & diſtinctas inter ſe exiſtentias præſuppoſitas in priori ante vnionem; vel ſaltem productas (vt contingit in partibus Ariſtotelici continui) per ſimultaneam actionem, ab vnitione quantumvis inſeparabili diſtinctam.

13. Ex prædictis manet euidenter, vt exiſtimo, probata ſuperior concluſio; quod nempe incarnatio fuerit de facto merè vnitiua, & quòd non potuerit vllo modo eſſe productiua humanitatis. Nolui argumento hîc vti, quod Delugo ſumit à naturali noſtra ſubſiſtentia, vt probet non fuiſſe de facto humanitatem eadem actione & productam, & vnitam hypoſtaticè. Nam quemadmodum, inquit, anima præſupponitur producta antequam emanet eius ſubſiſtentia velut quædam ipſius proprietas; imò etiam totalis humanitas naturali præſupponitur ſubſiſtentiæ, hæc enim non debetur partibus ſecundùm ſe conſideratis, ſed prout vnitis, & facientibus vnum compoſitum humanum: ita vnio hypoſtatica debuit ſupponere animam, imò totam humanitatem. Debuit enim poni eodem ordine, & in eodem ſigno rationis, quo poſita fuiſſet propria ſubſiſtentia. Hoc, inquam, argumentum non placet: tum quia ſupponit ſubſiſtentiam eſſe quemdam modum in creaturis,

Digitized by Google

tutis, ſiue entitatulam diſtinctam ante opus mentis ab anima, & humanitate; nos enim ſuo loco dicturi ſumus, creaturarum ſubſiſtentiam nihil aliud eſſe, quàm earum totalitatem, tum quia etiam ſupponit non fuiſſe factam hypoſtaticam vnionem in corpore & anima priuſquam vnirentur inter ſe, & integra exiſteret humanitas, contra ſententiam, quam exiſtimo probabiliorem.

14. Non etiam valet ad noſtram concluſionem probandam, quod idem Delugo ab vnione naturali animæ cum corpore ſumit argumentum: quoniam, inquit, Verbi ſubſiſtentia non ſolùm terminauit materiam & formam, ſed vnionem etiam vtriuſque ſubſtantialem. Nec minùs debuit recipi vnio hypoſtatica in vnione naturali materiæ & formæ, tanquam in ſubiecto, quàm in ipſis partibus humanitatis; cùm illa etiam vnio partium vniatur verè & immediatè cum Verbo. Vnde infert prædictus Author, humanitatis exiſtentiam priorem eſſe actione productiua vnionis hypoſtaticæ, contra ſententiam Thomiſtarum, quam nos hîc impugnamus: talem eius probationem nos reſpuimus. Supponit enim primò naturalem materiæ & formæ vnionem, habere vnionem hypoſtaticam, & eſſe modum realitate minore diſtinctum ab ipſa materia, & forma; & ſecundò vnionem hypoſtaticam non produci in corpore & anima priùs, quàm per vnionẽ naturalem ambarum illarum partium exſurgat totalis humanitas: quod vtrumque nos negamus. Abſurdum enim putamus vnionis vnionem dari, & modi naturalis ſupernaturalem modum. Cenſemus item animam, & corpus habuiſſe ratione priùs hypoſtaticam cum Verbo, quàm naturalem inter ſe vnionem.

15. Interrogabis, vtrum humanitatis productio, quam vidimus ab incarnatione, ſeu productione hypoſtaticæ vnionis diſtingui, iungatur ita cum ipſa incarnatione, vt ambæ cenſeri debeant quaſi partiales actiones, quæ vnam totalem componant. Reſpondeo id non eſſe magni momenti: nec illas actiones ita coniungi eſt valdè neceſſarium, cùm ſint ordinis tam diuerſi. Verumtamen ſi quis eas in vnam coniungere volet, dummodo vnionem inter eas phyſicam non introducat, & productionem humanitatis, ſiue potiùs creationem animæ, corporiſque formationem, ita priorem eſſe incarnatione fateatur, vt ſine hac eſſe potuiſſet; haud multùm reluctabor: habent enim huiuſmodi actiones quandam inter ſe ſubordinationem, quatenus illarum termini faciunt vnum per ſe, & quatenus anima, prout eſt terminus ſuæ creationis, concipitur adhuc vt non ſubſiſtens, & carens vltimo ſuo complemento ſubſtantiali, quod accipit per vnitionem hypoſtaticam, quæ eatenus dici poteſt vt quædam appendix eius actionis, quâ producitur humanitas.

16. Supereſt vt ad rationes eorum, qui concluſioni noſtræ aduerſantur, aliquid breuiter dicamus. Ac primò, illorum fundamentum, quòd nempe humanitas non habeat propriam, & creatam exiſtentiam, ſed exiſtat per increatam Verbi, reiectum eſt ſuperiùs à nobis *num.* 8. Eamque ſententiam quæ ab actuali eſſentia exiſtentiam realiter diſtinguit, & vult rem vnam poſſe exiſtere per exiſtentiam alterius, nihil habere probabilitatis ſupponimus ex Metaphyſica. Illos etiam omittimus aduerſariorum, qui productionem vnionis hypoſtaticæ diſtinctam à productione humanitatis eo ſenſu negant, vt nihil velint circa humanitatem produci, ſed hanc tantùm exiſtentiæ Verbi participem fieri. Senſus enim ille ſatis, vt nullo modo probabilis, refutatur ex ſupradictis *num.* 4. Videnda ſunt igitur eorum dumtaxat argumenta, qui ſimul vnionem hypoſtaticam, & humanitatem aſſerunt vna ſimplici actione, quæ ſit incarnatio, produci.

17. Primò igitur ad exemplum eductionis allatum *num.* 5. dico nec illud eſſe certum, nec ad rem. Non quidem certum: quia ſunt hoc tempore, qui negent productionem entitatis earum formarum, quæ dicuntur educi, pendere à ſubiecto, & ab vnione cum ipſo: qua de re vt breue faciam, videri poteſt Leſſius *lib.* 3. *de ſummo bono*, *cap.* 4. Non etiam eſt ad rem: quia quantumvis dicatur cum opinione communiori & veriori, eductionem habere neceſſariam ſocietatem cum vnitione, ita vt ambæ ſint ſimul in exiſtendi conſequentia, quemadmodum in materia, formaque cœlorum opinantur multi. Tamen ipſa productio formæ, & vnitio ſunt duæ actiones partiales, quarum vnaquæque ad ſuum tendit terminum. Impoſſibile enim eſt, vt fieri caloris ſit fieri vnionis, quantumvis vtrumque intelligatur ſimultaneum, & indiſſolubile. At verò in præſenti, hoc agere debent aduerſarij, vt probent incarnationem eſſe actionem non modò indiſſolubiliter coniunctam, ſed etiam penitus identificatam cum productione humanitatis; ita vt à parte rei non ſint duæ actiones.

18. Ad id quod affertur *num.* 6. Reſpondeo, productionem eius quod hypoſtaticè aſſumptum eſt (ſiue id ſit totalis humanitas, ſiue potiùs eius partes ante naturalem ipſarum inter ſe coniunctionem) eſſe priorem naturâ, quàm incarnationem; nec abſurdum eſt humanitatem in illo priori independentem eſſe ab exiſtentia Verbi, & poſſe abſolutè ſine hac conſeruari nullo addito maiore influxu. Non item reputari debet abſurdum, materiam, & animam humanitatis priùs naturâ eſſe creatam, quàm ſubſiſtentem, falſumque eſt creationem terminari ad rem vt actu ſubſiſtentem. In compoſitis enim ſolæ partes ſubſiſtentiam non habentes creari poſſunt; non autem, quæ in poſteriori conſurgit ex illis, totalitas, in qua ratio ſubſiſtentiæ conſiſtit, vt in loco docebimus. Satis verò eſt, quòd creatio terminetur ad rem ſumptam ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam non inhærentem vlli ſubiecto, ſed productam ex nihilo. Quare inauditum non eſt, animas noſtras in priori creari, quàm habere actualem ſubſiſtentiam. Vtrum generatio humanitatis integrè ſumptæ præcedat ordine naturæ, an potiùs ſubſequatur vnionem hypoſtaticam; & quo modo ea verè, in omnique proprietate conſtituat Beatiſſimam Virginem Matrem Dei, ſuo tempore tractabitur: nihilque tunc proderunt aduerſariis allata creationis animæ, & eductionis caloris exempla.

19. Ad authoritatem Patrum dico, eos non loqui metaphyſicè de prioritate, aut poſterioritate naturæ; ſed contra illos hæreticos diſputare, qui Chriſti humanitatem priùs tempore extitiſſe, quàm aſſumptam fuiſſe aſſerebant. Nec vnquam Leo, vel Fulgentius affirmauit, eandem eſſe metaphyſicè, aut etiam phyſicè actionem, quâ humanitas creata eſt, & qua vnita: ſed tantùm voluit, vtrumque eodem temporis inſtanti extitiſſe: hoc enim erat quod negabant hæretici. Id patet ex antecedentibus Verbis Leonis: *Arbitror*, inquit, *talia loquentem*, *hoc habere perſuaſum*, *quòd anima quam Saluator aſſumpſit*, *priùs ſit in cœlis commorata*, *quàm de Virgine naſceretur*, *eamque ſibi Verbum in vtero copularet*: *ſed hoc catholicæ mentes*, *aureſque non tolerant*. Similiter Fulgentius proximè ante illa verba quæ aduerſarij obiiciunt, dixerat: *Non eſt igitur aliquod interuallum temporis exiſtimandum inter concepta carnis initium*,

Digitized by Google

initium, & concipiendæ Maieſtatis aduentum. Patres denique Græci cùm dicunt, humanitatem eſſe accidens Verbi, eique inexiſtere, volunt tantùm ſic aduenisſe Verbo, vt ad ipſum pertineret, eique verè vniretur: quo ſenſu D. Thomas etiam dixit humanitatem ad Verbum ſe habere, & quodammodo pertinere, vt accidens ad ſubſtantiam.

CAPVT II.

Qui ſint huius actionis vnitiuæ, ſeu incarnatiuæ termini.

1. SVPPONO ex opinione, quæ mihi ſemper viſa eſt probabilior, actionem vniendi humanitatem Verbo non alibi conſtituendam eſſe, quàm in agente. Cùm enim omnis actio, ſiue productio actiuè ſumpta ſonet producere, ſeu facere, nec poſſit bene poni in ſuo termino, quem producit, ipſiuſve termini ſubiecto; in termino ſiquidem tantùm eſt fieri paſſiuè: dicendum conſequenter eſt incarnationem actiuè ſumptam, non in vnione hypoſtatica, quæ per eam producitur, vel in humanitate, quæ ipſius eſt vnionis ſubiectum; ſed in tota Trinitate, quæ illam operatur, eſſe ponendam. Sic tamen, vt in Deo nullam cauſet nouam formalitatem intrinſecam; & quidem multò minùs, quàm ex denominationes actuum vitalium, quæ contingenter in intellectu, voluntateve diuina reperiuntur. Sed quemadmodum eſſentialis actus intelligentiæ vim habet eam mirabilem, vt poſſit Deo dare effectum formalem videntis damnationem verbi cauſâ Iudæ, poſito quod ea exiſtat; daturus æquè effectum formalem videntis non damnationem, ſi Iudas non damnatus eſſet; idque per ſolam terminationem, ac denominationem extrinſecam: eodem modo videtur proportionaliter philoſophandum de actione tranſeunte, vt nimirum omnipotentia diuina valeat per ſolam terminationem, denominationemque extrinſecam conſtituere formaliter Deum agentem, atque producentem hoc, vel illud, prout eius voluntas hoc, vel illud fieri decreuerit. Inquirendum igitur iam nobis eſt, ad quid terminetur, referaturve actus omnipotentiæ diuinæ, cùm dat toti Trinitati denominationem extrinſecam incarnantis, ſeu producentis vnionem hypoſtaticam. Inquirendum verò id incumbit præcipuè de termino ad quem, tam totali, quàm formali; ſed aliquid erit de termino à quo dicendum.

2. Concluſio prima. Totalis, & adæquatus, ſiue vltimatus terminus ad quem incarnationis, vnitioniſve hypoſtaticæ, eſt compoſitum illud, quod per ipſam fit ex natura humana, & Verbi ſubſiſtentia vnitis inter ſe: eodem proportionaliter modo, quo naturalis generationis terminus integer & vltimatus, eſt compoſitum ex materia & forma vnitis. Vt hæc concluſio intelligatur, probeturque clariùs. Aduertendum eſt, cùm in ea dicimus terminum totalem incarnationis eſſe compoſitum ex Verbi ſubſiſtentia, & natura humana, poſſe naturam humanam ſumi, ſiue incompletam, pro eius ſcilicet partibus, anima vel corpore, quibus (vt ego puto) ſeorſim ſumptis, necdum inter ſe copulatis Verbum vnitur perſonaliter: ſiue completam poſt corporis, anime vnionem inter ſe naturalem. Hæc igitur concluſio aſſerit, quòd terminus totalis immediatus quidem incarnationis (hoc eſt, eius actionis, quâ producitur vnio hypoſtatica) eſt compoſitum ex Verbo, & ex natura humana incompleta, ſiue ex corpore, vel anima: mediatus autem, & vltimatus terminus totalis, eſt Chriſtus; nempe compoſitum ex Verbi ſubſiſtentia, & integra, completaque humanitate, quæ ex anima, corporeque iunctis inter ſe conſtat. Ratio eſt, quia quoties aliquid ex pluribus componitur, etiamſi quodpiam ex illis extiterit ante compoſitionem, totum ipſum compoſitum dicitur eſſe terminus integer actionis, qua vnio partium, & id quod deerat, producitur. Sicut videmus in productione ignis, vbi totus ignis dicitur generari, & eius eſſe terminus, licèt materia prima præextiterit: & in generatione hominis, quæ in reſurrectione continget, intelligitur homo eſſe terminus totalis. Clarum autem eſt in præſenti, compoſitum per vnionem hypoſtaticam, quod in incarnatione fit, eſſe mediatè quidem, ſeu vltimatè totalem Chriſtum; immediatè verò corpus eius, animamve, vt in Verbo ſeorſim ſubſiſtunt, & cum eo faciunt aliquid adorandum, antequam ſibi iungantur naturaliter inuicem: cùm per incarnationem producatur vnio, quæ præſuppoſitis Verbo, carni, & animæ aduenit, & qua vnione ſuperinducta, reſultat ſtatim diuinum compoſitum, cùm ex corpore, & Verbo; tum ex anima, & Verbo; tum denique poſteriùs ex totali humanitate, & ipſo Verbo.

3. Contra concluſionem facere poteſt, quòd communiter Theologi recuſent concedere ſimpliciter, & abſolutè in termino incarnationis veram compoſitionem, vt videre eſt apud Magiſtrum *in 3. diſt. 6.* Diuum Thomam *quæſt. 2. art. 3.* & alios Doctores ibi. Quia exiſtimant nefas eſſe, vt Verbum ingrediatur propriam compoſitionem. Videtur enim compoſitio in ſuo formali dicere imperfectionem partium componentium. Dicendum eſt nihilominus conſtare, quod ad rem attinet, Chriſtum non eſſe quid ſimplex. Eſt ergo vnum compoſitum. Et cùm omnis vnio phyſica faciat aliquam ex vnitis extremis compoſitionem, neceſſarium eſt, vt vnio quæ intercedit inter humanitatem, & Verbum, faciat compoſitionem ex illis. Idque in 5. Synodo, quæ fuit II. Conſtantinopolitanum Concilium, *can. 3.* docetur his verbis: *Si quis non confitetur, vnitatem Verbi ad carnem animatam animâ rationali, ſecundùm compoſitionem, ſiue ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, anathema ſit.*

4. Vnde videmus, genus aliquod eſſe poſſe compoſitionis peculiare ex duobus extremis, quorum vnum prædominans trahat ad ſe alterum, & habeat rationem totius; neque ipſum propriè ſit aut componens, vt incompleta pars; aut propriè compoſitum in ſeipſo. Nam Verbum ita Chriſtum componit, facitque perſonam hominis cum humanitate, vt & hanc ad ſe omninò trahat, & totam in ſe habeat rationem perſonæ intrinſecè ſimplicem, & compoſitionis expertem, nec ex ipſa humanitate conſtantem. Cuius generis compoſitionem videmus ex ſubſtantia, & ex accidente. Illa enim iſtud ad ſe trahit, & habet ſola rationem totius. Nec enim Angelus v.g. poſtquam habitum aliquem, aut ſpeciem intentionalem accepit, deſinit eſſe ſubſtantia intrinſecè ſimplex. Neque ex vllo accidente, & ſubſtantia fit vnquam ſubſtantia compoſita: ſolùm enim ex accidente & ſubſtantia dicere poſſumus fieri ſubſtantiam, quæ accidens poſſideat, ad ſeque trahat. Sic ex pariete & albedine, ex aqua & calore non fit paries compoſitus, nec aqua compoſita, ſed paries habens albedinem, aqua habens calorem, ſiue paries albus, aqua calida. Sic ergo ex humanitate & perſona

ſona Verbi non ſit propriè compoſita perſona, ſed perſona Verbi in ſe ſimplex, habens humanitatem, & hanc ad ſe trahens, hoc eſt Verbum homo.

5. Itaque licèt Chriſtus ſit aliquod compoſitum; Nam *vt anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ſic Deus & homo vnus eſt Chriſtus*, quemadmodum eſt in ſymbolo Athanaſij; non tamen dicere debemus Chriſti perſonam, quæ, vt eſt Dei, eſt ſimplex, & ſine vera vnione per identitatem coniuncta Diuinitati; vt eſt hominis, compoſitam eſſe ex humanitate & Verbo; ita vt totum illud ex his duobus conflatum poſſit dici quædam perſona compoſita includens in ſe cum humanitate perſonam Verbi ſimplicem, ac diuinam. Vnde patet non poſſe dici duas perſonas eſſe in Chriſto; ſic nimirum vt ſit perſona Verbi ſimplex ac diuina, & ſimul perſona ea totalis quæ hanc includat, & ex hac atque humanitate componatur. Neque Chriſtus totaliter ſumptus, ſiue vt totum compoſitum, debet dici perſona diſtincta à Perſona diuina Verbi; ſolam enim huius perſonalitatem habet. Et quamuis perſonam Verbi includat, ac per conſequens ab ea diſtingui videatur tanquam includens ab incluſo; tamen conſiderandum eſt ipſum (quod totaliter ſumptum in ratione compoſiti diſtinguitur à Verbo, vt totum aliquod à parte, aut quaſi parte) non poſſe ab eodem Verbo diſtingui in ratione perſonæ. Quare debet dici eſſe eadem Verbi perſona vt extenſa ad humanitatem, & hanc ad ſe trahens. Quemadmodum enim in myſterio Trinitatis, quandiu manere intelligitur vna & eadem natura diuina, Deus non intelligitur multiplicari, ſed eſſe vnus, & idem, licèt varientur perſonæ: Ita ex aduerſo non debet cenſeri variata eſſe perſona, quamdiu manet eadem perſonalitas, quamuis accedat nouitas naturæ. Exemplum etiam huius rei poteſt ex quotidiana experientia ſumi. Nam ſi detur vinum modica aquâ perfuſum; illam ad ſe ita trahit, vt cum ea vnum velut ſuppoſitum faciat. Nec enim totale illud compoſitum, quod exſurgit ex aquæ gutta, & dolio vini, cenſetur eſſe aliud quàm ipſum vinum, quod erat anteà; licet non æquè merum, ac ſimplex. Eodem aliquatenus modo perſona Verbi ob ſuam infinitatem abſorbet ita, & ad ſe trahit humanitatem, vt compoſitum ex vtroque non debeat vocari perſona diſtincta ab ipſa Perſona Verbi, præſertim cùm non ſit in eo compoſito vlla perſonalitas alia, quàm Verbi.

6. Concluſio ſecunda. Formalis terminus ad quem incarnationis, ſiue vnitionis hypoſtaticæ prout eſt actio productiua Chriſti, adorabiliſve compoſiti, eſt modus vnionis, qui formaliter, immediatè, & proximè per eam producitur. Vt intelligatur, probeturque concluſio, aduertere priùs oportet, Authores de termino formali (quod ad eius nomen magis, quàm ad rem attinet) diuerſo modo philoſophari. Primò enim ſunt, qui per terminum formalem intelligant id, quod in termino totali præcipuum eſt, quodque propter ſuam nobilitatem dignum videtur eſſe, vt ſe habeat tanquam actus, in quem actio maximè ſpectet. Atque hi aſſerunt vnitionis hypoſtaticæ terminum formalem eſſe Verbum, quod & ſummam dignitatem habet, ac videtur à prædicta vnitione præcipuè intendi, velut quidam actus naturam humanam terminans. Et ſanè incarnatio eſt quædam communicatio Verbi diuini. At verò talis communicationis terminum patet eſſe ipſum Verbum diuinum, quatenus communicatum. Citatur pro hac opinione Caietanus *in art.*8.2.*queſt.* Et fauere videtur. S.Thomas *eodem art.* quatenùs aſſumptionem ait dictam eſſe, quaſi ad ſe ſumptionem. Quibus verbis indicatur Verbum eſſe terminum ad quem eius actionis, quæ humanitatem aſſumpſit, & ad ſe traxit.

7. Secundò; nonnulli ſunt, qui per terminum formalem alicuius actionis intelligant id, quod in totali producto, ſeu in termino adæquato eſt formale; ſiue quod formaliter in ſuo in eſſe ſpecifico conſtituit ipſum actionis terminum, vt talis eſt, & vt ab actione intenditur. Quâ ratione cenſent animam rationalem eſſe terminum generationis humanæ: quoniam homo, qui eſt terminus totalis generationis, per animam conſtituitur formaliter. Iſti verò conſequenter putant incarnationis terminum formalem eſſe humanitatem, propter eà quòd humanitas eſt forma, qua conſtituitur totalis terminus, qui per incarnationem producitur, nempe Deus homo. Et quamuis Deus homo non ſolùm humanitate, ſed etiam Diuinitate conſtituatur: non hanc tamen, ſed illam volunt eſſe terminum formalem. Quia incarnatione homo non fit Deus, ſed Deus fit homo. Quare cùm Deus non fiat, nec incipiat eſſe vi huius actionis, ſed homo; cùm etiam Deus in hac actione comparetur vt ſubiectum, quod per ſuſceptionem alterius naturæ fieri debet homo; meliùs ſe pro termino formali talis actionis aſſignare putant eam naturam quæ eſt forma hominis, quàm eam quæ eſt forma Dei; licèt vtraque in Chriſto Deo, & homine veriſſimè reperiatur. Ita Vaſquez *diſp.*19. *c.* 2. Qui ſuam ſententiam non alio modo probat, quàm aſſerendo eam eſſe germanam acceptionem termini formalis ſecundùm omnium Philoſophorum, & Theologorum ſenſum, excepto ferè Aureolo, & vno, vel altero ex recentioribus, qui, inquit, omnia nouant. Additque, ſic terminum formalem generationis diuinæ in Trinitate eſſe non perſonalitatem, ſeu relationem productam, ſed eſſentiam diuinam communicatam.

8. Tertiò. Alij per terminum formalem productiuæ actionis, quatenus productiuæ, putant ſignificari id quod nullo modo præcedit, aut præſupponitur ipſi; ſed per eam formaliter, & immediatè producitur, eſtque effectus vt quo, hoc eſt, effectus huiuſmodi, vt eo producto, intelligatur ſtatim productus eſſe terminus integer, adæquatus, & totalis. Ita Suares *diſp.*8. *ſect.* 3. & hunc ſequutus Delugo *diſp.* 11. *num.* 19. & 21. Atque hi in generatione hominis volunt terminum formalem eſſe vnionem inter materiam & formam. Vnio enim eſt id, quod proximè, immediatè, & vt quo attingitur à generatione. Nam productis in priori, quàm eſſe homo intelligatur, corpore & anima, nihil ad conſtituendum hominem requiritur, quàm vnio: qua ſola producta homo ſtatim intelligitur eſſe productus vt quod. Vnde conſequenter in præſenti aſſerunt, terminum formalem incarnationis eſſe modum illum vnionis, qui per eam producitur, & de quo agemus ſequentibus capitibus.

9. Hæc vltima terminum formalem explicandi ratio mihi videtur eſſe longè melior, quàm duæ præcedentes, quarum prior (quam recentiores quidam Thomiſtæ defendunt) quatenus terminum formalem ait eſſe id quod in totali termino, ſeu compoſito eſt nobiliſſimum, vix vllam probabilitatem habet. Sic enim dicendum eſſet, cùm homo calefit, terminum formalem talis calefactionis eſſe ſubiectum: quandoquidem homo nobilior eſt accidente, quod in ipſo producitur. Sed nec vllum authorem habet hic modus philoſophandi. Caietanus enim, quemadmodum & Diuus Thomas, nunquam dixit incarnationis,

Digitized by Google

incarnationis, provt ea concipitur vt vnitio, ſiue vt actio productiua, terminum formalem eſſe Verbum; ſed tantùm provt concipitur vt aſſumptio, & ſecundùm peculiarem reflexionem, quâ talis actio reciprocatur in ipſum agens; & quatenus eſt alicuius ad ſe ſumptio.

10. Quod ſpectat ad ſecundum modum explicandi terminum formalem, is provt defenditur à Vaſque nullam continet abſurditatem, & notandus eſt, poteſtque vtilis eſſe in Philoſophia & Theologia. Verumtamen non eſt tam proprius, nec tam commodus, ac tertius. Nam propriè loquendo, id quod formale eſt in termino totali alicuius actionis, non propterea formale eſt ipſius actionis obiectum; cùm actio poſſit formaliter aliud ipſa intendere, quàm termini totalis formam. Aliud enim eſt formale termini totalis, & aliud actionis terminus formalis. Longéque meliùs, atque commodiùs formalis terminus actionis productiuæ is dicitur, qui per eam producitur vt quo. Hic ſiquidem per eam formaliter ac immediatè attingitur, atque intenditur. Et quidem in præſenti, quòd humanitas non poſſit propriè eius actionis, per quam Chriſtus producitur, vocari terminus formalis, patet, tum ex eo quòd ipſa humanitas per talem actionem nullo modo producatur, ſed ei potiùs præſupponatur; tum ex eo quod eadem ſit potiùs proximum ſubiectum, in quo exercetur actio, & ex quo fit vnio, ac per conſequens Chriſtus. Nec eſt quod Vaſqueſius improperet, nos per hanc ſententiam res philoſophicas, ac Theologicas perturbare, & ad libitum innouare. Nam præter Aureolum videre potuit Scotum *in 3. diſt.* 11. *q.* 1. Durandum *diſt.* 5. *q.* 2. alioſque qui cum his volunt, incarnationem terminari ad relationem. Reuerà enim non loquuntur de relatione prædicamentali, ſed tranſcendentali, quæ eſt ipſa vnio. Ego quidem hoc tempore video paſſim terminum formalem actionis, quatenus eſt productiua, ſic explicari. Quod autem ſupra addebat idem Vaſquez, eſſentiam diuinam, & non relationem, Filiive perſonalitatem eſſe terminum formalem generationis diuinæ, à nobis negatur *in tractatu de Trinitate.*

11. Ex dictis quoad interpretationem, & germanam ſignificationem termini formalis, manet ſufficienter probata noſtra hæc ſuperior concluſio, nempe terminum formalem incarnationis, provt eſt actio productiua Chriſti, eſſe modum vnionis, qui formaliter, immediatè, & proximè ab ea producitur; neque opus eſt vlteriori probatione. Dixi verò provt eſt actio productiua Chriſti: quia ſub illa conſideratione, vtpote magis phyſica, magiſque abſoluta, ſumimus in præſenti incarnationem. Nam vt benè monet Suares, & Delugo *locis ſupra citatis*, dici poteſt hæc actio ſub aliis minùs phyſicis, minuſque abſolutis conſiderationibus varios habere terminos formales. Etenim ſi conſideretur ſub ratione diuinæ communicationis, ſic Verbi ſubſiſtentia dici poteſt terminus eius formalis, non ſecundùm ſe, ſed provt per vnionem communicata tum humanæ naturæ, quam perficit maximè, tum Chriſto, quem conſtituit Deum. Si verò conſideretur vt eſt humanatio Dei, ſic formalis terminus erit humanitas, non ſecundùm ſe, ſed vt per vnionem communicata, tum Verbo quod humanatur, tum Chriſto, qui per eam homo conſtituitur. Vbi nota, quòd ſemper terminus formalis, quocumque modo conſideremus incarnationem, debeat aliquo modo fieri de nouo, ſeu incipere eſſe vi ipſius incarnationis. Nam quamquam & Verbi ſubſiſtentia, & humanitas præſupponantur ſecundùm ſe incarnationi, non tamen præſupponuntur vt habentes adiunctam vnionem.

12. Concluſio tertia. Terminus à quo incarnationis eſt negatio ſubſiſtentiæ Verbi vt vnitæ, ſeu (quod idem eſt) vnionis ſubſiſtentiæ Verbi. Probatur. Nam benè dicitur humanitas ſic per incarnationem vnita fuiſſe Verbo, vt in priori ante ipſam incarnationem non poſſet intelligi vnita: quare de non vnita ſit vnita. Quemadmodum ſi aquam calidam Deus crearet, ea dici poſſet vi actionis, quâ, dum crearetur, calorem acciperet, fieri calida de non calida. Verumtamen vt quonam ſenſu hæc ſententia vera eſſe poſſit, intelligatur, aduertendum eſt, negationem vnionis hypoſtaticæ, quemadmodum & quamcumque aliam, intelligi poſſe dupliciter. Primò ita vt huiuſmodi negatio concipiatur exiſtere actu, & poſitiuè aſſeratur. Secundò ita vt non concipiatur exiſtere, nec poſitiuè aſſeratur, ſed tantùm per quandam ſit præciſionem; quatenus ſecundùm aliquam naturæ prioritatem, concepta humanitate, exiſtentia ipſius vnionis non concipitur. Dicendum igitur eſt, negationem ſubſiſtentiæ diuinæ, vt actu præexiſtentem in humanitate, & poſitiuè aſſertam, non poſſe cenſeri terminum à quo incarnationis, ſic enim accepta negatio ſubſiſtentiæ diuinæ non magis fuit in humanitate Chriſti, quàm ſubſiſtentiâ creatâ: quare eatenùs non magis illa, quàm hæc poteſt eſſe terminus à quo incarnationis. Verumtamen, ſi huiuſmodi negatio ſubſiſtentiæ diuinæ non ſumatur negatiuè, ſed præciſiuè; dico illam vocari poſſe terminum à quo incarnationis. Quatenùs humanitas, quæ in priori naturæ præſcindit ab vnione hypoſtatica, tranſit vi incarnationis ab illo ſtatu præciſiuo ad formalem vnionem hypoſtaticam. Quod verum eſſet, etiamſi intelligeretur humanitas aſſumpta fuiſſe ab æterno, eadem ratione, qua creatio æterna intelligitur eſſe productio ex nihilo. Nec in incarnatione poteſt vllus terminus à quo inueniri aliter, quàm per præciſionem modo iam explicato.

13. In idem cum iis quæ dicta ſunt, recidit, ſi aſſeratur terminum à quo incarnationis eſſe illam, quam in Verbo concipere poſſumus, negationem humanitatis: quam negationem explicat Vaſquez per hoc, quod eſt, Verbum non eſſe hominem: quod opponitur immediatè termino ad quem; ei nimirum quod eſt, Verbum eſſe hominem. Porrò non probo quod Delugo *num.* 26. ait, diſcrepans in eo à Suare, carentiam ſubſiſtentiæ Verbi, ſiue carentiam vnionis hypoſtaticæ conſiderari debere provt præceſſit toto tempore antecedenti, nullatenus autem poſſe conſiderari in humanitate exiſtente priùs naturâ intra illud inſtans, quo facta eſt incarnatio. Non id, inquam, probo. Suares enim noluit poſſe pronuntiari poſitiuè, quod in illo priori extiterit in humanitate carentia ſubſiſtentiæ Verbi, ſiue quod humanitas de facto priuata fuerit vnione Verbi; ſed tantùm voluit, poſſe concipi in illo priori humanitatem præſcindendo ab vnione, ita vt nempe vnio neque præextitiſſe, neque non præextitiſſe aſſeratur. Quæ præſcindendi ratio eſt vſitata inter Philoſophos, qui vulgò aſſerunt, creaturam eſſe ex nihilo, quamuis eam ſupponamus produci ab æterno: non quòd creaturam in eo priori, quo Deus ipſam ratione præceſſiſſet, concipere poſſimus non extitiſſe; ſed quòd illam præciſè concipiamus pro eo priori, abſtrahendo ab ipſius exiſtentia. Neque verum eſt quod *num.* 27. addit idem Delugo: Si anima Chriſti ab æterno fuiſſet hypoſtaticè aſſumpta, tunc illam actionem non habituram fuiſſe eundem terminum à quo, quem de facto iam habuit. Quemadmodum etiam falſum eſt quod aſſerit, in prima creatione

rerum actionem, qua producta fuit forma terræ, vel aquæ, non habuiſſe eundem terminum à quo, quem habent nunc generationes eorum elementorum.

14. Contra concluſionem hanc ſecundam non defuerunt, qui alium, quàm nos, aſſignauerint Incarnationis terminum à quo. Caietanus enim *art.* 8. aſſignat humanitatem aſſumptam, fultus authoritate, vt putat D. Thomæ, qui illo articulo, cùm aſſerit aſſumptionem dici, quaſi ab alio ad ſe ſumptionem, vt cenſendus eſt per hæc duo verba *(ad ſe)* indicare terminum ad quem, qui non poteſt eſſe in hoc myſterio aliud, quàm ſubſiſtentia Verbi: ita videtur per hæc alia duo verba *(ab alio)* ſignificare terminum à quo, qui non poteſt eſſe ſubſiſtentia Verbi, vt patet, cùm ea ſit terminus ad quem. Ergo debet eſſe humanitas: nihil enim aliud apparet. Sed hæc ſententia refutatione non indiget: clarum enim eſt, terminum à quo debere abiici, vt incompoſſibilem cum termino ad quem: humanitas autem non eſt incompoſſibilis cum termino ad quem, nec per incarnationem abiicitur, ſed potiùs aſſumitur. Et ſanè nullus dixerit in hoc myſterio, Verbum diuinum aſſumpſiſſe ab humanitate, ſed potiùs aſſumpſiſſe humanitatem. Quare humanitas fuit ſubiectum, non autem terminus à quo aſſumptionis. Nec ea fuit mens D. Thom. vt cùm dixit, aſſumptionem eſſe ab alio ſumptionem, id aſſereret, quo nihil poteſt ineptius dici; Verbum quando humanitatem ad ſe ſumpſit, ab humanitate, velut à termino derelicto receſſiſſe. Ad id autem quod pro Caietani ſententia addebatur, nego præter Verbum, aut humanitatem aliud nihil occurrere. Nos enim aliquid aliud ſuprà oſtendimus, quod eſſet terminus à quo.

15. Sunt alij, qui velint terminum à quo incarnationis eſſe ſubſiſtentiam creatam. Deus enim, inquiunt, naturam humanam non aſſumpſit aliunde, quàm à ſubſiſtentia creata; non quæ fuerit, ſed quæ futura eſſet, niſi per aſſumptionem impedita fuiſſet. Et ſanè terminus à quo eſt illud, quod excluditur per terminum ad quem. Patet autem ſubſiſtentiam creatam per terminum ad quem incarnationis excludi. Non eſt approbanda iſta opinio. Cùm enim creata ſubſiſtentia nunquam in Chriſti humanitate extitiſſe intelligatur, non poteſt dici, quòd Deus humanitatem ex illa aſſumpſerit. Et quamuis ſubſiſtentia creata deberetur humanitati, ſi ſibi relicta eſſet; id tamen non ſufficit, vt ſit terminus à quo. Quemadmodum ſi Deus aquam crearet calidam, ea dici non poſſet facta fuiſſe calida ex frigida; quamuis ei, ſi ſuæ naturæ relinqueretur, deberetur frigiditas.

16. Obiicies. Negatio vnionis ſubſiſtentiæ Verbi non magis poteſt intelligi extitiſſe in humanitate, quàm ſubſiſtentia creata: Ergo tam bene poteſt ſubſiſtentia creata aſſignari pro termino à quo incarnationis, quàm negatio vnionis prædictæ. Reſpondeo. Negatio vnionis non dicitur terminus à quo incarnationis, niſi quatenus eſt eo modo præciſiuo, quo ſubſiſtentia creata non poteſt eſſe in humanitate: non enim humanitas concipi poteſt ita præciſiuè, vt in ea per præciſionem ſubſiſtentia creata reſultet.

CAPVT III.

Quomodo vnio hypoſtatica non fiat vel in eſſentiis naturarum, vel in aliquo accidente; nec ſit ſolùm moralis.

1. POSTQVAM duobus capitibus de actione, quâ vnio hypoſtatica producitur, diſputauimus, ſupereſt vt de ipſa vnione hypoſtatica tractare debeamus. Quod vt commodiùs fiat, ante omnia notandum eſt, duos fuiſſe circa hoc myſterium errores præcipuos, ortos ex ignorantia diſcriminis, quod eſt inter perſonam & naturam. Aliqui enim ſtudio tuendæ vnius perſonæ, vnam ſolam naturã; alij autem ſtudio tuẽdarum duarum naturarũ, duas perſonas in Chriſto agnouerunt. Primus igitur error eſt eorum, qui anteſignanum ſequuti Eutychetẽ monachum, ſeu Archimãdritam Conſtantinopolitanum, vnionem aſſerunt factam eſſe immediatè inter duas naturas, ita vt poſt huiuſmodi vnionẽ non duæ naturæ in Chriſto manſerint, ſed vna conflata ſit ex duabus. Quo autem illi modo factum id eſſe defenderint, non conuenit inter Theologos, nec ex hiſtoriis antiquis clarè diſcerni poteſt, vtrum duas illas naturas voluerint per compoſitionem deſiiſſe, & ex iis deſtructis quandam nouam reſultaſſe, quemadmodum mixtum reſultat ex elementis (qui modus dicitur aſſertus fuiſſe ab Acephalis, ſic dictis, quòd Epiſcopos, qui ſunt Eccleſiæ capita, nullos haberent:) an potiùs illas naturas verè, ac ſecundùm ſe remanẽtes ſic vnam cõflaſſe tenuerint, vt corpus, & anima conflat naturã humanam: an denique eas ſic inter ſe confuſas eſſe crediderint, vt vel Diuinitas in humanitatẽ, vel (quod ad errorem plauſibilius eſt, & Eutycheti tribuunt Leo *epiſt.* 10. Auguſt. *hæreſi* 90. & alij multi Patres) humanitas in Diuinitatem mutata fuerit. Vaſq. *diſp.* 14. c. 1. putat probabile, eos non docuiſſe primum, aut tertiũ modum, ſed duntaxat ſecundum: nempe naturas diuinam, & humanam manſiſſe formaliter: ita tamen, vt quælibet totalitatem ſuam amiſerit; & iis immediatè copulatis vna emerſerit per conſperſionẽ, confuſionem, immixtionem, aut temperationem, vt loquitur Damaſc. *lib.* 3. *de fide, c.* 3. Quare licèt faterẽtur Chriſtũ exiſtere ex duabus naturis, inficiabantur eundem exiſtere in duabus naturis. Atque ita ob vnam particulam, *in*, quam admittere nolebãt, damnati fuerunt in Concil. Chalcedon. Verùm licèt iſti hæretici vtramque naturã in ſuo eſſe ſubſtantiali permanẽtem in Chriſto non negauerint abſolutè, tamen aſſerebãt diuinam quidem naturam incarnatam eſſe, paſſam, ſepultam, vnde appellati ſunt Theopachiſtæ; humanã verò, vbi ad compoſitionem conueniſſet, cenſebant non eſſe nominandam naturam in præſentia diuinæ: quod fuit in cauſa, cur aliqui Patres dixerint Eutychetem cenſuiſſe vnam tantùm in Chriſto eſſe naturam diuinam poſt compoſitionem. Sed quidquid ſit de modo confuſionis, voluit hæc hæreſis, naturas diuinam & humanam, vnitas immediatè inter ſe, confuſaſque fuiſſe in vnam.

2. Secundus præcipuus error in hac materia fuit extremè oppoſitus præcedenti, aſſerens in Chriſto duas perſonas, aut ſaltem duas ſubſiſtentias; nec aliam vnionem naturarum, quàm affectualem, & moralem agnoſcens. Orta eſt hæc hæreſis ipſis Apoſtolorum temporibus, parente Corpocrate, quem Ebion, & Cerinthus comitati ſunt. Longo autem interuallo ſequutus Neſtorius (ex Antiocheno magni nominis

nis Preſbytero Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus) nouum antiquo errori, quaſi infami ſcopulo naufragus, nomen fecit. Vnde Neſtoriani dicti ſunt omnes, qui per ſpeciem vitandæ Eutychianæ confuſionis naturarum in Chriſto, perſonas etiam ipſas diſtinctas poſuerunt, & ex Virgine quidem Mariâ, quam θεότοκον, non θεοτόκον vocari admittebant, aſſeruerunt natam eſſe perſonam merè humanam. Addebant iidem præterea, Chriſtum, poſtquam eſſet natus purus homo, obtinuiſſe merito ſanctitatis, vt Diuinitas ſe illi coniungeret ſpeciali quadam, ſed accidentali ratione, ſecundùm affectum maiorem, quàm coniungi ſoleat cæteris hominibus iuſtis. Et in hunc ſenſum aiebant, Chriſtum vocatum fuiſſe Emanuel; & appellandum eſſe hominem Deiferum.

3. Prima Concluſio. Vnio inter naturas diuinam, & humanam, non ita facta eſt, vt vna conflata ſit ex ambabus, & non manſerint merè duæ integræ, & inconfuſæ. Hæc propoſitio eſt de fide contra priorem errorem à nobis iam expoſitum, definita in concilio Chalcedon. *actione* 5. & in Concilio Conſtantinopolitano V. *collatione* 8. *can.* 8. item in Lateranenſi ſub Martino I. *conſultatione* 5. *can.* 5. *& ſequentibus*; necnon in alio Lateran. ſub Innocentio III. vt habetur *capite Firmiter, de ſumma Trinitate*. Eandem veritatem definierunt Leo I. *in epiſt.* 10. *ad Flauian. & 11. ad Iulianum*: Gelaſius Papa *in lib. contra Eutychetem*. Probatur ratione: nam conſtat primò non ita potuiſſe vniri duas in Chriſto naturas, vt ex duabus corruptis & tranſmutatis orta fuerit vna tertia. Quandoquidem diuina natura incorruptibilis eſt, & immutabilis. Atque inde ſequeretur Chriſtum, vtpote nec Diuinitate, nec humanitate intra eum reſidente, nec Deum eſſe, nec hominem, ſed inauditum aliquid chimæricum. Secundò, non potuerunt naturæ ita vniri, vt vna in alteram conuerſa ſit. Idque notum eſt in diuina, quam nemo non videt eſſe inconuertibilem. Quare cùm ait Scriptura, Verbum caro factum eſt, non ſic intelligi debet, vt cùm ait aquam vinum factam eſſe. In vniuerſum enim, vt quæpiam res dicatur aliquid fieri, non oportet eam in illud mutari, ſed ſatis eſt ſi vniat ſibi formam, vel naturam aliquam. Sicut homo dicitur fieri ſanus, non quia in ſanitatem vertitur, ſed quia ſanitatem acquirit. Sic Verbum dicitur caro factum eſſe, quia ſibi naturam carnis vniuit. Inintelligibile item eſt, naturam humanam, quæ tempore non præextitit vnioni hypoſtaticæ, conuerti potuiſſe per eam vnionem in naturam diuinam. Tertiò non potuerunt vniri hæ duæ naturæ permanentes in compoſitione, vt duo entia incompleta, & ita facere vnum totum per ſe. Nam earum vnaquæque eſt ens per ſe, atque completum, vt patet. Ac ſanè poſito, quòd Eutyches fateretur in Chriſto fuiſſe formaliter tum diuinam, tum humanam naturam, nulla fuit ratio cur negaret vnamquamque ſigillatim dignam eſſe nomine naturæ, & verè duas fuiſſe totales, atque completas. Quamuis enim vnirentur inter ſe immediatè; nihilominus manerent duæ diſtinctæ, atque inconfuſæ inter ſe.

4. Bonum etiam argumentum, quod vniuerſaliter expugnat omnes iam adductos impietatis Eutychianæ modos, & omnem immediatam duarum naturarum coniunctionem, ſumi poteſt ex eo quòd non omnes perſonæ Trinitatis, ſed ſolus Filius incarnatus ſit, vt contra Sabellium ſuo loco probabimus, & fatentur Eutychiani. Atqui ſi verum eſſet, naturam diuinam quocumque modo fuiſſe immediatè cum humana vnitam, dicendum foret non minùs Patrem, & Spiritum Sanctum, quàm Filium ipſum terminaſſe vnionem hypoſtaticam. Natura ſiquidem diuina non magis ad Filium, quàm ad alias attinet Perſonas. Hoc argumentum optimè proponitur à Concilio Tolet. VI. Ex iſta concluſione intelligis terminum totalem incarnationis non eſſe aliquam naturam compoſitam, aut ex duabus mixtam.

5. Secunda Concluſio. Vnio hypoſtatica non fuit tantùm ſecundùm quædam accidentia, & gratiæ dona quantumvis ſingularia; ſed fuit verè ſubſtantialis inter naturam humanam, & Verbi ſubſiſtentiam immediatè. Hæc etiam propoſitio eſt de fide quoad duas, quas continet partes contra Neſtorianorum à nobis ſupra expoſitum errorem, definita in Concilio Epheſino, in eum finem congregato, & poſteà in Chalcedonenſi, necnon in V. Synodo. Denique vbicumque Concilia, aut Patres Eutychianum, contra quem ſuperiori concluſione diſputauimus, errorem condemnant, iſtum pariter contra Neſtorium refutant, vt videre eſt paſſim, præcipuè verò apud Leonem & Cyrillum *toto ferè 4. ſuorum operum tomo*. Ratione etiam probatur iſta veritas quoad priorem noſtræ concluſionis partem. Nam ſi non ſit alia Verbi vnio cum humanitate, quàm ſecundùm affectum voluntatum, & infuſionem excellentis gratiæ, ob quam Dei Filius in Chriſto inhabitet, quaſi in Templo, aut in eo reſideat, quaſi in ſuo inſtrumento, non poterit verum eſſe quod *Ioan.* 1. dicitur, *Verbum caro factum eſt*. Quemadmodum non dicitur Spiritus Sanctus eſſe Mulier, vel Mater Dei, licèt in Beatiſſima Virgine ſingulari modo habitauerit. Et peto quo alio modo (ſaluâ differentiâ ſecundùm magis & minùs) poſſit in doctrina Neſtorij Chriſtus dici verus Deus, quàm quilibet homo iuſtus? Quare ſuppoſito ſuo errore, optimè iſti hæretici aſſerebant Chriſtum non vocandum eſſe ſubſtantiuè, & propriè Deum, ſed Deiferum: quòd tamen aduerſatur Scripturæ, in qua paſſim idem qui vocatur homo, ſolet nominari ſimpliciter Deus. Nec minor eſt ratio interpretandi impropriè appellationem Dei, quàm hominis.

6. Valet etiam contra hanc hæreſim argumentum, quo Eutychen ſuperiori concluſione impugnauimus. Nam ſi vnio hypoſtatica non facta fuiſſet niſi affectualiter, & ſecundùm quædam accidentia, Chriſtus non magis foret Filius Dei, quàm Pater, aut Spiritus Sanctus. Probo ſequelam. Nam affectus diuinus, & dona gratiæ, quibus Chriſtus Diuinitati coniungitur, non magis ad Verbum pertinent, quàm ad alias Trinitatis perſonas. Quare niſi alio modo vnio interceſſiſſet, omnes Trinitatis perſonæ fuiſſent æqualiter incarnatæ.

7. Quod attinet ad alteram concluſionis partem, in qua aſſeritur vnionem factam eſſe immediatè inter naturam humanam, & ſubſiſtentiam Verbi. Primò ea probata manet ex dictis hactenus iſta ſectione. Si enim verum eſt hanc vnionem humanitatis in Chriſto non poſſe eſſe merè accidentalem, aut moralem, ſed neceſſariò debere eſſe phyſicè ſubſtantialem, aſſerendum eſt eam terminari ex parte Verbi ad aliquid ſubſtantiale, nempe vel ad naturam, vel ad ſubſiſtentiam: nihil enim aliud in Verbo reperitur. Quare cùm probatum ſit præcedenti concluſione, non terminari ad naturam, ſequitur neceſſariò eam eſſe terminandam ad ſubſiſtentiam. Secundò ita definitum eſt in Conciliis ſupra citatis, ex quibus potiſſima rerum iſtarum probatio peti debet; nominatìm verò in V. Synodo, *collatione* 8. *can.* 3. vbi definitur, vnitatem Verbi ſecundùm compoſitionem, ſiue ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe.

8. Aduertendum eſt Neſtorianos aliquos, & ipſum, vt aliqui volunt, Neſtorium, cum ſe ab Eccleſia viderent

viderent eſſe damnatos, aſſeruiſſe quidem, ſed non niſi fraudulenter, vnionem humanitatis cum Perſona Verbi; quatenus fatebantur Chriſtum eſſe ipſam Perſonam Verbi, aut eſſe hominē in vna, eademque Dei perſona deglomeratum; ſiue eſſe carnis indumento indutum, vt loquebatur Elipandus Epiſcopus Hiſpanus, exiſtimatu Neſtorianus. Verumtamen id reipſa intelligebant ſolùm moraliter: volebant enim Chriſtum ob affectionem cum Verbo coniunctionem, & ob ſingularem cum eo amicitiam, accepiſſe illius authoritatem, & vicem; atque ita ipſius geſſiſſe, & aliquo modo fuiſſe Perſonam. Cùm tamen, iidem poſtquàm vnam in Chriſto Perſonam (quoniam id nomen ſignificat authoritatem) confeſſi eſſent, dicerent duas in illo eſſe ſubſiſtentias, & ſuppoſita. Quod erat abſolutè, & phyſicè duas agnoſcere in Chriſto perſonas. In naturis enim intellectu præditis, ſuppoſitum, ſiue ſubſiſtentia idem omninò eſt cū perſonalitate, vt in loco explicabimus.

9. Ex hac ſecunda concluſione datur intelligi, vnionem hypoſtaticam dicendam eſſe ſubſtantialem; vtpotè, nec hinc, nec inde terminatam ab aliquo accidente, & perficientem ſubſtantialiter humanitatem, cùm facit eam ſubſiſtere per Verbum; & componentem eſſentialiter Chriſtum: quem Alexander III. *in cap. Cùm Chriſtus, de hæreticis*, definit eſſe quid, ſiue aliquid, hoc eſt, ſubſtantiam. Quod non foret, ſi vnio hypoſtatica, quâ conſtat, eſſet accidentalis. Conſequenter ad hanc Alexandri definitionem Sanctus Th. *q. 2. art. 6. in argumento; Sed contra*, probat hanc vnionem eſſe ſubſtantialem, quia ſi eſſet accidentalis, non poſſet fieri in quid hæc prædicatio, *Chriſtus eſt homo*. Nota nihilominus, quòd ſimiles propoſitiones, in quibus prædicatum ſit concretum & ſubſtantiuum, fiunt ſæpè; quamvis inter ipſum prædicatum, & ſubiectum non ſit vnio pluſquàm accidentalis. Sic enim rectè dicimus, Sophronicus eſt pater, Ludouicus eſt Rex, Tullius eſt Orator, &c. quamuis & paternitas, & regia dignitas, &c. ſint accidentia; nec illa prædicatio ſit in quid, ſed in quale. At verò hæc, *Chriſtus eſt homo*, vt bene ex Alexandri definitione infert Diuus Thomas, eſt omninò in quid, habita ratione materiæ.

10. Quæres vtrum vnio humanitatis cum Verbo ita ſit ſubſtantialis, vt nullo reſpectu dici poſſit accidentalis? Reſpondeo quatenus accidentale opponitur eſſentiali, bene poteſt appellari hæc vnio accidentalis, non quidem Chriſto, qui formaliter eam in ſua includit eſſentia, ſed duobus extremis, nempe Verbo, & humanitati; nec enim his eſſentiale eſt vniri. Accidit ergo ipſis, præſertim cùm ſint entia per ſe completa citra talem vnionem. Atque in hoc ſenſu loquuti ſunt inter alios Bonau. *in 3. diſt. 5. q. 1.* Ricard. *art. 3. q. 2.* Durand. *q. 4.* Palud. *q. 1. art. 3.* Immeritò autem hos duos vltimos carpunt Suares *diſp. 8. ſect. 1.* & Vaſques *diſp. 17. c. 1. & 2.* Nec enim aſſeruerunt humanitatem non eſſe ſubſtantiam, aut eſſe accidentalem Chriſto: non etiam negarunt vnionem hypoſtaticam modum eſſe ſubſtantialem: ſed voluerunt tum humanitatem, tum vnionem eſſe quid ſubſtantiale, quod licèt ſit eſſentiale reſpectu Chriſti, non tamen eſt tale reſpectu Verbi. Sic licèt aurum ſit ſubſtantia, & non accidens; tamen eſt quid accidentale calici huic argenteo, quem feci deaurari. Tandem interrogari poteſt, an hæc vnio hypoſtatica dici debeat naturalis. Reſpondeo affirmatiuè quidem, prout naturalis idem eſt ac phyſica, realis, & non tantùm moralis. Negatiuè autem, prout naturalis opponitur ſupernaturali; conſtat enim vnionem huiuſmodi ſuperare omnes naturæ fines.

CAPVT IV.

Vtrùm vnio hypoſtatica ſit modus pluſquam ratione ratiocinata diſtinctus ab humanitate.

1. SCite Gregorius Arim. *in diſt. 28. q. 2.* pronunciauit hanc vnionem, quantumvis Theologi de illa ſubtiliter, copioſéque diſputent, eſſe incomprehenſibilem, & talem, vt illius ratio nec percipi qualis eſt, poſſit, nec explicari. Quod ipſum Magiſter *ſententiarum lib. 3. d. 2.* ſignificatum putat fuiſſe myſticè à Ioan. Baptiſta illis de Chriſto Verbis; *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti.* Quaſi diceret, non poſſum intelligere, neque explicare vinculum vnionis, quo Verbum diuinum induit humanitatem vt calceamentum. Quò etiam Gregorius Magnus refert illud *Pſalmi* 107. *In Idumeam extendam calceamentum meum.* De tanto nihilominus myſterio conantur Patres, & Doctores explicare quod poſſunt. Ac primò circa naturam huius vnionis, quâ certum eſt humanitatem modificari, ponitur in quæſtionem, quidnam ea ſupra ipſam humanitatem importet.

2. Scotus quidem, Okam, & Gabriel *in 3. diſt. 1. q. 1.* aliique nonnulli volunt, hanc vnionem eſſe qualitatem abſolutam & ſupernaturalem, quam vocant gratiam vnionis realiter diſtinctam ab extremis. Sed cùm Chriſtus ſit compoſitum ſubſtantiale, patet eum non poſſe conſtitui intrinſecè per vllam qualitatem, ſeu per aliquid accidentale: Conſtituitur autem eſſentialiter, conſurgitque formaliter per illam vnionem: Ergo, &c. Præterea meminit Ariaga *diſp. 10. n. 26. & ſequentibus*, cuiuſdam recentiorum opinionis, quæ aſſerit iſtam vnionem eſſe ſubſtantialem entitatem diuinitùs ſeparabilem ab extremis, quæ ſit per modum diſpoſitionis, quâ humanitas ita præparatur, vt (ſi aliunde ſupponatur carere ſua naturali perſonalitate, & omni peccato) neceſſarium ſit vi illius entitatis, ſeu diſpoſitionis, vt perſonalitas diuina exerceat circa eam humanitatem quicquid creata ſubſiſtentia eſſet factura.

3. Sed huiuſmodi valere, iuſſâ tam abſurdè opinandi libertate, ſummorum eſt ſententia Theologorum, Suaris *diſp. 8. ſect. 3.* Vaſqueſij *diſp. 18.* Tanneri *q. 3. dub. 4.* Ioan. Delugo *diſp. 11. num. 2.* Leſſij *lib. 12. de perfectionibus diu. c. 6.* & aliorum, qui exiſtimant vnionem eſſe modum aliquem ſubſtantialem, diſtinctum quidem ab humanitate ante opus mentis, non tamen maiori, vt loquuntur, ſed minori realitate: ſiue eſſe entitatulam, quæ in re diſtinguatur imperfectè ab humanitate; quatenùs poteſt humanitas exiſtere ſine illa, ipſa verò non poteſt exiſtere ſine humanitate; vtpotè non habens propriam entitatem, ſed realem cum ſuo ſubiecto identitatem, vt de omnibus modis docet Suares *in Metaphyſ. diſp. 7. ſect. 1. num. 6.* Quam imperfectam diſtinctionem vocant modalem, eamque in omni phyſica vnione agnoſcunt, in ſubſiſtentia, in præſentia, in motu, in figura, &c.

4. Sunt tamen alij, qui cenſent vnionem hanc, modum eſſe ſubſtantialem ſola ratione ratiocinata diſtinctum ab humanitate, quam ſic afficit verè, atque modificat, vt poſſit & illi de nouo aduenire, & ab eadem recedere; idque nullo intellectu cogitante, per virtualem quamdam diſtinctionem in re. Quod licèt Authores pro ſuperiori ſententiâ *in præcedenti num.*

citati

Digitized by Google

citati negent ſe poſſe intelligere, & acriter nonnulli vt improbabile reiiciant; puto tamen eſſe difficilius, minuſque intelligibile quod illi aſſerunt. Idemque multi etiam putant, Gregor. Arim. *in* 1. *diſt.* 28. *q.* 2. *ad* 17. *&* 18. *argumentum,* Maior *in* 3. *diſt.* 1. *quaſt.* 1. Okam *in* 10. 3 o. *q.* 1. licet alibi vacillarit, Baconus *in* 3. *diſt.* 1. *q.* 1. Caietan. *ad q.* 2. *art.* 7. *& art.* 10. Didacus Aluares *diſp.* 13. *de incarnatione,concl.* 1. *n.* 12. aſſerens hanc ſententiam eſſe inter Thomiſtas vſitatam; Valentia *diſp.* 1. *quaſt.* 2. *puncto* 5. Martinonus *diſp.* 5. *ſect.* 6. 7. *&* 8. Tiphanus *de hypoſtaſi cap.* 45. aliique plurimi: ſecundùm quos mihi videtur omninò vera eſſe ſequens

5. Concluſio. Vnio hypoſtatica eſt modus ab humanitate, quam ſolam afficit, diſtinctus ratione ratiocinata; nullatenus autem à parte rei pluſquàm virtualiter. Iſta concluſio partim aduerſatur quibuſdam eorum, qui modalem entitatulam nobiſcum quidem aſſerunt eſſe reiiciendam, ſed id probant ex eo, quòd putent voluntatem diuinam abſque vlla externa operatione,vel rei alicuius mutatione,facere vt duo extrema incipiant eſſe vnita; atque etiam, vt è contra deſinant vnita eſſe, hoc ipſo quòd ita eſſe decreuerit. Quam rationem excludendi in incarnatione vnionem à parte rei diſtinctam, ſequitur Valentia *ſuprà*. Sed id inintelligibile eſt,& iure à Leſſio refutatur *loco ſuperiùs citato*, & ab aliis. Etenim voluntas diuina extrinſecè ſe habet, mutatio autem, quam vnio in ſuo ſubiecto efficit, intrinſeca verè eſt, nec tantùm moralis, ſed omninò phyſica. Aliter igitur noſtra eſt probanda concluſio: pro qua

6. Primum argumentum ſit. Ille modus, qui ad aliquam rem ita comparatur, vt ne quidem per diuinam potentiam conſeruari queat ſeorſim abſque illa, non poteſt ab ipſa diſtingui pluſquam ratione ratiocinata, ſeu pluſquam virtualiter. Atqui vnio hypoſtatica talis modus eſt, vt ne quidem per diuinam potentiam conſeruari queat ſeorſim à re, quam modificat, nempe à natura aſſumpta. Ergo, &c. De minori nulla eſt controuerſia, illamque ipſi aſſerunt aduerſarij. Totum igitur negotium eſt in probatione maioris, pro qua ſic: illud quod ſupra rem eam quam modificat, nihil in ſe formaliter, & pluſquam virtualiter continet, non poteſt ab illa pluſquàm virtualiter, ſeu pluſquàm ratione ratiocinata diſtingui. Atqui modus qui eſt talis, vt nequeat per diuinam potentiam à re quam modificat ſeparari, & ſeorſim conſeruari,nihil ſupra illam in ſe formaliter, aut pluſquàm virtualiter continet. Ergo non poteſt pluſquam virtualiter ab illa diſtingui.

7. Maior iſtius argumenti vltimi probatur. Nam vt aliquid diſtinguatur pluſquàm virtualiter à re quam modificat, verbi causâ ab hac humanitate, debet eſſe formaliter aliquid aliud, quàm illa. Nihil enim poteſt diſtingui niſi in quantum eſt aliud. Quod autem nihil in ſe continet præter hanc humanitatem, non poteſt eſſe aliquid aliud,quàm ipſa, quemadmodum ex terminis notum videtur. Per quid enim poteſt eſſe aliud, ſeu diſtingui, niſi per id quod continet? Quomodo autem ab humanitate diſtinguetur per id quod continet, ſi nihil in ſe formaliter continet,quod non ipſam intrinſecè includat tranſcendentaliter, ſiue ſecundùm omnem ſui rationem; ita vt nihil ſit quod ſecundùm rem ab humanitate præſcindat, & non poſſit aſſignari quippiam includens, quod diſtinctum formaliter ſit ab incluſo? Quid enim illud erit in vnione præciſum & extricatum penitus ab extremis? Quid ſupererit in præſentia,& vbicatione conſiderandum, poſtquam expeditum, & exutum omninò fuerit à re præſente? Iſtud oſtendi poteſt ex Metaphyſicis à pari. Nam quemadmodum differentia ſubſtantiæ, aut accidentis, quia per conceptum noſtrum nihil includit, quod tranſcendentaliter,& ſecundùm omnem ſui rationem non ſit ens, propterea non poteſt ab ente ſecerni, aut ab eo extricari, etiam per conceptum. Sic, inquam, à parte rei, ſi quid comparetur ita cum hac humanitate, vt nullam ſui, quantumvis extenuatam, rationem habeat, quæ non ſit humanitas, non poteſt ab hac ſecerni: & per conſequens non poteſt ab humanitate diſtingui. Quæ conſideratio validior eſt,loquendo de eo quod phyſicè,& à parte rei exiſtit, quàm ſi de eo loquamur, quod eſt tantùm metaphyſicè in conceptu. Nam poſſumus per conceptum ſumere ens magis, minuſque confusè, & aliquo modo diſtinguere à ratione illius confusè cogniti & abſtracti rationem ſubſtantiæ, vt expreſſiùs conceptam. At à parte rei id quod ſecundùm omnem ſui rationem includit v. c. humanitatem, non poteſt ante opus mentis ab illâ vt ſic, & abſtractè ſumpta diſtingui. Iam cùm videatur explicata ſatis,probataque illa maior poſterioris argumenti ſupra facti *num.* 6. nempe id quod ſupra rem aliquam nihil formaliter continet, non poſſe pluſquam ratione diſtingui:

8. Minor eiuſdem illius argumenti probatur; nempe modum, qui nequeat per diuinam potentiam ſeorſim à re, quam modificat, conſeruari, nihil ſupra illam formaliter, & pluſquam virtualiter continere. Quod ſic oſtendo. Nam ſi modus contineret quippiam ſupra rem, quam modificat; hoc eſt, ſi aliquid contineret, quod rem modificatam non inuolueret, ac intrinſecè implicaret, poſſet haud dubiè ſecundùm id quod ſupra rem haberet, ſecludi ab ipſa re, & ſine ipſa per diuinam potentiam conſeruari, vtpotè ad eam ſe habens extrinſecè, & habens eſſentiam ſuam euolutam ab ipſius eſſentia. Ergo ſi modus talis eſt, vt nec per diuinam potentiam queat ſeorſim à re modificata conſeruari, id eſſe non poteſt, niſi quia cùm eam eſſentialiter includat, & intrinſecè inuoluat, eam ſecum defert ſemper, & ſine illa nequit exiſtere: niſi enim hoc ſupponatur,non poteſt afferri vlla ratio, nec intelligi, quare Deus per abſolutam potentiam non poſſit illam modi quantumvis minutam entitatulam conſeruare. Hoc totum ex ſequentibus magis conſtabit. Et benè à Valentia *diſp.* 1. *q.* 2. *puncto* 5. indicatur his verbis, quæ iuuat afferre: *Si vnio,* inquit, *eſt realis entitas, ſeu modus, ſeu quocumque alio nomine vocetur, quid obſtare poteſt, quominus Deus illam producat ſolam abſque humanitate, vel eam in loco diſtante ab humanitate collocet, & conſeruet? Omne enim in re ab alio diſtinctum, & ei extrinſecum poteſt ſine illo alio exiſtere, hoc ipſo quod diſtinctum, & extrinſecum eſt. Si enim ipſum non eſt illud aliud, non ſequetur talis contradictio,vt idem ſit,& non ſit,quando modus exiſtet ſine re,cuius eſt modus. Secùs, ſi quippiam ſit tale,vt reipſa non habeat entitatem, vel entitatulam propriam, & diſtinctam ab alio pluſquam ratione: ſicut ſitus, verbi gratia, corporis,qui,cùm realiter non diſtinguatur à corpore, non poteſt ſine hoc exiſtere.* Hactenùs optimè Valentia.

9. Secundum pro concluſione argumentum cum priore iam explicato connexionem habet,& eſt quædam eius confirmatio. Vnio hypoſtatica nullatenus ab humanitate à parte rei pluſquam virtualiter diſtinguitur, & nihil ſupra ipſam humanitatem addit, ſi ex ipsâ aduerſariorum doctrinâ non habet propriam entitatem,ſed realem cum eâ entitatis identitatem. Atqui hoc ita eſt, vt de omnibus modis fatetur Suarez in Metaphyſ. *diſp.* 7. *ſect.* 2. *num.* 6. faterique neceſſe eſt eos omnes, qui intelligunt, quid

Digitized by Google

quid ſit modus, & quid ſit illud, de quo hîc diſputatur. Confirmatur. Nam ſi aliquam entitatem haberet vnio ſupra humanitatem, fieret quædam vera, & realis compoſitio ex ambabus entitatibus illis, maiore, & minore, quaſi ex duabus partibus contra diſtinctis: cùm tamen propriam eſſe non poſſe inter rem, & ſuum modum, compoſitionem, velint aduerſarij: aſſerentes nimirum cum Suare iam citato, eſſe quandam modi cum ſua re identitatem, vtpote non habentis entitatem omninò diſtinctam. Vnde fit, modum, & rem modificatam non poſſe inuicem vt extrema, quæ ſint verè duo, comparari. Et verò, quis dicat ex Petro, & eius ſeſſione fieri vnum reale compoſitum, velut ex duobus extremis? Pone ex vna parte, & ſeclude Petrum: quid ex altera parte in ſeſſione extra Petrum ſupererit, quod poſſit cum illo comparari, vt diuerſum, diſtinctumque extremum compoſitionis? Et tamen id diuerſum, diſtinctumque aſſignent oportet ſibi contradicentes aduerſarij, ſi diuerſum, diſtinctumque eſt. Cùm autem aſſignauerint, effugere non poterunt, quin vera ſit, propriaque, quod nolunt, compoſitio ex Petro & ſeſſione. Vbi enim iuncta ſunt extrema verè, ac formaliter duo, ibi (eo modo quo ſunt verè ac formaliter duo) eſt vera compoſitio. Porrò quid abſurdius, quàm agnoſcere veram in ſedente Petro compoſitionem realem? Concipio quidem fieri ex pariete, & ex albedine vnum compoſitum: quia duas partes concipio, vt ſecluſas inuicem à ſe entitates. At faciat aliquis à nobis concipi quid ſit illud in ſeſſione reſiduum, poſtquam ab illa Petrum exemeris: ex quo reſiduo, & ex Petro fieri poſſit verum compoſitum. Certè reſiduum nihil eſt. Vnde naſcitur:

10. Tertium argumentum: quod nempe in nulla re ſit neceſſarius modus, ſiue entitatula realiter diſtincta; atque adeò in humanitate Chriſti talis entitatula ſuperflua ſit: poteſt ſiquidem humanitas attingere Verbum per ſuam ab omni alio præciſam entitatem, & per ſeipſam vnione modificari. Etenim humanitas non magis requirit entitatulam, vt Verbo, quàm vt ipſimet entitatulæ vniatur. Licèt enim dicere poſſis, entitatulam ipſam vnionis, cùm ſit vltimum determinatiuum, non indigere alia entitatula ſimili, vt ipſa vniatur; cùm non vniatur propriè, & vt quod, ſed tantùm vt quo. Tamen ipſam humanitatem dico poſſe eodem modo per ſeipſam ſolam modificari, determinarique, vt attingat Verbum diuinum; ſicut per te attingit iſtam tuam entitatulam immediatè, eique vnitur: cùm non ſit ipſa magis reſpectu talis entitatulę, quàm reſpectu Verbi vltimum determinatiuum. Habent rerum entitates virtualem talem multiplicitatem, vt idem hîc & nunc poſſint, per ſeipſas ſolas modificatæ, ac ſi haberent entitatulam ſuperadditam; atque per ſuam quandam eminentiam æquiualeant compoſito, quod ex ipſis, & ex diſtincta entitatula conſurgeret. Hîc enim conſiderandum eſt, quòd quemadmodum in Deo virtualis eſt multiplicatio perfectionum, & ea entitatis amplitudo, vt poſſit eſſe formalitatum, ac perfectionum verè realium virtualis quædam & poſitio, & remotio. Nam in Diuinitate, vt eſt primæ Perſonæ, reperitur paternitatis perfectio, quam eadem ipſa Diuinitas velut omittit, cùm profluit, vt ita loquar, in Filium, apud quem alteram pro ipſa, quam aliquo modo reliquit, paternitate, perfectionem non minorem, nempe filiationem nanciſcitur. Et ſic modificationes variæ ſunt in Diuinitate, ac virtuales per ſectiſſimarum formalitatum diſtinctiones. Intellectus Patris realiter generat, non ſpirat; idem intellectus in Filio eam non habet generandi formalitatem, ſeu perfectionem; voluntas ab intellectu virtualiter realiter diſtincta ſpirat, non generat, &c. Similiter, inquam, non debet eſſe mirum, ſi cum aliqua proportione aſſeramus Deum creaturis eam perfectionem communicaſſe, vt per ſuæ virtualem amplitudinem entitatis poſſint realiter variis ſe habere modis: v. g. vniri, non vniri, præſentes hîc, vel illic eſſe; ſubſiſtere per ſe, vel non ſubſiſtere; extendi localiter, vel non extendi, &c. quaſi facta in certis quibuſdam conditionibus, & occaſionibus acquiſitione, vel deperditione virtuali realitatis cuiuſpiam, quam eminenter in ſe contineant.

11. His poſitis conſtat entitates, aut entitatulas modales, quæ à rebus, quas modificant, diſtinctæ ſint, eſſe reiiciendas. Non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Confirmatur hoc totum ex ſingulorum modorum particulari conſideratione, ex qua apparebit effectus illorum formales poſſe abſque acquiſitione entitatis obtineri. Nam quantumuis ab omni diſtincto modo vbicationis v. c. abſtrahatur res, prout latere dicitur ſub illo modo, & prout ab ipſo diſtinguitur, erit in hoc ſpatio. Sic & extrema, prout vnioni ſubſunt, ſuntque, iuxta aduerſarios, res quædam ab vnionis modo diſtinctæ, vniuntur ipſa per ſe: nam ipſa ſola ſunt, quæ componunt. Atque ſi ſubiecta v. g. formarum poſſunt per ſe de non recipientibus vnionem, fieri recipientia vnionem; quare non poſſunt item de non recipientibus formas, fieri recipientia immediatè formas? &c. Nec valet quod ſolet ad hoc reſpondeti, vnionem eſſe vltimum determinatiuum, atque ita non indigere, vt res cæteras, alia vnione, vt recipiatur in ſubiecto. Id, inquam, non valet: nam ſumamus v. c. entitatulam vnionis, qua in ligno bipedali forma vnitur materiæ; illa entitatula coextenſa ligno bipedali, habet duas medietates pedales. Dico autem illas duas entitatulæ medietates poſſe ſeparari, ſi lignum ipſum diuidatur in duo ligna pedalia. Ergo ipſæ non vniebantur per ſe intranſitiuè, & eſſentialiter. Quare vt iterum vniantur, indigebunt noua vnione loco vnionis deperditæ. Atque ita conſtabit falſum eſſe quòd vnionis entitatula ſit vltimum determinatiuum. Porrò idem conſiderari poteſt in omnibus partibus extenſionis, quas illa pedalis vnio habet: vbique enim poteſt ſimilis fieri ſeparatio. Sicque dabuntur infinitæ vniones vnionum, & infinitorum modorum infiniti modi.

12. Quartum argumentum valens contra omnes modos, proponitur in exemplo vbicationis. Non magis res aliqua poteſt habere præſentiam in loco per ſeipſam nullo diſtincto addito, quàm poſſit per ſeipſam, v. c. Chriſti humanitas Verbo vniri per ſeipſam, &c. abſque vlla entitatula. Atqui res quælibet poteſt habere præſentiam in loco per ſeipſam, & præſcindendo ab omni modo diſtincto. Idque per ipſos etiam aduerſarios. Leſſius enim, qui eſt inter eorum præcipuos, id fatetur diſertè *lib. de perfectionibus diuin. num.* 14. loquens de præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, & reiiciens illorum ſententiam, qui volunt Chriſtum poni in Sacramento per actionem adductiuam; aſſerit priùs eſſe naturâ, vt Corpus fiat ſub ſpeciebus indiſtans, quàm vbi ſub his illi conferatur: *Prius eſt*, inquit, *corpus eſſe indiſtans loco, quàm ipſum accipere aliquem reſpectum, vel poſitiuam habitudinem ad locum: modus enim, qui ſit circa rem, ſupponit rei præſentiam. Ergo ipſum Corpus Chriſti prius debet adduci ad locum, in quo tale vbi reſidet; quia vbi per ſe non confertur vi aliqua cauſa efficientis, ſed ſponte, & neceſſariò reſultat ex præſentia rei. Vnde prius requiritur præſentia Corporis Chriſti ad ſpecies.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc Leſſius. Ex quo ſic poſſumus argumentari. Si priùs eſt naturâ rem aliquam eſſe præſentem alicubi, quàm accipere modum præſentiæ, ſiue vbicationis, quandoquidem modus ille non poteſt rem, quamdiu remota eſt, informare: Ergo non conſtituitur præſens per illum modum, & non indiget tali modo, vt ſit præſens: cùm in priori ante omnem entitatulam, atque adeò ſine illa, conſtituta ſit præſens, & indiſtans à tali loco. Non eſt verò maior ratio, cur præſentia ſit omninò indiſtincta realiter à re præſenti, quàm quilibet modus à re modificata. Ac per conſequens quemadmodum Corpus Chriſti per Leſſium, & alios poteſt eſſe præſens in loco ſub ſpeciebus abſque eo, quod per entitatulam, vtpute poſteriorem, conſtituatur præſens, non minùs etiam poterit res aliqua, & nominatim ipſius Chriſti humanitas, vniri per ſeipſam; ita vt eius vnio non ſit aliud realiter præter ipſam eius entitatem.

Reſpondetur argumentis contrariæ ſententiæ

13. QVi nobis aduerſantur Authores, nihil afferunt, quod valdè nos commouere debeat, aut quod aliam (quicquid ipſi dicant) faciat difficultatem, quàm imaginationis: quæ ratione corrigenda hîc eſt in eo, quod fieri non poſſe videatur, vnionem ab humanitate realiter indiſtinctam, ipſi humanitati de nouo realiter aduenire, & ab eadem in ſuo eſſe permanente recedere. Opponunt primò, ac ſupponunt nos aſſerere, quòd voluntas diuina abſque vlla externa operatione, vel creaturæ mutatione poſſit facere, vt aliqua incipiant eſſe vnita, quæ non erant priùs vnita; & contra, vt deſinant eſſe vnita, quæ anteà erant vnita. Sic aduersùs nos Leſſius *lib.* 12. *de diu. perfect. num.* 30. Delugo *diſp.* 11 *num.* 3. & alij quidam. Sed immeritò. Licèt enim ex antiquis nonnulli, & ex recentioribus Valentia, id aſſerant, ad hoc, vt modos ex natura rei diſtinctos reiiciant: nos tamen procul abſumus ab iſta philoſophandi ratione. Certum enim apud nos eſt, diuinam voluntatem præcisè, niſi accedat operatio potentiæ exequutiuæ, quæ modum aliquem in re modificata producat, non poſſe rem modificare, aut immutare; vt ſuprà diximus *num.* 5. Atque hinc patet nihil item contra nos valere id, quod

14. Secundò obiicitur nominatim à Suare *diſp.* 8. *ſect.* 2. nos aſſerere, per modos nihil poni in ipſa re, nullamque rei fieri mutationem phyſicam. Quod etiam vrget Leſſius *loco ſuprà citato*, ſupponens noſtram ſententiam eſſe, quòd inter animam & corpus nihil ſit aliud, quàm intima animæ in corpore præſentia, & penetratio, ſeu exiſtentia in eodem loco; quemadmodum poſſet Angelus penetrare corpus. Fruſtrà multus eſt Leſſius *num.* 32. in probando intimam præſentiam non ſufficere ad vnionem. Non nos eius argumenta petunt, qui nihil tale dicimus, quale nobis tribuit. Quod tamen ipſum Ariaga nobis amarulentiùs opponit *diſp.* 20. *num.* 13. *& ſequentibus*, intendens, noſtram ſententiam ſolo modo loquendi à Neſtorio differre, nec nos aliquid in re ponere pluſquàm illum. Nam ſicut Neſtorius non admittebat vllam ſubſiſtentiam amiſſam ex parte humanitatis, cuius loco diuina ſucceſſerit; ita nec nos, inquit, cùm nullum ſubſiſtentiæ modum, qui ſit quippiam ſupra humanitatem reale, velimus in ea per incarnationem impeditum fuiſſe: & prætereà negemus phyſicum nexum, qui pluſquam ratione diſtinctus humanitati aduenerit, quemadmodum & eum Neſtorius negabat; ſicque ex parte creaturæ, aut humanitatis reipſa nihil plus, minuſve ponimus: eſtque ſecundùm nos coniunctio humanitatis per ſolam extrinſecam voluntatem Dei, conſiſtens in mero affectu: atque tantum diſcrepamus, quòd Neſtorius melius loquens vocet vnionem dumtaxat affectiuam, & moralem; nos autem illam malè vocemus phyſicam. Et hoc ſuum argumentum initio numeri 13. dicit eſſe rationem ſuo iudicio firmiſſimam, & euidentiſſimam.

15. Non ita eſt, vt nobis prædicti Authores imponunt. Dicimus enim modum poni verè à parte rei, & aduenire, nullo intellectu cogitante, rebus modificatis: qui modus, licèt ſit indiſtinctæ entitatis, ipſas res verè immutet, vtpotè diſtinctus virtualiter, quemadmodum conſtat in motu locali, in figura, in vnione, &c. Voluműſque modum huiuſmodi non poni ſine alicuius cauſæ efficientis influxu. Neque dicas repugnare, vt detur verum cauſæ circa hos indiſtinctos modos efficientis exercitium. Sanè ad præſentiæ, vnionis, alioſque ſimiles à ſubiectis ſuis indiſtinctos modos, dari cauſæ efficientis influxum, & Dei ad illorum productionem concurſum, negare non poteſt Leſſius, qui *lib.* 3. *de ſummo bono*, *c.* 6. aſſerit eum nutum, ſeu grauitationem rei ponderoſæ, cuius motus deorſum penitus impeditur, eſſe verum effectum grauitatis, vt cauſæ efficientis, ad quem effectum ſit neceſſarius Dei concurſus; quamvis ex illo nutu, Deique concurſu nihil oriatur, ſitque ſimplex ac irritus preſſus, opponente ſe nimirum, obſiſtenteque corpore ſubiecto prænduro, nec inde quicquam patiente. Vultque prædictus Author illum nutum, ſeu grauitatis effectum phyſicum ceſſare poſſe per defitionem diuini concurſus: ita vt plumbi v. c. talentum, plumâ leuius appareat. Et ſic explicat, quo modo Beatorum corpora, quamvis grauitate ſua naturali non deſtituantur, ſint agilia; ſubtracto ſcilicet ad ipſorum Beatorum voluntatem diuino circa prædictum nutum concurſu. Ex qua Leſſij doctrina infero, modos reales, de quibus agimus, licèt à ſubiectis ſuis indiſtinctos, putà vnionis, præſentiæ, &c. cùm non ſint tam exiles, quàm ille nutus grauitatis irritus (quem nullus dixerit eſſe entitatulam realiter diſtinctam à corpore graui) poſſe eſſe veros effectus, & terminos alicuius cauſæ efficientis, huiuſque influxu egere. Quomodo nos ſuo loco probauimus, vnionem hypoſtaticam productam fuiſſe per totius Trinitatis actionem tranſeuntem.

16. Ex dictis apparet, quàm iniuſtè nobis Ariaga Neſtorianiſmum improperet. Nam nullum modum phyſicæ cum Verbo vnionis in humanitate agnoſcebat Neſtorius: atque adeò in eadem humanitate ſubſiſtentiam ineſſe creatam fingebat; quæ ſcilicet non poteſt à Verbo, niſi per vnionem phyſicam impediri. Nos humanitatem volumus in Chriſto carere perſonalitate naturali, & illa, quam citra aſſumptionem habitura fuiſſet, totalitate: humanitatem (inquam) volumus non ſui, ſed alieni iuris eſſe, eumque hominem, quem componit, non eſſe quid ſeorſim à Verbo, vt loquitur Cyrillus, & vt nos explicabimus in ſuo loco. Id autem non potuit aliter eſſe, quàm per verum, ac phyſicum modum vnionis, qui humanitatem realiter afficiat, ſicut vnio copulans corpus cum anima, ſubiectum ſuum afficit: qualem modum non agnoſcebat Neſtorius. Atque hic modus nequit per ſolam extrinſecam Dei voluntatem acquiri, ſed per potentiæ exequutiuæ actionem productiuam, & humanitatis modificatiuam.

Digitized by Google

17. Tertiò obiicitur, quod eſt præcipuum, & fundamentale contrariæ opinionis argumentum, concipi non poſſe, quòd humanitas, quæ anteà (ex ſuppoſitione poſſibili) non vniebatur Verbo, incipiat hodie realiter, & nullo intellectu cogitante, recipere vnionem, ac poſteà illam à parte rei verè amittat, nihil entitatis, aut (vt loquuntur) entitatulæ recipiendo, vel amittendo: ita vt propoſitiones duæ contradictoriæ, nempe eſſe vnitam, & non eſſe vnitam, de eadem humanitate ſucceſſiuè inueniantur veræ abſque vlla entitatis productione, aut deſtructione. Repugnat enim dari denominationem realem nouam abſque noua forma reali. Si enim omnia eodem modo ſe habent, quo anteà, non aliter poterunt denominari, quàm anteà. Itaque vt humanitas v.c. & Verbum poſſint denominari vnita, debet aliquid aliud eſſe præter ipſam humanitatem, & Verbum. Nam duo illa extrema, Verbum, & humanitas poſſent ſingula exiſtere ſecundùm ſe, etiam penetratiuè, & tamen non eſſe vnita. Oportet ergo, ad hoc, vt fiant vnita, quippiam nouum accedere præter ipſa; per quod verificetur propoſitio, quâ incipiunt pronunciari vnita.

18. Reſpondeo videri quidem hanc obiectionem primo aſpectu difficilem imaginationi. Sed ea ſuperanda eſt difficultas ratione, cauendumque ne vbi imaginatio laborat, nos imaginatione laboremus. Mirumque eſt Okamum, modos alioqui tollere conantem, obiectioni prædictæ ſuccubuiſſe *in 1. diſt. 30. q.4.* cùm anteà nobiſcum ſenſiſſet *q.1. §. Ad ſecundum inconueniens.* Cui Okamo Tartaretus ioculari compellatione ita ſeu gratulatur, ſeu inſultat: *Domine Okame dic quod cogit te ad id dicendum? Certè euidentiſſima ratio, quæ eſt iſta: Impoſſibile eſt tranſire à contradictorio in contradictorium ſine acquiſitione, vel deperditione alicuius poſitiui.* Vt hæc ſoluatur obiectio conſiderandum eſt, quod paulò ante dicebamus *n.15.* de natura horum modorum realiter indiſtinctorum. Supponunt aduerſarij ſubiecta per talium modorum acceſſum, vel diſceſſum non mutari, quaſi illi, quemadmodum per ſolam rationẽ diſtinguuntur, ita per ſolam rationem exiſtant. Procul id abeſt à noſtra mente. Hi de quibus diſputamus modi non ſunt nihil, & exiſtunt verè à parte rei. Sunt verò ſic entitatiuè cum ſuis ſubiectis identificati, vt tamen virtualiter ab iis diſtinguantur: atque adeò poſſunt ipſis aduenire, & ab iiſdem deficere, indigentque cauſa efficiente, vi cuius incipiant, & eorum formalitas ex ſubiecti ſui virtualitate velut extrahatur.

19. Itaque ad Tartareti, & aliorum omnium argumentum, quo tota hæc obiectio continetur, ſic reſponderi debet in forma. Impoſſibile eſt à contradictorio tranſire ad contradictorium ſine acquiſitione, vel deperditione alicuius poſitiui. Diſtinguo. Sine acquiſitione, vel deperditione poſitiui, quod ſit vel formaliter, vel virtualiter diſtinctum: concedo. Sine acquiſitione, vel deperditione poſitiui, quod ſit formaliter diſtinctum: nego. Si igitur de aliqua natura præexiſtente, & creatam perſonalitatem habente, de qua prædicabatur eam non eſſe vnitam, ſupponamus per acceſſum vnionis hypoſtaticæ incipere contradictoriè prædicari, eam eſſe vnitam; dico talem denominationem naturæ vnitæ non fieri ſine acquiſitione poſitiui alicuius, hoc eſt, vnionis diſtinctæ virtualiter: ſicut etiam denominatio non ſubſiſtentis per propriam, creatamque perſonalitatem, tunc inciperet per deperditionem propriæ totalitatis, ſiue ſtatus illius, in quo ratio perſonalitatis conſiſtit, vt docebitur ſuo loco. Itaque fatemur non poſſe dari nouam denominationem realem ſine noua forma, quæ ſit à parte rei. Neque negamus, quin ſi humanitas aliqua inciperet denominari vnita Verbo, neceſſe foret, aliquem nexum realem accedere, quo duo illa extrema iungerentur. Sed dicimus, nexum illum, ſiue vnionis modum, formam eſſe tantùm virtualiter diſtinctam, quæ ſufficiat ad nouam denominationem: quandoquidem poſt eius acceſſum res non ſe habet eodem modo quo anteà. Superiùs autem diximus *n.* 10. in rebus creatis inueniri tales formalitates, quæ licèt entitatiuè ſint idem cum ſuis ſubiectis, queant tamen ab his deſeri propter virtualem diſtinctionem realem; & creaturas accepiſſe à Deo talem perfectionem, vt ob virtualem quandam entitatis ſuæ amplitudinem valeant per formalitates realiter indiſtinctas variis modis realiter ſe habere, participando in hoc, cum aliqua proportione, perfectionem ſui Creatoris: per quam virtualem entitatis amplitudinem ſatisfit Leſſio petenti *num.* 33. *lib.* 12. *de perfect. diuin.* quomodo non loquamur aſyſtata, cùm dicimus vnionem realiter modificare ſuum ſubiectum, & nihilominus ſola ratione ab illo diſtingui. Id enim ex inſtantia quam *num.* 10. ſuperiùs de Deo attulimus, poteſt intelligi.

20. Circa quam de Deo inſtantiam aduerto hunc Authorem, nec eam iuxta noſtram mentem proponere, nec bene ad eandem, vt eſt etiã à ſe propoſita, reſpondere. Primò non bene quidem proponit: quia nos non in eo vim facimus (vt ipſe ſupponit) quòd Deus qui habuit voluntatem creandi mundum, potuerit voluntatem habere contrariam ſine vllius formæ realiter diſtinctæ acquiſitione. Nos vim & inſtantiam non facimus in Dei perfectionibus, & actibus contingentibus, à quibus nempe volumus nullam intrinſecam Deo formalitatem aduehi; ſed vim facimus in ſolis Deo neceſſariis, realem in ipſo formalitatem, quæ & aſſeri, & negari queat, pontentibus, quales ſunt v.c. generare, generari, &c. ob quas perfectiones Deus aliter, & aliter ſe habet phyſicè: vnde hæc contradictoria; Deus generat, Deus non generat, ſed generatur, &c. Secundò non item bene ad inſtantiam prout à ſe propoſitam reſpondet; cum ait, cur in Deo poſſit fieri tranſitus à contradictorio ad contradictorium (ab eo nempe, quod eſt velle creare vnum mundum, ad id quod eſt non velle creare vnum modum) rationem hanc eſſe: Quia volitio libera in Deo non diſtinguitur niſi ratione, ac proinde non poteſt inducere mutationem phyſicam, nec facere vt Deus nunc aliter ſe habeat, quàm tunc ſe haberet. Hæc, inquam, reſponſio nihil poteſt pro illius opinione contra nos valere. Nam dicimus modos in creaturis id etiam habere, vt non diſtinguantur niſi ratione, & non inducant mutationem per entitatis phyſicæ additionem: Et eo non obſtante quod reſpondet Leſſius, manet ſemper, quòd ſine additione, aut ſubtractione phyſicæ entitatis potuerint eſſe contradictoriæ propoſitiones iſtæ de Deo; Vult creare vnum mundum, non vult creare vnum mundum. Præterea cùm idem Leſſius ait mutationem in dicto caſu non habere locum, quia volitio diuina, cùm ſit ab æterno, nequit aliter poſteriùs ſe habere, quàm priùs; non enim eſt in æternitate prius & poſterius. Cùm, inquam, id dicit, non tollit præcipuam vim ſupradictæ inſtantiæ. Præcipua enim difficultas in ea inſtantia poſſet eſſe de mutatione virtuali, comparando voluntatem præſentem, quam Deus habuit ab æterno creandi vnum mundum, cum alia, quam habere potuiſſet etiam ab æterno non creandi vnum mundum. Porrò nos, vt dixi, non vim facimus in iis contradictoriis, quæ poſſent eſſe in Deo propter

actus

Digitized by Google

actus contingentes, ſolam denominationem extrinſecam aduehentes; ſed in iis contradictoriis, in quibus Deus alio ſe habere modo phyſico intrinſeco & reali ſignificatur, generat, non generat, &c.

21. Omitto quaſdam alias obiectiones, quæ fieri poſſunt contra modorum indiſtinctionem realem: Quia, ſuppoſitis quæ à nobis dicta ſunt, vel ſolutæ manent, vel nullam habent difficultatem. Vt cùm Leſſius *num.* 42. *& ſequentibus*, ait humanitatem in incarnatione fuiſſe exaltatam: non autem potuiſſe exaltari niſi aliqua realitate. Dicendum ad id, potuiſſe æquè exaltari modo vnionis virtualiter ſolùm diſtincto, atque modalis entitatulæ realitate exiliſſima. Exaltatio facta eſt non præcisè per vnionem, vt ſimplex modus eſt, ſed per Verbum, quod vnitum eſt phyſicè; nec meliùs potuit applicari humanitati per entitatulam ab hac diſtinctam, quàm per indiſtinctam formalitatem. Quod idem author *num.* 44. denique opponit, non ſufficere ad ſubſtantialem vnionem voluntatem Dei extrinſecam: Ergo neceſſariam eſſe quandam entitatulam productam. Præterea ſequi ex noſtra ſententia non opus fuiſſe in hoc myſterio operatione Sanctiſſimæ Trinitatis ad extra. Id, inquam, ſatis ex ſuperioribus ſoluitur. Iam enim diximus, nolle nos ſolam Dei voluntatem extrinſecam magis ad vniendam Verbo humanitatem ſufficere, quàm ad creationem rerum; idque (licèt ab aliquibus dictum) à nobis vt inintelligibile reiectum eſt ſuperiùs *num.* 5. Aſſeruimus præterea *n.* 15. modos omnes, licèt re indiſtinctos, vt exiſtere incipiant, indigere influxu cauſæ alicuius efficientis. Et *lib.* 3. *cap.* 1. probauimus, totam Trinitatem fuiſſe cauſam effectricem vnionis hypoſtaticæ.

CAPVT V.

Quomodo vnio hypoſtatica ſe habeat ad Verbum: & vtrum illud afficiat, ac immutet?

1. QVAMVIS Vnio requirat eſſentialiter duo extrema, poteſt tamen ea non eodem modo afficere: fieri enim poteſt vt recipiatur in vno eorum ſolo tanquam in ſubiecto, & ipſum verè informet, ac modificet; cùm tamen alterum non ita informetur, ac modificetur, ſed tantùm attingatur vt terminus. Probabile quidem eſt accidere ſæpiſſimè in compoſitis naturalibus, vt vnio ſe teneat ex vtroque extremo: ita vt ſit velut geminata, quolibet extremo ſuam vnionem ſubiectante; quomodo videtur neceſſarium inter ſe iungi partes integrantes quantitatis homogeneas: non enim apparet maior ratio, quare vnum potiùs extremum vnionem ſuſtentet, quàm alterum: atque etiam fortè illo modo materia & forma inter ſe nectuntur, vt quælibet ſuum partialem nexum habeat; id tamen conceptus vnionis per ſe non poſtulat. Clarum enim eſt, quòd vnio, ſi concipiatur in altero extremorum tanquam in ſubiecto, intelligatur ſufficienter nectere duo ipſa extrema, dummodo ad alterum terminetur, & illud apprehendat. Quemadmodum ſi v. g. duorum hominum vnus alterum fortiter apprehendat, teneatque, licèt ipſe viciſſim non apprehendatur, intelliguntur ambo ſufficienter coniungi, atque eſſe, niſi apprehenſio illa deſiſtat, inſeparabiles. Hoc poſito dici facilè poteſt, vnionem quæ Verbum perfectè humanitati coniungit, non in ipſo, ſed in ſola humanitate, velut in ſubiecto recipi, & ſe ad Verbum habere, tanquam ad ſolum terminum.

2. Verumtamen per id non euacuatur præſens, quæ ex diuina immutabilitate oritur, difficultas. Non enim hæc vnio ſoli eſt intrinſeca ſubiecto, nempe humanitati, ſed habet ſe æquè intrinſecè ad terminum, aut Verbum, quod ſcilicet non minùs adſtringitur humanitati, quàm humanitas ipſi. Quare videtur, quòd quando facta eſt incarnatio, Verbum quod antea non vniebatur, cœpit aliter ſe habere intrinſecè, quàm ab æterno ſe habuiſſet; atque adeò mutatum eſt non minùs, quam mutata fuiſſet humanitas, ſi, vt poterat, incarnationi præextitiſſet. Tam verè enim dicitur Verbum de non vnito factum eſſe vnitum, quàm dici poſſet in prædicto caſu, humanitatem de non vnita, factam eſſe vnitam. Confirmatur. Nam Verbum nunc eſt homo, cùm ante non eſſet homo. Eſſe autem hominem, non eſt Verbo denominatio extrinſeca, cùm deſumatur ab humanitate intrinſecè vnita, & afficiente ipſum Verbum in aliquo genere cauſæ. Nam alioquin quomodo dare poſſet illi eſſe humanatum, aut eſſe hominem? Sed & quomodo poteſt Verbum dare humanitati, vt in ipſo ſubſiſtat, & ſecum faciat vnum per ſe, niſi illam afficiat, aut per modum formæ actuantis, aut per modum materiæ ſuſtentantis. Quæ omnia imperfectionem cauſæ, aut formalis, aut materialis, necnon mutationem ponunt in Verbo. Qualem imperfectionem haud dubiè ſubiret Angelus, ſi hypoſtaticè humanitati vniretur.

3. Varij varia reſpondent ad hanc difficultatem, quam Suarez *diſp.* 8. *ſect.* 3. & poſt eum Peres *diſp.* 1. *ſect.* 3. aliique plures dicunt eſſe vnum ex iis præcipuis Chriſtianæ Religionis myſteriis, quæ humano ingenio nequeant ſatis intelligi: licet Ariaga *diſp.* 21. *num.* 30. neget rem eſſe adeò retruſam, ac inexplicabilem. Sunt primò qui, vt refert idem Ariaga, ponant duas partiales vniones hypoſtaticas; vnam ex parte humanitatis, per quam humanitas Verbo, ſed non è contra, Verbum humanitati vniatur; alteram ex parte Verbi vnientis ſe humanitati, ſed talem, vt per eam Verbum non mutetur. Quia volunt eam vnionem increatam eſſe, & in ipſo Verbo fuiſſe ab æterno, non tamen denominaſſe illud vnitum, defectu ſcilicet alterius vnionis creatæ, quæ illi ex parte humanitatis reſpondere debet, vt conditio ſine qua non poteſt dare formalem effectum vniti. Sed hæc mera ſunt figmenta. Si Verbum ab æterno vnionem habuit eam, quâ de facto ipſum humanitati, non autem humanitas ipſi vnitur: Ergo ab æterno habuit illius effectum formalem, & fuit ab æterno ex parte ſua vnitum humanitati non vnitæ, nec exiſtenti: effectus enim formalis, quando forma verè informat, ſuſpendi non poteſt. Præterea coguntur iſti ponere infinitas tales vniones hypoſtaticas in Verbo, infinitas in Patre, infinitas in Spiritu ſancto; nempe tot, quot ſunt à diuinis Perſonis aſſumibiles creatæ naturæ. Secundò alij ſunt, qui dicant vnionem eſſe quidem vnicam, ſed quæ in humanitate inſit inhæſiuè, quomodo ſolent communiter formæ cæteræ; in Verbo autem ſolùm adhæſiuè, quo modo volunt actionem creatiuam, quam non ponunt in agente, adhærere termino, qui creatur. Fingũt & iſti, quod nec proſit cauſę quam hîc agimus. Non enim efficiunt ſuo figmento, Verbum per vnionem non perfici, aut mutari. Nam formæ quæ adhærent, perficiunt ſuũ adhæſionis ſubiectum: & patet creationem, ſi adhæret termino creato, eum valde perficere, eique eſſe valde neceſſariam.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò ſunt qui aſſerāt vnionem eſſe denominationē extrinſecam Verbo; nec magis hoc per eam mutari, quàm paries hic albus mutetur producto alio pariete albo, cui ſimilis eſſe incipiat; aut quàm columna mutetur, dum ex poſitione vertentis ſe hominis fit ſiniſtra, vel dextra. Sic Lorca *diſput.* 15. *num.* 4. & Bonauentura *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. &c. Quorum modus loquendi vt in malum trahi poteſt ſenſum, ita etiam poteſt in aliquem bonum, vt infra dicemus. Non tamen ſatis dicit, nec, niſi aliud addatur, ſatisfacit.

4. Aſſerendum eſt vnionem hypoſtaticam recipi quidem ſubiectiuè in humanitate, ad Verbum autem non ſe habere vt ad ſubiectum, nec vt ad formam, ſed ſimpliciter vt ad purum terminum intrinſecum. Hæc aſſertio paucis verbis explicat totam rationem huius vnionis, prout coniungentis phyſicè, ac propriè Verbum humanitati, & illud tamen nullo modo mutantis, aut aliquam in ipſum, ſeu perfectionem, ſeu imperfectionem aduehentis. Explicanda tantùm ſunt omnia aſſertionis valde difficilis verba. Primò, quòd vnio hypoſtatica recipiatur in humanitate tanquam in ſubiecto, & illam ſic Verbo phyſicè vniat, vt ipſam virtualiter mutet, & in longè diuerſo ponat ſtatu, quàm fuiſſet habitura, ſi eam Verbum non aſſumpſiſſet, negari non poteſt, & ita clarum eſt, vt maiore non indigeat explicatione.

5. Secundò, quòd vnio ad Verbum non ſe habeat vt ad ſubiectum, nec vt ad formam, ſatis erit acceptabile ei qui ex vna parte conſiderauerit ipſius perfectionem Verbi, quod nec in potentia eſſe poteſt, nec eſt aliquid incompletum, ordinem dicens vel vt ſubiectum ad formam, vel vt forma ad ſubiectum. Et ex altera parte attenderit, nequaquam ad rationem, & conceptum vnionis phyſicæ neceſſarium eſſe, vt extremum vtrumque quod copulatur, ſubeat reſpectu ipſius vnionis conditionem vel ſubiecti, vel formæ; ſed ſatis eſſe ſi extremorum vnum concipiatur habere rationem ſubiecti, alterum verò termini intrinſeci. Et peto num poſtquam aliquis tibi conceſſerit vnionem hypoſtaticam recipi, & ſubiectari in humanitate, poſtquam item tibi conceſſerit eam terminari ad Verbum, vt ad purum terminum intrinſecum, neceſſitetur conſequenter tibi hæc duo concedere. Primò quidem, Verbum per eam vnionem verè, ac phyſicè copulari; & ſecundò idem Verbum nullo modo per huiuſmodi vnionem mutari? Sanè concedet vniri phyſicè, qui conceſſerit ipſum ab vnione attingi, non vt quemcunque terminum, quomodo viſibile attingitur à viſione, ſed vt terminum intrinſecum, hoc eſt, qui intimè apprehendatur. Terminum enim attingi intrinſecè ab vnione nihil aliud eſt, quàm intimè apprehendi, & vniri. Concedet etiam Verbum non mutari, qui conceſſerit illud non aliter attingi, quàm vt purum terminum. Nam terminus vt talis, & quatenus aliquid terminat abſtrahens ab omni genere cauſæ, nequaquam per id quod terminat, mutatur.

6. Reſtat ſolùm vt exponatur quid hîc intelligamus per id, quod eſt eſſe intrinſecum, & quidnam id addat ſupra rationem termini. Nam quamuis terminare præcisè non dicat in termino aliquo mutationem, poteſt enim fieri, vt non dicat niſi puram denominationem extrinſecam, quomodo obiectum coloratum terminat viſionem. Tamen cùm additur, quod terminatio fiat non extrinſecè, ſed intrinſecè, videtur ſignificari, quòd terminus, dum attingitur, impreſſionem aliquam, & affectionem intimam recipiat; quæ affectio intelligi abſque mutatione non poteſt. Reſpondeo, purum terminum intrinſecum dicimus in præſenti eum, qui non quidem ipſe pendet, ſed à quo vt præſente, & intimo, pendet eſſentialiter id quod ipſe terminat. Exempli gratiâ, pendet vnio hypoſtatica eſſentialiter à Verbo vt intimo, hoc eſt, intimè copulato; non minùs quàm ab humanitate. Dixi, vt intimè copulato: quia non quælibet eſſentialis dependentia, nec quælibet intimitas hîc ſufficit. Nam beatifica viſio, quâ Deus cernitur vt immenſus, & per conſequens in eodem ſecum ſpatio penetratiuè coniunctus, pendet eſſentialiter ab ipſo Deo vt termino intimo, ſed non vt ſibi copulato. Quare Deus non eſt illius viſionis terminus intrinſecus in eo ſenſu, in quo dicimus Verbum eſſe vnionis hypoſtaticæ terminum intrinſecum. Cuius termini intrinſeci, qui per vnionem non mutetur, vt meliùs rationem intelligas:

7. Aduerte, vnionem dici terminari intrinſecè, quoties terminum ſuum alligat, præſertim ſi ex ipſo termino, alteroque ſimul extremo facit vnum per ſe. Quemadmodum re contigit in vnione materiæ & formæ; in hac item vnione hypoſtatica, quæ ex Verbo, & humanitate non facit vnum per accidens, ſed omninò per ſe. Porrò tunc quidem terminatio intrinſeca impreſſionem, affectionem, & mutationem importat, quando id quod intrinſecè terminatur, ſic afficitur, vt compleatur, ac integretur; ſiue quando ſupponitur eſſe incompletum, & in potentia: quomodo materia, & forma, & aliæ partes in compoſitis phyſicis, quòd in ſe incompletæ ſint, complentur, aut integrantur per vnionem. At verò in præſenti Verbum ſic in ſe completum eſt, & ab omni potentiæ ratione alienum, vt per vnionem nullo modo compleatur, nec perfectionem vllam poſſit vel acquirere, vel amittere. Adeò ſcilicet ex omni natura creata eminet, vt illam à ſe aſſumi, ſibique vniri ſua nihil interſit, nec vllius rei acceſſione perfici poſſit. Illud enim dicitur perfici per vnionem, ex quo vnito exſurgit aggregatum magis perfectum intenſiuè. At Deus cum nulla creatura facit quicquam perfectius intenſiuè. Quare eſt imperfectibilis, & conſequenter per omnem vnionem immutabilis.

Ex dictis intelligi poteſt, quid reſponderi debeat argumentis contra veritatem aſſertionis noſtræ propoſitis *num.* 2. Fateor enim vnionem hypoſtaticam Verbum attingere omninò intrinſecè, atque adeò per ipſam non minùs verè illud humanitati, quàm humanitatem illi adſtringi, & vniri. Nam propriiſſimè, phyſiceque dicitur vniri non tantùm id, quod habet, ac ſuſtentat vnionem, ſed etiam id, quod eam terminat intrinſecè. Quare æquè propriè ambo vniuntur Verbum, & humanitas, etſi id fiat diuerſo modo. Hæc enim vnitur vt ſuſtentans vnionem, illud autem vt intrinſecè terminans. Quia tamen Verbum, licèt intrinſecè attingatur, & copuletur per vnionem, non excedit rationem termini: hinc fit, vt quamuis perfectè vniatur, nullatenus ab vnione, vel ab humanitate perficiatur, neque quocumque modo afficiatur, aut aliquid omninò recipiat; vtpote imperfectibile, & nullatenus ſit in alicuius rei potentia. Neque verum eſt, quod quando eſt facta incarnatio, Verbum quod anteà non vniebatur, cœperit aliter ſe habere intrinſecè, quàm ſe ab æterno habuiſſet. Et quamuis dici poſſit, Verbum factum eſſe de nouo vnitum, qua ratione ab Euangeliſta dicitur factum eſſe caro, & homo: non tamen hoc eodem ſenſu intelligi debet, quo diceretur humanitas, ſi incarnationi præextitiſſet, facta eſſe vnita. Nam tunc humanitas cœpta vniri, haberet verè aliquid quod anteà non habuiſſet, & ad quod fuiſſet in aliqua

Digitized by Google

aliqua potentia. At verò non poteſt dici, quòd Verbum quando cœpit vniri, habuerit aliquid, quod anteà non habebat. Nihil enim propriè habet, ſed eſt terminus intrinſecus,cùm antè non eſſet; & vnitum,cùm antea non eſſet. Nec magis, aut alio modo dici poteſt habere eſſe vnitum, quàm dicamus Deum habere eſſe omnipotentem; qui ſcilicet omnipotentiam verè vt formam non habet.

9. Cùm autem vlteriùs petitur, quomodo fieri poſſit,vt ſine mutua hinc, & inde cauſalitate humanitas dederit Verbo eſſe hominem, aut eſſe humanatum, & viciſſim ab illo aliquatenùs acceperit eſſe tam mirabiliter ſubſiſtentem, ita vt faciat vnum per ſe Hominem-Deum. Reſpondendum eſt iuxta prædicta, illud ideò fieri potuiſſe, quia humanitas vnita eſt intrinſecè Verbo, licèt ſimpliciter vt termino. Terminus autem in ſua ratione nullum dicit cauſalitatis genus, ſiue materialis, ſiue formalis. Quare Verbum nec actuati ſubiecti, nec formæ actuantis rationem habuit in hac vnione ſui. Quod ſi Angelum, vt initio obiiciebatur, fingamus vniri hypoſtaticè humanitati, dicendum eſt illum quidem omninò mutatum iri per eam vnionem hypoſtaticam; nec eandem eſſe de illo rationem ac de Verbo imperfectibili, & per ſe infinitè completo.

10. Per ea quæ hactenus dicta ſunt, explicatum quidem manet, quomodo fieri poſſit in hoc myſterio, vt intrinſeca ſit, phyſicaque vnio Verbi, & ſimul conſeruetur eius immutabilitas. Id enim ex eo prouenit, quòd Verbum habeat rationem termini, & puri ſimul, & intrinſeci. In ratione ſiquidem puri termini, nulla quæ immutabilitati repugnet, includitur paſſio,nulla formalis cauſalitas: in ratione verò intrinſeci neceſſariò importatur vnionem illam eſſe veram, phyſicam, atque pluſquam neſtorianam. Nihilominus videtur ſemper manere illud difficile, quomodo hæc ratio intrinſeci non deſtruat rationem puri, ſimpliciſque termini; & dum veram, ac phyſicam vnionem importat, non importet ſimul mutationem? Cùm enim ea ratio termini intrinſeci requirat aliquid aliud, quàm penetrationem, & indiſtantiam localem, non apparet, quid aliud addi poſſit, vt Verbum dicatur pluſquam indiſtans, & phyſicè vnitum, niſi quædam intima impreſſio, & affectio cum eiuſdem Verbi mutatione. Reſpondeo. Illud eſt quod ſuprà aiebat Suarez, vix eſſe humano ingenio explicabile. Et cùm dicit Ariaga rationem illam termini intrinſeci per id explicari, quod non ſit neque ſubiectum, neque forma; aſſero id ipſum eſſe in quo reſidet difficultas; nempe quomodo huiuſmodi terminus non ſit neque ſubiectum, neque forma, ſiue quomodo poſſit eſſe pluſquam extrinſecus abſque eo quod nihil recipiat, & nihil interueniat, vnde mutatio eius ſequatur.

11. Ergo dicendum eſt debere nos hîc neceſſariò recurrere ad incomprehenſibilem Verbi ſupereminentiam, ratione cuius ſic ab vnione, humanitateque apprehendatur intimè, vt nullo tamen modo afficiatur: & cùm in humanam, mirabili quodam diſpenſationis condeſcenſu, ſe permittit, ac velut mergit naturam; nihilominus naturali eminentiæ, ac immutabilitatis ſuæ conditione infinitùm quantùm ſupra eandem eleuetur, & ab omni mutatione ſe vindicet. Et ſanè quemadmodum per illimitatam perfectionem ſuæ Diuinitatis poteſt continere humanitatem intra ſe eminenter, licèt formaliter abſentem; ſic etiam videtur conſequens, vt eandem humanitatem poſſit & præſentem habere formaliter,& eminenter abſentem.

12. Explicari hoc poteſt vtcumque quibuſdam exemplis, cùm ex ipſo Deo ſumptis, tum etiam ex rebus creatis. Nam primò videmus Deum habere ab æterno viſiones aliquas, quæ ſine vlla intrinſeca ipſarum mutatione potuerint terminari ad alia obiecta, ad quæ de facto non terminantur; hoc eſt, potuerint eſſe expreſſiones aliorum diuerſorum,imò contrariorum obiectorum. Exempli gratiâ viſio damnati Iudæ poterat eadem terminari ad illum ſaluatum, & eſſe expreſſio illius vt ſaluati, quanquam in actibus creatis diuerſitas terminorum inducat neceſſariò mutationem. Cur ergo non intelligemus poſſe ſimiliter Verbum diuinum vnionem hypoſtaticam terminare, & conſequenter humanitatem acquirere, quin verè in ſeipſo mutetur, quamuis inter creaturas vnio videatur neceſſariò mutationem inducere in vtrumque extremum; quatenus ſcilicet reciprocè vnum extremorum altero extremo perficitur acquiſito: nam & corpus v.c. vnionem ſuſtentans mutatur acquirendo animam, qua informatur; & anima eandem vnionem terminans (licèt fortè illam non ſuſtentet) perficitur acquirendo corpus à quo ſubiectatur. Secundò videmus poſſe Patrem in diuinis, ac Spiratorem ſic perſonam à ſe realiter diſtinctâ producere,vt tamen ea productio nec ſit vera cauſalitas, nec dependentiam, quam productiones omnes creatæ eſſentialiter dicunt, importet. Eſt ſcilicet in gratiam Myſterij Trinitatis eleuandus conceptus productionis, ita vt à cauſalitate abſtrahat, & ſit ſine dependentia, ſine qua nullæ in creaturis productiones concipi poſſunt. Ergo pariter dicendum eſt, vnionem hypoſtaticam poſſe entitatem humanitatis Verbo applicare intimè, atque illud humanare per denominationem intrinſecam, & tamen ipſum intrinſecè nullo modo mutare; licèt talis vnionis nullum habeamus inter creaturas exemplum, apud quas ratio termini intrinſeci dicit aliquam perfectionem in ipſum inuectam terminum; atque communiter vnio extremum alterum altero perficit, ſeu deteriorat extremo, & conſequenter illud mutat. Quare in gratiam Verbi incarnati, & ex tanti occaſione myſterij eleuandus eſt conceptus vnionis,atque innouationis; ita vt ab imperfectione, quam mutatio dicit, abſtrahat.

13. Conſiſtit autem huiuſmodi imperfectio, quam mutatio, & creata vnio importat, in eo quòd res per ipſam vnionem commodum, ornamentumve aliquod accipiat, & ſic aliquatenus perficiatur; quomodo corpus per animam, & hæc viciſſim per illud perficitur: vel è contra, amittat commodum aliquod, vel perfectionem, ſeu etiam accipiat damnum poſitiuum; quo modo res mutatùr per formarum ſibi indecentium, oppoſitarumve vnionem. Verbum autem diuinum, quando humanitati coniungitur, nihil per illam vnionem proficit; nullum item per eam diſpendium patitur, ſed eam ſolùm terminat mirabili modo abſque vlla ad ipſam potentia, vel appetitu. Petes, ſi Verbum non eſt in potentiâ ad vnionem hypoſtaticam, & ad humanitatem, nec habet naturalem cum ea proportionem,quomodo poteſt facere cum ea vnum per ſe? Reſpondeo. Quando duo ita completè ſe habent, vt neutrum ſit perfectibile,nec in potentia ad alterum,tunc quidem per ea non poteſt fieri vnum per ſe, nec niſi vnum per accidens. At verò cùm duorum, quæ iunguntur, reperitur ſaltem vnum, quod ſit incompletum, & in potentia reſpectu alterius (quomodo ſe habet in præſenti negotio humanitas exiſtens ad vnionem hypoſtaticam in potentia obedientiali,) nihil vetat ex iis fieri vnum per ſe.

14. Ad huius aliqualem adumbrationem myſterij

Digitized by Google

ſterij proponi exempla poſſunt etiam ex rebus creatis. Si enim anima rationalis vnita corpori leproſo, poteſt ob ſuam eminentiam, & ſpiritualitatem ſic à tali corpore intimè affici, vt tamen non inficiatur, nec magis à lepra præſente, quàm ſi abſens eſſet, deterioretur, aut mutetur; non videri debet incredibile, quòd Deus ob altiſſimum ſpiritualitatis increatæ gradum poſſit naturæ creatæ ſic vniri, vt nullâ per eâ mutatione inficiatur. Cui aliquo modo ſimile eſt quod eius Diuinitas per præſentiam intimam rebus omnibus eſt ſic immediata, vt tamen non eas propriè tangat, nec ab iis tangatur; ſed per ſuæ conditionis ſublimitatem longiſſimè ab iis eleuetur, ac velut diſtet. Non inutile eſt quod in vſu familiari occurrit exemplum. Videmus guttam aquæ v.g. ſine etiam gluten adhærere, & (quantum apparet) vniri vitro, aut ſuperficiei marmoreæ, æneæ, &c. Et quidem gluten, poſtquam ſiccatum eſt, adeò tenaciter ineſt, vt vix auferri poſſit. Quis autem dicat vitrum, aut præduram lapidis, metallive ſuperficiem mutari intrinſecè propter adhærentem aquam, vel glutinoſam vnitam ſibi ſubſtantiam? Hoc, inquam, exemplum in re vili iuuare poteſt imaginationem in hoc tam alto, tamque diuino myſterio.

15. Denique, quod ad loquendi modum ſpectat, dubitari poteſt, vtrum ſuppoſitis iis, quæ hactenus explicata ſunt, dici debeat denominationem vniti eſſe Verbo intrinſecam, an potiùs extrinſecam? Reſpondeo. Bene ait Suarez *diſp.*8. *ſect.* 3. denominationem illam eſſe velut mediam. Nam quia eſt ab humanitate realiter diſtincta, & ab vnione, quæ purum terminum ſuum nullatenus afficit, nec eum re aliqua vel auget, vel minuit, videtur extrinſeca. Quia verò eſt ab humanitate intimè coniuncta, & ab vnione attingente terminum verè intrinſecum, videtur intrinſeca. Et quidèm ob priorem rationem Lorca, & Bonauentura, aliique cum illis non malè vocant extrinſecam. Vt magis tamen ab hæreſi Neſtoriana recedatur, melius eſt vt vocemus denominationem intrinſecam.

CAPVT VI.

Quid, & quàm perfecta ſit vnio hypoſtatica?

1. Ex dictis toto præſenti diſputatione conſtat hanc vnionem eſſe modum poſitiuum realiter humanitati aduenientem, non quaſi entitatem, ſed quaſi formalitatem quandam ſupernaturalem, quæ ipſam humanitatem modificet, ac afficiat, & immutet; ad ſubſiſtentiam autem Verbi pertingat, tanquam ad merum terminum intrinſecum, atque ex ipſius, humanitatiſque coniunctione, Chriſtum conſtituat: ſicut hominem ex corpore, animaque rationali naturalis vnio conſtituit. Ex tali autem Chriſti per vnionem hypoſtaticam intrinſeca conſtitutione oriuntur quædam conſideranda, quæ nos hic breuiter exponemus, vt meliùs huius myſterij, & ipſius vnionis natura, perfectioque poſſit intelligi.

2. Primò dicendum eſt, iſtam Verbi diuini, humanitatiſque vnionem, quæ (vt ſupra dictum eſt) non conſiſtit in denominatione purè extrinſeca, ſed phyſicè duas naturas copulat, eſſe modum verè ſubſtantialem: quare malè Gabriel aſſeruit *in* 1. *diſt.*30. *quæſt.*4. *art.*2. & *in* 3. *diſt.*1. *quæſt.*1. *art.*1. eſſe qualitatem quandam ſupernaturalem ex dono Dei collatam, quam vocat gratiam vnionis. Licèt enim illa eius opinio longè abſit ab errore Neſtorij (cui non ſat iuſtè Suarez ait, ipſam videri affinem) non enim negat phyſicam, & intrinſecam, ac pluſquam affectualem coniunctionem cum Verbo; errat tamen, ſaltem in modo loquendi, quòd eam dicat eſſe qualitatem. Cùm enim Chriſtus ſit totum aliquod ſubſtantiale ex humanitate, Verboque conſurgens, impoſſibile eſt, ipſum per vnionem conſtitui, quæ ſubſtantialis non ſit, ſed tantùm qualitas. Alioqui dicendum foret, aut id quod intrinſecè, vltimoque conſtituit Chriſtum, non pertinere ad eius eſſentiam, aut ipſum totaliter, & adæquatè ſumptum non eſſe ſubſtantiam. Quapropter apud Theologos hæc vnio vulgò vocatur ſubſtantialis, necnon apud ſanctos Patres, atque Concilia: Si quis ſecundùm ſanctos Patres (inquit Concilium Lateranenſe ſub Martino I. *conſult.*5. *can.*6.) non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem naturarum, ſubſtantialem vnionem indiuiſè & inconfuſè in eo cognitam, condemnatus ſit. Hinc patet non eſſe ſimpliciter, ac ſine quadam explicatione vſurpandum, vt dicatur Verbum eſſe vnitum accidentaliter humanitati. Nam quamuis quod aduenit enti perfectè completo dici poſſit accidentaliter ei aduenire, atque eo bono ſenſu Durandus *in* 3. *diſt.*6. *quæſt.*4. dixerit humanitatem aduenire accidentaliter Verbo, vtpotè exiſtenti de ſe in actu perfectiſſimè completo: vbi non eſt ſermo de vnione accidentali phyſicè loquendo, ſed de accidentali logicè; quatenùs ſic Verbo adiungitur, vt ſit extra conceptum illius, & ipſi quaſi accidat: quo modo dicimus aurum eſſe accidentale argento deaurato; nihilominus in præſenti materia ille modus loquendi, qui aliis in rebus eſt valdè receptus, vſurpari prudenter non poteſt: quia periculum eſt, ne per eum hæreſi videamur fauere Neſtorij.

3. Diuus Thomas *quæſt.*2. *art.*6. *in argumento, Sed contra*, hunc refert definitionem Alexandri III. *in c. Cùm Chriſtus, de hæreticis*, quod caput ſumptum eſt ex Lateranenſi Synodo, in qua Pontifex ſic ait; *Cùm Chriſtus ſit perfectus Deus, & perfectus homo, mirum eſt qua temeritate quiſque dicere præſumat, quod Chriſtus non ſit aliquid ſecundùm quod homo, &c.* Vbi vox, *aliquid*, non accipi debet, quaſi opponatur contra nihil; ſed quaſi opponatur contra accidens, ſeu diminutum ens, ſignificetque ens ſimpliciter. Vnde, vt ratiocinatur Sanctus Doctor, inferendum eſt, quòd cùm dicitur, Chriſtus eſt homo, prædicatur quid, & non quale, aut quantum, aut alio quopiam accidentali modo ſe habens. Atque ita contra Decretalem prædicti Pontificis eſt, quòd natura humana dicatur accidentaliter aduenire, ſiue vniri. Sanè conſtat, in hac propoſitione, *Chriſtus eſt homo*, prædicationem eſſe in quid: cùm Chriſtus non minùs ſit quàm Petrus, eſſentialiter, ac ſubſtantialiter homo. Vnde optimè infertur vnionem hypoſtaticam (quantumvis ſe habeat reſpectu Verbi accidentaliter eo ſenſu, quo dictum eſt *num. ſuperiori*) eſſe Chriſto eſſentialem; atque adeò nequaquam eſſe poſſe qualitatem, aut quippiam non ſubſtantiale. Et quidem hæc vox, *Homo*, in iſta propoſitione, *Chriſtus eſt homo*, ſignificat habentem humanitatem non vtcumque, ſed vt aſſumptam hypoſtaticè, & mirabili modo ſubſiſtentem. At verò ſi vnio foret qualitas, aut propriè accidens, non poſſet humanitas ſe habere in Chriſto niſi accidentaliter: atque adeò Chriſtus vt conſtitutus homo formaliter per hypoſtaticam vnionem, non foret quid; hoc eſt, non foret ſic perfectè, ac ſimpliciter

Digitized by Google

ſimpliciter ens,vt dici poſſet in ſeſu prædicato aliquid. Et cùm de illo enuntiaretur homo, prædicatio non poſſet eſſe in quid,licèt ea prædicatio fieret per prędicatũ concretum & ſubſtantiuũ homo,non autem per adiectiuum, ſeu denominatiuum humanatus. Nam etiam ſubſtantiua,& concreta prædicantur accidentaliter, & velut in quale,ſi id quod ſignificant,vniatur accidentaliter ſubiecto : quo modo dicimus,Cęſar eſt dictator,Ludouicus eſt Rex,Ariſtot.eſt Philoſophus.

4. Porrò quod attinet ad mentẽ Alex.III.& ſenſum Decretalis ſupradictæ,Vaſq.*diſp.*17.*cap.*5. aliter eam exponit,quàm S.Thom.quaſi nempe velit Pontifex,hæreticos eos damnare,qui Chriſti humanitatẽ volebant fuiſſe verè nullam, atque adeò non fuiſſe aliquid;ſed tantùm fuiſſe apparentem,ac phantaſticã. Nihilominus bene Delugo *diſp.*11. *num.*41. *& ſeqq.* expoſitionem Sancti Doctoris vindicat, ac defendit, oſtendens Pontificem, cùm definit, quod Chriſtus, vt homo, ſit dicendus aliquid; non vetare, ne dicatur Chriſtum, ſecundùm humanitatem eſſe nihil. Nam Chriſtum habere humanitatem veram, & quæ non ſit nihil, fatebantur ij doctores Catholici,quos illa Decretalis damnat; ſed in eo valde abſurdi erant (ita vt Pontifex eos ſignificet ſe mirari) quòd ſibi diſcrepantes, Chriſtum & verè hominem eſſe dicerent, & vt talem, negarent eſſe aliquid, in eo ſenſu quo aliquid ſoli competit ſubſtantiæ, & eſt prædicabile in quid, opponiturque accidenti.

5. Secundò dicendum eſt,vnionem hypoſtaticam non eſſe quid abſolutũ,ſed relatiuum. Huic dicto aduerſatur Gabr. à nobis anteà *num.*2.citatus, qui hanc vnionem vult eſſe qualitatẽ abſolutam,& citat pro ſe Okam.Reiiciunt enim hi Nominales,reſpectus omnes,ac relationes reales.Verùm per ſe conſtat,vnionẽ debere neceſſariò habitudinẽ,ordinemque habere ad extrema,quæ copulat. Nam quomodo copulare poſſet,ſi ad ea non tenderet,neque reſpiceret? Sanè omnis vnio eſt extremorum vnio; & talis vnio,eſt vnio talium extremorũ.Atque adeò vnio hęc hypoſtatica, de qua diſputamus, eſt diuinæ hypoſtaſeos vnio,humanæque naturæ.Quare non defuerũt qui dicerent, per incarnationem produci ſolùm quandam relationem,vt Scotus,Durandus,&c. Qui non ſunt intelligendi de relatione purè prædicamentali.Eius enim deberet præſupponi fundamentum, quod aliud excogitari non poſſet, quàm coniunctio inter extrema : Et de hac coniunctione rediret difficultas,per quid fieret antecedenter ad vnionẽ. Cùm ergo dicitur,vnionem eſſe relationem, intelligenda eſt non prædicamẽtalis, ſed tranſcendentalis relatio, quia ſcilicet reſpectus, quem vnio habet ad extrema,eſt illi eſſentialis,& non eſt ad terminum, vt purè coëxiſtentem, ſed importat circa illum aliquod munus, ſcilicet vnire ipſum cum alio extremo, & ita conſtituere aliquod totum.

6. Multa hîc ſuperuacuè diſputant aliqui circa relationem prædicamentalem, quam vlteriùs exiſtimant ad vnionem ſequi. Neque repugnat Suares *diſp.*8.*ſect.*2. *&* 3. Laborant verò plurimùm Scotus, & diſcipuli Diui Thomæ, valdeque inter ſe digladiantur in aſſignando talis prædicamentalis relationis fundamento. Scotus nullum agnoſcit, & ideò ſentit relationem per ſe primò produci. Vbi videtur non de prædicamentali, ſed de tranſcendentali relatione loqui. Aliud alij variè. Suares vult fundamentum proximum relationis prædicamentalis, quæ ſequitur inter duo extrema vnita, ipſam eſſe vnionem, coniunctionemque formalem. Qui volet plura de hac re, conſulere poteſt ipſum Suarem *loco citato*, & Ioannem Delugo *diſp.*11.*ſect.*1.Illa meo indicio parui ſunt momenti. Relationem in rebus prædicamentalem agnoſco quidem fundamentaliter verè exiſtentem, quæ naſcatur ex duorum extremorum coëxiſtentia,& ſuppoſito aliquo fundamento. Actualis verò, ſeu formalis, per ſolum datur actum intellectus noſtri, quando rem vnam ad alteram quadam comparatione adſtringimus. Ante quem actum eſt illius dumtaxat à parte rei fundamentum, quod nomine prædicamentalis relationis intelligimus, quando hanc à parte rei eſſe aſſerimus; & quando res ipſas pronunciamus eſſe in ſeipſis ante intellectus noſtri comparationem ſimiles, æquales, &c. Sed tamen ſi propriè de relatione formali,& pluſquam fundamentali loquamur, omnia ſunt à parte rei abſoluta, niſi quatenus relationes tranſcendentales habent. Per has enim clarum eſt (vt eas omittam, quas oportet intrà Trinitatem agnoſcere) & materiam actu reſpicere formam, & creaturas Deum ab eo dependentes, & humanitatem Verbum, quatenus huic vnitam, &c.

7. Tertiò dicendum eſt, vnionem hypoſtaticam ſecundùm aliquam conſiderationem eſſe omnium vnionum maximam, vt hæc aſſertio intelligatur,aduertere varia poſſe in vnione cõſiderari. Nimirum perfectionem eius materialem, & entitatiuam, quæ ſumitur ex perfectione entitatis extremorum,cum qua identificatur, & ad quam ſic dicit ordinem tranſcendentalem, vt inde ſpecificetur. Secundò tenacitatem ipſius,& indiſſolubilitatem, ſeu inſeparabilitatem extremorum. Tertiò vim ad extrema,quæ à ſe valde diſſident, ac velut diſtant, coniungenda, & ad ea poſt ipſorum quaſi ſuperatam diſtantiam arctiùs, fortiuſque continenda, non obſtante illorum ob ordinis, conditioniſque diſparitatem,quaſi reſiſtentiã. Quartò debet ſpectari,& quidem præcipuè, ac formaliſſimè in vnione perfectio vnitatis, quæ ex illa ſequitur,ac reſultat.Dubium ergo non eſt primò,quin ſi attendatur perfectio extremorum, quæ eſſentialiter reſpicit, & à quibus ſpecificatur,ſuperet hæc vnio hypoſtatica omne aliud vnionum genus, & quandam habeat infinitatem. Certum eſt etiam ſecundò, ipſam ratione indiſſolubilitatis eas ſuperare vniones, quæ in rerum naturis & compoſitis eſſentialibus habentur perfectiſſimæ. Non debet verò ſumma huius vnionis indiſſolubilitas reduci,vt voluit Vaſquez *diſp.*20.*n.*30. ad ſolam Dei prædeſtinationem. Meliùs eam Delugo reducit *diſp.* 11. *n.* 49. ad ipſius vnionis naturam. Si enim lumen gloriæ habet ex natura ſua perpetuitatẽ, multò magis hoc debet habere vnio hypoſtatica, quo nomine illam commendat *lib.*5.*de conſideratione* Bernardus his verbis: *Igitur inter omnia, quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas trinitatis, quâ tres perſonæ vna ſubſtantia ſunt. Secundò loco illa precellit, quâ è conuerſo tres ſubſtantiæ vna in Chriſto perſona ſunt.* Additquè inferiùs: *Inde eſt, quòd nec morte incidente vllatenus intercidi hæc vnitas potuit,etſi carne,& animâ ab inuicem ſeparatis.*Nec obeſt illius Sancti Patris aſſertioni,quod ait Delugo; quamuis faciliùs potuerint ſeparari materia, & forma in Chriſto, quàm humanitas & Diuinitas, alia multa æquè reperiri in natura quæ vniantur inſeparabiliter, qualia ſunt materia,& quantitas, item forma cœleſtis cum ſua materia, intellectus cum Angeli ſubſtantia,&c. Nihil,inquam, horum obeſt. Nam conſtat ex Euchariſtiæ Sacramẽto,extenſionem, ſeu quantitatem localem ſeparari à materia; quod autem alia detur extenſio in ordine ad ſe,aut quantitas à materiæ partibus realiter diſtincta, valde obſcurum,multiſque dubium eſt. Atque idem eſt de forma cœlorum, quos multi eſſe ſimplices, nec compoſitos autumant; multi item formam eorum ſeparatum iri à materia, & multo calore ſolutum iri cenſent ex 2. *Petri cap.* 3. Quod autem

attinet ad intellectum Angelorum, parum eſt probabile illum realiter diſtingui ab horum ſubſtantia. Patet tertiò, ſi conſideremus vim, & robur vnionis ad extrema, quæ multùm a ſe diſſideant, ac diſtent, coniungenda, nullam poſſe cogitari (vt bene Paludanus attendit 3. *diſt.* 5. *q.* 3. *art.* 3.) vnionem, quæ extrema coniungat tam remota inter ſe, ac vnio hypoſtatica: quàm enim diſtant inter ſe Diuinitas & humanitas; quàm verò arctè per hanc vnionem copulentur, conſtat ex numero ſequenti.

8. Nam quartò maximè in hac vnione perfectio illa eminet, quæ formaliſſimè ad rem præſentem facit. Maior ſiquidem ea cenſeri debet vnio, quæ ex coniunctis extremis facit aliquid magis vnũ. Cùm igitur vnitas, quæ ex vnione hypoſtatica reſultat, ſit vnitas perſonæ diuinæ, in quam iunguntur duę naturæ, ſic vt Deus, & homo ſint vna ſimpliciſſima perſona, conſtat nullam poſſe dari maiorem, ac ſimpliciorem vnitatẽ. Atque hoc eſt, quod intelligendus eſt voluiſſe D. Th. cùm dixit *q.* 2. *art.* 9. *in corp.* vnionem incarnationis, ſi attendatur ex parte eorum, quæ coniunguntur, hoc eſt, ex parte naturarum, non habere inter omnes vniones præeminentiã; habere tamen ſi attendatur ex parte eius, in quo coniunguntur. Nã vnitas, inquit, perſonæ diuinæ, in qua vniuntur duæ naturæ, eſt maxima. Et fundatur Angelicus Doctor in eo quòd ait Sanctus Auguſtinus *lib.* 1. *de Trinitate, c.* 10. *Hominem potius eſſe in Filio Dei, quam Filium in Patre. Filius autem in Patre per vnionem eſt eſſentia, homo verò in Filio per vnionem incarnationis.* Ergo (infert Sanctus Thomas) maior eſt vnio incarnationis, quàm vnitas diuinæ eſſentiæ. Et hic per conſequens, vnio incarnationis importat maximam vnitatem. Huc facit, quòd idem ſupponitur in hoc quod dico homo (prout ſumitur pro Chriſto) & in hoc quod dico, Filius Dei: non autem idem ſupponitur in hoc quod dico de Deo, Pater; & in hoc quod dico, Filius. Nec enim eſt idem ſuppoſitum Patris, & Filij. Vnde fit vt inter Perſonas diuinas non ſit propter vnionem in eſſentia communicatio idiomatum; non enim dicimus Patrem generari, aut Filium eſſe generantem, &c. ſit autem inter duas Chriſti naturas, propter vnionem in perſona, talis communio, vt dicamus & Deum mortuum, & hominem æternum, &c. *Tantam, tamque expreſſam* (inquit Bern. *lib.* 5. *de conſider.*) *vnionis vim in ſe præfert ea perſona, in qua Deus, & homo vnus eſt Chriſtus, vt ſi duo illa de ſe inuicem prædices, non erraueris, Deum ſcilicet hominem, & hominem Deum, verè, catholicéque pronuntians. Non autem ſimiliter vel carnem de anima, vel animam de carne, niſi abſurdiſſimè prædicas, etſi ſimiliter anima, & caro vnus ſit homo.* Ex dictis apparet refutatio Durandi, aſſerentis *in* 3. *diſt.* 5. *q.* 3. quòd vnio hypoſtatica, ſi ſumatur formaliter ſecundùm rationem vnionis, non ſit omnium maxima: & quòd compoſitum naturale ex materia, & forma vnionem maiorem habeat; quandoquidem eſt quid magis vnum, & magis indiuiſum, quàm compoſitum illud, quod per incarnationem conflatur ex duabus naturis completis, & per ſe ſeparabilibus.

9. Quartò dicendum eſt, vnionem hypoſtaticam maius donum eſſe naturæ collatum intellectuali, quàm gratiam ſanctificantem, aut gloriam. Contrarium cenſet Marſilius 3. *q.* 3. *art.* 1. & pro eo citantur Durand. Ricard. Gabr. quorum ratio eſt, quia gratia, & viſio Dei non poſſunt communicari creaturis irrationabilibus: poteſt autem vnio hypoſtatica. Prætereà ſummum bonum noſtrum videtur eſſe ſummum omnium donorum. Atqui gloria eſt ſummum noſtrum bonum, non autem vnio hypoſtatica, cum qua ſola homo non eſſet beatus, & quæ nullam dicit vitalitatem nobis Deo coniungentem, qualem dicit gloria. Meliùs tamen aſſertionem noſtram docet Sanctus Th. *q.* 2. *art.* 10. & 11. necnon *q.* 4. *art.* 1. & paſſim cum eo Thomiſtæ. Ratio eſt, quoniam propriè, & formaliter loquendo, maius illud donum eſt, quod nos magis conſtituit iuſtos, & amicos Dei. Atque in ipſa gratia, & beatitudine nihil æque magnum, aut optabile cenſeri debet, ac quod per eam conſtituimur iuſti & amici Dei: ita vt liceat deſiderare propter gloriam Dei priuari beatitudine, non tamen liceat deſiderare carere amicitia ipſius Dei. Patet autem vnionem hypoſtaticam magis conſtituere amicum Dei, quàm gratiam habitualem, aut ipſam beatitudinem. Imò hæc eſt in Chriſto quid ad eam conſequens inſtar proprietatis. Ergo, &c. Eſt autem aduertendum, nos in aſſertione noſtra loqui de vnione hypoſtatica, prout collata eſt naturæ intellectuali. Si enim ſupponatur fieri in naturis irrationalibus, incapacibus amicitiæ Dei, & veræ ſanctitatis, ſic ea non eſt maximum omnium donorum: quandoquidem reſpectu illarum, nec quidem eſt donum, ſeu gratia. Tales enim naturæ non ſunt capaces donorum. Rationes aduerſantium authorum ſuperiùs allatæ poſſunt ex dictis faci è ſolui.

10. Quintò dicendum eſt, vnionem non debere dici naturalem Chriſto modis omnibus, debere tamen multis. Explicatur. Nam ſi vnio iſta conſideretur in ordine ad ſuam cauſam, certum eſt, ipſam non oriri à natura humana Chriſti: quare ex parte humanitatis non eſt naturalis Chriſto. Certum item eſt ipſam, cùm producitur à Diuinitate Chriſti (quæ totius eſt Trinitatis) non ab hac oriri neceſſariò, & naturali quodam fluxu, ſed produci omninò liberè. Atque nec eatenus dicitur Chriſto naturalis. Deinde attendendum eſt, vnionem huiuſmodi non habere ortum à natura diuina Verbi, vt iam vnita, & facta Chriſti, ſed tantùm in priori: alioqui natura diuina fuiſſet vnita ante vnionem. Non ergo eatenus, & ſecundùm eum ortum naturalis erit Chriſto hæc vnio, cùm oriatur ab illius natura nondum ſua.

11. Nihilominus aliunde poſſumus vnionem huiuſmodi appellare naturalem reſpectu Chriſti. Primò ob ſimilitudinem quandam, quam habet cum rebus verè naturalibus, quatenùs habet inſeparabilitatem à Chriſto, & ei conuenit iam inde à natiuitate. Secundò quatenus oritur à Diuinitate, & virtute Spiritus ſancti. Eſt enim Diuinitas (quamquam non in illo priori in quo cauſat vnionem, ſed in poſteriori ſigno, & velut materialiter conſiderata) vna ex naturis Chriſtum componentibus: atque Spiritus Sanctus eſt illi connaturalis. Eſtque obſeruandum, vnionem hypoſtaticam conſeruari, continuatéque produci à Diuinitate iam vnita, & à Spiritu Sancto inhabitante in Chriſto, & facto huic connaturali. Tertiò, & maximè propriè, vnio hypoſtatica dici debet Chriſto naturalis, quatenus eſt ipſi eſſentialis, & eum in ratione Chriſti, ſuppoſitique diuini conſtituit, non minùs quàm vnio corporis, animæque Petrum. Quartò denique, & valde etiam propriè dicitur naturalis ſenſu quodam alio ſatis diuerſo, quo ſignificatur facta eſſe non ſecundùm affectum, & collationem gratiarum accidentalium, vt volebat Neſtorius, ſed ſecundùm ipſam naturam diuinam, quæ phyſicè vnita ſit humanitati mediante hypoſtaſi: atque in hoc ſenſu loquutus eſt Auguſtinus *in Enchirid. c.* 4. & Hilarius ſæpè; quem ſenſum ſuggerit Concilium Francofordienſe *in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, vbi ait: Hic verò filius Dei à Deo patre oleo exultationis, hoc eſt, Reſurrectionis, Aſcenſionis,

Domina

Digitized by Google

Dominationiſque delibutus, quia Chriſtus naturâ vnctus, non per gratiam. Eodemque modo Sanctus Ildefonſus *tom.9. bibliotheca ſacra*, dicit Chriſtum non adoptione, aut molimento virtutum Filium Dei eſſe, ſed ipſâ Diuinitatis naturâ. Qui & anteà de eodem Chriſto dixerat; *Iſte ergo ſolus eſſentialiter ſanctus.*

12. Conſequenter ad iam dicta cenſendum eſt, lumen gloriæ, & alia Chriſto collata dona, conſiderata in ordine ad ſuam cauſam, non magis debere dici Chriſto naturalia, quàm vnionem hypoſtaticam: poſſe tamen aliunde dici naturalia, quia Chriſto conuenerunt iam inde ab eius natiuitate, vt proprietates vnionis hypoſtaticæ; quia ſunt ab eo inſeparabilia, quia illius Diuinitatem valde decent, & ad eam ſequuntur per ſe; quia emanant à Spiritu ſancto, qui Chriſto ipſi eſt intimus, & aliquo modo connaturalis, &c.

CAPVT VII.

Moralis conſideratio circa vnionem hypoſtaticam, & relatos ad eam effectus, ſiue in natura, ſiue in gratia, ſiue in gloria ordine.

1. CVm vnio hypoſtatica vt 5. *lib.* à nobis oſtenſum eſt, primum fuerit omnium operum, quæ Deus extra ſe producere deſtinauit, & propter illam ſequuta fuerit rerum creatio cæterarum; æquum eſt vt ipſam, velut exiſtentiæ ſuæ originem, omnia venerentur: nos verò ſummæ Dei prouidentiæ laudem, quòd per ſuæ hypoſtaſeos vnionem, infinitum humano præcipuè generi decus attulerit, tribuamus; & quicquid vnitatis, atque præſtantiæ in vniuerſa ſeu naturalium, ſeu ſupernaturalium vnionum ratione conſiderari poteſt, ad ipſius, de qua hic agitur, vnionis hypoſtaticæ commendationem referamus. Nullum enim res inter omnes, qua creatas, quà increatas maius vnione, bonum reperiri poteſt.

2. Et quidem ſi de increatis agatur (vt omittam, inter ſe cuncta Deitatis attributa coniungi identitate, quæ omnem vnionis perfectionem eminentiſſimè continet, ſuperatque, & ideò à Sancto Dionyſio vocatur ἑνὰς ὑπερηνωμένη) Chriſtiana fides ſummam illam in diſtinctis Perſonis vnionem adorat, quæ Trinitatem formaliter conſtituit, dum hypoſtaſeon illæſum, inuiolatumque numerum reducit ad vnitatem identitate ſubſtantiæ. Quæ cauſa eſt, cur numero cum vnitate conciliato, Naziazenus *orat.* 12. Trinitatem vocauerit *ternionem in vnitatem velut recapitulatione collectum*, τριάδα εἰς μονάδα ἀνακεφαλαιουμένην. Quam vnionem aliquo modo vnio hypoſtatica imitatur, quatenus ſubſtantiarum, ſeu naturarum diſtinctarum numerum inconfuſum reducit ad vnitatem perſonæ.

3. Si autem res creatas attendamus, nihil eſt vnione vel in natura potius, vel in gratia præſtantius, nihil magis vtrobique neceſſarium. Atque adeò nihil ea naturalius, ſicut eadem ipsâ ſupernaturalius nihil. Quanta vi vnionem natura vniuerſitatis quærat, atque conſeruet, quámque à diuiſione rerum corporearum abhorreat, ſi quis non ex tonitruis intelligit, eum eſſe ſurdum, ſtuporéque mentis laborare neceſſe eſt. Non enim aliunde oriuntur illi mugientium nubium fragores, quibus æther, cœlumque contremit, nec fulminum ictus, quos tantopere mortales extiment, quàm quòd pro tuenda elementorum, cæterorumque corporum vnione totis naturæ viribus pugnet, nouo miraculi genere; quod miraculum ſcilicet ita naturam ſuperet, vt ipſius naturæ vi, legibuſque fiat, quando grauia ſpontaneo impetu ſurſum emicant, pari leuia concitatione deorſum feruntur in præceps; vt quà corpus quodque ceſſerit, aliud illicò ſubſequatur; ne ſpatio inani manente orbis ſuorum diuiſione, diſtractioneque membrorum fœdum quaſi vulnus accipiat.

4. Si autem ab illo naturæ ordine ad ſublimiorem gratiæ, vel etiam gloriæ ordinem traducere cogitationem velimus, in promptu eſt omnem quidem gratiæ ſupernaturalem in terris ordinem nulla re alia, quàm vnione quadam, coniunctioneque mirabili, quæ Dei, hominumque charitas eſt, contineri: perfectam verò in cœlo gloriam ſic mentes omnes beatas, & inter ſe copulare, & cum Deo coniungere, vt in illa innumerabili Beatorum multitudine nullus reperiatur, qui non eſſe videatur idem ac alij omnes, & in ipſam cum alijs omnibus quedam modo mutatus, conuerſuſque Diuinitatem. Qua de cauſa cùm in mundum Chriſtus venit, vt totius quà naturæ, quà gratiæ origo foret, atque fundamentum; vnione decuit illum eâ conſtare, quæ creaturam intellectualem cum natura diuina hypoſtaticè copularet. Quandoquidem enim ſumma rerum omnium perfectio in vnione conſiſtit; quam ſingula in ſeipſis & aſſequi ſtudeant, & tueri; quid conuenientius fieri potuit, quàm vt ſtatueretur vnio quædam inter creaturas diuina, in qua omnes ipſæ creaturæ, tanquam in ſuo aliquatenus primo principio, archetypoque vnirentur? Nec mirum eſt (cùm omnia ducant originem ab hac vnione diuina) ſi neque in naturæ, neque in gratiæ, neque in gloriæ ordine quicquam exiſtat, cuius eſſentia, & vltima ſiue phyſica, ſiue moralis abſolutio non poſita ſit in vnione.

5. Eccleſiam Chriſtus velut quendam ſupernaturalem mundum, & tanquam ſuum propriè regnum, ac peculiarem ditionem in terris condidit. At certum eſt, illam ſuarum conſtare potiſſimùm vnione partium, cùm nequeat niſi per ſchiſma, diſceſſionemque deſtrui. Nihil ſanè vidit orbis tam eximium, vt cum illa comparabile ſit diuina vnione, quæ Eccleſiam & initio coagmentauit, & ſemper in ſuo ſplendore continet. Vt Eccleſia primùm orta eſt, ſummam, apud illos etiam, qui ab ea voluntatem ſuam abalienabant, admirationem habuit, cùm fidelium omnium cor vnum erat, & anima vna. Eſtque apud Tertullianum *in apolog.* arctam illam animorum coniunctionem, quæ in Chriſtianis conſpicua erat, non tantùm admirabilem, ſed & prodigio ſimilem apud Gentiles fuiſſe, qui paſſim inter ſe cum ſtupore dicebant; *Videte, vt inuicem iſti ſe diligant, & vt pro alterutro mori ſint parati.* Et quidem aptiſſimè ſcripſit Nazianzenus, inter miracula quæ vis paſſionis Chriſti in terras inuexit, cæteris illud præſtitiſſe, quòd omnes toto orbe prouinciæ, locis, moribuſque diſſitæ, quarum etiam plurimæ ſolebant perpetuò flagrare inter ſe bello, ſanctè omnia officia amicitiæ, per eam vnionem, quam fidei ſimilitudo pepererat, ſeruarent. *Quamquam plurima* (inquit *orat. in Paſcha*) *tunc cùm Chriſtus moreretur, miracula extiterunt; nullum tamen cum ſalutis meæ miraculo conferendum eſt, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt; atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præſtiterunt, in vnum nos coniungentes; atque conſtringentes.*

6. Sed cùm ſumma ſit in eo admirabilitas, quòd omnes, qui in Eccleſia, Chriſtique regno degunt, amicitiam colant cum tanta voluntatum coniunctione; maiorem etiam admirationem mouet ipſorum quoad intellectum coniunctio, quodque ea ſit, quam videmus inter omnes omnium gentium, conditionumque Chriſtianos in rebus diuinis ac retruſiſſimis iudiciorum conformitas, vnioque ſenſuum. Quod enim ne quidem in rerum naturalium, obuiarumque controuerſiis fieri potuit, vt Philoſophorum, quamuis paucorum, ſententiæ velut diuerſi muſicorum ſoni, aut eo modo, quo in cytharâ chordæ inter ſe conciliarentur; hoc ipſum nihilominus vnionum genus magno prodigio factum eſt in obiectis ſupernaturalibus (in quibus ob eorum obſcuritatem id longè difficilius eſſe videbatur) vt omnes qui ſe in Chriſti & Eccleſiæ diſciplinam tradidiſſent, ſibi ſemper iudicio, ſenſuque congruerent; nec quiſquam aliter de re vlla, quàm omnes exiſtimaret. Quod ſanè prodigium, is à vero non aberrabit, qui maximum eorum eſſe aſſeret, quæ vnquam in terrarum orbe contigerunt. Idque ex eo patet, quòd vel in iis, quos dixi, Philoſophis experimur, quos (vt in veritate ſagaciores indaganda) maximè inter ſe, in rebus præſertim naturalibus, & velut in propatulo poſitis, conuenire oporteret. Cùm tamen inexpiabili ſuſcepto inter ſe bello ſint implacabiles, nulla ſpe conciliationis. Qua in re à Tullio *in 1. de legib. libro*, iocularequippiam, & à multis deriſum profertur de A. Gellio, qui in Græciam Proconſul ex Præturâ cùm veniſſet, Philoſophis, quotquot Athenis tunc eſſent, in vnum conuocatis, author magnopere fuiſſe dicitur, vt ne in litibus ætatem contererent, poſſe controuerſias omnes facilè ſedari, ſi vellent, ſeque ad id ſuam illis operam polliceri. Nihil poterat falſius. Elementa enim citius omnia quis ad concordiam adduxerit, quàm Philoſophorum diſcordias definire poſſit. Reſidua ſcilicet illa eſt ex Adami vulnere, mentis infirmitas, vt in rebus etiam, quæ in facili cognitione verſantur, vnus ſic, alij ſecus, nec iidem ſemper vno modo ſentiant. Atque vt linguarum in Turri Babylonica, ſic & animi ſenſuum per Adami peccatum facta diuiſio eſt.

7. Verùm quæ inter mortales in rerum naturalium cauſis concordia iudiciorum nequit conſtitui, eam in ſupernaturalibus Chriſtus, qui (vt ipſe vnione mirabili eſſentialiter conſtat) noſtræ inter nos vnionis amantiſſimus eſt, introduxit, quando mundum hunc inferiorem relinquens, in Eccleſiæ, velut ſcholæ ſuæ Cathedra Vicarium collocauit, qui ſuo loco ſuccedens, eam in docendo authoritatem haberet, quæ Chriſtianæ religionis fibula foret, omneſque fideles iudiciorum ſimilitudine conſtringeret. Ita vt in extrema Iaponum barbarie, ne vel vnam inter Chriſtianos reperire ſit ancillulam, quæ de fide ſua ſi rogetur, non ſimiliter atque ſummum Pontificem, & nihilo ampliùs, minuſve ſtatuere ſe de omnibus rebus, quamlibet obſcuris, ſignificet.

8. Quamquam omnes, quas retulimus, vniones, quà naturales, quà ſupernaturales vnionem hypoſtaticam aliquo modo adumbrent, & poſſint velut quædam eius cenſeri veſtigia, vnio tamen ea, quæ conſideranda ſupereſt, & quâ ſummum creaturæ intellectualis bonum, æternaque in cœlo felicitas continetur, ad illam videtur propiùs accedere, eſtque præcipuus ipſius effectus. Quemadmodum enim per incarnationem, vnionemque hypoſtaticam Deus factus eſt homo, ſic per beatam in cœleſti gloria vnionem homo, ſi fas dicere, factus eſt quaſi Deus. Tale coniunctionis cum Deo genus Contemplatiui quidam aiunt fieri per mentis transformationem in ſuum principium, & per tranſitum in ideam, à qua profluxit. Et quidem ita, vt Beatus à ſe, & à ſuo eſſe creato deficiat, redeatque in ſuum illud eſſe increatum, & ſuperreſſentiale, quod ab æterno in diuina idea habuit; ibique vnum ſit cum Deo, vna eſſentia, vna vita, vna lux, vna beatitudo, vnus ſpiritus. Quæ hyperbolicæ loqutiones in bonum acceptæ ſenſum (qualem ex Rusbrochio Leſſius *lib. 2. de ſummo bono, c. 1.* refert) conceptum vnionis huius valde extollunt, & id ſignificant quod ferè eſt. Nempe quòd mens beata in Deum demerſa, in ipſum ita recipiatur, vt non ampliùs ſeipſam ſentiat, ſed vnum Deum, in quem ſibi videtur ſecundùm ſenſum, & affectum transformata. Qui vnionis modus id habet cum vnione hypoſtatica ſimile, quod quemadmodum per vnionem humanitas in Diuinitatem demerſa eſt, & operationes verè humanæ nullo modo pertinent ad humanam, ſed ad diuinam Perſonam, quæ perſona per ipſam humanitatem non ſecus, ac per Diuinitatem operatur; ita vt quæ ſunt humanæ naturæ operationes, non minùs Dei ſint, quàm quæ naturæ diuinæ. Sic mens beata, licèt phyſicè pertineat ad creatam perſonam, nec per vnionem phyſicam ſe Deus in illam induat; Dei tamen increatam lucem habitat, ac Diuinitatis apparet irradiata fulgore: ita vt tota diuino numine (multò magis, quàm igne ferrum candens) penetrata, nihil ſuum, aut creatum ſpirare videatur: ſed omnes illius operationes, velut quædam ſint Diuinitatis ſcintillæ.

9. Quod vnionis genus Henricus quidem *quodlib. 13. q. 12.* fieri ait per quemdam eſſentiæ diuinæ in beatæ mentis ſubſtantiam illapſum: quo illapſu tota mentis ſubſtantia Diuinitate candeat, & in eius deinde potentias quidam inde radij emanent, atque lumen quidem gloriæ intellectum diuina viſione, charitas autem voluntatem ardentiſſimo beet in Deum amore. Verùm beatificus ille Dei in mentem illapſus, qui aliter, quàm per lumen gloriæ, ſeu viſionem Dei fiat, ſuperfluus eſt, & ad Theologiæ principia parum accommodatus, cùm nullus effectus appareat, ratione cuius dici poſſit Deus aliter venire de nouo in mentis ſanctificatæ interiora, quàm per intellectus, ac voluntatis habitus, & actus, per quos ſolos creatura beatitudinem, quæ eſſentialiter vitalitate conſtat, obtinere poteſt.

10. Quanta verò ſit mentis creatæ per claram, & facialem Dei viſionem cum ipſo Deo vitalis coniunctio, declarat aptè Irenæus *lib. 4. contra hæreſes, c. 37. Quemadmodum*, inquit, *videntes lumen, intra lumen ſunt, & claritatem eius recipiunt: ſic & qui vident Deum, intra Deum ſunt, percipientes eius claritatem. Viuificat autem eius claritas: percipiunt ergo vitam, qui vident Deum.* Vbi Sanctus ille Pater tantam eſſe ſignificat Beatorum per lumen gloriæ cum Deo vnionem, quanta eſt omnium viuentium cum anima, vitaque ſua. Id quod ampliùs oſtendit his deinde verbis: *Quoniam viuere ſine vita impoſſibile eſt, ſubſiſtentia autem vitæ* (hoc eſt firmitas, & æternitas vitæ) *de participatione Dei euenit: participatio autem Dei eſt videre Deum, & frui benignitate eius. Homines ergo videbunt Deum, & viuent per viſionem immortales facti, & pertingentes vſque ad Deum.*

11. Non verò magis per viſionem Dei, quàm per eiuſdem charitatem ipſi Deo coniungemur. Cùm enim proprium ſit amoris, vbicumque verus, ac ſyncerus

cerus repetitur, animas amantium arctè copulare, & vt ait Hierothæus apud *Dionyſ. de diu. Nom. n. cap.* 4. *habere ἑνωτικὴν, καὶ συγκρατικήν.* Vnde ſcriptura 1. *Regum cap.* 18. animam Ionathæ ait conglutinatam eſſe animæ Dauid; quomodo etiam aſſeritur *in Actis Apoſt. cap.* 4. multitudinis credentium fuiſſe vnum cor, & animam vnam. Multò magis illam vim vnitiuam exercet in cœlo beatificus amor. Quamvis enim ſint qui amorem in patria putent non eſſe ſpeciei, ac naturæ diuerſæ ab eo amore, quem Sancti exercent quamdiu ſunt in via, tamen certum eſt, amorem beatificum, qui neceſſariò ſequitur apertam viſionem Dei, tantò eſſe perfectiorem illo qui ex cognitione obſcura fidei oritur, quantò intuitiua Dei cognitio ſuperat abſtractiuam, vndecumque is perfectionis exceſſus in amore proueniat. Suntque Doctores plurimi, qui illum non ad ſolas quaſdam accidentales conditiones, putà maiorem ſeu intenſionem, ſeu neceſſitatem, ſeu firmitatem, nunquamque interruptam continuationem; ſed ad ipſam ſubſtantiam actus, & ſpecificam differentiam referant. Ita vt licèt eius charitatis ſupernaturalis, quæ in hac vita exercetur, gradus in infinitum creſcerent, non magis foret ea peruentura ad perfectionem beatificæ charitatis, quàm lumen fidei ad perfectionem luminis gloriæ per acceſſionem graduum infinitorum.

12. Igitur quantùm amor beatificus omnem huius vitæ, licèt ſupernaturalem, amorem ſuperat, tantò maiorem neceſſe eſt, arctioremque illam eſſe vnionem, quâ beatas in cœlo mentes, Deo præſenti, iamque poſſeſſo copulat; eaſque velut vitam creatam exuiſſent, viuere facit vitam quodammodò diuinam, quæ ſola verè vitalis eſt. Beatorum enim vita æternitate participata menſuratur. Et illi in abyſſum Diuinitatis abſorpti, à ſeipſis velut deficiunt, vt in Deo viuant, iam non ipſi; viuat autem in eis Deus, cum quo eadem ſunt eſſentia, vita, & beatitudo effecti. Vnum porrò hîc conſiderandum occurrit, quod hanc vnionem facit vnioni hypoſtaticæ ſimilem, ac velut ἀντίστροφον, ſeu ex aduerſo reſpondentem: nempe quòd ſicut vnio hypoſtatica naturalem, ſic & diuinæ charitatis vnio adoptiuum verè filium, & in cœlo hæredem conſtituit: quatenus vtraque naturam diuinam (in cuius participatione conſiſtit filiationis diuinæ forma) ſecum aduehit, & adiunctam habet, ſuo tamen quælibet modo.

13. Nec verò hæc Beatorum cum Deo per amorem coniunctio fit vno tantùm ſimplici vinculo. Vt enim amor erga Deum alius eſt amicitiæ, ſeu beneuolentiæ, alius concupiſcentiæ; & ex vtroque oritur gaudium, atque fruitio, ſic & totidem ſunt vincula, quibus felices illæ mentes ſummo ſuo bono obiectiuo adhærent, Diuinitatique inſeruntur; cuius guſtant cum quadam ſemper eſuriente ſatietate, ſuauitatem. Ex vtroque illo erga Deum amore naſcitur etiam ſimul cum gaudio quies quædam vitalis, quâ mens Deo ſponſata, & myſtici particeps tori, cum eo, quem in hac vita deſiderauerat, ſedet, eumque tenet, certa nunquam dimittere. Et quemadmodum magnes ferrum quod attraxit, non deſinit ſibi adiunctum etiam attrahere, & quò propinquius, eò fortiore attractione retinere. Quemadmodum item centrum ſic res corporeas, quas ad ſe traxit, continet, vt non per ſolam motus priuationem, ſed poſitiuam quamdam quietem faciat in ſe quieſcere, eas ſemper ſibi & ſua continuata tractione, & ipſarum naturali pondere vniens: ſic Deum creata mens, poſtquam obtinuit, poſſidet, ac eo poſſeſſo fruitur, & in eius arctiſſimum ſe condit amplexum.

14. Chriſte, qui diuinam cum humana ſubſtantiam in Perſona tua copulaſti, vt per vnionem eam hypoſtaticam ſingulos homines cum Deo Patre, facta gratiæ reconciliatione, coniungeres; vnionem iſtam tuam, qua in tempore, cùm Deus ab æterno eſſes, fieri dignatus es homo, veneramur: eidemque acceptum referimus, quòd conſtitutâ noſtri generis cum Deo Patre tuo concordiâ, pacificaueris ima ſummis. Maximam vnio hypoſtatica vtrinque admirationem habet, ſiue effectus, quos intra teipſum formales cauſat; ſiue ea, quæ extra te in rebus omnibus creatis velut efficienter operatur; ſpectemus. Quàm ſtupendum quòd phyſicè duas intra te naturas tam longè diſtantes coagmentare, & ad vnitatem perſonæ redigere valueris, & quidem tam validè, vt perfringenda, dirimendaque nunquam ſit! Quid? quòd, poſtquam humanitas in eodem cum Diuinitate collocata eſt perſonali faſtigio, non emineat ex homine Deus; neque huic vlla poſſit excellentiæ tribui ſublimitas, quæ non illi æquè, indiuiséque conueniat? At verò quàm etiam ſtupendi ſunt effectus illi, qui extra te per eam ipſam vnionem in nos, & in hunc mundum vniuerſum redundant? Debet ſuam tibi, atque vnioni hypoſtaticæ mundus exiſtentiam. Et omnes illæ, quibus compoſita naturalia conſtant, partium vniones, principem iſtam, quâ tu conſtas, vnionem & adumbrant, & quodammodo prædicant. Quod altiùs, magiſque ſonorè præſtant ſupernaturales intellectualium ſubſtantiarum per gratiam, & gloriam cum Deo vniones. In illiuſque venerationem, ac honorem par eſt omnes Chriſtiani nominis cultores ardentiſſimo inter ſe ſtudio, fraternoque coniungi: tuæque humanitati, Verbo tam mirabiliter vnitæ, beatificam omnium in cœlo Sanctorum, tam inter ſe charitatem, quàm cum Deo per omnem æternitatem, vnionem conſecrari.

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS.

De duobus immediatis hypoſtaticæ vnionis extremis.

CVM totum Incarnationis Myſterium eo contineatur, quòd vna ex naturæ diuinæ ſubſiſtentiis à natura humana, per ſui cum ea vnionem, ſubſiſtentiam creatam excluſerit: neceſſe nobis eſt ad hoc, vt vtrumque vnionis hypoſtaticæ extremum præſenti libro explicetur, notionem primò quà creatæ, quà increatæ ſubſiſtentiæ euoluere, & oſtendere, quomodo ſubſiſtentia diuina incompoſſibilis ſit cum ſubſiſtentia creata, hancque in Chriſto prohibuerit. Videndum præterea, quænam Trinitatis ſubſiſtentia immediatè incarnata fuerit: & num ſubſiſtentias reliquas diuinas, vel ſeorſim, vel omnes ſimul; num item naturam diuinam ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, repugnet vniri naturæ alicui creatæ. Deinde quod ad alterum vnionis hypoſtaticæ extremum attinet, explicandum erit, qualis humanitas, ac ſecundùm quas partes aſſumpta ſit; & quo inter ipſas ordine. Deinde an res quæcumque creata apta ſit à Deo hypoſtaticè aſſumi.

CAPVT PRIMVM.

In quo conſiſtat ratio ſubſiſtentiæ creatæ, itemque ſubſiſtentiæ increatæ.

1. QVÆSTIONEM iſtam, quam alij non ſolent hoc loco tractare, excitandam eſſe indicaui, vt meliùs explicari, intelligique poſſit totum hoc myſterium; in eo nempe ſitum, quod ſubſiſtentia Verbi ſic humanitati vniatur, vt in ea ſubſiſtentiam creatam impediat. Id cim nullos vnquam animo percipiet, niſi conceptum ſubſiſtentiæ creatæ, increatæque priùs habuerit; & quantam incompoſſibilitatem cum hypoſtatica vnióne habeat ſubſiſtentia creata, intellexerit. Aduertendum eſt autem ante omnia, quod licèt ſubſiſtentiæ nomen ſumatur aliquando pro concreto, id eſt pro eo quod ſubſiſtit, atque ita idem ſit quod ſuppoſitum, quomodo ab antiquis Patribus & Conciliis vſurpatur, dum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vocant tres ſubſiſtentias, ſeu tres hypoſtaſes. Nos tamen hoc loco, vt paſſim iam Theologi, ſubſiſtentiam ſumimus pro abſtracto, ſeu pro ratione formali, qua ſubſiſtens conſtituitur in eſſe ſubſiſtentis. Poteſt & eodem modo ſumi hypoſtaſis, quanquam de hoc nomine hypoſtaſeos diu fuerit in Eccleſia diſputatum; aliis pro eſſentia, aliis pro ſubſiſtentia illud ſumentibus.

2. De cuius ſignificatione nominis Baſilius ad fratrem ſuum Gregorium Nyſſenum ſcripſit epiſtolam eruditiſſimam, aſſerens οὐσίαν quidem ſignificare eſſentiam, ſeu ſubſtantiam in genere; ὑπόστασιν verò ſonare ſubſtantiam in ſubiecto aliquo, ſiue ſubſiſtentiam: ita vt οὐσία naturam declaret, ὑπόστασις perſonam. Sicque non eſſe erroneum tres hypoſtaſes in Trinitate confiteri: vt ſcilicet confitebatur Meletius Antiochenus Epiſcopus, cum quo ipſe Baſilius communionem habebat, vt Gregorius vterque, Nyſſenus, & Nazianzenus, aliique ferè Orientales. In qua tamen confeſſione difficilem ſe præbebat Hieronymus, ſequens nempe Paulinum, alterum Antiochiæ Epiſcopum, à quo ordinatus fuit Preſbyter. Cui Paulino adhærebat item Athanaſius, & Epiphanius, & ferè Occidentales. Eaque occaſione Hieronymus inſignem epiſtolam, quæ eſt inter alias 57. dedit ad Papam Damaſum, vbi hæc habet poſt nonnulla: *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Trium hypoſtaſeon nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Interrogamus quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi? Tres perſonas ſubſiſtentes, aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant, quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus; Si quis tres hypoſtaſes, aut tria enypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici iudicamur. Diſcernite, ſi placet, obſecro. Non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis. Tota ſæcularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſin, niſi vſiam nouit. Et quis, rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit? Quiſquis tria eſſe,*

Digitized by Google

eſſe, hoc eſt, tres eſſe hypoſtaſes, id eſt vſias, dicit, ſub nomine pietatis tres naturas conatur aſſerere. Abſit hoc à Romana fide. Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur. Aut ſi rectùm putatis, tres hypoſtaſes nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum ſub melle latet. Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas. Hæc Hieronymus ad Damaſum, abhorrens ab hypoſtaſeos voce, à qua ſimiliter diu olim Latinos abhorruiſſe, quemadmodum & Græcos à perſonæ vocabulo, teſtis eſt Nazianzenus, qui eam controuerſiam addit fuiſſe primùm ab Athanaſio compoſitam, dum vtriuſque linguæ homines idem eſſe docuit apud Græcos hypoſtaſin, quod apud Latinos perſonam. Idquè tandem recepit Damaſus, vt Flauianus apud Nicephorum aſſerit. Illi autem, à quibus Hieronymus ad tres hypoſtaſes admittendas ſollicitabatur, erat Meletius, quem ipſe in hac Epiſtola (quamuis catholicum) vocat Præſulem Arianorum, quòd initio fuiſſet Semiarianus, & ab Arianis ad Epiſcopatum prouectus; & ſimul cum illo ij, qui ipſum ſe pro ſuo habebant Epiſcopo; & ideò Campenſes videntur vocari ab Hieronymo, quòd (Euzoio Ariano Epiſcopo nullam eis Eccleſiam intra vrbem permittentè) ſuos celebrarent Eccleſiaſticos conuentus in locis ſuburbanis, atque campeſtribus cum ipſo Meletio.

3. Porrò quicquid naturam habet ſubſiſtentiâ affectam, ſolet hoc ipſo vocari ſuppoſitum (quod etiam non rarò ſignificat hypoſtaſis in ſenſu concreto ſumpta) non tamen poteſt vocari perſona, niſi habeat naturam intellectualem, qualem habent Deus, Angeli, & homines, quia vox hæc aliquid ſublime denotat. Quamuis enim nomen perſonæ deſumptum ſit à theatris, & latinè dicatur à perſonando (quod ſumitur ex Gellio *lib. 5. cap. 7.* vnde Boëtius illam deriuationem videtur ſumpſiſſe) quatenùs laruati homines, & perſonati in theatro ſubſiſtentes vocem edunt ſub caua larua reboantem ac perſonantem: à qua itidem larua (quæ πρὸς τῷ ὠπὶ ponitur) perſona dicta eſt. Græcè πρόσωπον. Tamen perſona eſt nomen iuris, & dignitatis, vt Francofordienſe Concilium in epiſtolà ad Epiſcopos Hiſpaniæ refert ex Paſchaſio Eccleſiæ Romanæ Diacono. Vnde in Politia Eccleſiaſtica perſonæ, ſeu perſonatus vocantur quidam honorum gradus. Differt igitur perſonalitas à ſubſiſtentia, quòd cùm hæc naturæ cuicumque conueniat, illa naturam connotet intellectualem: quare à Theologis vulgò perſona definitur ex Boëtio *lib. de duabus naturis*, ſubſtantia indiuidua naturæ rationalis, ſeu intellectualis. Vbi particula, *indiuidua*, eſt idem ac, completa, & vltimò cùm metaphyſicè, tum phyſicè terminata, ac per conſequens incommunicabilis quocumque modo: & excludit omnem ſiue metaphyſicam, ſiue phyſicam (qualem habet naturæ diuinæ ſubſtantia, quæ ideò non eſt perſona) communicabilitatem, vt intelligetur infrà. In idem definitio recidit, quam Ricardus Victor. *4. de Trinitate, cap. 23.* tradit; Perſona eſt exiſtentia incommunicabilis naturæ intellectualis. Si quis porrò velit habere definitionem, quæ omni ſuppoſito, etiam illi quod perſonale non ſit, conueniat, dicat, ſuppoſitum eſſe ſubſtantiam indiuiduam, ſeu incommunicabilem cuiuſcumque naturæ, ſiue rationalis, ſiue irrationalis. Difficultas præcipua eſt, quid importet formaliter illa incommunicabilitas incluſa in definitione perſonæ, ſeu ſuppoſiti: quòd enim aliquid importet à parte rei ſupra naturam ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, pro indubitato haberi debet contra Durand. *in 1. diſt. 34. quæſt. 1.* & quoſdam alios citatos à Vaſque *diſp. 31. cap. 1.* Nam ſecundùm fidem catholicam natura humana fuit aſſumpta à Verbo; non fuit autem aſſumpta cum ratione perſonæ creatæ, nec cum incommunicabilitate, in qua nimirum perſonalitas, & ſubſiſtentia formaliter conſiſtit.

De ratione ſubſiſtentiæ, prout in creaturis reperitur.

4. Quæritur ergo quid illud ſit, quod humana natura in incarnatione amiſit. Sunt qui velint incommunicabilitatem, rationemque perſonæ in creatis (nam de diuinis longè aliam eſſe rationem infra videbimus) nihil importare præter negationem communicabilitatis, aut quemadmodum Scotus, & nonnulli alij loquuntur, dependentiæ tum actualis, tum aptitudinalis. Et quidem palam eſt repugnare perſonæ triplicem communicationem, ſeu dependentiam. Nimirum eam quæ eſt accidentis, per inhæſionem, perſona enim eſt ſubſtantia. Præterea illam, quæ eſt rationis vniuerſalis, ſeu ſuperioris, per contractionem; perſona enim non tantùm eſt ſubſtantia, ſed etiam ſubſtantia prima, ſiue indiuidualis. Denique illam quæ eſt vt partis, per compoſitionem alicuius totius, in quo pars continetur, vt in aliquo perfectiori; eſt enim perſona non quæcumque ſubſtantia prima & indiuidualis, ſed etiam eſt completa, & quippiam totum, quod per ſe ſit, & ſeorſim ab omni alio ſubſiſtente ſubſiſtat.

5. Nihilominus dici non poteſt, incommunicabilitatem, quam includit ratio perſonæ creatæ per aſſumptionem hypoſtaticam in Chriſto impeditæ, conſiſtere in mera negatione vllius prædictarum communicationum. Non quidem primæ, talis enim negatio non ſufficit ad rationem perſonæ, quandoquidem conuenit etiam materiæ primæ, & animæ rationali, quæ non ſunt accidentia; & tamen non dicuntur ſuppoſita, vel perſonæ. Non etiam ſecundæ: nam tum materia prima, tum anima rationalis prædictæ, tum humanitas in Chriſto, ſunt aliquid ſingulare, nec tamen ſunt perſonæ, vel ſuppoſita. Non tandem tertiæ: nam licèt hoc habeat omnis perſona, & ſuppoſitum, vt non tantùm non communicetur toti vt pars, ſed etiam ſit inepta ad talem quocumque modo communicationem; hoc enim ipſo, quod poſſet eſſe pars in toto, nequiret dici perſona, aut ſuppoſitum: tamen dico huiuſmodi negationem communicationis, aut communicabilitatis conſiderandam eſſe ſolùm vt quandam perſonæ, ſeu ſuppoſiti proprietatem conuenientem omni, ſoli, ac ſemper; & non poſſe eſſe primam, formalemque rationem perſonæ; oritur enim à priori quadam poſitiua perfectione, in qua potiùs conſiſtit ratio perſonæ.

6. Quo modo benè reiicitur ac refutatur doctrina Scoti, aſſerentis perſonam conſtitui formaliter negatione tum actualis, tum aptitudinalis dependentiæ; hoc eſt, naturam ex eo formaliter ſubſiſtere, quòd in alio neque ſit, neque naturaliter, & ex appetitu intrinſeco poſſit eſſe. Qua ratione optimè excludit hic Doctor ab eſſe perſonæ non tantùm partes actuales tam integrantes, quàm eſſentiales, nec non humanitatem Chriſti, quatenus ſcilicet habent actualem dependentiam ab eo toto in quo ſunt; ſed etiam animam rationalem ſeparatam, quatenus etſi non eſt in toto, habet tamen naturalem aptitudinem, & eſt naturaliter ordinata vt in eo ſit. Quam aptitudinem naturalem humanitas v. c. Petri non habet reſpectu Verbi diuini: habet enim tantùm ſupernaturalem

Digitized by Google

tutalem, ſeu obedientialem potentiam, vt à Verbo aſſumatur. Quare quandiu non eſt aſſumpta, dici debet vera perſona; quando autem eſſet aſſumpta, desineret eſſe perſona, quia negationem amitteret actualis dependentiæ, licèt in ea ſemper maneret negatio aptitudinalis dependentiæ, ſeu negatio aptitudinis naturalis, vt aſſumatur. Atque per hanc ſuam doctrinam rectè quidem Scotus aſſignat rationem, cur perſona creata nequeat hypoſtaticè aſſumi. Quia nimirum ſi aſſumeretur, deſineret eo ipſo eſſe perſona, quæ erat; & amitteret eam aſſumptionis paſſiuæ, ſeu dependentiæ negationem, quâ, ex eius ſententia, conſtituebatur in eſſe perſonæ. Contra quod non bene opponit Suares in Metaphyſica, manere ſemper hanc difficultatem, quod ex illo ſequatur nos poſſe dicere, non repugnare, quin ſuppoſitum creatum aſſumatur per potentiam obedientialem à diuinâ perſona, quemadmodum rectè aſſerimus, aërem tenebroſum poſſe illuminari, in ſenſu nempe diſiuncto: cùm tamen omnes Sancti Patres videantur ponere vt certum, quod repugnet ſuppoſito aſſumi hypoſtaticè in quocumque ſenſu. Hæc Suaris oppoſitio non valde vrget Scotum, qui negabit eſſe abſurdum, quod contra ipſum infertur. Nam eodem modo dici poteſt in omni alia ſententia, non repugnare quin ſuppoſitum creatum deſinendo habere ſubſiſtentiam poſitiuam, & in ſenſu diſiuncto, aſſumatur à diuina Perſona: quemadmodum tam propriè dicitur lignum nigrum poſſe dealbari, deſinendo ſcilicet eſſe nigrum, & amittendo nigredinem, quæ eſt quid poſitiuum, quàm dicamus aërem tenebroſum poſſe illuminari amittendo negationem lucis. Nec reſpondeas diſcrimen eſſe. Nam lignum nigrum ratione totius poſitiui quod habet, non fit album, ſed dumtaxat vt lignum eſt: at verò aër tenebroſus ſecundùm id totum poſitiuum quod habet, poteſt illuminari. Eodemque modo in Scoti ſententia, ſuppoſitum creatum poterit ſecundùm id totum poſitiuum quod habet, aſſumi à perſona diuina. Sed facilè reſpondetur pro Scoto, poſitiuum illud quod aſſumeretur, non eſſe ſuppoſitum, ſed meram naturam; ſicut poſitiuum illud quod illuminatur, non eſt aër tenebroſus, ſed merus aër. Quare doctrina Scoti non videtur aliter bene refutari, quàm per id quod diximus numero præcedenti. Nempe quòd negatio illa dependentiæ Scotica ſe habeat vt proprietas quædam, non autem vt prima, & formalis ratio ſuppoſiti, vt ex ſequentibus patebit.

7. Concluſio prima. Subſiſtentia, ſeu ratio formalis perſonæ in creaturis, conſiſtit in aliqua perfectione poſitiua. Probatur: nam per ſe conſtat, perſonam non eſſe nomen negationis, ſed rei, vt dicit Sanctus Thomas 1. *part. quæſt.* 30. *artic.* 4. & ille fatebitur, qui conſiderabit, quòd ratione perſonalitatis conuenit propriè perſonis eſſe, habere, agere, &c. nulla autem negatio poteſt per ſe eſſe principium, aut conditio eſſendi, agendi, vel habendi. Atque, vt argumentatur Caietanus, nemo dixerit nomina quæ deſignant determinatè perſonas, qualia ſunt nomina propria, Petrus, Paulus, &c. necnon pronomina demonſtratiua præfixa nominibus communibus, vt hic homo, ille Angelus, &c. deſignare negationem; ſed per ea intelligunt omnes aliquid poſitiuum. Quidnam autem illud ſit, non conueniunt inter ſe Auctores, referunturque præcipuè quatuor improbabiles ſententiæ.

8. Primò quidem Thomiſtæ aliqui, ſubſiſtentiam aſſeruerunt nihil aliud eſſe, quàm exiſtentiam ſubſtantialem naturæ completæ. Ratio eſt, quia illius modi exiſtentia idem eſt quod exiſtentia per ſe. Atqui non differunt, ſubſiſtentia, & exiſtentia per ſe. Huius ſententiæ fuſiorem explicationem cum eius refutatione habes apud Suarem *in Metaphyſic. diſput.* 34. *ſect.* 4. & apud Vaſquem 3. *part. diſput.* 31. *cap.* 4. Nec opus eſt in ea immorari: ſuppono enim exiſtentiam non eſſe quid ſeparabile à natura actuali, cùm tamen ſubſiſtentia per vnionem hypoſtaticam ſeparetur. Item exiſtentiæ formalem effectum eſſe, vt natura ſit actu extra cauſas, cùm tamen effectus formalis ſubſiſtentiæ longè diuerſus ſit, nempe vt natura conſtituatur in ſtatu, quo per ſe ſit, & independenter, ac ſeparatim ab aliis. Secundò abſurdiùs alij cum Caietano opinati ſunt, ſubſiſtentiam creatam eſſe aliquid, quod præcedat exiſtentiam, & ſit ad hanc diſpoſitio, tanquam aliquid intermedium inter ipſam, & naturam. Fundantur, quia iuxta Diuum Thomam 3. *part. quæſt.* 17. *artic.* 2. natura non eſt proximum ſuſceptiuum exiſtentiæ, ſed ſuppoſitum, quod propterea eſt principium operationis, terminus generationis, ſubiectum filiationis, &c. Verùm illa poſitiua, realiſque perfectio, quæ in natura actuali antecedat ipſius naturæ exiſtentiam, merum figmentum eſt, & refutatur fusè apud Suarem citatum, & Vaſquem *cap.* 5. *prædictæ diſputationis* 31. Tertiò tribuitur Heruæo *quodlib.* 3. *quæſt.* 6. & Iauello 7. *Metaphyſic. quæſt.* 17. imò & Diuo Thomæ 1. *part. quæſt.* 3. *artic.* 3. opinio aſſerens, quòd (ſaltem in naturis materialibus) ratio ſuppoſiti conſiſtat in extrinſecis accidentibus. Sed hæc ſententia refutatione non indiget, eſtque manifeſtè falſa: niſi intelligat (quomodo etiam aliqui Sancti Patres, & Ariſtoteles 7. *Metaphyſic. cap.* 11. atque Porphyrius *cap. de ſpecie*, interpretandi ſunt) quòd accidentium, proprietatumque characteriſticarum cumulus valeat ad deſcribendum aliquo modo, ac dignoſcendum ſuppoſitum; non autem ad conſtituendum illud formaliter, aut pluſquam arguitiuè. Quomodo Baſilius *epiſt.* 43. Nyſſenus *in lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſeos*, necnon Damaſcenus *ſuprà*, vt hoc explicent, vtuntur exemplo Iob, cuius perſona & hypoſtaſis deſcribitur per proprietates etiam patriæ: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*, &c.

9. Quartò communis eſt recentiorum ſententia, quòd ratio formalis ſuppoſiti, in qua incommunicabilitas fundatur, ſit modus quidam poſitiuus exiſtentiam ſubſtantialem conſequens, ab eaque diſtinctus minori realitate, cuius effectus formalis ſit, vt faciat exiſtentiam eſſe per ſe, ſeu ſubſiſtere; vnde & hic modus ſubſiſtentia nominatur. Ita Suares *in Metaphyſic. diſput.* 34. *ſect.* 4. Vaſquez *in* 3. *part. diſput.* 31. *cap.* 6. & alij paſſim recentiores, fundati in eo, quòd reiectis aliis ſentẽtiis, hæc ſcola videatur ſupereſſe, quâ bene myſterium incarnationis explicetur, in quo humanitas modum aliquem perdidit, quem propterea oportuit ab ea eſſe aliquatenus diſtinctum realiter. Præterea videtur æquum, vt quemadmodum accidens, cùm inhæret ſubiecto, habet vnionem, ſeu inhærentiam, qua caret, cùm non eſt in ſubiecto; & rurſus cùm non eſt in ſubiecto, modum aliquem habet alium poſitiuum, quem appellamus *per ſe*: ita etiam natura ſubſtantialis habeat modum per ſe, quando eſt in proprio ſuppoſito, quem non habeat, quando eſt in alieno.

10. Hunc ſubſtantialem modum volunt talem eſſe, vt cùm ipſe ſit communicabilis naturæ, & ſit in ſuppoſito quaſi in toto, reddat tamen naturam incommunicabilem, & ſuppoſitum prohibeat eſſe in vllo quaſi in toto. Quam incommunicabilitatem, & ineptitudinem non haberet natura, ſi eam ſupponeremus

netemus (licèt non aſſumptam ab alio, in quo contineretur quaſi in toto) non eſſe affectam iſto modo poſitiuo. In tali enim caſu, quem aliqui fatentur eſſe poſſibilem, natura non eſſet in ſe, niſi negatiuè, quatenus non eſſet in alio : neque eſſet aliquod totum terminatum,& completum. Quare non repugnaret illam dici communicabilem, & aſſumibilem ab alio. Atque ita effectus formalis prædicti modi non malè explicatur per effectum negatiuum, qui eum conſequitur, nimirum per incommunicabilitatem. Addit Suarez *ſect.* 5. illum ipſum modum, prout integrè quidem ſumptum, non poſſe conuenire niſi toti ſubſtantiæ, quatenus integra eſt, & completa. Verumtamen non ita eum conſiſtere in indiuiſibili, quin quando eſt in ſubiecto diuiſibili, naturamque terminat compoſitam, conſtetur ex multis partibus inter ſe vnitis, quarum quælibet afficiat partem aliquam ipſius naturæ, ſiue integrantem, ſiue eſſentialem. Quare cùm partes naturæ ſubſtantialis diuiduntur, conſequenter partes ſubſiſtentiæ perdunt ſuam,quam habebant inter ſe,vnionem : ita vt quælibet naturæ pars ſeorſim ſubſiſtat (vt faciebat antè) per ſuam ſubſiſtentiam partialem. v.g. mortuo homine volunt ſubſiſtere partialiter hinc corpus, & hinc animam rationalem, atque eodem modo partes integrantes in compoſitis integrantibus. Ita quidem aliqui cum Suare ſuprà citato. Quibus Vaſq. *in 3. part. diſp.* 32. per plura capita, multique alij contradicunt, aſſerentes nihil eſſe in toto compoſito, cui nomen partialis ſubſiſtentiæ conueniat : ac proinde vnam tantùm eſſe ſubſiſtentiam totius compoſiti nullo modo ex partialibus ſubſiſtentiis compoſitam.

11. Ego quidem, licèt non dubitem ſubſiſtentiam eſſe modum poſitiuum, quem creata ſubſtantia naturaliter habeat, & ſupernaturaliter amittere poſſit; non puto tamen illum diſtingui ab ipſa ſubſtantia pluſquàm ratione, vt ſuppono ex Metaphyſ. & ex dicendis conſtabit. Præterea illos exiſtimo philoſophari meliùs, qui modum prædictum volunt ita conuenire toti, quà toti, vt partes nullatenus poſſint dici eſſe in ſeipſis, aut per ſeipſas ſubſiſtere. Tantùm enim ſubſiſtunt in toto, aut per totum. Sanè ſi partes ſubſiſterent per ſe, dici poſſent eſſe ſuppoſita. Atqui non poteſt dici, inquit Sanctus Thomas *quæſt. de vnione Verbi, artic.* 2. *in corpore,* quod hæc manus ſit perſona,aut ſuppoſitum; quamuis dici poſſit, quòd ſit indiuiduum. Manus enim non eſt ſubſtantia completa in ſe ſubſiſtens. Idem habet alibi,vt *opuſc.*2. *cap.*211. & *in* 3.*diſt.*5.*quæſt.*1. *art.*3. & *quæſt.*5. *art.*3. Propriè igitur nihil eſt,quod per ſe ſubſiſtat, & in ſeipſo ſit, quàm totum in quo partes continentur, & à quo vt ſubſiſtente dependent. Imò quamuis partes actu non dependeant, ſi tamen ordinem dicunt ad totum, & poſcant dependere (vt anima rationalis ſeparata) non debent dici ſubſiſtere. Nec replices, non debere quidem partes dici ſubſiſtere abſolutè, poſſe tamen dici ſubſiſtere partialiter. Reſpondeo enim, quòd cùm ſubſiſtere ſit proprietas totius, non poteſt aliqua pars magis dici ſubſiſtere partialiter, quàm poſſit dici eſſe partialiter totum, partialiter completum, integrum, & perfectum. Quis autem non videat ridiculum fore, ſi dicerem, manus hæc eſt partialiter totum & integrum corpus, ſiue eſt partialiter totum id quod eſt in homine? Cùm autem partes dico, intelligo tam metaphyſicas, quàm phyſicas. Neque enim ſubſtantiæ ſecundæ, ſeu conceptus vniuerſales dici poſſunt perſonæ,cùm tantùm in primis ſubſtantiis ſubſiſtant, nec extra has exiſtant.

12. Porrò entitatulam illam, quam Suarez, & multi recentiores ex occaſione myſterij incarnationis, per quod ſubſiſtentia creata abſumitur, induxerunt, exiſtimo ſuperfluam, neque neceſſariam ad explicationem prædicti myſterij. Mens Conciliorum eſt, quam Felix Papa, relatus ex Epheſina Synodo in Chalcedonenſi, his verbis explicat : *Ipſe eſt ſempiternus Dei Filius, & non homo à Deo aſſumptus, vt alter ſit præter illum. Neque enim hominem aſſumpſit Dei Filius, vt alter ſit præter ipſum; hoc eſt, vt alter ſit Deus aſſumens, & homo aſſumptus.* Quemadmodum nempe volebat Neſtorius. Atqui ad hoc perfectè verificandum non eſt opus entitatulam cum Suare intelligere, quæ per vnionem hypoſtaticam impediatur. Satis enim eſt, quòd humanitas dum aſſumitur,non ſit ſui, ſed alieni iuris, nec habeat totalitatem, quam importat hoc nomen concretum *homo* : ſic enim in Chriſto non poterit alter eſſe homo,quàm ipſe Deus. Itaque neceſſariò dicendum eſt, quod aſſerit

13. Concluſio ſecunda. Modus ille poſitiuus, in quo ratio ſuppoſiti conſiſtit, & qui eſt origo incommunicabilitatis, aliud nihil eſt, quàm ratio totius, ſeu totalitas, per quam ipſum totum non pertinet ad aliud, ſed eſt ſeorſim ab omni alio, per ſe ſtans,in ſe completum, & ſui, vt ita dicam, iuris, ac nominis. Ad huius concluſionis probationem faciunt ea quæ Stephanus Tiphanus *libro de hypoſtaſi, & perſona, cap.*10. *ac ſequentibus* fusè adducit, oſtendens, vt actu ſubſtantia ſubſiſtat, & ſit ſuppoſitum, non requiri aliud, quàm vt ſit indiuidualis, integra, & completa, ſiue tota; exiſtens ſcilicet ſui iuris, & hypoſtaticè non aſſumpta. Fauet planè Diuus Thomas *quæſt.*4. *art.*2. *ad* 2. vbi ait, *Quod natura à Verbo aſſumpta non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicuius,quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, ſed propter additionem alicuius, quod eſt ſupra humanam naturam; quod eſt vnio ad diuinam perſonam.* Videtur enim eo loco Sanctus Doctor nihil aliud ad creatam perſonalitatem requirere, quàm vt ſit indiuidualis, & integra natura. Si enim aliud requireret, fateretur vtique, aliquam eſſe naturæ perfectionem, atque adeò cùm id deficeret per incarnationem, deeſſet ipſi naturæ. Notanda verò ſunt illa eius Verba, quòd non deſit humanitati propria perſonalitas, niſi propter additionem alicuius quod eſt ſupra ipſam humanitatem. Propter ſolam, inquit, additionem vnionis ad diuinam perſonam; non autem propter defectum alicuius perfectionis entitatiuæ. Sed clariſſimis, ac diſertis Verbis doctrinam noſtram idem Sanctus Doctor tradit *opuſc.*2.quod eſt compendium Theologiæ, *cap.* 211. *Hæc nomina*, inquit, *perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum, quiddam integrum deſignant: proptereáque perſona, & hypoſtaſis, cum propter coniunctionem cum alio interdum deſinat eſſe integrum, iamque ſe habeat vt pars, deſinit eſſe hypoſtaſis, & perſona. Vnde in aliis à Chriſto hominibus vnio quidem animæ & corporis conſtituit hypoſtaſin, quia nihil aliud eſt præter hæc duo. In Chriſto autem præter animam & corpus aduenit tertia ſubſtantia, ſcilicet Diuinitas: quæ quia non eſt vt pars, ſed ſemper vt aliquod totum, & integrum, quod ſibi naturam humanam aſſumpſit; proptereà in Chriſto perſona ſe tenet tantùm ex parte naturæ diuinæ; anima verò, & corpus trahuntur ad perſonalitatem perſonæ diuinæ.*

14. Probatur item hæc doctrina authoritate Sanctorum Patrum, ad rationem ſuppoſiti, ſeu perſonæ non aliud requirentium, quàm vt natura ſit indiuidualis, ſingularis, & particularis. *Perſona* (inquit Auguſt. *lib.*15. *de Trin. cap.*7.) *eſt idem, quod ſingulus*

ſingulus quiſque homo; *hoc eſt, ſeparatim, & per ſe ſolus exiſtens.* Athanaſius *in tractatu de definitionibus*, diſtinguit naturam à ſuppoſito, *quòd natura ſit quid commune, ſuppoſitum verò ſit indiuiduum, & ſingulare.* Damaſcenus verò *in Dialectica cap.* 30. *& lib. primarum inſtitutionum cap.* 1. ait, *Sanctos Patres id quod commune eſt, ac de multis dicitur* (hoc eſt, infimam ſpeciem) *appellaſſe ſubſtantiam*; *id autem quod particulare eſt, vocaſſe indiuiduum, perſonam, hypoſtaſin, vt Petrum, Paulum*, &c. Cùm igitur Sancti Patres ad rationem perſonæ, aut ſuppoſiti non aliud requirant, quàm vt natura ſit indiuidua, & ſingularis, clarum eſt illos nullam inſuper entitatulam, perfectionemve requiſiuiſſe; atque illis ſatis fuiſſe, quòd natura ita contracta eſſet per indiuidualem differentiam, vt ſingularis eſſet, ac ſeorſim; hoc eſt, non eſſet facta pars alicuius totius per aſſumptionem hypoſtaticam. Alioqui enim differentia indiuidualis, qualem certum eſt reperiri in humanitate Chriſti, non ſufficeret niſi reperiretur ſimul ſingularitas, eſſeque ſeorſim: quomodo prædicta Chriſti humanitas, licèt indiuidualis, non facit per ſuam indiuidualitatem, hominem qui ſit ſingulus, ac ſeorſim; homo enim quem facit, eſt ſimul Deus. Atque cùm Ariſtoteles ignorauit poſſibilitatem vnionis hypoſtaticæ, neque agnouerit aliud vllum indiuiduum, quàm quod ſingulare, ac ſeorſim, & per ſe eſſet; inde certum eſt illum, quando de indiuiduo ſubſtantiali diſputauit, non de alio egiſſe, quàm de eo, quod nos vocamus ſuppoſitum, & perſonam. Quid enim aliud eſt præter ſuppoſitum prima ſubſtantia? quam in prædicamentis ait eſſe illam, quæ nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto, & quam 5. *Metaph. text.* 15. appellat vltimum ſubiectum: quam item 1. *poſteriorum text.* 9. ait conſtituere tertium modum perſeitatis, & ita deſcribit, quod non dicitur de ſubiecto aliquo alio, eſtque ſubſtantia, & hoc aliquid ſignificat. De ſuppoſito etiam agere intelligendi ſunt cùm ipſe Ariſtoteles, tum Porphyrius, quando ille quidem 7. *Metaphyſ.* hic verò *cap. de ſpecie*, indiuiduum per accidentia, & proprietates characteriſticas deſcribunt. Solius quippe ſuppoſiti eſt, vt denominetur habere aliquid, putà accidentia, proprietates, &c. Ex his vides non eſſe verum, quod aliqui aſſeruerunt, Ariſtotelem ignoraſſe ſubſiſtentiam, atque ſuppoſiti quidditatem. Nec dubium eſt, quin falſus fuiſſet naturam v. g. Petri poſſe deſinere eſſe hoc aliquid, & perdere rationem totius, poſito quod illam alij ſuperiori naturæ vniri poſſe cognouiſſet.

15. Quæ hactenus tum ex D. Thoma, tum ex Sanctis Patribus, tum etiam ex Ariſtotele, Porphyrioque retulimus, ſatis oſtendunt noſtræ concluſionis veritatem. Quandoquidem ad myſterij incarnationis explicationem omninò ſufficit, quod illi requirunt ad rationem ſuppoſiti; vt nempe natura ſubſtantialis ſit indiuidua, ſingularis, ac ita ſeorſim, vt nullo modo pars, ſed verè totum aliquod dici poſſit, abſque eo quod ad illud neceſſaria ſit vllius entitatulæ, ſeu diſtincti modi fictio, quæ ad huius myſterij explicationem nihil poteſt iuuare, vt conſtabit etiam ex dicendis infrà. Hoc autem argumentum ſumptum ex ſuperflua entium multiplicatione, cùm vbique valeat, in myſteriis diuinis valere debet maximè. Vt porrò huius totalitatis, in qua ſola rationem formalem ſuppoſiti, ſeu perſonalitatis ponimus, intelligentia plenior habeatur:

16. Notandum eſt hanc totalitatis, & perſonalitatis rationem, licèt petat velut neceſſariam conditionem, vt natura indiuidualis nequaquam vniatur alteri, ſed ſit ſeorſim ab omni alio; non tamen conſiſtere formaliter in mera negatione vnionis, ſiue aſſumptionis hypoſtaticæ, ſed in eo exiſtendi modo, qui reſultat ex prædicta negatione, hoc eſt, in ſtatu quodam ſingularitatis, & in qua iam velut dignitate exiſtendi per ſe, & ſuſtinendi denominationes agendi, patiendi, recipiendi, habendi, &c. Quod licèt non requirat vllam phyſicam entitatem additam entitati naturæ indiuidualis, ſed in ipſa natura hoc ipſo reperiatur, quòd non fuerit aſſumpta; debet tamen concipi vt poſitiuum ſtandi in ſe exercitium cum quadam ſui ſufficientia. Dices. Hoc nihil aliud eſt phyſicum, quàm quod habet v. g. humanitas Chriſti; atque adeò ſecundùm hanc doctrinam totum id phyſicum, quod contineret perſonalitas creata, fuit aſſumptum à Verbo. Reſpondeo. Tota quidem phyſica naturæ entitas, entitatiuaque perfectio aſſumpta eſt iuxta id quod *num.* 13. retulimus ex Diuo Thoma *quæſt.* 4. *art.* 2. *ad* 2. aſſerente, nullum eſſe in Chriſti humanitate defectum perfectionis naturalis, ob quem propria deſit ei perſonalitas; ſed additam illi fuiſſe tantùm vnionem ad diuinam Perſonam. Veruntamen ipſa humanitas, quando aſſumpta eſt, & incepit eſſe in alio, facta eſt iuris alieni, & amiſit modum eſſendi ſui iuris ac nominis, quem habuiſſet exiſtens ſeorſim, & in ſua ſingularitate; ob quem potuiſſet habere denominationes, quas habere iam non poteſt, agendi, orandi, docendi, patiendi, merendi, &c. Hæ enim denominationes diuini ſunt ſuppoſiti, non humanitatis.

17. Vnde eminet modum hunc perſonalitatis primò non eſſe meram negationem; hæc enim non poteſt eſſe principium, aut fundamentum denominationum. Sed nec ſecundò, eſſe humanitatis tantùm entitatem; nam ea in Chriſto non poteſt denominationes ſupradictas recipere; Perſonam enim diuinam dicimus oraſſe, docuiſſe, perambulaſſe, &c. non autem id dicimus de humanitate. Cùm igitur modus perſonalitatis creatæ non ſit negatio, cenſeri debet cum negatione aliquid poſitiuum; includit enim ipſam humanitatem, eſtque humanitas vt non aſſumpta; hoc eſt, cùm non ſit merè humanitatis entitas, dicendum eſt eum modum nihil aliud eſſe, quàm quod non aſſumpta, & ſeorſim exiſtens humanitas, ſit ſui, non alieni iuris. Vt enim ſubſtantia eſt res naturæ, ita perſona res iuris eſt. Vbi præter Sanctos Patres *n.*14. à nobis relatos, audiendum eſt quomodo loquatur in Concilio Francofordienſi Paſchaſius Eccleſiæ Romanæ Diaconus ſcribens ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *In Deo homine gemina*, inquit, *ſubſtantia eſt, non gemina perſona. Nam perſona perſonam conſumere poteſt, non ſubſtantia ſubſtantiam*; *quia perſona res iuris eſt*, *ſubſtantia res naturæ.* Vbi manifeſtè docet, perſonam non in alio conſiſtere, quàm vt ſit ſui iuris. Id autem (qualecumque vocaueris, ſiue aliquo modo phyſicum, ſiue aliquo modo morale) ſufficit ad rationem perſonæ, & orthodoxam de incarnatione doctrinam optimè explicandam. Itaque certum eſſe debet, ſumi perſonæ nomen à Theologis, iuxta Sanctos Patres, pro ſubſtantia quidem indiuidua, non tamen ſine qualitate, ſeu iure, functionéque aliqua; quo iure, functioneque ſublata extinguitur, euaneſcitque ratio perſonæ. Vnde Boëtius dixit perſonæ vocabulo homines ſignificari; quorum certa pro ſua forma ſit agnitio, hoc eſt, quibus conueniat vt certis proprietatibus, functionibus, iuribus, & notis diſcernantur. Quod moraliter nec filio, nec ſeruo, quà talibus conuenire poteſt; poteſt tamen ſi conſiderentur phyſicè, & vt non ſunt idem cum patre, aut domino. Humanitati autem

Digitized by Google

autem Chriſti conuenire nullo modo poteſt, cùm phyſicè, & non tantùm moraliter coniuncta ſit Verbo: atque ita nec ius, nec functionem vllam habet ſibi propriam, & quæ ad ſolum Verbum non pertineat. In Trinitate verò, licet Filius cum Patre, & Spirator cum Spiritu Sancto non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè per naturam vniantur; tamen nec Pater, nec Spirator impedit rationem perſonæ in ipſo Filio, & Spiritu Sancto: cùm nec generatio, nec ſpiratio his adimat ius vllum diuinum, ſed relinquat omne, atque communicet.

18. Colligi poteſt primò ex hactenus dictis, modum ſubſiſtentiæ non male vocari vulgò terminum naturæ vltimum, ſeu complementum vltimum; cùm ſit ſiue naturæ totalitas, poſt quam nihil datur vlteriùs; ſiue aliquod velut totalitatis in ſui ſufficientia exercitium. Quod exercitium antequam totalitas intelligatur conſtituta, non poteſt ad partes naturæ ſingulas pertinere magis, quàm denominatio totius. Quare modus ſubſiſtentiæ non datur vllus partialis, quo partes ſigillatim informentur; ſed tantùm concipi poteſt vt totalis, indiuiſibilis, & vt pertinens ad omnes partes ſimul ſumptas, completas, & vltimò totum conſtituentes. Colligi poteſt ſecundò, cùm ratio totius ferè ſit eadem cum illa clauſula quæ ponitur ſecundo loco in definitione vnius, quando dicitur, *& diuiſum à quocunque alio*; hinc fieri, vt ſubſtantia, quæ eſt completa in ratione ſuppoſiti, ſit perfectiùs vnum, quàm cæteræ entitates, quæ ſunt vel partes, vel quocunque modo in alio; quæ cùm ſint indiuiſæ in ſeipſis, non tamen ſunt diuiſæ à quocunque alio. Nam ex Ariſtotele vnum dicit completionem, & perfectionem; ac eatenus eſt idem ferè quod totum, hoc eſt, non iunctum alteri, ad quod pertineat velut pars. Prædictam verò rationem totius non habent nec accidentia, nec ſubſtantiæ vniuerſales, nec ſubſtantiæ illæ indiuiduæ, quæ in aliquo toto ita continentur, vt ab eo velut abſorbeantur, non autem ipſæ abſorbeant omnia cætera, quæ ſunt in illo toto. Quod addo propter Verbum diuinum, quod cum humanitate improprio aliquo modo componit Chriſtum, & in eo eſt: at non vt pars, neque ita vt abſorbeatur, quin potiùs infinitate ſua humanitatem velut abſorbet, eam ad ſe trahens, & ad ſe faciens pertinere; quare non perdit rationem totius, ſeu ſuppoſiti.

De ratione ſubſiſtentiæ provt in Deo reperitur.

19. CVm totum incarnationis myſterium in eo formaliter conſiſtat, vt ſubſiſtentia creata humanitatis impediatur, & loco illius increata ſubſtituatur, operæ pretium hîc erit ad clariorem, expreſſioremque ipſius myſterij intelligentiam, vt quemadmodum dedimus conceptum ſubſiſtentiæ creatæ; ſic etiam obiter, & ſolùm provt materia præſens requirit, addamus aliqualem explicationem increatæ ſubſiſtentiæ. Nullus eſt, qui quamcunque tandem ſequatur doctrinam de quidditate ſubſiſtentiæ creatæ, non cogatur aſſererere, longè diuerſo modo eſſe philoſophandum in diuinis circa rationem ſubſiſtendi, quæ naturæ increatæ aduehit in aliquo diuerſo ſenſu incommunicabilitatem, & facit vt ei conuenire ſuo modo poſſit definitio perſonæ deſumpta ex Boëtio. Sanè Dei ſubſiſtentia, cùm non ſit vnica, ſed triplex, non poteſt conſiſtere in mera naturæ totalitate, & in eo modo abſoluto, quo natura ſeorſim, ac per ſe ſola, & ſine vllius realitatis virtualiter diſtinctæ acceſſione ſumatur; hocque ipſo ſubſiſtat, quòd ſit ſola. Sic enim ſubſiſtentia non foret niſi vna, cum non ſit in Deo niſi vna natura tota. Conſiſtit ergo in ratione quadam ſuperaddita, & quadam perfectionis extenſione, quæ ab ipſa natura diuina totaliter ſumpta virtualiter diſtinguitur, & ſit vera quædam ſuperaddita perfectio σχετικὴ, ſeu relatiua, eaque triplex.

20. Quod ſi natura diuina per impoſſibile exiſteret ſolitaria, & ſeparata ab omni perfectione relatiua, ita vt nihil haberet, aut eſſet apta habere aliud, quam perfectiones eſſentiales, ſicut eam Iudæi concipiunt; dubium non eſt, quin eo in ſtatu ſeparationis ab omni alio ipſa foret aliquod totum, & ſufficienter completa, ac velut per ſuæ totalitatis clauſulam terminata; ſicque diceretur vnica ſubſiſtentia, & perſona abſoluta: atque illo durante ſtatu, ſeu modo totalitatis, non poſſet dici communicabilis, nec poſſent in illa ſic ſumpta multiplicari perſonalitates. Verumtamen natura diuina non ita ſe habet, nec habere poteſt. Certum enim eſt ex reuelatione, ipſam pluribus communicabilem eſſe perſonis, nec poſſe exiſtere, niſi in actuali communicatione, & coniunctione cum aliquo; quod realiter indiſtinctum, entitas ſit virtualiter diſtincta, & formaliter relatiua. Illud verò ſubſiſtit ipſum vt quo, & facit ſeipſo naturam ſubſiſtere. Quare quemadmodum humanitas à Verbo aſſumpta dicitur aliquo modo ſubſiſtere, non in ſe, ſed in alio per alienam hypoſtaſin: ſic, & quidem formaliùs, ac magis propriè Diuinitas connaturaliter identificata non alienæ, ſed ſuæ hypoſtaſi triplici, tripliciter ſubſiſtit, non in alio, ſed in ſe per ipſam triplicem hypoſtaſin; & ab hac non per vnitionem, ſed per identitatem terminatur; ſicque fit triplex perſona. Indeque conſtat perſonæ nomen in diuinis ſonare ſubſtantiam indiuiduam, vt affectam proprietate, conditioneque σχετικῇ.

21. Vbi notandum eſt, quod quælibet ſeorſim hypoſtaſis diuina ſic facit cum natura vnam perſonam, vt tamen propterea non reddat ipſam naturā incommunicabilem abſolute. Nam dum hypoſtaſis Verbi terminat, ac ſuo modo ſuſtentat humanitatem, relinquit illam adhuc terminabilem, ac ſuſtentabilem vlteriùs per hypoſtaſin Patris, & Spiritus Sancti. Quo etiam modo Diuinitas ſuſtentata per vnam hypoſtaſin, putà Patris, non deſinit eſſe vlteriùs communicabilis aliis ſimul duabus hypoſtaſibus increatis. Qualem communicabilitatem omninò tollit hypoſtaſis ea, quæ creaturis eſt connaturalis. Nam hæc in ea totalitate conſiſtit, quæ perdatur hoc ipſo, quòd natura alicui alteri ſubſiſtentiæ vniatur. In aliquo tamen ſenſu incommunicabilitatem affert diuina omnis hypoſtaſis, & ſic ipſi conuenire poteſt ratio, ſeu definitio ſubſiſtentiæ in communi, quæ vt diximus *num.* 3. ex Boëtio, & aliis, reddit indiuiduam, ac incommunicabilem eam naturam, quam terminat. Nam quandoquidem diuina ipſa hypoſtaſis incommunicabilis eſt, hinc fit, vt cùm naturæ, ſeu diuinæ per connaturalem identitatem, ſeu humanæ per vnionem hypoſtaticam adiungitur, faciat vt natura quatenus terminata, ſeu ſumpta ſimul cum ſua hypoſtaſi, communicari nequeat vlteriori hypoſtaſi. Nam ſic hypoſtaſis hypoſtaſi communicaretur, & hypoſtaſis hypoſtaſin aſſumeret: licèt eadem naturā ſumpta abſolutè, & ſecundùm ſe, poſtquam vnam habet hypoſtaſin diuinam, alteri, & tertiæ diuinæ inſuper vniri poſſit. Plura de perſonis diuinis *in tract. de Trinit.* ad noſtrum nunc inſtitutum iſta ſufficiunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Explicatur accuratiùs, ac probatur modus, quo ſubſiſtentia diuina creatam impediuit in Chriſto ſubſiſtentiam.

1. CVM ex ſuperiore capite habeamus, ſubſiſtentiam, ſeu modum poſitiuum, in quo ratio ſuppoſiti creati conſiſtit, non aliud eſſe, quàm totalitatem, per quam ſubſtantia quædam indiuidua, & completa non pertinet ad aliud, ſed eſt ſeorſim ab omni alio, per ſe ſtans: manifeſtum eſt humanitatem Chriſti, quandoquidem per vnionem hypoſtaticam pertinet ad Verbum, & non eſt ſorſim ab omni alio, non habere ſuam propriam perſonalitatem, ac naturalem ſubſiſtentiam; quæ nimirum abſorpta eſt à totalitate ipſius Verbi, neque compoſſibilis eſt cum vnione hypoſtatica; quod iis quas ſubnecto authoritatibus, & magis probatum, & clariùs explicatum manebit. Scite Hugo Victorinus *opuſc. de Verbi incarnatione, collatione 2. Humana*, inquit, *natura in Chriſto perſona non fuit, quia per ſe non fuit. Perſona enim ſonat diſcretionem, & ſeparationem.* Cui conſentit quod anteà ſcripſerat Damaſcenus *in Logica, cap. 42. & 44.* his verbis: *Hypoſtaſis eſt ſubſtantia ſeparata. Domini humanitas, cùm per ſe, & ſeorſim, nec puncto temporis ſubſtiterit, non eſt hypoſtaſis, ſed enypoſtaton quoddam.* Theodorus Abucara, diſcipulus Damaſceni, inſiſtens eius veſtigiis *in dialogo 2. contra Acephalos, cap. 19.* ſic rem hanc explicat: *Aliud eſt hypoſtaſis, aliud enypoſtaton. Hypoſtaſis non eſt pars, ſed enypoſtaton eſt pars. Quamuis ergo aliquid ſit aliqua natura cum proprietatibus, ſi tamen pars eſt, enypoſtaton eſt, non hypoſtaſis. Petrus non eſt pars, eſt igitur hypoſtaſis: corpus autem Petri enypoſtaton eſt, non hypoſtaſis; quia eſt pars Petri, etſi corpus illud ſit aliqua natura cum proprietatibus ſuis.*

2. Clarè D. Thomas *in 3. diſt. 6. quaſt. 1. art. 2. ad 5. Ex hoc*, inquit, *quod compoſitum ex corpore, & anima rationali non adiungitur alteri, eſt perſona humana. Vnde ſi Verbum humanam naturam, quam aſſumpſit, deponeret; ex hoc ipſo illud coniunctum ex anima, & corpore Chriſti, eſſet perſona humana.* In Concilio Francofordienſi recitatur teſtimonium Paſchaſij Diaconi *in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, cuius verba ſunt: *In Chriſto Deo, & homine gemina eſt ſubſtantia, ſed non gemina perſona: quia perſona perſonam conſumere poteſt; ſubſtantia verò ſubſtantiam conſumere non poteſt: ſiquidem perſona res eſt iuris, ſubſtantia res naturæ: hoc eſt, ſubſtantia deſinit eſſe natura per aſſociationem, ita vt incipiat eſſe pars alicuius totius perfectionis, & deſinat eſſe totum ſeorſim exiſtens, quod pertinet ad aliquam excellentiam dignitatis.* Hæc ille.

3. Intelligitur ex ſuperioribus, ad hoc, vt perſonalitas creata in Chriſto impediatur, non aliud requiri præciſè, quàm vt fiat vnio hypoſtatica: hoc enim ipſo, quòd humanitas vnita eſt Verbo, eam ſibi Verbum vſurpat, & vindicat, quaſi aliquid ſuum; nec opus eſt, vt aliquam realitatem, quam multi fingunt, ſeu modum in ſe diſtinctum humanitas, quem alioquin habitura foret, amittat. Sanè D. Cyrillus *lib. 1. de recta fide ad Theodoſium*, ad hoc vt Chriſti humanitas fieret perſona humana, non aliud requirit, quàm *vt fieret ſeorſim, & à Diuinitate diſpeſceretur. Nemo poſt aſſumptionem*, inquit, *diuiſionem mihi fingat, neque Emanuelem in hominem ſeorſim, & in Deum rurſus ſeorſim diſpeſcens, duas perſonas affirmet.* Idem etiam ad Monachos Ægypti ſic ſcribit: *Si quis eum, quem ſacra Virgo peperit, arbitratur ſolum (hoc eſt, propria ſubſiſtentem hypoſtaſi) vnctum, & ſanctificatum, anathema ſit.* Vbi hic Pater pro eodem ponit, eum quem Virgo peperit, eſſe ſolum (hoc eſt, non vnitum Verbo) & eſſe ſubſiſtentem creatâ ſubſiſtentiâ. Cùm ergo ſubſiſtentia in eo præciſè ſubſiſtat, quòd natura à nullo aſſumpta ſibi relinquatur, ſibi ipſa ſufficiat, ſeque ipſam velut poſſideat; non eſt opus vllam iacturam realitatis diſtinctæ interuenire, vt dicatur natura perdere propriam ſubſiſtentiam, ſed ſufficit præciſè, quòd vniatur, & ſeorſim eſſe deſinat.

4. Obiicies. Neſtorius ideò perſonam humanam ponebat in Chriſto, quòd diceret non deeſſe humanæ illius naturæ formam, vel rem vllam, quæ ſit naturaliter in aliis omnibus hominibus. Atqui nos idem dicimus, cùm volumus ſubſiſtentiam non eſſe aliud, quàm eſſe ſeorſim, & non eſſe naturam alicui alteri coniunctam. In quo ſenſu non negauiſſet Neſtorius deeſſe ſubſiſtentiam humanam in Chriſto; cùm fateretur naturam eius humanam coniunctam eſſe Diuinitati. Confirmatur. Nos enim ſubſiſtentiam videmur velle eſſe quid duntaxat negatiuum, ſcilicet negationem coniunctionis eius, quæ naturam impediat, ne ſit ſola, & ſeorſim. Vnde ſequitur, nos reddere ridiculam definitionem Eccleſiæ, quaſi oportuerit ex toto orbe Epiſcopos conuenire, vt poſt magnam contentionem definirent, non eſſe negationem coniunctionis cum Verbo in ea natura, quæ coniuncta cum Verbo eſſet. Reſpondeo. Neſtorius ideò ponebat in Chriſto perſonam humanam, quia negabat in illo vnionem phyſicam, & verè hypoſtaticam humanitatis cum Verbo; defectu cuius vnionis conſequens erat, vt humanitas maneret ſeorſim ab omni alio, & eſſet aliquod totum cum ſua creata hypoſtaſi, quam Neſtorius non tollebat per eam imperfectam, quam in Chriſto fingebat, vnionem. Conuenerunt verò œcumenica Concilia, non vt definirent, non eſſe negationem vnionis in natura, quæ coniuncta Verbo ſupponeretur; ſed vt definirent, talem de facto reperiri duarum naturarum in Chriſto vnionem, quæ phyſica, & hypoſtatica eſſet; & quâ ſuppoſita fieret humanitatem non eſſe ſeorſim, atque adeò carere illo modo totalitatis, qui eſt ſubſiſtentia.

Quomodo perſona Chriſti ſit ſimplex, nec compoſita.

5. DEnique ſupereſt hìc valde notanda quæſtio, quomodo perſonalitas in Chriſto ſe teneat ex parte ſolius Verbi. Dicendum enim eſt, Perſonam Chriſti duas naturas habentis, non eſſe vllatenus perſonam compoſitam, ſed hypoſtaſin diuinam, ſe habentem planè eodem modo, quo antequàm vniretur. Neque aliter recipere humanitatem, quàm vt ſubſtantia recipit aliquod accidens. Explicatur. Si baculus trium pedum vniatur alteri totidem pedum, ita vt fiat vnus totalis baculus ſex pedum, amittitur prior illa duplex ſubſiſtentia, ſiue duplex totalitas, quæ erat in duobus illis baculis, & exurgit vna totalitas, ſeu ſubſiſtentia duplo maioris baculi. Tunc autem clarum eſt, hanc totalitatem, ſeu ſubſiſtentiam eſſe quid compoſitum ex duobus partialibus baculis, qui priorem ſubſiſtentiam, quam habebant, amiſerunt quando inceperunt fieri parte.

baculi

Digitized by Google

baculi duplo maioris: & quilibet illorum baculorum concurrit ad nouam eam ſubſiſtentiam, quæ eſt totalitas compoſita. Eodem modo ex materia, & forma, vtpote concurrentibus ad compoſitum, quod ſit totum, atque ſui iuris, fit ſubſiſtentia, ſeu totalitas compoſita ex partibus, quæ licèt non poſſint dici quælibet ſeorſim partiales totalitates (partiali enim, quà tali, repugnat vt denominetur totale) componunt tamen ipſam totalitatem; quatenus ratio totius ita ab illis dependet, vt ſi aliqua earum dematur, pereat totum: quod, quamuis ſit compoſitum, tamen ſub denominatione totius conſiſtit in indiuiſibili. Dico autem non eſſe talem totalitatem, ſiue eo modo compoſitam ſubſiſtentiam in Chriſto: in quo nimirum ita vniuntur duæ naturæ, diuina, & humana; vt diuina ſeruet ſuam illam ſimplicem, & omnis compoſitionis expertem ſubſiſtentiam, quam habebat anteà; neque vlla noua exurgat totalitas, quæ ex vtraque illa natura componatur. Integra enim, ſolidaque totalitas ſe tenet ex parte Verbi; quemadmodum accidens, cùm vnitur ſubſtantiæ, non facit nouam cum ea ſubſiſtentiam, ſed ad præcedentem illius ſubſiſtentiam, totalitatemque trahitur, & ad eandem ſolam pertinet. Quare à Philoſophis non dicitur eſſe ens, ſed ens entis.

6. Verùm audiamus D. Thomam *in compendio Theologiæ, cap.* 211. Diuinitas, inquit, non aduenit animæ, & corpori per modum formæ, neque per modum partis; hoc enim eſt contra rationem diuinæ perfectionis. Vnde ex Diuinitate, & anima, & corpore non conſtituitur vna natura, ſed ipſa natura diuina integra, & pura exiſtens, ſibi modo incomprehenſibili humanam naturam aſſumpſit; quod ex infinita eius virtute proceſſit. Videmus enim quòd quantò aliquod agens eſt maioris virtutis, tantò magis ſibi applicat aliquod inſtrumentum ad aliquod opus perficiendum. Quia natura diuina eſt aliquid integrum, quod ſibi aſſumpſit per ineffabilem vnionem humanam naturam, perſona ſe tenet ex parte diuinæ naturæ; anima verò & corpus trahuntur ad perſonalitatem perſonæ diuinæ, vt ſit perſona Filij Dei, ſicut etiam perſona filij hominis. Poteſt autem huiuſmodi exemplum aliquale in creaturis inueniri: ſubiectum enim, & accidens non ſic vniuntur, vt ex iis aliquod tertium conſtituatur. Vnde ſubiectum in tali vnione non ſe habet vt pars, ſed eſt integrum quoddam, quod eſt perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum; accidens autem trahitur ad perſonalitatem ſubiecti, vt ſit perſona eadem hominis, & albi. Sic igitur ſecundùm ſimilitudinem quandam, perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum Filij Dei, eſt perſona, hypoſtaſis, & ſuppoſitum humanæ naturæ in Chriſto. Patet ex præmiſſis, quòd in Chriſto non eſt alia perſona, niſi æterna Filij Dei. Vnde cùm dicitur, hic homo, demonſtrato Chriſto, importatur ſuppoſitum æternum. Nec tamen propter hoc æquiuocè dicitur hoc nomen, *homo*, de Chriſto, & aliis hominibus: æquiuocatio enim non attenditur ſecundùm diuerſitatem ſuppoſitionis, ſed ſecundùm diuerſitatem ſignificationis. Nomen autem homo, attributum Petro, & Chriſto idem ſignificat, ſcilicet naturam humanam, ſed non idem ſupponit, quia hîc ſupponit ſuppoſitum æternum Filij Dei, ibi autem ſuppoſitum creatum. Quia verò de vnoquoque ſuppoſito alicuius naturæ poſſunt dici ea, quæ competunt illi naturæ, cuius eſt ſuppoſitum; idem autem eſt ſuppoſitum in Chriſto diuinæ, & humanæ naturæ; manifeſtum eſt, quòd de hoc ſuppoſito vtriuſque naturæ, ſiue ſupponatur per nomen ſignificans diuinam naturam, ſiue per nomen ſignificans naturam humanam, poſſunt dici indifferenter, & quæ ſunt diuinæ, & quæ ſunt humanæ naturæ: vtpotè, ſi dicamus, quòd Filius Dei eſt æternus, & quòd Filius Dei eſt natus ex Virgine. Similiter dicere poſſumus, quod hic homo eſt Deus, & creauit ſtellas, & eſt natus, mortuus, & ſepultus. Eſt tamen diſcernendum, ſecundùm quid vtrumque dicatur: quia diuina dicuntur de Chriſto ſecundùm diuinam naturam, humana verò ſecundùm humanam. Hactenus Sanctus Thomas optimè, ita vt nihil dici poſſit meliùs.

7. Circa eam comparationem, quam adduximus accidentis vniti ſubſtantiæ, & humanitatis vnitæ Verbo; quatenus nec accidens cum ſubſtantia, nec humanitas cum Verbo facit compoſitam ſubſtantiam, notandum eſt, hanc intercedere differentiam, quòd accidens ſit aliqua ſubſtantiæ perfectio, & cum ipſa faciat aliquod compoſitum (quod non eſt ſubſtantia compoſita) perfectius, quàm ſit ea ſola. At verò humanitas vnita Verbo, ipſum nullatenus perficiat; imò in proprietate rigoroſa, cum eo non faciat vllum compoſitum. Repugnat enim infinitati Verbi perfici, aut eſſe partem componentem propria, & vera compoſitione.

8. Quare humanitas, licet verè maneat integra, tamen quoad hoc quod iam dixi, ſic ſe habet coram Verbo, quaſi non appareret. *Ex quo enim totus ſplendor diuinitatis ſe infudit* (vt loquitur Hugo Victor. *quæſt.7. apologia de Verbo incarnato*) *lucerna humanitatis, minus lumen cedit maiori.* Et humanitas quamquam diſtincta perſeueret à Diuinitate, ſic tamen deſinit ſua eſſe, & per vnionem, quæ mirabiliter æquiualeat quodammodo identitati, ſic poſſidetur à Verbo, vt cenſeatur aliquid illius; & ob eam incomprehenſam velut inſitionem, eadem ferè ratione dici poſſit eſſe natura Verbi, quà dicimus naturam Petri, eſſe naturam ipſius Petri. Et vt Verbum ab æterno, (inquit Sanctus Thomas *cap.6. opuſc. contra Græcos*, &c.) habet naturam diuinam à Patre, ſic ex tempore per aſſumptionem ineffabilem habet naturam humanam à genere noſtro. Et ſic quælibet partes humanæ naturæ, ipſius Filij Dei dici poſſunt. Nec inconuenienter dicimus, animam, & corpus Filij Dei; ſed & oculos, & manus: & quòd Filius Dei corporaliter videat, audiat, &c. per oculi ſui viſionem, per ſuæ auris auditum, &c. Ita quidquid patiebatur quælibet pars naturæ humanæ in Filio Dei, poterat huic tribui: atque inde naſcebatur valor, quà meriti, quà ſatisfactionis infinitus.

CAPVT III.

An ſola Filij Perſona, & ſecundùm quam ſui rationem aſſumpſerit humanitatem.

1. NOTANDVM eſt ex Tractatu de Trinitate, reperiri in Deo vnam naturam, ſeu abſolutam ſubſtantiam, quæ identificetur realiter tribus inter ſe diſtinctis ſubſtantiis relatiuis, ſiue ſubſiſtentiis conſtituentibus tres perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: quarum perſonarum vnaquæque participat eandem cum aliis duabus naturam, at non eandem ſubſiſtentiam, niſi eminenter ratione naturæ omnibus communis. Quamuis enim perfectiones ſubſiſtentiarum relatiuæ incompoſſibiles

Digitized by Google

les ſint inter ſe immediatè quoad ſuum eſſe formale, non tamen quoad eminentiale. Sunt verò nonnulli Theologi, qui exiſtiment naturam diuinam præter tres ſubſiſtentias relatiuas prædictas, quæ poſſunt propriè vocari perſonalitates, habere in priori rationis ſubſiſtentiam aliquam abſolutam, & communem omnibus perſonis: quæ cum non ſit vltima naturæ clauſula, ſed per vlteriorem adhuc terminum, hoc eſt, per ſubſiſtentiam relatiuam, claudatur, non debeat propriè appellari perſonalitas.

2. Concluſio prima. Sola Filij perſona fuit incarnata, nullo autem modo perſona Patris, aut Spiritus ſancti. Eſt dogma Fidei contra Sabellium, qui voluit totam Trinitatem fuiſſe incarnatam, & paſſam; vnde illius diſcipuli vocati ſunt Patropaſſiani. Hic hæreticus, vt habetur ex Auguſtino *lib. de hæreſibus, hæreſi 36. & 41.* non diſtinguebat re, ſed tantùm officio, & nomine perſonas in Trinitate. Volebat enim, vnam, & eandem perſonam ſecundùm diuerſa officia, & exercitia vocari iam Patrem, iam Filium, iam Spiritum ſanctum. Quo poſito fundamento, vt loqueretur conſequenter, aſſerebat perſonam eam, quæ realiter ſumpta non ſolus eſſet Filius, fuiſſe incarnatam. Sed vt iam initio notaui, & ſuppono ex Tractatu de Trinitate, falſum eſt Sabellij fundamentum. Scriptura porrò nunquā aſſerit primam, aut tertiam perſonam humanatam eſſe; id autem paſſim effatur de ſecunda, vt cùm dicitur *Ioan. 1. Verbum caro factum eſt:* & infinitis aliis locis. Atque Filius ex eo, quòd ſe dicat in Euangelio minorem Patre, ſatis oſtendit, Patrem non fuiſſe incarnatum, nec eam habere naturam, ſecundùm quam ipſe eſt illo inferior, alioquin æquales ambo eſſent. Et quemadmodum Pater, quà Deus, maior eſſet Filio, quà homine; ſic etiam idemet ipſe hoc eodem, quà Deo, dici deberet minor, quà homo. Definita eſt iſta concluſio à multis Conciliis, Chalced. *act. 5.* Synodo V. *collat. 8.* Lateranenſi I. ſub Martino *conſult. 5. can. 4. & 10.* altero Lateran. ſub Innocentio III. & habetur *cap. Firmiter, de ſumma Trinit.* Synodo item VI. *act. 4.* Concilio Toletano VI. & XI. *in confeſſione fidei*; item Concilio Rhemenſi.

3. Quæres cur ſecunda perſona præ aliis duabus perſonis humanitatem aſſumpſerit. Reſpondeo ſolidā huius rei rationem deſumendam eſſe ex Dei libertate, altiſſimoque, ac ſecreto conſilio. Conuenientiæ tamen deſumi poſſunt ex variis capitibus, & plures affert Diuus Thomas *q. 3. art. 8.* quarum aliquæ ſumuntur ex parte vnitorum, vna ex fine vnionis, vna item ex peccato primi parentis. Præter quas & aliæ excogitari poſſunt. Prima v.g. quoniam ſimilium eſt vniri: Atqui ſecunda perſona, cùm ſit Verbum intellectus diuini, habet ſpecialem rationem ſimilitudinis exemplaris. Secunda conuenientia eſſe poteſt, quia opera artis reformantur per eandem ideam, & artem, per quam fuere formata: ſecundæ autem perſonæ Trinitatis ſingulariter ineſt ratio ideæ, & artis, per quam omnia facta ſunt, quemadmodum habetur *Ioan. 1.* Tertia conuenientia: quoniam ſapientia eſt propria hominis perfectio: Atqui ſecunda perſona eſt ſpecialiter Sapientia: debuit ergo hominem perficere aſſumendo humanitatem. Quarta conuenientia eſt, quoniam vnio fiebat ad conſtituendos homines filios Dei; idcircò Filio ſingulariter debebatur hæc vnio. Quinta: primus parens, in cuius medelam facta eſt incarnatio, receſſerat à Deo propter inordinatam ſciendi, & ſimilitudinis cum Deo cupiditatem: debebat ergo reduci per Verbum, ſiue per ſcientiam, ſapientiam, & imaginem incarnatam Patris. Afferri ſextò poteſt & hæc conueniens ratio, quòd natura humana fuerit aſſumpta per generationem, & natiuitatem in vtero matris; decebat ergo, vt hæc aſſumptio fieret à Filio, cuius eſt proprium generari, & naſci in diuinis. Septimò cùm videretur propriè non conuenire Patri incarnatio ob maieſtatem primæ originis, authoritatemque perſonalem, quæ in eo erga alias perſonas elucet, videbatur proximum eſſe, vt ſecunda perſona incarnaretur: Sapientiæ enim diuinæ proprium eſt creaturas regere. Denique Filij perſona in Trinitate eſt media inter alias duas: illi ergo conueniebat, vt per incarnationem mediaret inter Deum, & homines. Adde quod Filij eſt vlciſci Patris offenſas, & pro iis ſatisfactionem curare, &c.

4. Concluſio ſecunda. Verbum fuit immediatè vnitum non ſecundùm rationem abſolutam naturæ diuinæ, ſed ſecundùm rationem relatiuam perſonalitatis, quà realiter ab aliis perſonis diſtinguitur. Veritas concluſionis clara eſt. Nam alioqui primò hæc vnio, ſi terminaretur ad naturam diuinam, non foret hypoſtatica. Secūdò quamuis propterea addas, vnionem terminari etiam ad perſonalitatem, non effugies, quin cum ſecunda perſona Filij, incarnatæ etiam ſint aliæ duæ perſonæ, ad quas indiuiſim ipſa natura, omneſque abſolutæ perfectiones pertinent. Nec dicas naturam diuinam vniri immediatè, non ſecundùm ſuam totam amplitudinem, ſed vt determinatam, & reſtrictam per proprietatem, ſeu ſubſiſtentiam Verbi in ſuppoſitione, vt Logici vocant, perſonali; non autem in ſuppoſitione communi: quemadmodum aliqui aſſerunt in Tractatu de Trinitate, naturam diuinam, ſeu intellectionem eſſentialem, principium eſſe generationis diuinæ, non ſecundùm ſe, ſed vt determinatam proprietate perſonali. Ne, inquam, hoc. Nam quid ſit de principio generationis diuinæ (quod nego aliud eſſe, quàm proprietatem perſonalem) non poteſt extra Trinitatem quicquam conuenire naturæ, prout ſpecialiter ad vnam perſonam determinatæ, ac reſtrictæ; ſed quidquid conuenit ad extra naturæ, perſonis indiuiſim conuenit omnibus. Alioquin eodem modo, eademque facilitate quis defendere poſſet, non repugnare, quin omnipotentia creatrix, mundum, & vniuerſa quæ in eo ſunt, condiderit, prout ad Patrem ſolum pertinens.

5. Vnde pariter Franciſcus Victoria, & Dominicus Soto refutantur, citati à Vaſque *diſputat. 26. cap. 2.* qui (nullam agnoſcentes in Trinitate ſubſiſtentiam relatiuam) voluerunt vnionem hypoſtaticam factam eſſe immediatè in ſubſiſtentia eſſentiali, & abſolutâ, non ſecundùm ſe, & latiſſimè ſumptâ, ſed vt reſtrictâ, & determinatâ per proprietatem relatiuam Verbi. Refutatur etiam eadem operâ Durandus, qui *in 3. diſt. 2.* affirmat, Verbum fuiſſe humanitati vnitum primariò ſecundùm prædictam ſubſiſtentiam eſſentialem, & abſolutam diuinæ naturæ. Vnde fatetur vnionem factam eſſe per ſe primò ad Deitatem, ſiue hunc Deum, vt ſic; additque nullam diuinam Perſonam vi huius vnionis incarnatam fuiſſe. Nam quemadmodum paternitas, verbi gratiâ, licèt vniatur, ſeu identificetur ſubſiſtentiæ illi abſolutæ, non ſequitur quod ſit vnita perſonaliter filiationi; ita non ſequitur, quòd humanitas perſonaliter ſit vnita paternitati, filiationi, vel ſpirationi paſſiuæ, licèt vniatur ſubſiſtentiæ abſolutæ prædictæ. Quia ergo per talem vnionem nulla perſona hypoſtaticè vnitur, introducit inſuper Durandus aliam ſecundariam vnionem cum Verbi proprietate relatiua.

6. Sed primùm nego Durando, ſubſiſtentiam vllam

Digitized by Google

vllam in Trinitate dari eſſentialem, abſolutam, & communem tribus perſonis. Deinde, quicquid verbis ipſe dicat, negare non poteſt, quin vi primariæ illius vnionis, quam vult terminari ad Deitatis ſubſiſtentiam eſſentialem, ſeu ad hunc Deum, hic Deus ſit verè incarnatus, & factus homo. Quòd ſi hic Deus abſolutè ſumptus, vi talis vnionis factus ſit homo: Ergo Pater, & Spiritus ſanctus. Nam Pater, & Spiritus ſanctus eſt hic Deus, & quicquid conuenit huic Deo abſolutè ſumpto, conuenit Patri & Spiritui ſancto, vt patet exemplo creationis; quæ, quia conuenit Deo vt Deo, Patrem ipſum, & Spiritum ſanctum denominat ſimpliciter. Nam rectè dicimus, Pater creat, Spiritus ſanctus creat. Ergo ſi Durandus fatetur incarnationem conuenire Deo vt Deo abſolutè ſumpto, fateri debet Patrem, & Spiritum ſanctum denominandum eſſe incarnatum. Nec ſimile eſt quod addebat de paternitate, quæ vnita, ſeu identificata ſubſiſtentiæ eſſentiali, & huic Deo, non tamen vnitur hypoſtaticè filiationi, nec dat Patri denominationem Filij: nam paternitas dici non poteſt vniri ſubſiſtentiæ, ſeu huic Deo ſimpliciter, & abſolutè, latiſſiméque ſumpto, ſed tantùm inadæquatè; hunc enim per ſuam vnionem, ſeu identificationem formaliter ipſa reſtringit. At verò in præſenti vult Durandus, vnionem hypoſtaticam fieri cum ſubſiſtentia eſſentiali latiſſimè, & velut vniuerſaliter ſumpta, & cum hoc Deo ſumpto in ſuppoſitione communi. Quod patet, quia proptereà introducit aliam ſecundariam vnionem, quæ incarnationem determinet ad perſonam Verbi. Quare in opinione huius authoris humanitas vnita ſubſiſtentiæ illi eſſentiali diuinæ, eſt tam communis perſonis diuinis, ac ipſa ſubſiſtentia; & eam quodam modo ſequi debet. Eſt item tam communis, ac ipſa Deitas, cum qua ſubſiſtit; & per conſequens non minùs latè patet hic homo, quàm hic Deus. Atqui & ſubſiſtentia illa, & Deitas, & hic Deus ſunt aliquid commune Patri, Filio, & Spiritui ſancto: Ergo & ſecundùm Durandi doctrinam; humanitas, ſeu hic homo. Vide Suarem ſuperiùs citatum.

7. Non meliùs quàm Durandus cenſuerunt aliqui Thomiſtæ, aſſerentes, contra concluſionem noſtram, Verbum fuiſſe vnitum humanitati ſecundùm rationem abſolutam exiſtentiæ diuinæ: hi enim vitare non poſſunt, quin omnes ad perſonas Trinitatis terminetur hypoſtatica vnio. Imò explicare non poſſunt (in quo ſuperant abſurditate Durandum) quomodo ſit hypoſtatica; hoc eſt, ſecundùm perſonam, & non ſecundùm naturam. Adde iſtos ſupponere aſſumptam humanitatem exiſtere per exiſtentiam illam increatam, quo nihil dici poteſt abſurdius.

8. Non etiam audiendi ſunt Okam, Gab. Gregorius, à Suare citati, dum aſſerunt vnitum fuiſſe humanitati Verbum ratione ſui totaliter, & indiuiſibiliter conſiderati. Capere enim non poſſunt, quomodò vnio fieri potuerit præcisè ſecundùm perſonalitatem relatiuam, & non ſecundùm rationes abſolutas naturæ diuinæ; cùm perſonalitas, & natura ſint aliquid ſimpliciſſimum, & indiſtinctum. Vt his Authoribus ſatisfiat, notandum eſt, naturam diuinam, & perſonalitatem Verbi, quamuis re ſint idem, diſtingui virtualiter realiter à ſe inuicem. Nam Verbi perſonalitas verè, & realiter alicui repugnat, nimirum perſonalitati Patris, & Spiritus ſancti; cui tamen natura non repugnat. Item perſonalitas Verbi conſtituit ſecundam perſonam, vt diſtinctam ab aliis duabus, non autem natura. Præterea perſonalitas non poteſt exiſtere principium creandi, poteſt autem natura. Quo poſito facilè intelligitur contra prædictos Authores, potuiſſe humanitatem perſonalitati immediatè vniri, abſque eo quod talis vnio naturam diuinam, vt ſic, attigerit.

9. Concluſio tertia. Vnio humanitatis cum hypoſtaſi, & ratione relatiua Verbi, non eſt immediatè cum omnibus virtualibus perfectionis gradibus, qui in illa hypoſtaſi reperiuntur. Hæc concluſio facit ad maiorem præcedentis concluſionis intelligentiam. Reperiuntur Theologi, qui putent non repugnare naturam finitam vniri immediatè Verbo ſecundùm omnem latitudinem infinitam perfectionum, quæ in illo ſiue ratione diuinæ naturæ, ſiue ratione hypoſtaſeos inueniuntur. Quia vnio humanitatis cum Verbo non conſiſtit, inquiunt, in aliquo vſu, quem exerceat ipſa humanitas velut actiuè, ſed in eo conſiſtit ſolùm, quòd paſſiuè aſſumatur à Verbo; ita vt in ea non ſit aliud vniri, quàm aſſumi. Conſtat autem virtutem infinitam, habentem infinitos gradus perfectionis, poſſe aſſumere, ſibique vindicare rem finitam, & actiuum aliquod exercitium habere circa rem leuiſſimam. Ita potentia diuina vim infinitam exercet in creatione culicis. Confirmant ſuam ſententiam, quia niſi humanitas immediatè vniretur omnibus virtualibus gradibus hypoſtaſeos Verbi, imò & Diuinitatis totius; non poſſet verè dici in humanitate Chriſti habitare plenitudo Diuinitatis, & incarnata fuiſſe Diuinitas, ac tota adæquatè hypoſtaſis.

10. Sed meliùs dicendum eſt, humanitatem vniri immediatè hypoſtaſi infinitæ Verbi modo tantùm finito, nec pluſquam ferat capacitas eius obedientialis. Probatur, quia verum non eſt fundamentum contrariæ ſententiæ, nempe vnionem non importare in humanitate aliud, quàm aſſumi paſſiuè quocumque modo. Sic enim aſſumitur, vt verè, & intrinſecè modificetur, & modum vnionis hypoſtaticæ valde perfectiuæ in ſe recipiat. Qui modus eò perfectior eſt, quò terminatur ad plura: atque adeò illum infinitè perfectum eſſe oportet, ſi ad infinitos perfectionis diuinæ gradus virtuales terminetur. Impoſſibile autem eſt, vt humanitas, vel vlla natura finita modum talem recipiat, qui ſit infinitæ perfectionis. Quomodo negant Theologi, viſionem beatificam terminari poſſe ad omnes Dei perfectiones virtualiter inter ſe diſtinctas. Non etiam verum eſt, quòd non poſſit dici plenitudinem Diuinitatis in Chriſto homine habitare, Diuinitatem eſſe incarnatam, actiones Chriſti habere dignitatem infinitam, &c. niſi humanitas vniatur immediatè omnibus omnium diuinarum perfectionum gradibus ratione diſtinctis. Satis enim eſt, ſi aliquibus immediatè vnita, vniatur cæteris identicè, & mediatè; præſertim cùm illa mediatio ſit tantùm rationis. Imò videmus in phyſicis, vbi mediatio realis eſt, vt aliqua propriè, & abſolutè dicantur vniri, ſufficere vnionem mediatam inter partes realiter diſtinctas. Nam in continuo partes ſunt inter ſe omnes verè, ac propriè vnitæ; cùm omnes componant ipſum continuum: non enim aliter fit ea compoſitio, quàm per vnionem compartium. Eodem modo clarum eſt, animam ſecundùm gradum rationalem vniri mediatè corpori in eorum abſurda opinione, qui volunt illam vniri immediatè ſecundùm gradum ſolum vegetatiuum, & ſenſitiuum. Obiicies. Si ex eo quòd tota diuinitas, & gradus omnes virtuales hypoſtaſeos Verbi identificentur cum iis gradibus, quibus immediatè vnitur humanitas, dicere poſſimus illos gradus, & totam Diuinitatem vniri mediatè humanitati: Ergo poterimus dicere Diuinitatem generare mediatè

mediatè, vtpote identificatam paternitati: item ipſam paternitatem vniri mediatè humanitati, & eſſe incarnatam. Reſpondeo, harum obiectionum duarum ſolutio habetur infrà; prioris quidem *num.* 14. & 15. alterius autem *num.* 17.

11. Concluſio quarta. Non obſtantibus ſuperioribus concluſionibus aſſerendum eſt, naturam diuinam fuiſſe verè, ac realiter vnitam humanitati in perſona Verbi. Hæc concluſio eſt de fide, & paſſim tum Concilia, tum Patres loquuntur de duabus naturis Chriſti, quaſi de duobus extremis vnionis hypoſtaticæ, dicuntque illas vnitas fuiſſe in perſonalitate Verbi. Scriptura verò ſacra teſtatur, non ſolùm perſonam Verbi, ſed etiam Diuinitatem ipſam fuiſſe communicatam Chriſto. Vt quando Paulus ait *Coloſſ.2. In quo* (Chriſto) *habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Et 2. *Cor.*5. *Erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Probatur ratione. Cùm enim Diuinitas includatur identicè, vt docet fides, in perſonalitate Verbi, fieri non potuit, vt perſonalitas humanitati vniretur, quin diuinitas ſimul maneret vnita identicè, ſecundariò, mediatè, & conſequenter. Atque hoc clarum eſt. Obiectiones contra hanc concluſionem ſoluuntur inferiùs, & ex iis res hæc magis patebit.

Soluuntur obiectiones contra ſuperiorum concluſionum doctrinam.

Contra primam, & ſecundam concluſionem obiicitur, perſonam Patris, & Spiritus Sancti non minùs contuliſſe ad incarnationem, quàm perſonam Filij. Eſt enim incarnatio opus ad extra; atque adeò debet pertinere formaliter, & immediatè ad naturam diuinam, & per conſequens ad tres ipſas perſonas. Vnde fit primam, & ſecundam noſtram concluſionem falſam eſſe. Reſpondeo, in vnione hypoſtatica debere conſiderari duas eius dependentias. Vnam quidem, quâ dependet à cauſa efficiente, quæ propterea dicitur vnire, & incarnare: alteram autem, quâ dependet ab extremo terminante, quod propterea dicitur vniri, & incarnari. Atque ſecundùm priorem dependentiam, aſſerendum eſt, vnionem hypoſtaticam pertinere indiuiſim ad totam Trinitatem, ſeu ad naturam diuinam in tribus perſonis ſubſiſtentem: operata enim eſt effectiuè per communem omnipotentiam tota Trinitas hoc myſterium. At verò ſecundùm alteram dependentiam, quæ conſiſtit in terminatione extremi vniti, negandum eſt hanc vnionem pertinere poſſe ad aliam perſonam, quàm Verbi. Quapropter, vt omnium perſonarum Trinitatis fuit incarnare, & vnire; ita ſolius Verbi fuit incarnari, & vniri.

13. Vrgebis. Non videtur maior ratio, cur dependentia, quâ vnio hypoſtatica dependet à cauſa efficiente, pertineat ad omnes Trinitatis perſonas, quàm altera illa dependentia, quâ dependet ab extremo terminante. Etenim terminare vnionem hypoſtaticam non minùs videtur eſſe exercitium ad extra, quàm eandem producere, ſeu efficere. Reſpondeo magnum eſſe diſcrimen inter illud poſitiuum quaſi exercitium, quo ens increatum vnionem hypoſtaticam terminat, & illud, quo eam producit: hæc enim exercitia ſunt à principiis valde diuerſis. Nam terminari debet vnio, ſi hypoſtatica eſt, à ſubſiſtentia aliqua; effici verò, ſeu produci non poteſt, niſi ab omnipotentia exequutiua. Cùm igitur nulla ſubſiſtentia, vt ſuppono, ſit abſoluta, & communis omni Trinitati; è contra verò omnipotentia ſit abſoluta, & communis, dicendum eſt, exercitium terminandi hypoſtaticam vnionem non eſſe communicabile omnibus perſonis, communicabile autem eſſe exercitium eam producendi. Nam exercitium imitatur ſuum principium. Sed cur, inquies, poſſunt ſubſiſtentiæ diuinæ relatiuæ terminare vnionem, & habere extra Trinitatem hoc paſſiuum exercitium tale, vt non ſit commune omnibus perſonis. Reſpondeo, ſi vllum exercitium habet aliqua ſubſiſtentia relatiua vitalis, oportet neceſſariò illud non eſſe communicabile omnibus perſonis, quemadmodum ipſa non eſt communicabilis. Poſſunt autem omnes ſubſiſtentiæ relatiuæ habere exercitium terminandi naturas quaſlibet; quia ex ſua ratione ſunt baſes, & quidam termini naturæ diuinæ, infinitam, ac redundantem habentes virtutem ſuſtentatiuam, ac terminatiuam; quæ virtus non poteſt exequutioni mandari extra Trinitatem, niſi in ſeipſis ſubſiſtentiæ huiuſmodi attingantur per hypoſtaticam aliquam vnionem. Patet autem hunc contactum ſubſiſtentiarum in ſeipſis pertinere ad perſonas ſeorſim, & incommunicabiliter. Vnde vides, quamuis omnes operationes, ſeu effectiones ad extra ſint communes omnibus perſonis, vtpotè exeuntes à communi principio, nempe ab omnipotentia: non tamen verum eſſe vniuerſaliſſimè, omnia diuina exercitia ad extra, eſſe communia omnibus perſonis. Poteſt enim eſſe paſſiuum aliquod exercitium ad extra (nempe terminandi hypoſtaticè naturas creatas) quod pertineat ad principium non commune. Falſum item eſt, quod aliqui, vt doctrinam iam traditam impugnent, aſſerunt perſonalitatem Verbi ſeorſim ab aliis perſonalitatibus, & à Diuinitate integra non poſſe terminare viſionem: poteſt enim (vt ſuppono ex prima parte) cognoſci per viſionem, aliis ſolùm abſtractiuè cognitis. Et quamuis non poſſet terminare viſionem ſeorſim, non tamen ſequeretur, quòd non poſſit vnionē hypoſtaticā. Maior enim eſſe poteſt rerum, præſertim relatiuarum, connexio in cognoſci, quàm in vniri.

14. Contra quartam concluſionem, quæ naturam diuinam aſſerit vniri mediatè, ac per mediatam huiuſmodi vnionem explicat Sanctos Patres, abſolutè pronuntiantes, quòd Diuinitas vnita ſit humanitati; obiici poteſt ex myſterio Trinitatis, naturam per ſe ſumptam non dici generare, vel generari, ne quidem mediatè, ac multò minùs ſimpliciter, & abſolutè. Dicendum tamen foret contrarium, ſi ſuppoſita veritate noſtræ concluſionis ſecundæ, aſſerentis ſolam Verbi perſonalitatem vniri humanitati immediatè; vera eſſet item quarta concluſio, aſſerens naturam diuinam humanitati eſſe vnitam ſmmediatè. Dicendum, inquam, foret Diuinitatem ipſam provt à proprietatibus contradiſtinctam, generare, ac generari mediatè. Non enim eſt maior ratio, quare natura diuina, ex eo quod cum perſonali proprietate, quæ humanitati vnita eſt, identificetur, dici debeat vniri mediatè, quàm ex eo quòd cum generante, ſeu generato identificetur, dici debeat generare, ſeu generari mediatè. Quod autem natura diuina nullo modo generet, vel generetur, definitum eſt à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & habetur *cap. Damnamus, de ſum. Trin.* his verbis: *Illa res* (eſſentia diuina) *non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater, qui generat; & Filius, qui generatur; & Spiritus Sanctus, qui procedit: vt diſtinctiones ſint in perſonis, & vnitas in natura.*

15. Reſpondeo, concedi ab omnibus Catholicis, quòd natura diuina verè ſit illa res ipſa, quæ formaliter generat, ac generatur, & quod per conſequens, verè dici poſſit eſſe identicè generans, itemque identicè generata: quemadmodum etiam dicitur eſſe illa ipſa

ipſa res identicè, quæ formaliter, ac immediatè vnitur humanitati. Nihilominus eam nego dici perinde poſſe mediatè generâtem, ſeu generatam, ac dicitur mediatè vnita. Inter denominationem enim mediatæ vnionis, ac denominationem mediatæ generationis eſt hîc aliquid diſcriminis. Nam ad hoc vt Diuinitas verè dicatur eſſe vnita mediatè, ſufficit eam eſſe vnitam identicè, hoc eſt, idem eſſe cum eo quod vnitur. Vt autem dicatur mediatè generare, vel generari, non ſufficit eam eſſe identicè generantem, vel generatam; hoc eſt, identificari cum generante, vel generato. Quod vt intelligatur, ego aduerto, nihil poſſe dici aut vniri, aut generare, ſiue generari mediatè, niſi & ipſum ſecundùm ſe immediatè vnionem aliquam habeat, aut generationem aliquam exerceat immediatè, terminetve. Exempli gratiâ, in hoc baculo primus palmus dicitur mediatam habere vnionem cum tertio palmo, quia vnitur immediatè palmo ſecundo, qui vnitus eſt ipſi tertio. Et Abraham dicitur mediatè generaſſe Iacobum, generatus autem eſſe mediatè à Nachore, quia immediatè & generauit ipſe Iſaacum Iacobi Patrem, & generatus eſt à Thare generato à Nachore. Vnde in noſtro præſenti negotio vides naturam diuinam poſſe quidem dici vnitam mediatè humanitati; cùm immediatè ipſa per identitatem vniatur, imò vnificetur perſonalitati Verbi, quæ ipſi humanitati immediatè vnitur: ſed non dici poſſe ipſam eandem naturam diuinam intra Trinitatem generare Filium mediatè, ſeu mediante proprietate Patris; cùm nequaquam ipſa immediatè generet proprietatem Patris, quæ Filium generat immediatè. Quo etiam modo dici ipſa non poteſt in Filio generari mediatè à Patre, cùm ipſa nullo modo generetur immediatè à Filio generato ex Patre. Sanè ſi quicquid identicè ad aliquod principium ſe habet, dici poſſet mediante tali principio operari, ſequeretur Dei & iuſtitiam mediatè miſereri, & voluntatem mediatè intelligere, &c. quod nemo non videt, quàm ſit abſurdum.

16. Contra eandem quartam concluſionem obiicitur item: Si natura diuina fuit verè vnita humanitati, ergo vera eſt iſta propoſitio; *Diuinitas fuit incarnata.* Quam tamen Damaſc. *lib.* 3. *fidei cap.* 11. negat his verbis; *Eodem modo quoque illud dictum eſt, quod Deus homo factus ſit, & homo Deus; at quod Diuinitas homo facta ſit, aut incarnata, aut humanitate ſe induerit, nuſquam audiuimus.* Quem ſequitur Nicetas *lib.* 3. *fidei orthod. cap.* 11. ſic dicens: *Errore non caret ſi naturam diuinam incarnatam eſſe dicamus, cùm Verbi hypoſtaſis dicenda ſit, ne omnes perſonæ incarnatæ dicantur.* Reſpondeo negari non poteſt, vt manifeſtè probat ratio allata pro tertia concluſione, quin mediatè natura diuina ſit vnita humanitati in Verbo, ac per conſequens in eodem incarnata. Quare Damaſcenus citatus, qui Diuinitatem abſolutè, & ſine addito dici incarnatam improbat, non id improbat cum addito; ſi nempe dicatur Diuinitas Verbi, aut in Verbo fuiſſe incarnata. Atque illa præcautio tanti Patris eſt prudentiſſima, foretque adhibenda, quando eſſet periculum (vt forte erat illius tempore) ne ſi natura diuina ſimpliciter pronunciaretur incarnata, videremur dicere, vt ſupra monuit Nicetas, omnes perſonas, ad quas ea pertinet, fuiſſe incarnatas: quando tamen non erit tale periculum, vt hoc tempore nullum eſt, poterit abſolutè dici natura diuina incarnata. Sicque paſſim loquuntur Sancti.

17. Obiicitur prætereà contra eandem concluſionem. Si natura diuina propter identitatem quam habet cum filij perſonalitate, denominari poteſt incarnata: Ergo & perſonalitates Patris, & Spiritus Sancti denominari poterunt incarnatæ, habent enim identitatem immediatam cum natura diuina, & mediatam cum perſonalitate Verbi. Reſpondeo negando conſequentiam; conſideranda enim eſt differentia, quam Sancti Patres in re præſenti ſufficere putauerunt, vt natura quidem diuina dici deberet incarnata; perſonalitates autem Patris, & Spiritus Sancti non deberent. Hæc verò differentia in eo conſiſtit, quòd perſonalitates Patris & Spiritus Sancti non habeant vllam immediatam identitatem realem cum ea ratione, ſecundùm quam formaliter humanitas vnitur Verbo, id eſt, cum ea perſonalitate, quæ primariò dicitur incarnata. At verò natura diuina talem habet cum huiuſmodi ratione, ſeu perſonalitate immediatam identitatem. Nec refert quòd prædictæ aliæ perſonalitates habeant identitatem immediatam cum natura ipſa diuina; id enim non ſufficit, vt dicantur incarnatæ: quandoquidem natura diuina non eſt ea ratio formalis, ſecundùm quam humanitas vnitur Verbo, nec vocatur incarnata niſi ſecundariò. Eſtque hîc aduertendum, quòd perſonalitates Patris & Spiritus Sancti non tantùm non habeant immediatam, qualem habet natura diuina, identitatem cum perſonalitate Filij, quæ primariò eſt incarnata; ſed etiam habeant immediatam cum ea oppoſitionem, atque adeò incapacitatem identitatis immediatæ. Quamuis autem iſtæ perſonalitates non poſſint dici incarnatæ ſecundùm iam dicta; fatendum tamen eſt, ens illud quod eſt perſonalitas Patris, & Spiritus Sancti, ſeu rem illam, quæ eſt Pater, & Spiritus Sanctus, fuiſſe incarnatam. Quemadmodum etſi nequeat dici Patrem eſſe Filium, & Spiritum Sanctum; bene tamen dicimus, ens illud quod eſt Pater, ſeu rem illam, quæ eſt Pater, eſſe Filium, & Spiritum Sanctum.

18. Porrò licèt perſonæ Patris, & Spiritus Sancti nullo modo dici poſſint incarnatæ, aut vnitæ humanitati; ſunt nihilominus in ea reſidentes ſpeciali modo, & altiori, quàm in aliis rebus, quas implent propter ſuæ præſentiæ immenſitatem. Cùm enim natura diuina, quæ iuxta quartam concluſionem, eſt per Verbum humanitati vnita, identificetur per ſummam ſimplicitatem cum his perſonis, neceſſarium eſt, vt hæ prædictam naturam ſequantur, & cum ea reperiantur; atque adeò ſint indiſtantes ab humanitate, eamque imbuant intimè non minùs ac ipſa natura diuina. Quare ſi per impoſſibile perſonæ huiuſmodi amitterent ſuam immenſitatem, non poſſent tamen abeſſe ab humanitate Chriſti, quandiu maneret vnio hypoſtatica. Confirmatur. Nam vbi Deus ſingulari modo operatur, ibi dicitur eſſe ſingulari modo; propterea enim dicitur eſſe ſpecialiter in iuſtis, quaſi in templo, &c. Atqui in Chriſti humanitate ſingulari modo operatur tota Trinitas, illam ſanctificando per gratiam actualem, & conſtituendo templum, &c. Hanc doctrinam tradidit Cyrillus Alexandrinus 9. *in Ioan. cap.* 47. vbi exponens illa verba Chriſti *Ioan.* 14. *Cognoſcetis quia ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*; ait illud fuiſſe impletum per incarnationem, qua factum eſt, vt natura noſtra aſſumpta Filium habeat in ſe, & Patrem per Filium. Eadem doctrina eſt Auguſtini *ſerm.* 3. *de tempore*: *Cùm ergo,* inquit, *vna ſit diuinitas, impleuit quidem carnem Chriſti & Pater & Spiritus Sanctus, ſed maieſtate, non ſuſceptione*, &c. Vide alios Patres apud Vaſq. *diſp.* 28. *cap.* 2. Ex dictis intelligis, Chriſtum non modò vt Deum, ſed etiam vt hominem dixiſſe, *quia*

Pater in me eſt , & ego in Patre. Quod dicitur de humanitate , dicendum eſt de hoſtia conſecrata. Quamuis enim nec vi verborum , nec per proximam & immediatam concomitantiam conſtituatur Pater , & Spiritus Sanctus ſub ſpeciebus Euchariſticis ; nihilominus negari non poteſt,quin per mediatam , & remotam concomitantiam Pater , & Spiritus Sanctus hoſtiam conſecratam ſubeat , quatenus identificatur cum natura diuina , quam Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. definit reperiri per concomitantiam in Sacramento Euchariſtiæ.

CAPVT IV.

Vtrum natura diuina ſecundùm ſuum eſſe abſolutum , & abſtrahens à perſonis, vnire ſibi naturam creatam poſſit.

1. ADVERTE naturam diuinam ſecundùm ſe , & vt abſtrahentem à perſonalitatibus , ſeu relationibus , conſiderari duobus modis. Primò , ita vt concipiatur nihilominus eſſe ſubſiſtens per ſubſiſtentiam quãdam multis communicabilem perſonis, abſolutam , & eſſentialem : cuiuſmodi ſubſiſtentiam agnoſcunt Scotus , Dur. Caiet. Suar. &c. Secundò ita vt ratione ſui eſſe abſoluti nullo modo concipiatur eſſe ſubſiſtens : ſiue quia nulla admittatur communis , abſoluta, & eſſentialis ſubſiſtentia : ſiue quia ſimpliciter natura indiuidua ſecundùm ſe ſumatur, vt ab omni ſubſiſtentia virtualiter diſtincta. Omitto hîc de induſtria duos alios modos , ſecundùm quos natura poteſt abſtrahere à ſingulis in indiuiduo perſonalitatibus relatiuis : nimirum ſi concipiatur , vt habens rationem vniuerſalem & genericam perſonalitatis , communem per mentem tribus perſonis: vel ſi fingatur vnicam habere indiuidualitet contractam perſonalitatem,quæ & abſolutam,& omnes relatiuas à ſuo conſortio excludat ſubſiſtentias , eo modo quo Iudæi credunt. Omitto , inquam : cùm enim Diuinitas his duobus modis ſumpta non poſſit à parte rei exiſtere, clarum eſt,quod nec poteſt vniri. Difficultas ergo eſſe poteſt circa duos primos modos nunc allatos.

2. Si priore modo conſideremus naturam diuinam , putant Scotus 3. *diſt. quæſt.* 1. Dur. *quæſt.* 4. Caiet. hîc *in art.* 3. quos ſequutus eſt Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 1. non implicare quominus ratione ipſius abſolutæ ſubſiſtentiæ vniatur naturæ alicui creatæ. Quia ſi Verbi ſubſiſtentia relatiua potuit vniri, non apparet ratio , cur non poſſit communis , & abſoluta; cùm ad vnibilitatem non videatur iuuare, aut neceſſaria eſſe ratio relatiua ; & perfectione non ſuperet, imò non æquet,rationes naturæ abſolutas. Si autem conſideremus naturam ſecundo modo , negant Authores citati , & plures prætereà illorum , qui non agnoſcunt ſubſiſtentiam abſolutam in Deo (quos inter eſt Vaſq.) eam poſſe immediatè vniri naturæ creatæ. Non deſunt tamen alij qui affirment , vt videbimus concluſione ſecunda.

3. Concluſio prima. Natura diuina nullam habet communem, ſeu abſolutam ſubſiſtentiam ; atque adeò non poteſt ſecundùm eam vniri naturæ creatæ. Secunda pars concluſionis non aliter probanda eſt, quàm per priorem, ex qua neceſſariò ſequitur. Priorem igitur partem, quæ propriè ad tractatum de Trinitate pertinet , breuiter ſic oſtendo. Nam diuina natura ſufficienter ſubſiſtit tribus relatiuis perſonalitatibus. Et quicquid à parte rei priùs eſſe concipitur ante ipſas perſonalitates, illud aliud eſſe non poteſt, quàm exiſtentia diuina. Non eſt enim vlla ratio cur hanc aſſeramus in illo priori eſſe propriè in ſe, ac per ſe ; ita vt afficiatur, claudaturque aliquo poſitiuo termino ; qui tamen vltimus non ſit , ſed communicabilitatem habeat , & vlteriori termino indigeat. Vnde ſumitur ſecunda ratio. Nam communicabilitas , & terminabilitas per tres vlteriores perſonalitates, repugnat rationi ſubſiſtentiæ : ſubſiſtentia enim dicit vltimum ipſum terminum,qui vlteriorem ſcilicet nullum habere poteſt. Ergo ficta eſt prædicta eſſentialis , & tribus perſonis communicabilis ſubſiſtentia. Nec audiendi ſunt aduerſarij dum ſuâ ſolâ introducere volunt authoritate illud inauditum hactenus diſcrimen inter ſubſiſtentiam,& inter ſuppoſitalitatem,ſiue hypoſtaſin, aut perſonalitatem;quòd ſubſiſtentia quidem non dicat incommunicabilitatem , aliæ verò tres voces eam importent. Videri poteſt Vaſq. 1. *part. diſp.* 125. *cap.* 4. Sumitur & tertia ratio ex VI. Synodo,quæ *act.* 11.negat confundendam eſſe in Deo ſubſiſtentiam ; & ex aliis paſſim Conciliis agnoſcentibus in Deo tres, nec plures ſubſiſtentias ; ac per conſequens excludentibus quartam communem. Nobis ſuffragantur Alenſ. Bonau. Marſi. Henr. Ric. & Theologorum maior pars.

4. Aduerſatur autem Dur. *in* 3. *diſt.* 26. & *in* 3. *diſt.* 1. qui proprietates perſonarum relatiuas negat dicendas eſſe ſubſiſtentias , cùm nulla relatio ſit ſimpliciter ſimplex , qualis nempe eſt ſubſiſtentia. Aduerſatur item Scotus *in* 3. *quæſt.* 1. Caiet. 1. *part. quæſt.* 29. *art.* 4. & *quæſt.* 39. *art.* 4. necnon 3. *part. quæſt.* 2. *art.* 2. & *quæſt.* 3. *art.* 2. & Suar. *lib.* 4. *de Trin. cap.* 11. & 3. *part. diſp.* 11. *ſect.* 3. necnon quidam alij, qui in Deo admittunt quatuor ſubſiſtentias : nempe tres relatiuas , quæ perſonas conſtituunt ; & vnam abſolutam, quam negant dicendam eſſe perſonalitatem: quia naturam ſic claudit, ac terminat , vt non ei adimat omnem communicabilitatem , quamuis adimat eam quæ ſit ad rem actualiter diſtinctam ante opus mentis, vt in illa,& per illam ſuſtentetur. Vnde humanitas Chriſti abſtractè concepta non per ſe ſubſiſtit , inquiunt, quoniam vt ſic eſt apta vniri alteri diſtincto realiter,à quo ſuſtentetur : atque cùm etiam ipſi Verbo vnitur actu , non ſit propriè intrinſecè ſubſiſtens ; ſed eſt potiùs inexiſtens eidem Verbo, quod propriè in ipſa ſubſiſtit. Superſedeo referre iam argumenta quibus Suar. aliique nituntur ; cùm non ad hunc locum pertineant , ſed ad tractatum de Trinitate.

5. Concluſio ſecunda. Non videtur negandum naturam diuinam prout ab omni ſubſiſtentia abſtrahentem , poſſe immediatè vniri cum aliqua natura creata. Hæc concluſio multos cenſetur aduerſarios habere. Exiſtimo tamen non paucos,qui verbis illam impugnant, ei reapſe patrocinari. Nam primò ij omnes Thomiſtæ, qui, cùm vnam ſolam exiſtentiam in Deo abſolutam admittant , cenſent humanitatem exiſtere per diuinam exiſtentiam ; neceſſariò fatebuntur naturam diuinam ratione exiſtentiæ ipſius abſolutæ , fuiſſe copulatam humanitati. Prætereà, cùm Suar. & alij , quos ſequutus eſt , doceant poſſe Deum naturæ creatæ vniri ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam ; imò de facto ita vnitum eſſe cenſeat Durandus , Capreolus , Victor. Sot. à Vaſque relati *diſp.* 26. & oſtenſum fuerit ſuperiùs , abſolutam illam , quam ipſi vocant , ſubſiſtentiam , nihil aliud eſſe , quàm exiſtentiam naturæ diuinæ ſubſtantialem in ſe , perfectiſſima quadam vnitate collectam; conſequens

Digitized by Google

conſequens eſt, vt ſecundùm iſtos Authores aſſeratur, naturam diuinam per ſuum eſſe abſolutum poſſe vniri naturæ creatæ. Apertè autem, & directè ſuff agatur nobis Dur. 3. *diſt.* 1. *q.* 2. & 4. Valent. *diſp.* 1. *q.* 3. *p.* 5. vbi alios citat: qui tamen non vno omnes modo iſtud explicuerunt. Ratio concluſionis noſtræ videtur facilis. Nam diuina natura ſecundùm ſuum eſſe abſolutum habet realiſſimam exiſtentiam; ſecundùm quam continet eminentiſſimè omnia exercitia rerum creatarum; imò & continet eminenter ſubſiſtentias ipſas diuinas, atque adeò poteſt id quod iſtæ poſſunt, quæ ſine dubio poſſunt vniri creaturis.

6. Neque valet quicquam quod communiter affertur, Patres, & Concilia talem vnionem naturæ haud videri agnouiſſe, cùm nullibi eius mentionem faciant, & ſemper de vnione quæ ad ſubſiſtentiam terminetur, loquantur. Nam Patres & Concilia iure loquuntur de ſola vnione ſubſiſtentiæ, cùm hæc ſola facta fuerit. Nec habebant loqui de naturæ diuinæ vnione immediata; cùm conſtaret eam non extitiſſe: quid autem de poſſibili eſſet, non diſputarunt. Neque negarunt poſſe Deum naturam creatam vnire alio modo, quàm re vniuerit. Frigidus verò eſt argumentandi modus, quo Vaſquez vtitur *diſp.* 27. *c.* 2. *ſub finem.* Quemadmodum, inquit, nemo dicere auderet vnam naturam poſſe terminari per alienam perſonam, niſi fides ita reuelaſſet, quia nullum foret ad hoc aſſerendum fundamentum, etſi reverà non adduceretur contra illud aliqua contradictionis implicatio: Ita etiam nunc temerè dicet aliquis, vnam naturam poſſe extrinſecè per alienam naturam terminari, quamvis manifeſtè contradictionis redargui non poſſet, quia hoc ſine fundamento dicetur. Frigidum, inquam, eſt id argumentum: nam ex illo potiùs concludi videtur contrarium. Et meliùs aliquis diceret, quemadmodum fides oſtendit, illos decipiendos fuiſſe, qui negaſſent creatam naturam poſſe terminari per diuinam Perſonam, licèt id per ſe incredibile eſſe videretur; ita periculum eſt ne iam decipiamur, ſi creatam naturam negemus poſſe terminari per diuinam; licèt id videatur aliquibus incredibile. Imò cùm fides illud primum reuelauit, viſa eſt ſatis nos monere de probabilitate ſecundi: natura enim diuina non minorem habet perfectionem, quàm diuina perſonalitas; hancque continet eminenter.

7. Interrogant aduerſarij, quomodo ſe habituræ eſſent duæ naturæ, diuina, & creata, ſi immediatè vnirentur. Nam non apparet quodnam genus compoſiti exſurrecturum eſſet ex iis, & quidnam earum vna alteri communicatura eſſet. Non enim primò diuina creatæ communicaret ſuam exiſtentiam intrinſecè, quandoquidem nihil per alienam exiſtere poteſt exiſtentiam. Non etiam ſecundò illi communicaret aliquam ſubſiſtentiam, vt patet: nullam enim habet natura præciſè ſumpta. Reſpondeo, quemadmodum ſi Deus vniret animam leonis animæ equi, nouum aliquod, & hactenus inauditum compoſitum exſurgeret; ita ſi diuinam, humanamque naturam copularet. Nec eſt neganda poſſibilitas copulæ huiuſmodi, ob timorem penuriæ nominis, quaſi facile non eſſet nomen nouum imponere nouo illi toti, quod per illam copulam exſurgeret. Porrò natura diuina, ſi vniretur, communicaret creatæ ſuam exiſtentiam, non quidem intrinſecè, quaſi faceret hanc formaliter exiſtere; ſed extrinſecè, ſicut docent Okam, Ricard. Gab. Almai. terminando nempè illam, & ſe ipſi adiungendo.

8. At verò natura creata amitteretne ſuam propriam ſubſiſtentiam vi prædictæ vnionis? Primò ſunt qui ad id in ſuis principiis reſpondere poſſent, nullum fore inconueniens ſi aſſeratur, creatam ſubſiſtentiam retentum iri. Cùm enim hæc vnio, de qua diſputamus, non ſit hypoſtatica, nec ſubſiſtentiam diuinam communicet; poteſt videri non repugnans ſubſiſtentiæ creatæ. Secundò tamen meliùs reſpondebitur, creatam ſubſiſtentiam in tali caſu amiſſum iri. Siue quia per vnionem iſtam communicaretur mediante natura diuina hypoſtaſis, & ſubſiſtentia triplex relatiua; neceſſarium enim eſt, vt ſi aliquid innititur Deitati, innitatur conſequenter, & remotè perſonalitati, cui Deitas innititur. Quemadmodum quod ſuſtentatur à pariete, ſuſtentari debet à fundamento mediatè. Siue quia natura diuina ipſa per ſe, præciſéque ſumpta ſubſiſtentiam continet eminenter, licèt non formaliter ipſa ſubſiſtat: atque adeò ſupplere poteſt exercitium, quo natura creata ſubſiſtit in ſe. Atque rationi valde conſentaneum videtur, vt concipiamus in præſenti caſu, naturam creatam abſorberi ab infinitate naturæ diuinæ, quaſi guttulam ab oceano; ita vt illa non poſſit ampliùs dici in ſeipſa eſſe, ac ſubſiſtere, ſed tota eſſe alterius.

9. Obiicies. Non videtur poſſe fieri vnio naturæ alicuius creatæ cum natura diuina; quia deberet ea vnio fieri cum omnibus attributis diuinæ naturæ eſſentialibus, atque adeò cum eius immenſitate, quod impoſſibile eſt. Immenſitas enim, & per ipſam immenſitatem, natura diuina eſt vbique; vnio autem non poteſt fieri vbique, nec in alio loco, quàm vbi eſt natura creata vnienda. Atque eadem obiectio fieri poteſt contra vnionem, quæ immediatè facta eſt cum ſubſiſtentia Verbi: hæc enim ſuo modo non minùs eſt immenſa, quàm Diuinitas. Reſpondeo. Vnio quæ fieret cum natura diuina, fieret etiam cum immenſitate, quæ eſt illius attributum eſſentiale. Sed aduertendum eſt, hoc attributum, provt eſt eſſentiale, non dicere formalem præſentiam, indiſtantiam, & connotationem, quam Diuinitas habeat reſpectu omnium locorum. Alioquin enim cùm Deus Burdigalæ non habeat indiſtantiam formalem, quam habet Romæ, non eſſet totus, & ſecundùm totam ſuam eſſentiam Burdigalæ. Dicit ergo immenſitas ſolùm radicalem, vt ita loquar, præſentiæ diffuſionem ad omne ſpatium. Vniri autem poteſt natura creata tali attributo, & immenſitati; non ſimul in omnibus locis, ſed tantùm in eo loco, vbi tunc natura ipſa ei vnienda reperitur. Hoc ipſum accommodandum eſt immenſitati Verbi relatiuæ, ſeu perſonali, cui humanitas immediatè vnita eſt.

10. Inſtabis. Ergo talis natura creata, poſtquam vnita fuerit, moueri non poterit localiter, quin vetere perdita vnione, noua ſuccedat. Ita quando humanitas Chriſti vnita Verbo provt exiſtenti Ieroſolymis, mouebatur, & tranſibat, v. g. in Galilæam, relinquebat Verbum vt exiſtens Ieroſolymis, eique vt ibi relicto non vniebatur ampliùs: ſed incipiebat ei vniri, vt exiſtenti in iis locis, ad quæ continuo motu tranſibat, ſicque neceſſarium erat, vt nouas, nouaſque eum Verbo, provt in variis locis reperto, vniones acquireret. Ad hanc inſtantiam dico, naturam creatam non vniri ſiue Diuinitati, ſiue ſubſtantiæ, provt exiſtenti in tali, vel tali loco; ſed abſolutè, & abſtrahentem à loco. Quemadmodum etiam corpus noſtrum, & anima non vniuntur provt formaliter in tali loco exiſtunta: tque adeò cùm mouentur, non mutant ſuam vnionem. Quod autem Verbum, cùm vbique ſit, Chriſto gradiente, & ſe mouente

mouente, non mouetur; id non impediebat, quo minùs eadem vnio hypoſtatica perſeueraret in Galilæa, quæ erat Ieroſolymis. Perinde enim ſe habebat Verbum exiſtens in Galilæa, ac ſi illuc de nouo perueniſſet cum humanitate per progreſſum, & motum. Nec eſt imaginandum, quòd vnio mutans locum, Verbo locum non mutante, reuellatur ab ipſo Verbo, & ſuccedat noua vnio cum eodem Verbo, prout inuento in alio proximo loco. Verbum enim quod vtrobique reperitur, eſt vnum, & idem. Sic quando in partibus hoſtiæ conſecratæ corpus Chriſti occupat ſimul plura loca intra orbem totius hoſtiæ, non ideò multiplicantur vniones ipſæ hypoſtaticæ, cùm humanitas eadem, & idem Verbum reperiantur in omnibus hoſtiæ partibus. Simili etiam modo dicendum eſt, quando conſecrata hoſtia mouetur intra ſeipſam circulariter, in ea ſic moueri partes ſpecierum accidentalium, vt ſub iis nullo modo moueatur corpus Chriſti; licèt ipſis aliquo modo vnitum; quia nempe intra totum orbem præſens eſt, & vbique idem reperitur.

CAPVT V.

An tres Perſonæ diuinæ, tum ſigillatim, tum ſimul ſumptæ, poſſint aſſumere naturam creatam, vnam, aut plures.

1. QVOD primum occurrit de perſonis diuinis ſigillatim ſumptis, nullam habet difficultatem. Patet enim quamlibet ſeorſim Perſonam diuinam poſſe vniri hypoſtaticè: quandoquidem experientia id re monſtrauit in Perſona Filij. Cùm ergo aliæ perſonæ non ſint minùs perfectæ quàm illa, non poſſunt iudicari ad id minùs eſſe idoneæ. Atque circa hoc nihil eſt dicendum vlteriùs.

2. Quod attinet ad ſecundum de iiſdem perſonis collectiuè, ac ſimul ſumptis, vtrum poſſint naturã vnam creatam ſibi eandem vnire, maior eſt difficultas. Nam Scotus *in* 4. & Ricard. *ibid.* putant repugnare limitationi naturæ creatæ, vt à pluribus ſimul perſonis diuinis terminetur, in iiſque ſubſiſtat. Id enim arguit ſummam infinitatem in natura diuina. Secundò ſi tres perſonæ aſſumerent eandem naturam humanam, iam ille homo diceretur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: Ergo per idiomatum communicationem Pater eſſet Filius, & Spiritus ſanctus, & è contra, quo nihil eſt abſurdius. Tertiò ſi plures perſonæ poſſent eandem naturam terminare, poſſet etiam illa eadem natura terminari propria perſonalitatè, & aliena: quod manifeſtè eſt abſurdum. Sequela patet. Siquidem par videtur eſſe conditio vtriuſque ſubſiſtentiæ, propriæ, & alienæ: quæ enim eſt ratio, vt ſi natura poſſit terminare duas ſubſiſtentias alienas, non poſſit ſuam, & vnam alienam? Quartò denique, cùm Scotus in vniuerſum teneat impoſſibile eſſe, vt effectus in quocumque dependentiæ genere pendeat à duabus totalibus cauſis, conſequenter docet in præſenti, naturam creatam non poſſe terminari pluribus ſubſiſtentiis, præſertim diuinis. Earum enim quælibet foret illi naturæ ſufficiens, & totalis.

3. Nihilominus dicendum eſt cum communiore ſententia D. Th. *art.* 8. Henrici, Okami, Gabrielis, Alenſis, & aliorum, quos citant, & ſequuntur Suar. & Vaſq. poſſe plures perſonas ſimul eandem naturam aſſumere. Probatur. Nam nulla oſtenditur contradictio ex parte ipſarum perſonalitatum diuinarum, quas poſſe ſimul vnam naturam terminare, videmus in Trinitate: nec ex parte naturæ creatæ, cuius potentiam obedientialem non debemus limitare ſine vrgente ratione, qualem nullam ſuperiùs offerebant aduerſarij. Non quidem primam: negatur enim illis, requiri in natura illimitationem, & infinitatem ad hoc, vt à pluribus perſonis terminari poſſit. Natura verò diuina non ex eo præciſè arguitur eſſe perfectionis infinitæ, & increatæ, quòd à tribus perſonalitatibus terminetur; ſed quòd ab iis terminetur connaturaliter, & cum iiſdem realiter diſtinctis identificetur perfectiſſimè. Sed nec ſecunda ratio quicquam concludit. Nam concedo, ſi tres perſonæ diuinæ naturam eandem humanam aſſumerent, tunc illum hominem dicendum fore Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: quemadmodum ex eo quod de facto perſona Filij aſſumpſerit humanitatem, Chriſtus dicendus eſt Verbum, ſeu Filius. Sed nego futuram in eo caſu communicationem idiomatum inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: nec vlla ratio foret, cur ea quæ ſunt propria vnius perſonæ, alteri tribuerentur, vt generare, generari, ſpirare, procedere. Si enim communitas naturæ aſſumptæ à tribus perſonis ſufficeret ad prædictam communicationem idiomatum inter diuinas perſonas, deberet nunc de facto talis communicatio inter illas admitti ratione vnius communis naturæ diuinæ: imò multò magis, cùm maior ſit, & magis intrinſeca vnio trium perſonarum cum natura diuina ipſis connaturali, quàm eſſe poſſet cum humana præternaturaliter aſſumpta: fatendum tamen eſt in eo caſu, in quo tres perſonæ humanitati eidem vnirentur, fore communicationem idiomatum inter naturam humanam ex vna parte, prout ſignificatam hoc nomine concreto, *homo*; & ex alia parte inter tum naturam diuinam, prout ſignificatam hoc nomine concreto, *Deus*; tum inter tres ipſas perſonas ſignificatas his nominibus item concretis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Quare omnia prædicata naturæ humanæ tribuerentur Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, dicique poſſet Deus comedit, Pater comedit, &c. & contra, homo eſt omnipotens, homo generat, Verbum homo generatur in ſinu Patris, homo ſpirat tertiam perſonam Trinitatis, homo ſpiratur.

4. Tertia aduerſariorum ratio eſt etiam inualida. Non enim idem eſt de propria naturæ creatæ ſubſiſtentia, & de ſubſiſtentia diuina. Vt apparet ex dictis *cap.* 1. Ad quartam nego primò principium, quo nititur Scotus: oſtendimus enim agentes ſuprà de cauſa finali incarnationis, dari poſſe plures cauſas totales finales eiuſdem rei, & ex Philoſophia ſuppono, poſſe dari ſupernaturaliter plures item totales efficientes. Secundò non eſt paritas, faciliuſque eſt intelligere, naturam à duabus ſubſiſtentiis totalibus pendere, quàm à duabus totalibus cauſis efficientibus. Non enim penderet natura à pluribus ſubſiſtentiis, quaſi ab influentibus efficienter in ſuam exiſtentiam; ſed quaſi à conditionibus quibuſdam. Eodem modo, quo albedo vna penderet à duabus vnionibus totalibus, ſi ſimul duobus ſubiectis ſe penetrantibus vniretur, vt bene monet Suares.

5. Petes vtrum poſito, quòd tres perſonæ diuinæ aſſumpſiſſent vnam humanitatem, dicendæ forent tres homines, an potiùs vnus homo. Nominales, & Marſilius *in* 3. *q.* 2. *art.* 3. Gabr. *d.* 1. *q.* 1, *art.* 3. & Caiet. *hoc loco*, *art.* 6. reſpondent tres perſonas in eo caſu dicendas fore tres homines. Sed meliùs cum D. Th. *art.* 6. & iis, quos citat, & ſequitur Suares *diſp.* 13. *ſect.* 2. dicendum eſt, non futuros in huiuſmodi

Digitized by Google

modi caſu tres homines, ſed vnum dumtaxat. Ratio eſt, quia nomen homo, eſt terminus ſubſtantiuus: ad vnitatem verò termini ſubſtantiui, & ſubſtantialis ſufficit, quod ſit vnitas formæ ſubſtantialiter conſtituentis. Idque patet exemplo Diuinitatis, quæ licèt terminetur à tribus perſonis, tamen, quia ipſa vnica eſt, vnicum conſtituit ſubſtantiuè Deum, non autem tres Deos. Vnde ſumitur validum argumentum. Nam ſi tres perſonæ humanitatem vnam terminarent, quemadmodum de facto Diuinitatem terminant; eodem modo ſumere deberent ab illa denominationem, vt iam deſumunt ab iſta. Non enim eſt diuerſa ratio. Nam quod reſpondent Nominales, eſſe diſparitatem, quandoquidem humanitas, dum terminaretur, non poteſt habere eam identitatem cum perſonis, quam habet diuinitas, eſt quidem verum, ſed ad rem non facit. Identitas enim quam habet Diuinitas cum qualibet perſona, non impedit diſtinctionem ipſarum inter ſe perſonarum. Non etiam impedit, quominus quælibet diſtinctarum perſonarum denominetur verè Deus. Atque per conſequens, ſi aliud nihil ſit, non poteſt impedire, quominus ſint tres Dij. Imò cùm identitas magis naturam coniungat cum tribus perſonalitatibus, quàm hypoſtatica vnio coniunctura eſſet humanitatem, videtur quòd magis deberet multiplicari Diuinitas, quàm humanitas,& conſequenter dicendi eſſent potiùs plures Dij, quàm plures homines, in præſenti quæſtione.

6. Tertium, quod in huius titulo capitis proponebatur,erat; vtrum plures naturæ creatæ poſſint aſſumi ſimul hypoſtaticè, & terminari ab eadem perſonalitate diuina. Ad quod affirmatiuè reſpondet Sanctus Thomas, & aſſertio nullam habet difficultatem; cùm perſonalitates diuinæ vim habeant terminatiuam infinitam; & naturæ creatæ non habeant incompoſſibilitatem, aut oppoſitionem in ordine ad vnionem hypoſtaticam, quantumvis alioqui ſupponerentur earum formæ habere contrarietatem. Quæri tantùm poteſt, vtrum poſito, quòd vna perſona diuina plures humanitates aſſumpſiſſet, deberet dici vnus homo propter vnitatem perſonæ; an potiùs plures, propter humanitatum pluralitatem. Loquendo conſequenter ad id, quod *num. præcedenti* dicebamus, aſſerendum eſt in prædicto caſu, fore plures homines, & non vnum ſolum. Ratio intelligitur ſatis ex dictis. Nam terminus ſubſtantiuus ſignificat præcipuè formam: Ergo ab huius vnitate, vel multiplicitate debet ille poni in ſingulari numero, vel plurali. Et ſanè tres perſonæ diuinæ, vt diximus, ſunt vnus Deus propter vnitatem Diuinitatis. Atque ſi tres perſonæ aſſumerent humanitatem vnam, eſſent vnus homo, iuxta prædicta ex Diuo Thom. Quare ergo non dicemus ob paritatem, ſeu potiùs identitatem rationis, plures fore homines, ſi ab vna perſona plures aſſumerentur humanitates. Nam ita plures humanitates deberent conſtituere plures homines, non obſtante vnitate perſonæ, vt vna humanitas conſtituit vnum hominem, non obſtante pluralitate perſonarum. Quemadmodum enim in primo caſu, cùm dicitur vnus homo, numeratur ſola humanitas, & non perſonæ: ita cùm dicemus in ſecundo caſu, plures homines, ſolæ numerabuntur humanitates in perſonâ habente illas, & non numerabitur ipſa perſona. Argumentum pro hac ſententia ſumitur etiam ex eo, quòd indiuiduum humanæ naturæ conſtituatur per indiuiduam naturam, ſicut homo in ſpecie conſtituitur per ſpecificam naturam. Ergo vbi erunt plures indiuiduæ naturæ humanæ, plura erunt indiuidua, atque adeò plures homines. Hanc ſententiam (quam valde probabilem iudicat Soto,& Suar.) docet Diuus Thom. *3.diſt.1.q.2. art. 5. ad* 2. *&* 3. Scotus 2.*diſt.* 2.12. & 3.*diſt.*1.*q.* 3. Durandus, Altiſiodor. & contrarium tamen docuit poſteà Diuus Th. *in 3.p.q.3. art.* 7. eique conſentiunt Marſilius, Almai. Gabr. Caiet. & omnes Thomiſtæ. His magis adhæret Suares, qui conatur reddere rationem, quare terminus ſubſtantiuus ſumat ſingularitatem ſuam ex vnitate formæ, vt apparet in Deo Trino, & in illo homine, cuius humanitatem tres perſonæ aſſumpſiſſent; & tamen non ſumat pluralitatem ex pluralitate formæ. Sed quæ hic author ſubtiliter excogitat, ſunt voluntaria, & ex ſolo ſtudio tuendi ſententiam communiorem. Quod ſtudium vnice ſim nobis probatur, quando non aduerſatur rationi euidenter meliori, quemadmodum hîc videtur aduerſari. Confirmatur. Nam iuxta ſententiam contrariam oporteret dicere, Chriſtum fore eundem hominem, quamvis aſſumeret humanitatem nouam relicta priore: quod eſt contra communem ſenſum. Dicendum item foret, ipſum Chriſtum non eſſe duas ſubſtantias, creatam, vt hominem, & increatam, vt Deum. Nota diuerſam eſſe rationem naturarum ſubſtantialium, & formarum accidentalium. Nam eodem manente ſuppoſito, vnus homo eſt vnus artifex, vnus pater, vnus coloratus, &c. quamvis plures habeat artes, paternitates, colores,&c.

7. Ex dictis intelligere potes, quid dicendum foret, ſi tres humanitates ſimul aſſumerentur à tribus omnes perſonis omnibus. Tunc enim vnaquæque humanitas diſiunctiuè comparata ad tres ſimul perſonas,conſtitueret vnum hominem ſubſiſtentem in tribus illis perſonis. Tres autem ipſæ humanitates collectiuè ſumptæ, ſi ad ſingulas quidem perſonas compararentur, conſtituerent tres homines in vna, & eadem hypoſtaſi ſubſiſtentes: ad tres autem omnes perſonas ſimul comparatæ conſtituerent tres homines, qui omnes in tribus iiſdem vni, & iidem ſubſiſterent hypoſtaſibus; ita vt tres humanitates omnes tribus omnibus hypoſtaſibus reſponderent.

CAPVT VI.

An hypoſtaſis aliqua creata poſſit alienam terminare naturam.

1. EX ſuperiùs dictis *cap.* 1. de quidditate ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitatis, tum creatæ, tum etiam increatæ, poteſt breuiter ſumi reſolutio præſentis quæſtionis; ad quam multi negatiuè reſpondent, fauente Diuo Th. *q.3.art.* 1. Vbi ait proprium eſſe perſonæ diuinæ propter ſui infinitatem, terminare naturam alienam. Ita Paludanus 3. *diſt.*1.*q.*1. Caietanus, & communiter Thomiſtæ *hoc loco*. Subſcribit & Durandus ſaltem ex parte *in* 3.*diſt.*1.*q.*5. Suar.*diſp.*13.*ſect.*4. Vaſquez *diſp.* 25. Rationes à variis afferuntur inefficaces: hanc ſolam probat Suares, quòd perſonalitas non ſit entitas realiter diſtincta; ſed modus, quem nefas ſit à ſuo connaturali ſubiecto extrahi, ad aliudque transferri. Quam repugnantiam per ſe ſtatim ſentit intellectus, cùm laborat concipere, quòd aliquid per alterius modum modificetur; v.c. quòd Petrus ſedeat per ſeſſionem quæ eſt in me, aut quod hic baculus ſit rectus per alterius rectitudinem, &c. Vaſquez autem ne quidem hanc Suaris rationem probat; quare aliam ipſe affert ex Durando, quam è contra

contra refutauit Suares, quòd perſonalitas nec naturalem, nec ſupernaturalem vim ad alienam ſuſtentandam naturam habere poſſit. Non quidem naturalem, propter limitationem ſuam, & adæquationem quam habet cum propria ſua natura: & quia ſi eſſet eiuſmodi vis in perſonalitate creata, oporteret dari naturalem aliquam cauſam efficientem, quæ poſſet illam vim, ne otioſa, & inutilis eſſet, ad actum reducere. Sed nec ſupernaturalem: quia, ſi eſſet ſupernaturalis, deberet ſuperaddita eſſe vel intrinſecè, atque ita eſſet accidens, ac per conſequens non poſſet claudere ſubſtantialiter, conſtituereque perſonam; vel tantùm extrinſecè per ſolam aſſiſtentiam Dei, vt aliqui exiſtimant eleuari poſſe à Deo inſtrumenta ad agendum ſupernaturaliter: hoc autem dici non poteſt. Nam huiuſmodi aſſiſtentia diuina, & eleuatio non poteſt fieri niſi in genere cauſæ efficientis, in quo genere non eſt perſonalitatis terminatio, quæ potiùs pertinet ad genus cauſæ formalis; conſtat verò formam eleuari non poſſe ad effectum formalem, qui non ſit ipſi naturalis poſt ſubiecti diſpoſitionem talem, vel talem.

2. In contrarium aſſerunt poſſe perſonam creatam vnire ſibi hypoſtaticè alienam naturam Okam. 3. *diſt.* 1. & *ibidem* Baſſolis, Maior, Almai. probabileque iudicat Gabr. *ibidem*, & Scotus. Ex parte etiam tenet id Valentia *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 6. Fundantur in eo, quòd nulla appareat contradictio. Omitto fabuloſa quorumdam ſomnia, qui docuerunt hanc aſſertionem non tantùm vt de poſſibili, ſed etiam vt de facto; exiſtimantes Malachiam, & Ioan. Baptiſtam fuiſſe Angelos (quod fuit delirium Origenis, teſte Hieronymo in prologo ſupra Malachiam) & Anti-Chriſtum fore cacodæmonem per vnionem angelicæ ſubſiſtentiæ.

3. Dicendum eſt, quamuis vnio hypoſtatica eo modo, quo in Chriſto reperitur, non poſſit fieri duas inter naturas creatas; nulla tamen apparet contradictio, quin aliquo alio modo fiat vnio hypoſtaſeos creatæ cum natura aliena. Concluſio duas habet partes: & quidem prior clara eſt. Cùm enim nulla creatura ſubſiſtentiam habeat, quæ ſit virtualiter realiter diſtincta à natura, quam terminat, quo modo perſonalitas Verbi diſtinguitur à natura diuina; ſequitur non poſſe dari vllam vnionem, quæ vt contingit in Chriſto, terminetur immediatè in ſubſiſtentia ſola, mediatè autem tantùm, atque identicè in natura. Nihilominus alio quodam ſenſu poſſibilem eſſe vnionem perſonalitatis creatæ cum aliena natura, facilè intelligitur ex dictis *cap.* 1. *num.* 13. Si enim cum Suare, aliiſque multis aſſereremus ſubſiſtentiam creatam modum eſſe realiter diſtinctum; videretur eſſe difficile intellectu, qua ratione talis modus, vt à ſuo ſubiecto diſtinctus, atque præciſus, poſſet alienam naturam afficere, quemadmodum bene ſupra exponit Suares: quainquam ſint qui non putent id eſſe inintelligibile, vt Vaſques. Verùm cum nos ſupra voluerimus, ſubſiſtentiam creatam nihil aliud eſſe, quàm naturæ cuiuſque totalitatem; conſequens eſt, vt perſonalitas vniri alienæ naturæ poſſit, ſi non repugnat aliquam (ſaltem ex poſſibilibus perfectiſſimis) creatam naturam completam, & totalem ſic vniri alteri naturæ, vt non obſtante huiuſmodi vnione ſeruet ſuam totalitatem; nec ita communicetur, vt induat rationem partis, aut incipiat pertinere vel ad eam naturam, cui fuerit vnita, vel ad aliam ex ambabus conſurgentem; ſed potiùs è contra ob ſuam perfectionem maneat quaſi ſui iuris ac nominis, & alteram ad ſe trahat, ac velut abſorbeat. Atqui clarum eſt non repugnare ex vna parte quin Deus per abſolutam potentiam vniat inter ſe immediatè duas naturas creatas, quarum vna reperiatur tam ſublimis, altera verò tam diſpar, ac tam ignobilis, vt prior ſuam totalitatem, perſonalitatemque ſeruans, iſti alteri prædominetur, eamque ad ſe trahat, atque totalitate, ſubſiſtentiaque propria ſpoliatam ad ſuum nomen, & ad ſuæ velut iura ſubſiſtentiæ faciat pertinere. Eo nempe modo, quo ſi per impoſſibile natura diuina non per tres relatiuas perſonalitates, ſed per ſuam ſolam totalitatem abſolutam ſubſiſteret, naturam omnem cui vniretur, abſorberet, eamque faceret non aliter, quàm per incarnatam perſonalitatem ſubſiſtere.

4. Ex dictis apparet rationem, quam Suares pro contraria ſententia, vt *num.* 1. retulimus, affert, non valere contra nos, qui negamus, quod illa ratio ſupponit, ſubſiſtentiam eſſe entitatulam, ſeu modum minori realitate diſtinctum; & volumus eam nihil aliud eſſe, quàm ipſius totalitatem naturæ, quæ ſic per ſe, ac per ſuam entitatem vniretur alienis naturis, vt has per ſemetipſam non modificaret intrinſecè, ſed tantùm per vnionem eas aſſumeret. Quare cùm ſupernaturaliter ſuſtentaretur quædam natura ab Angeli alicuius inter poſſibiles perfectiſſimi, ſubſiſtentia, non foret eadem ratio, ac ſi diceretur baculus vnus eſſe rectus per rectitudinem alterius baculi, &c.

5. Ad rationem autem Vaſqueſij reſpondendum eſt vim, quam perſonalitas creata habet ad ſuſtentandas alienas naturas, eſſe obedientialem: nec indigere vllo ſuperaddito accidente, ſed nec vllo diuino cum ipſa concurſu, qualis tribuitur potentiis obedientialibus cauſarum efficientium; ſed tantùm opus eſſe, vt per diuinam potentiam vniatur aliena illa natura, quæ aſſumitur hypoſtaticè. Subſiſtentia enim hoc ipſo, quòd vnita eſt, ſuſtentat, & vim ſuam terminatiuam exercet. Neque aliud eſt in Chriſto humanitatem à Verbo ſuſtentari, aut in eo ſubſiſtere, quàm eſſe ab ipſo aſſumptam per vnionem phyſicam ineffabilem.

CAPVT VII.

Qualem humanitatem perſonalitas Verbi aſſumpſerit.

1. DVBIVM eſt primò, an Verbum aſſumpſerit veram animam rationalem? negarunt Ariani, dicentes Verbum Chriſto fuiſſe loco animæ, vt refert Epiphanius *hæreſi* 69. & Aug. *hæreſi* 49. Nazianz. *orat.* 51. *poſt medium.* Negauit etiam Apollinaris, quamquam diuerſo modo, quàm Ariani. Cùm enim in Chriſto concederet animam ſentientem, non concedebat mentem, vt refert Epiphanius *hæreſi* 77. Auguſt. *hæreſi* 55. & alij. Quem Apollinarem ſequuti ſunt Dimeritæ, aſſerentes ex tribus partibus humanæ naturæ, corpore, anima, & mente, Verbum duas priores tantùm aſſumpſiſſe: vt conſtat ex epiſtolis Damaſi, quas refert Nicephorus *lib.* 12. *hiſtor. c.* 17. & 18. necnon Theodoretus *lib.* 5. *hiſtor. c.* 10. & 11. Sed veritas Catholica eſt, Chriſtum animâ præditum eſſe rationali, vt definit Conc. Romanum ſub Damaſo, Epheſinum *in epiſtola Cyrilli ad Neſtorium*, quæ *can.* 3. approbatur; Chalcedonenſe *actione* 1. & alia multa: habeturque in ſymbolo Athanaſij his Verbis, *Perfectus homo ex anima rationali, humanaque* carne

Digitized by Google

carne ſubſiſtens. Vide Leonem *epiſtola* 11.72.95. & Auguſtinum contra Felicianum Arianum *c.* 13. Probatur ratione. Nam alioqui Chriſtus non eſſet verus homo. Et peto, quomodo potuiſſet orare, mereri, ſatisfacere per humanos actus, ſi caruit anima rationali, ſeu mente humana? Quomodo triſtari per triſtitiam rationalem, & ex voluntaria conſideratione excitatam, cùm dicitur *Ioan.* 12. *Nunc anima mea turbata eſt*; & *Matth.* 26. *Triſtis eſt anima mea.* Frequens eſt apud Patres hæc conueniens ratio, quia cùm Verbum incarnatum ſit ad redimendum hominem, aſſumere debuit id quod potiſſimùm in homine ceciderat.

2. Dubium eſt ſecundò; an Verbum aſſumpſerit veram carnem, & corpus eiuſdem ſpeciei cum noſtro? Reſpondeo iam inde à temporibus Apoſtolorum orta eſt hæreſis, quæ verum in Chriſto corpus negaret, ac phantaſticum ſolùm, & apparens aſſereret. Huius impietatis authorem facit Cerdonem Auguſt. *hæreſi* 21. Tertul. *lib. de præſcriptionib.* nec non Epiphanius *hær.* 41. Idem poſteà docuit illius diſcipulus Marcion, vt teſtatur id in Epiph. *hær.* 42. & Tertul. *ſuprà*; qui *in libro de Incar. Chriſti*, *c.* 1. ait, quemadmodùm & Irenæus *lib.* 1. *aduerſus hæreſes*, *c.* 29. hunc hæreticum omnia, quæ Lucas, & alij Euangeliſtæ narrant de temporali generatione Chriſti, abraſiſſe. Eundem errorem ſequuti ſunt Manichæi, & Priſcillianiſtæ: fundamentum horum hæreticorum fuit, quia humanum corpus, quod à malo Deo ſomniabant formari, non deceat Chriſtum Filium boni Dei. Marcionis diſcipulus fuit Apelles, qui quamvis contra ſuum Magiſtrum veram, nec phantaſticam in Chriſto fateretur carnem, voluit tamen eam ex elementis, & non ex Virginis ſubſtantia deſumptam fuiſſe, quare illam in paſſione redditam eſſe elementis. Fuerunt & alij hæretici, qui Valentinum ſequuti, prædicabant corpus Chriſti, alioquin verum, nec phantaſticum, de cœlo ſumptum eſſe, per Mariam Virginem, quaſi per fiſtulam, ſeu canalem in mundum veniſſe; vt refert Irenæus *lib.* 3. *de hæreſib. c.* 11.

3. Contra hos omnes ſcripſerunt innumeri Sancti Patres à Vaſq. *diſp* 36. *c.* 1. & 2. citati; cum quibus fides Cathol ca adſtruit, Filium Dei ex ſubſtantia Virginis Matris aſſumpſiſſe verum corpus humanum, terreſtre, & eiuſdem naturæ cum noſtro. Sic definitum eſt à Conciliis paſſim. Et habetur *c. Firmiter*, *de ſumma Trinitate*, explicaturque diſtinctè in ſymbolo Athanaſij. Et ſanè plena eſt Scriptura teſtimoniis hanc veritatem proponentibus. Sic *Luc.* 1. dicitur, Virginem & concepiſſe, & peperiſſe Chriſtum hominem, qualem ſolent aliæ matres: *Ecce concipies, & Paries filium. Et peperit filium ſuum primogenitum.* Quem ideò Paulus *Galat.* 4. vocat *factum ex muliere*, quomodo porrò verum potuit eſſe apud prædictos hæreticos, quod *Ioan. c.* 1. pronuntiatur, *Verbum caro factum eſt.* Quomodo Chriſtus ipſe paſſim non impoſuit? quomodo non fefellit, cùm dixit, ſe triſtari, ſitire, &c. *Non eſt triſtis* (inquit eleganter Ambroſ. *in c.* 23. *Lucæ*) *ſapientia, non diuina ſubſtantia, ſed anima: ſuſcepit enim animam meam, ſuſcepit corpus meum; non me fefellit, vt aliud eſſet, & & aliud videretur.* Interrogabis; Si Chriſtus terrenum habuit corpus, quomodo eſt intelligendum, quod ait Apoſtolus 1. *Cor.* 15. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Reſpondet optimè Sanctus Thomas *quæſt.* 5. *art.* 2. Chriſtum dici de cælo cæleſtem propter duplicem rationem, quam ex antiquis Patribus deſumpſit. Prima eſt, quod perſonam habeat diuinam, quare etiam dicitur apud Ioann. *cap.* 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. Hanc rationem habet Nazianz. *in epiſtola* 1. *ad Cledonium*, *ante med.* quæ eſt oratio 51. Auguſtinus 13. *de ciu. c.* 23. & alij. Secunda ratio ſumitur ex mirabili corporis conceptione, quæ ſine ſemine per ſanctum Spiritum fuit, & in modo tota miraculoſa, & diuina. Sic Ambr. in hunc locum. Addi poteſt & alia tertia ratio, ob cæleſtem vitam, ſanctitatemque Chriſti. Quomodo Apoſtolus vocat homines ſanctos, cæleſtes; & malos, terrenos: *Qualis terrenus, tales eſt terreni; qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Sic Tertul. *lib. de carne Chriſti, c.* 8. Ad hanc tertiam rationem poteſt referri, quod Chriſtus fuerit comprehenſor, & beatus à conceptione. Ita Auguſt. 15. *de ciu. c.* 25. & alij.

4. Dubium eſt tertiò; an humanitas, vt ſubſiſtens, ſeu perſona humana, fuerit aſſumpta? Reſpondeo negatiuè. Id enim quod aſſumptum fuit à Verbo ita extitit in priori aliquo ſaltem naturæ, vt poſteà manſerit ſimul cum Verbo in Chriſto. Atqui perſona creata, & humana in nullo priori ante incarnationem extitit, nec manſit ſimul cum Verbo in Chriſto: alioquin eſſent duæ perſonæ in ipſo Chriſto, quod impium eſt, & neſtorianum. Ita bene Sanctus Th. *q.* 4. *art.* 3. & cum illo cæteri. Addo ego, quòd quamvis perſona creata præextitiſſet incarnationi, & Verbum diuinum aſſumpſiſſe concederetur humanitatem in tali perſona ſubſiſtentem; non tamen deberet concedi, aſſumptam eſſe perſonam creatam: natura enim ſubſiſtens amitteret ſtatim ac aſſumeretur, ſubſiſtentiam connaturalem, quæ (vt *in cap.* 1. viſum eſt) conſiſtit in incommunicabilitate, & totalitate, atque adeò perſeuerare nequiret, poſito quod natura inciperet communicari de facto diuinæ perſonalitati, ac pertinere ad nouum quoddam totum, eoque abſorberi. Non ergo humanitas, quantumvis in priori exiſtens, atque ſubſiſtens ſupponeretur, poſſet dici aſſumpta eſſe vt perſona.

5. Hinc apparet, quandoquidem nomen concretum, *homo*, ſignificat humanitatem, non quocumque modo, ſed formaliter vt ſubſiſtentem, non poſſe in rigore, & propriè dici, quòd Filius Dei aſſumpſerit hominem. Quare loquutionem eam, ſi in rigore ſumatur, iure Diuus Thom. citatus, & cuncti ſcholæ Theologi damnarunt. Dixi, in rigore: quia impropriè loquutionem illam vſurpaſſe aliquos Sanctorum Patrum inuenimus. Vt Ambroſium, & Auguſtinum *in ſuo hymno*; *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.* Necnon eundem Auguſtinum *lib. de prædeſtinatione Sanctorũ, c.* 15. *lib.* 9. *de ciu. c.* 17. & 21. *epiſt.* 66. & *alibi*; Damaſcenum *lib.* 3. *de fide, c.* 4. Boëtium *lib. de duab. naturis.* Eodem modo loquitur Concilium Alexandrinum *in epiſt. ad Neſtorium*, Toletanum I. VI. & XI. Francofordienſe *in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ.* Sed dicendum Sanctiſſimos hos Patres, per hominem, quem aſſumptum à Verbo aſſerebant, non intellexiſſe ſuppoſitum, ſiue perſonam: nihil enim aliud intelligebant, quàm humanitatem. Ita vt perinde apud illos eſſet, Filium Dei aſſumere hominem, ac Filium Dei aſſumere, vt eſſet homo, ſeu aſſumere denominationem, ſtatum, & conditionem hominis; quod fieri aliter non potuit, quàm vniendo ſibi naturam abſque perſonalitate creata; hoc eſt, non vniendo ſibi perſonam, ſiue hominem propriè in concreto, ſed naturam, & humanitatem in abſtracto. Temerè igitur Ludouicus Viues (*in librum* 9. *Auguſt. de ciu.*) nititur authoritate Sanctorum Patrum

trum

Digitized by Google

trum, vt carpat Theologos, prædictam loquutionem reiicientes. Non enim intellexit κυνολεξικὸς iſte Grammaticus, Sanctorum Patrum ſententias, cui ſatis eſſe debuerat Ciceronis epiſtolas interpretari. Sanè nos comperimus ita iam inualuiſſe vſum, vt nomen concretum, *homo*, naturam non nudam, ſed ſimul cum ſubſiſtentia ſumptam ſignificet. Quo poſito, nullus debet ampliùs dicere hominem fuiſſe aſſumptum.

6. Petes vtrum humanitas Chriſti, dum iuxta ſuperiùs dicta, perſonalitatem propriam, & connaturalem non habet, eam appetat. Nam vna ex parte videtur appetere, quandoquidem non amiſit eius appetitum innatum, ſeu capacitatem, quâ poſſet eſſe aliquod totum, atque ſubſiſtere in ſe. Ex alia verò parte videtur inconueniens, ſi dicatur humanitas in Verbo ſubſiſtens appetere creatam ſuam ſubſiſtentiam; ſic enim eſſet in ſtatu violento, & inquieto. Reſpondeo. Conſtat humanitatem ſubſiſtentem in Verbo non amiſiſſe capacitatem naturalem ad creatam ſubſiſtentiam. Conſtat item capacitatem huiuſmodi non impleri per ſubſiſtentiam Verbi. Eſt enim hæc valde diuerſa, & non poteſt tribuere formalem effectum eundem, quem creata ſubſiſtentia; nec recipitur in eadem potentia, quandoquidem recipitur in potentia obedientiali. Et nemo non videt, quòd vnio, ſeu aſſumptio hypoſtatica (per quam formaliter humanitas deſinit eſſe ſeorſim, & perdens ſuam totalitatem, incipit per modum partis reperiri in aliquo toto) non poteſt illi dare eam totalitatem, quam ab ipſa aufert; in qua totalitate ratio ſubſiſtentiæ naturalis formaliter conſiſtit. Vtrum autem capacitas prædicta, manens non impleta, debeat dici appetitus, pertinet ad quæſtionem de nomine. Non improbo quod aliqui aiunt, appetitũ in præſenti materia ſumptum eſſe per metaphoram ex appetitu elicito rectè inſtituto: appetitus autem elicitus rectè inſtitutus ceſſat, quando loco perfectionis, ſeu boni deſiderati maior perfectio, ſeu maius bonum habetur. Quare commodè dici poteſt humanitas in Verbo ſubſiſtens non appetere creatam, & connaturalem ſubſiſtentiam, ad quam tamen habet de ſe capacitatem, ſeu potentiam vacuam, & non actuatam. Quemadmodum ruſticus aliquis, ſi cùm eſſet ſui iuris, & in familia ſua dominans, in Regis familiam, & ad maximam ipſius Principis inter eius famulos gratiam admitteretur, nullum haberet prioris ſtatus, in quo ſui iuris, & in ruſtica familia dominus erat, appetitum.

7. Dubium eſt quartò, an Verbum aſſumpſerit humanitatem vltimò contractam per eius propriam, & creatam indiuidualitatem. Reſpondeo affirmatiuè. Nam omne quod exiſtit, debet eſſe indiuiduatum. Et quemadmodum non poteſt exiſtere per alienam exiſtentiam; ita non poteſt indiuiduari per differentiam indiuidualem alienam, vt conſtat ex Logicis, & Metaphyſicis, qui differentias indiuiduales à naturis ſpecificis indiſtinctas realiter eſſe tenent. Cùm ergo humanitas aſſumpta ſit vt exiſtens ſecundùm ſuum eſſe creatum, conſequens eſt, eandem aſſumptam eſſe vt indiuiduatam ſecundùm illud idem eſſe. Hæc noſtra reſponſio facilè etiam probari poteſt, quamvis vera eſſe ſupponatur doctrina Thomiſtarum, communiter aſſerentium res non à ſeipſis indiuiduari, ſed à partibus materiæ, aut in ordine ad partes materiæ. Nam etſi hoc eſſet, hummanitas Chriſti non deberet indiuiduari per Verbum, quandoquidem haberet ſuam propriam materiam, & quantitatem. Addo item, licèt aliunde concederemus humanitatem exiſtere per exiſtentiam Verbi, non tamen dicendum fore, illam per Verbum indiuiduari. Vt enim eſſentiam haberet propriam, ſic & differentiam indiuidualem.

CAPVT VIII.

Quæ partes humanitatis fuerint aſſumptæ?

1. MAGNA diuerſitas eſt inter partes humanitatis phyſicas. Aliquæ ſunt eſſentiales, quæ nimirùm pertinent ad primum illius conceptum, quales ſunt corpus, & anima. Nonnullæ verò ſunt integrantes, quæ variis item ſe habent modis. Vel enim ſunt præcipuæ, ac omninò neceſſariæ, cuiuſmodi ſunt cor, cerebrum, &c. Vel quamvis non ita ſint neceſſariæ, ſunt tamem manifeſtè animatæ, & continent organa ad vitales motus, operationeſque neceſſaria, vt oculi, manus, crura: in quibus etiam minores animatæ, & ad organizationem ſpectantes reperiuntur, vt fibræ, venæ, &c. Inter has autem partes manifeſtè animatas aliquæ in inferiori vitæ gradu animantur, vt oſſa, quæ tantùm vegetant: aliquæ in ſuperiori, vt caro, nerui, &c. quæ etiam ſentiunt. Atque de his partibus nullum eſt dubium, quin à Verbo fuerint immediatè, & in ſeipſis aſſumptæ. Nec nos de iis quicquam in præſenti quæremus. Cùm enim non mutilatam Deus humanitatem, ſed qualem in Adamo plantauit, aſſumpſerit; clarum eſt illum eſſentiales, & integrantes, ſine quibus deformis ac mancus eſſet homo, partes non omiſiſſe. Nec videri poteſt probabile, animam rationalem ſine adæquato ſuo ſubiecto fuiſſe ſuſceptam.

2. Sed præter iam enumeratas partes, nonnullæ aliæ integrantes reperiuntur, putà ſanguis cum aliis ſiue primariis, ſiue ſecundariis, vt Medici vocant, humoribus. Item ſpiritus vitales, & animales, pili, dentes, vngues, de quibus præſens mouetur controuerſia. Cùm enim vel certum, vel ſaltem probabile ſit, hæc non informari ab anima rationali, nec omnia coniuncta eſſe humano corpori cum vitali continuatione, & ſtabilitate, atque adeò non videantur mereri nomen partium integrantium, cenſuerunt aliqui Theologi, ea retinuiſſe ſubſiſtentiam creatam, nec per Verbum fuiſſe aſſumpta ſecundùm hypoſtaſim; hoc eſt, proximè, & immediatè per ſe; ſed ſolùm (quòd ſaltem negari ſaluâ fide non poteſt) in hypoſtaſi, hoc eſt, mediatè, & quatenùs ſunt in corpore immediatè vnito ipſi hypoſtaſi. Denique ſunt nonnulla, quæ in corpore humano videntur eſſe excrementitia, & nullo modo mereri nomen partis, v. g. lacrymæ, ſaliua, ſudor, &c. de quibus etiam quæri poteſt, num Verbo fuerint vnita?

An Chriſti ſanguis fuerit immediatè vnitus Verbo.

3. EST celebris in hac materia quæſtio de ſanguine, an immediatè fuerit aſſumptus? Negat Dur. *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 1. *num.* 19. Maironis *diſt.* 43. Gabriel *in canon. ſect.* 53. *litera* K. Ratio prima horum authorum eſt, quia Verbum eas tantùm partes aſſumpſit, quæ ab anima rationali informantur: Atqui ſanguis non informatur ab anima rationali: Ergo, &c. Maior probatur, quia Verbum non aſſumpſit corpus niſi mediante anima, vt cum Diuo Thoma docebimus capite ſequenti. Et ſanè eæ non ſunt propriè partes humanitatis, quæ non informantur ab

ab anima rationali humanitatem conſtituentem formaliter. Minor autem patet: nam communis eſt Philoſophorum, & Medicorum ſententia, ſanguinem, quemadmodum & reliquos humores, non viuere per animam præſertim rationalem; quandoquidem deſeruit in corporis alimentum, & eum Ariſtoteles *lib. 2. de partibus animalium, cap.* 3. ait eſſe alimentum vltimum, eſſe in venis tanquam in vaſe, hoc eſt, ſine continuatione vitali. Conſtat item ex eodem Ariſtotele *lib. 3. de anima, tex.* 45. *& alibi*, non poſſe alimentum informari anima ipſius viuentis; alioqui per nutritionem non conuerteretur alimentum in ſubſtantiam viuentis, nec tranſiret ſub huius formam, cùm eam haberet, nec in potentia eſſet ad ipſam, cùm conuerſio ſubſtantialis non poſſit habere locum inter res eiuſdem formæ.

4. Secunda ratio prædictorum Authorum eſt, quia Verbum non aſſumpſit plures naturas, ſed vnam tantùm, atqui aſſumpſiſſet plures, ſi cum natura animata aſſumpſiſſet ſanguinem. Nam cùm ſanguis habeat ſuam propriam formam ad gradum inanimatorum pertinentem, diſtincta natura eſt ab humanitate, quæ eſt animata. Confirmatur tertiò: nam in aliis hominibus ſubſiſtentia creata humanitatis tantùm terminat eas partes corporis, quæ informantur anima rationali. Neque enim poteſt ſanguis ea ſubſiſtentiâ terminari, cùm ſit ſubſtantia reapſe prorſus diſtincta ab humanitate. Quartò; ſi Verbum aſſumpſiſſet ſanguinem: Ergo eum, poſtquam per paſſionem effuſus fuit, reſumpſiſſet in reſurrectione. Atqui non reſumpſit, viſæ ſunt enim ſanguinis reliquiæ in terris poſt reſurrectionem. Quintò ſequeretur abſurda & indecens communicatio idiomatum. Sic enim Deus diceretur effundi, fluere, &c. Et contra, ſanguis eſſe Patri conſubſtantialis, eſſe creator mundi, &c. imò & duæ naturæ aſſumptæ; nempe humanitas, & natura ſanguinis poſſent de ſe inuicem in concreto prædicari; homo eſt ſanguis, ſanguis eſt homo: quin etiam ritè diceretur; caro eſt ſanguis, ſanguis eſt neruus, &c. quæ omnia non videntur toleranda.

5. Sextò formari poteſt hoc argumentum; quia qui tenent ſanguinem fuiſſe hypoſtaticè vnitum, propterea id aſſerunt, quod illius effuſio non videretur alioquin habere infinitum valorem. Atqui hæc ratio nihil valet: Nam ad pretium infinitum redemptionis noſtræ non fuit opus ſanguinem immediatè, & ſecundùm hypoſtaſin vniri Verbo: ſatis enim fuit, vt mediatè, & in hypoſtaſi aſſumptus eſſet. Nam effuſionis ſanguineæ, & oblationis illius valor non petitur ex dignitate ipſius ſanguinis effuſi; & oblati, ſed ex dignitate perſonæ illum per paſſionem voluntariam effundentis, & Deo offerentis. Quod apparet ex effuſione lachrymarum non vnitarum Verbo immediatè, quæ ſanè fuit infiniti valoris, quemadmodum & omnes actus liberè prodeuntes à Chriſto, quamvis ipſi ſecundùm ſe non ſubſiſterent immediatè in Verbo. Imò quamvis concederetur ſanguinem in Verbo immediatè ſubſiſtere, eſſet tamen ad infinitatem meriti, & ſatisfactionis impertinens huiuſmodi ſubſiſtentia: meriti enim, ſatiſfactioniſque infinitas non deſumitur ex infinitate rei oblatæ, ſed tantùm ex infinita dignitate perſonæ offerentis: alioqui cùm Beatiſſima Virgo Chriſtum pro nobis Deo Patri obtulit, ſatisfeciſſet infinitè; & contra dum Chriſtus obtuliſſet in Templo ſacrificium Agni, non fuiſſet eius oblatio infiniti valoris.

6. Dicendum nihilominus eſt, prædictam ſententiam eſſe pluſquàm falſam, nec poſſe hoc tempore defendi; fuitque à Clemente VI. & à Pio II. damnata, ſi fides habeatur Sylueſtro id teſtanti *in Roſa aurea, tract.* 30. *q.* 3. Nam cùm quidam Theologus Barcinone inter concionandum dixiſſet, ſanguinem Chriſti effuſum in paſſione, ſeparatum à Diuinitate fuiſſe; cùm tamen corpus, & anima Verbo manſiſſent vnita; Inquiſitor eam doctrinam damnauit vt hæreticam, & de mandato Clementis VI. fecit, vt prædicta propoſitio retractaretur publicè in Eccleſia Cathedrali. Reperiturque dicitur definitio Pontificis illius *in* 2. *parte Directorij Inquiſitorum, q.* 10. *num.* 1. Sic in VI. Synodo *act.* 1. fuerat damnatus hæreticus quidam, quòd aſſereret carnem, & ſanguinem in cruce fuiſſe dimiſſa; vbi Patres illius Concilij ſatis ſignificant ſe ſentire carnem, & ſanguinem pari modo fuiſſe aſſumpta. Eandem veritatem definiuiſſe viſus eſt Clemens VI. *Extrauag. Vnigenitus, de pœnitentiis, & remiſſionibus.* Vbi de ſanguine Chriſti ſic loquitur; *In ara crucis innocens immolatus non guttam ſanguinis modicam (quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet) ſed velut quoddam profluuium noſcitur effudiſſe.* Vbi illa Verba, *propter vnionem ad Verbum*, videntur meliùs referri ad ipſum ſanguinem, quàm ad totam humanitatem, ita vt ſignificetur vnio, quam ipſe ſanguis habebat, non autem vnio, quam habebat humanitas, prout à ſanguine diſtincta.

7. Sed notandum eſt hîc duplicem poſſe occurre quæſtionem circa hypoſtaticam vnionem ſanguinis cum Verbo: nempe, vtrum in incarnatione ſanguis fuerit aſſumptus, atque illud eſt, de quo diſputamus, & de quo intelligendum eſt quod hîc tanquam certum aſſerimus. Secundò poteſt moueri quæſtio de vnione hypoſtatica ſanguinis, vtrum ea cùm fuiſſet in incarnatione, perſeuerauerit in triduo mortis Chriſti. Hac enim de re ſub Clemente VI. anno 1352. & ſub Pio II. anno 1462. pugna fuit inter Franciſcanos negantes, & Dominicanos aſſerentes magna contentione propugnata. Et quamquam Sylueſter ſupra citatus, & quidam Dominicani dicant fuiſſe definitam partem aſſerentium, habetur tamen ex hiſtoria Eccleſiaſtica ad annos prædictos, tantùm abeſſe, vt ita ſit, vt Pius II. pro bono pacis vetuerit ſub pœna excommunicationis, ne vllus alterutram partem damnaret erroris, donec Sedes Apoſtolica aliquid pronunciarit, quod nondum fecit. Quare de ſanguine vt ſeparato per triduum mortis, nihil pronuncio. De illo tamen, ante ipſius effuſionem tenendum aſſero vt indubitatum, quòd fuit in incarnatione aſſumptus hypoſtaticè, cùm ob ea, quæ diximus, tum quòd Concilia, & Patres de aſſumptione ſanguinis non diuerſo modo loquantur, quàm de aſſumptione carnis: quaſi putent vtriuſque parem eſſe rationem. Sic in epiſtola Concilij Alexandrini, quæ eſt X. apud Cyrillum, recitata, & approbata in Concilio Epheſino, & Chalcedonenſi, *anathematiſmo* 5. Verbum dicitur particeps factum carnis, & ſanguinis. Qui modus coniunctim loquendi de carne, & ſanguine, quaſi vnitis Verbo, deſumptus eſt ex Paulo *ad Hebr.* 2. *Quia ergo*, inquit, *pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter* (Dei filius) *participauit eiſdem.* Illo modo loquendi vtitur ſæpe Cyrillus, vt cùm ait homilia habitâ in Concilio Epheſino: *Licèt enim Verbum Dei, cùm Deus ſit, carnem aſſumpſerit, ac ſanguinem*, &c. Reperiuntur & alij Patres ſimiliter loquuti.

8. Ratio autem à priori, cur Verbum ſine dubio ſanguinem ſibi vniuerit, petitur optima ex eo, quòd ſanguis pertineat ad veritatem, & integritatem humanitatis, ſecundùm communem Philoſophorum,

Digitized by Google

phorum, cæterorumque hominum conceptum; humanitatem enim nullus concipit ſine ſanguine. Quod ipſa etiam ſcripturæ phraſis confirmat, apud quam humanitas ſæpè vocatur caro, & ſanguis. Imò cenſetur vna ex præcipuis illius partibus, vtpotè viuificans, & animans quodammodo: vnde in illo reſidere ſpecialiter anima cenſetur, quamvis ipſum anima non informet. Nec enim neceſſe eſt, vt omne quod ad humanitatis integritatem pertinet, informetur anima rationali. Nam Ariſt. *libro* 7. *phyſic. textu* 11. ait aliquas animantis partes eſſe animæ expertes. Idem *libro* 1. *de hiſtoria animalium*, *capite* 2. & 8. ſanguinem inter partes animalis numerauit: quod & fecit Galenus *lib.* 2. *de elementis*, & Seneca *libro* 2. *quæſtion. natur.* ſic ſcribit; *Quaſi pars noſtri eſt ſanguis*, *&c.* Illo autem humanitatis conceptu præſuppoſito, quem infrà amplectitur Diuus Thomas *quæſtione* 34. *articulo* 1. *ad* 3. & *quæſtione* 76. *art.* 1. *ad* 2. aliique Theologi, qui proptereà docent *in* 4. *diſt.* 44. ſanguinem futurum in corporibus reſurgentium, etſi nutritio nulla ſit futura; clarum relinquitur ſanguinem in Chriſto fuiſſe immediatè aſſumptum hypoſtaticè. Nam Dei Filius non mutilam, ſed omnibus ſuis partibus completam humanitatem aſſumpſit: quemadmodum optimè Sanctus Leo ſignificat *ſermone* 8. *de natiuitate*, vtriuſque naturæ tantam eſſe factam in incarnatione communionem, vt quicquid eſt hominis, non ſit à diuinitate diuiſum.

9. Quæres, vtrum quæ dicta ſunt, intelligi debeant de toto Chriſti ſanguine? Reſpondeo affirmatiuè. Nec placet opinio Caietani, Syluestri, & aliquorum aliorum, qui duplicem in homine ſanguinem diſtinguunt; vnum nutrimentalem, qui non informetur anima, neque ſit plenè decoctus, nec requiratur ad integritatem humanitatis, ſed ſolùm ad alimentum: alterum perfectum, qui ad integritatem naturæ humanæ requiratur per ſe, & non ſolùm vt ſit alimentum; quamvis etiam ad hoc poſſit deſeruire ſecundùm quandam accidentalem transmutationem, non autem ſecundùm vllam ſubſtantialem; nam ſubſtantialiter hic ſanguis dicitur informari anima rationali. Quæ diſtinctio duplicis ſanguinis, fundamentum habet in Diuo Thoma *quodlibeto* 5. *articulo* 5. Dicunt porrò hi Doctores, non ſanguinem nutrimentalem, ſed ſolùm eum qui perfectus eſt, habuiſſe vnionem hypoſtaticam. At hæc doctrina falſa eſt, & periculoſa. Patres enim, & Concilia, dum Chriſti ſanguinem indicant fuiſſe ſecundùm hypoſtaſin vnitum, loquuntur de ſanguine omni, cùm de eo loquantur abſolutè, & indefinitè: Nam in doctrinalibus loquutionibus, propoſitio indefinita æquiualet vniuerſali; hæc autem vniuerſalitas eſt manifeſtè expreſſa in eo, quod dicit Clemens VI. quamlibet guttam ſanguinis effuſi, fuiſſe infiniti valoris propter vnionem. Quæ verba falſa eſſent, ſi valeret opinio Caietani, qui fatetur plurimas ſanguinis guttas, nempe totum ſanguinem nutrimentalem, quem Chriſtus effudit, non habuiſſe in ſe vnionem hypoſtaticam. Prætereà illa diſtinctio ſanguinis imaginaria eſt, nec ſecundùm Philoſophiam. Etſi enim quoad accidentalem perfectionem ſanguis poſſit eſſe magis, vel minùs purus; tamen ſubſtantialis diſtinctio nullo probabili ſigno colligi poteſt; quin potiùs totus ſanguis apparet eiuſdem modi, & rationis; totus eſt in corpore continuus, totus ad nutritionem, totus ad alias functiones deſeruit, licèt eò meliùs, quò purior.

10. Quæres ſecundò, vtrum ſuperior doctrina intelligi debeat de ſanguine Chriſti iam effuſo? Quòd enim ſanguis omnis poſt effuſionem ſui non habuerit vnionem hypoſtaticam, ſuaderi poteſt ex eo, quòd poſt Chriſti reſurrectionem pars eius notabilis manſerit in terris: perſeuerauit enim diu haud dubiè terra illo reſperſa, & rubefacta. Quod idem dicendum eſt de clauis, lancea, cruce, ſudario, & reliquis inſtrumentis Paſſionis, quæ, vt in aliquibus religioſè aſſeruatis apparet, retinuerunt maculas, notaſque ſanguinis. Item Nicephorus teſtatur *lib.* 1. *hiſtor. cap.* 30. *circa finem*, Beatiſſimam Virginem, cùm Ioanne ſanguinem, aquamque ex latere Chriſti profluentem excepiſſe vaſculo, & ſeruaſſe. Reſpondeo ad hæc, cùm, vt ſuperiùs diximus *num.* 7. habeamus ex hiſtoria Eccleſiaſtica verum non eſſe quod Syluester, & alij quidam Thomiſtæ ſuadere voluerunt, definitam eſſe à Sede Apoſtolica ſententiam eam, quæ aſſerit ſanguinem Chriſti manſiſſe triduo mortis vnitum hypoſtaticè Verbo; ſed potiùs habeamus, Pium II. vetuiſſe pro bono pacis, ne vllus alterutram in hac re ſententiam damnet erroris, donec ſuper ea controuerſia quid tenendum ſit, Apoſtolica Sedes declarauerit; non poſſumus quicquam quod omninò certum ſit, pronunciare. Meliorem tamen illam eſſe puto ſententiam, quæ ſanguinem aſſerit vnitum perſonæ Verbi perſeueraſſe vſque ad Chriſti reſurrectionem.

11. Verùm nihil eſt periculi, ſi contra Turrecrematam *in cap. Inuitat, de conſecratione diſt.* 2. dicamus Chriſtum in Reſurrectione totam eam ſanguinis non reſumpſiſſe copiam, quam effuderat, ſed eam dumtaxat menſuram, quæ præciſè requiſita erat ad integritatem corporis: plus enim haud dubiè Chriſtus in hac vita vegetabili, quæ per nutritionem conſeruabatur, habuit ſanguinis, quàm neceſſarium ſit poſt reſurrectionem ad vitam vegetationis expertem. Aliquid ergo ſanguinis relictum eſt in reſperſa humo, in ſudario, & reliquis huiuſmodi, quæ cruentata manſere poſt reſurrectionem. Aſſeruari potuit etiam quippiam in vaſculis, vt ſupra narrabat Nicephorus. Confirmaturque hæc doctrina authoritate Pij II. qui referente Sylueſtro, ait in Bulla quadam ad Abbatem monaſterij Sanctæ Mariæ Sanctonenſis, poſſe ſine errore affirmari, Redemptorem noſtrum de ſuo ſanguine, ob ipſius paſſionis memoriam, partem aliquam in terris reliquiſſe. Dicitur etiam Leonem III. ante annos 800. declaraſſe verum eſſe Domini ſanguinem, eum qui in Eccleſia Mantuana viſitur. Scribit etiam Matthæus Pariſienſis in Henrico III. Angliæ Rege, miſſum fuiſſe à Patriarcha Hieroſolymitano, vaſculum cum ſanguine Chriſti ad eundem Regem, & receptum eſſe cum incredibili celebritate, Epiſcopis prædicantibus, & rationem reddentibus de veritate eiuſdem ſanguinis.

12. Aſſero tamen huiuſmodi ſanguinem à Chriſto relictum in terris, formam ſuam breui tempore, corruptis eſſentialibus diſpoſitionibus, amiſiſſe, & ſaltem tunc in illo deſiiſſe vnionem hypoſtaticam; atque adeò non fuiſſe poſteà abſolutè, & in ſeipſo adorandum latriâ. Axioma verò illud; Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, intelligendum eſt dumtaxat de illis partibus, quas præcipuè aſſumpſit. Minùs enim præcipuas partes quotidiè dimiſſas eſſe à Verbo patet ex eo quod multæ quotidie corrumpebantur viuente Chriſto, qui proptereà indigebat nutritione: patet item ex ſpiritibus vitalibus, & animalibus, qui ſunt in perpetuo fluxu. Imò certum eſt, humanitatem in ſua totalitate ſumptam,

Digitized by Google

ptam, quæ ſanè præcipuè aſſumpta fuerat, deſtinctam in ſeparatione animæ, ac per conſequens dimiſſam fuiſſe à Verbo vſque ad reſurrectionem.

13. Obſeruandum etiam eſt circa ſanguinem, qui religioſè variis in Templis aſſeruatur, Chriſtique eſſe dicitur, non ſemper opus eſſe, vt id quod proponitur, ſit, aut fuerit verus Chriſti ſanguis; vt prudenter monet Sanctus Thomas *quæſtione* 54. *articulo* 2. *ad*. 3. & *quodlibeto* 3. *articulo* 5. fuerunt enim aliquæ Chriſti imagines, quæ percuſſæ vim liquoris ſanguinei per miraculum emiſerint; quem miraculoſum liquorem iure aſſeruarunt, & coluerint Eccleſiæ, vt habetur 4. *tomo operum Sancti Athanaſij in libro de paſſione illius imaginis Domini noſtri*, quam Berithi vrbe Phœniciæ aliqui Iudæi blaſphemiis & contumeliis iiſdem, quas ipſe Chriſtus paſſus erat, affectam, lanceâ tandem in latere percuſſerunt; vnde ſanguinis emanauit tantus torrens; vt ad multas orbis Eccleſias phialæ illo plenæ mitti potuerint.

14. Iam ſupereſt, vt breuiter ad rationes, quibus Authores *num*. 3. relati probare niſi ſunt, ſanguinem Chriſti non fuiſſe immediatè Verbo vnitum, reſpondeamus. Ad primam neganda eſt maior. Nam quamvis fatear ſanguinem non informari anima rationali, inficior tamen eas ſolùm partes vnitas fuiſſe Verbo ſecundùm hypoſtaſin, quæ informantur anima rationali. Omnes enim eæ vnitæ ſunt, quæ ad vnitatem, & integritatem naturæ humanæ pertinent, inter quas cenſendum eſſe ſanguinem, iam ſuprà probaui. Quomodo autem partes corporis intelligi debeant aſſumptæ mediante animâ, dicetur *cap. ſequenti*. Ad ſecundam nego, ſanguinem facere cum reliquis partibus humanitatis plures naturas; eſt enim ſubordinatus corpori, & animæ, atque ratione huius ſubordinationis facit cum illis aliquid per ſe vnum, ſecundùm vnitatem phyſicam. Ad tertiam nego in aliis hominibus ſanguinem per ſe ſubſiſtere, cùm non ſit aliquod totum per ſe completum, ſed ſit in toto tanquam pars. Ad quartam dico, non opus fuiſſe, vt Chriſtus in reſurrectione totum ſanguinem reſumeret, reſumpſitque tantùm eam quantitatem, quæ neceſſaria erat præcisè ad integritatem naturæ, & ad fouenda membra in ſtatu glorioſo. Quo autem modo in terris manſerint quædam ſanguinis Chriſti reliquiæ, iam antè dixi. Ad quintam reſpondeo non abſurdum videri in rigore, communicationes idiomatum inter ſanguinis naturam, & diuinam, quamvis minùs ſint vſitatæ, propterea quod natura ſanguinis ſit partialis, & de eo non loquamur, quaſi de ſuppoſito. Vtrum verò communicationes idiomatum debeant extendi ad naturas eas plures creatas, quæ in hypoſtaſi diuina ſubſiſtere intelliguntur, v.g. inter naturam ſanguinis, & naturas cæteras partiales humanitatem componentes: item, quod idem eſt, inter naturam Angeli, & naturam hominis, ſi ambæ ſubſiſterent in perſona diuina, videbitur in loco, dum agemus de communicatione idiomatum. Ad ſextum, negandum eſt, rationem, cur aſſeratur Verbum aſſumpſiſſe ſanguinem immediatè, hanc eſſe, quòd illius effuſio non videretur alioquin habitura infinitum valorem.

An cæteri humores, pili, &c. fuerint immediatè aſſumpti?

15. OCcurrit hîc pituita, bilis, & melancholia; item ſpiritus cùm vitales, tùm animales, aliique quidam humores ſecundarij, qui ex ſanguine formantur antequam alimenti vltima conuerſio fiat in ſubſtantiam animatam; putà ros, gluten, cambium, & ſi quis alius eſt innominatus. Occurrunt item illi humores, qui ſanguinem præcedunt, chylus, cremor, &c. Sunt & nonnulli alij, vt ſaliua, ſudor, lacrymæ, & ſimiles excrementitij. Præter humores iudicandum eſt hîc de pilis, dentibus, vnguibus: vt autem breuiter, & vna reſolutione de omnibus pronuntiemus, ponendum eſt pro fundamento, quod in hoc toto negotio debet eſſe inſtar regulæ; aſſumpta eſſe à Verbo ea omnia, quæ ad integritatem naturæ humanæ requiruntur. Cùm etenim fide conſtet Verbum naturam humanam aſſumpſiſſe, non poſſumus niſi temerè negare, illam naturam fuiſſe integram, ſunt etenim Dei opera perfecta. Nec vllus Deum incarnatum audeat appellare hominem incompletum, & mutilum. Porrò integritas naturæ humanæ debet æſtimari non ſolùm ratione partium animatarum, ſed etiam ratione aliarum, quas natura addidit vel in fomentum & conſeruationem vitæ, vel in inſtrumenta, aut conditiones ad operandum neceſſarias, vel in munimentum, & protectionem, vel etiam ad ſimplicem ornatum, & decorem.

16. Hoc poſito clara eſt reſolutio circa ſingula ſuperiùs enumerata; de quibus nullam expreſſam definitionem Eccleſiæ habemus. Dicendum enim eſt, Verbum ſecundùm hypoſtaſin aſſumpſiſſe primò pituitam, bilem, & melancholiam, cùm in nutrimentum aliquod cedant, & ad paſſiones animæ vel acuendas, vel retundendas valeant. Ita vt anima ſenſitiua non poſſit iis ſine magno defectu carere. Secundò ſpiritus vitales, & animales, cùm ſine iis nec vita foueri, nec ſenſationes exerceri valeant. Tertiò humores omnes ſecundarios, cùm ſint perfectiores, & alimentum propinquius, quàm ſanguis; nec deceat vnionis hypoſtaticæ interruptionem fieri in ſanguine, quando in rorem, & cambium mutatur, donec tandem animetur. Quartò puto ſaliuam eam, quæ ad os irrigandum ex naturæ præſcripto neceſſaria eſt, fuiſſe aſſumptam: nam ſine ea homo eſſet valdè imperfectus, cùm ſiccitatem in ore pateretur incommodam, nec cibos deglutire poſſet, nec loqui, &c. Quare non eſt putandum, ſaliuam, quanta ad prædictos effectus neceſſaria eſt, eſſe merè excrementitiam, quod inde apparet, quia in corporibus Beatorum aliqua haud dubiè ſaliua reperietur. Quod ſpectat ad lacrymas, ſudorem, & alios ſimiles humores merè excrementitios, certum eſt eos non fuiſſe per Verbum aſſumptos. Non enim ſunt humanæ naturæ partes, quæ illos expellit, nec in beatitudine ſecum deferet: quamvis lacrymarum, & ſudorum emiſſio, quæ per voluntarios affectus, & labores facta eſt, fuerit infiniti valoris. Circa dentes, & vngues (quicquid in contrarium dicat Vaſq. & alij) non dubitandum eſt, quin fuerint aſſumpti, cùm eos multi non ſine probabilitate putent informari anima rationali, & ſint ad corporis munimentum, & magnum ornatum: atque idem cenſeo de pilis, valent enim ad pulchritudinem hominis, cenſereturque defectuoſus homo, cui iſta deeſſent; & decaluatio paſſim in ſcriptura pertinet ad ignominiam.

CAPVT IX.

Quis fuerit ordo in partium aſſumptione.

1. ORdo vnionis hypoſtaticæ duplex hîc attendi poteſt in humanitatis partibus, vnus temporis, alter rationis, ſeu naturæ: idque comparando ipſas partes, vel cum ſuis compartibus, vel cum toto, nimirum cum humanitate. Ita vt quæramus, vtrum aliqua aſſumpta fuerit à Verbo priùs tempore, aut naturâ, quàm altera eius compars, vel quàm tota humanitas. Item vtrum aliqua pars aſſumpta ſit priùs quàm vniatur ſuæ comparti per naturalem vnionem; ſeu priùs quàm totalem humanitatem componat.

2. Dicendum eſt primò, nullam fuiſſe temporis prioritatem, aut poſterioritatem in aſſumptione partium, tum comparatarum inter ſe, tum comparatarum cum totali humanitate, ſed in eodem inſtanti vnitas inter ſe omnes partes per naturalem vnionem fuiſſe, aſſumptaſque hypoſtaticè, in quo & producta, & aſſumpta pariter fuit ipſa totalis humanitas. Concluſio eſt de fide. Nam primò contra Origenis deliria (qui ſomniauit, animam Chriſti fuiſſe ab initio, quemadmodum & omnes alias animas, creatam; & deinde virtutum ſuarum merito longè ante incarnationis tempus à Verbo aſſumptam; vt videre eſt 2. *periarch cap.6.*) definiuit Eccleſia, ipſam animam Chriſti non fuiſſe priùs creatam, aut vnitam Verbo, quàm coniuncta fuerit corpori. Sic definitum eſt in V. Synodo apud Nicephorum *lib. 17. hiſtoriar. cap.* 28. & apud Diuum Leonem *epiſt.* 11. Definitum etiam eſt in eadem Synodo, necnon in VI. Synodo *act.* 11. in Concil. item Epheſ. *can.* 13. contra quoſdam alios, carnem, ſeu corpus organicum non priùs extitiſſe, nec priùs aſſumptum eſſe, quàm animæ copularetur. Præterea contra Cherintum, & Neſtorium definiuit Concil. Epheſ. & Chalcedon. vt Suar. refert *diſp.* 16. *ſect.* 1. animam, carnem, ac humanitatem Chriſti nunquam extitiſſe ſine vnione hypoſtatica, quæ definitiones, vt attendenti patebit, noſtram manifeſte continent concluſionem. Per eas enim aſſeritur, Deum corpus, & animam, ac totalem humanitatem ſibi ita vniuiſſe, vt horum nihil ante, vel poſt generationem, ſeu conceptionem humanitatis ſibi vniuerit; ſed omnia in ipſo inſtanti conceptionis aſſumpſerit, & in illo naturæ ſigno, in quo humanitas ſi ſibi fuiſſet relicta, ſuam habuiſſet totalitatem, & integritatem, connaturalemve ſubſiſtentiam.

3. Dicendum ſecundò nihilominus, reperiri in aſſumptione hypoſtatica quendam ordinem inter corpus, & animam; imò inter animam, & mentem, ratione cuius ordinis dici debeat corpus aſſumptum eſſe mediante anima, animam autem mediante mente. Hæc concluſio eſt S. Thomæ *q.6. art.1. & 2.* necnon Magiſtri *in 3. diſt.* 2. omniumque ſcholaſticorum ibi; aitque Vaſques in expoſitione illius articuli primi, eſſe de fide. Et quidem VI. Synodus *act.* 18. in edicto fidei Conſtantini Pogonati aſſerit, *carnem mediante anima rationali, & intellectuali Verbum Dei ſibi compaginaſſe, atque formaſſe.* Hoc autem edictum approbatum fuit à Leone II. & à prædicta Synodo. Ita etiam Aug. *in epiſt.* 3. ait, *Deum animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum ſibi coaptaſſe.* Et *lib. de agone chriſtiano, cap.* 18. hæc habet; *Incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus ſuſcipiens*, &c. Eodem modo loquitur Nazianz. variis locis à Vaſq. citatis *diſp.* 37. *cap.* 5. vt cùm ait *orat.* quæ inter alias eſt 35. *Deum coniunctum eſſe carni per intermediam mentem.* Ita & Origenes περὶ ἀρχῶν *cap.6.* & Ruffinus *in expoſit. ſymboli.* Adde & Damaſc. cuius hæc ſunt verba *lib.3. de fide, cap.6. Verbum Dei per mediam mentem carni vnitum eſt, interiectam ſcilicet inter Dei puritatem, & carnis craſſitiem.* Cùm ergo inter carnis, animæ, & mentis ſumptionem aliquis ordo prioritatis, & poſterioritatis, ſiue dependentiæ, in quo prædictæ Sanctorum loquutiones fundentur, negari ſine errore non poteſt; nobis iam explicandum incumbit, in quonam talis ordo conſiſtat.

4. Et primò quidem non poteſt dubitari, quin animam inter, & corpus, atque item inter mentem & animam ſit inæqualitas dignitatis, ratione cuius inæqualitatis anima poſſit vocari prior, quàm corpus, & mens, quàm anima. Nam ex Ariſtotele *in poſtpredic. & 5. Metaphyſ. cap.* 11. inter modos prioris vnus eſt, quo aliquid dicitur prius, quia nobilius, & dignius eſt. Quemadmodum autem ob nobilitatem ſuam anima dici poteſt in ſe, & ſua entitate, prior, quàm corpus, & mens, quàm anima: ita etiam ob eandem nobilitatem dici poteſt prior ſecundùm aſſumptionem: ita vt mens priùs aſſumpta dicatur, quàm anima; & hæc priùs, quàm corpus. Tum quod aſſumptio terminata ad nobilius extremum, nobilior in ſe quodammodo ipſa eſt, atque adeò prior. Tum quia Verbum intendit ſibi priùs vnire id quod nobilius, ac dignius eſt, nempe mentem priùs, quàm animam; animam, quàm corpus. Nec enim voluit vnire ſibi corpus, niſi propter animam, nec hanc niſi propter mentem. Præterea conſiderandum eſt, quod licèt Deus per ſuam potentiam abſolutè, ac ſimpliciter queat ſibi vnire corpus inanimatum, & animam irrationalem, non tamen id decet. Quare congruitas petit, vt corpus ſit animatum, & anima ſit intellectiua ad hoc, vt aſſumatur à Deo. Vnde dici poteſt (quod in eo ſenſu nullus negabit) corpus aſſumi per animam, ſeu mediante anima; animam pariter per mentem, ſeu mediante mente.

5. Ex dictis vides primò aſſumptiones prædictas habere ordinem prioritatis, ob triplicem cauſam. Prima eſt ob maiorem nobilitatem, cùm aſſumptio mentis ſit nobilior aſſumptione animæ, & aſſumptio animæ, aſſumptione corporis. Secunda eſt ob intentionem aſſumentis Verbi, quæ illas aſſumptiones dicto modo ſubordinat, & vnam vult propter aliam; ſiue (vt in præſenti materia loquuntur Theologi) vnam mediante alia. Tertiò ob congruitatem, ratione cuius nec anima capax eſt vt vniatur, niſi quaſi diſponatur per mentem; neque corpus, niſi quodammodo diſponatur per animam, aut per ordinem ad animam. Harum autem cauſarum prima non ſufficeret ad hoc, vt dicere poſſemus corpus aſſumi mediante anima, & animam mediante mente. Non enim per eam importatur vlla dependentia, quam ſignificat is dicendi modus. Sufficiunt tamen ad hoc duæ vltimæ, & dependentiam ſatis important.

6. Secundò intelligis contra Durandum, prioritatem, & poſterioritatem, quæ in aſſumptione partium humanitatis reperitur, non eſſe tantùm per rationem, ſed etiam ex natura rei. Voluit enim hic Doctor *in 3. diſt.2. quæſt.2.* ordinem, propter quem Patres dixerunt animam ob mentem, & corpus ob animam aſſumi hypoſtaticè, non eſſe petendum ex re ipſa, ſed tantùm ex cogitatione noſtra, mentem, animam, & corpus ita ordinante, propter diuerſos gradus nobilitatis; & propterea, quòd fructus redemptionis

demptionis, quò referri debet tota incarnatio, magis ad mentem, quàm ad animam, & magis ad animam, quàm ad corpus pertineat. Quod autem de reliquo nullus ordo prioritatis inter illa ſit ex natura rei, probat: quoniam nullus poteſt eſſe ordo ex parte aſſumptionis, non etiam ex parte rerum aſſumptarum. Non quidem primò ex parte aſſumptionis: nam ordo eſt habitudo plurium ad vnum primum; quocirca vbi non eſt diſtinctio ex natura rei inter plura, non poteſt eſſe ordo ſecundùm naturam. Cùm igitur vnica tantùm ſit aſſumptio totius, & partium, non poteſt eſſe ordo ſecundùm naturam ex parte aſſumptionis inter totum, & partes, aut inter partes ipſas inuicem collatas. Sed nec ſecundò poteſt eſſe aliquis ordo ex parte rerum aſſumptarum, vt patet ex eodem fundamento. Nam ordo ſecundùm naturam intelligi non poteſt inter illa, quæ ſunt idem ſecundùm rem: totum autem, & partes, provt aſſumptæ, idem ſunt ſecundùm rem, imò & ſecundùm rationem: partes enim non fuerunt aſſumptæ à Verbo, quatenus ſeparatæ inter ſe, ſed quatenus vnitæ: partes autem vt vnitæ inter ſe idem ſunt ſecundùm rem, imò & ſecundùm rationem, cum toto: Ergo inter partes provt aſſumptas, & totum non eſt ordo ſeccundùm naturam, & ſecundùm rem.

7. Sed hæc doctrina Durandi non placet. Nam & ex parte aſſumptionis, & ex parte rerum aſſumptarum eſt ſufficiens diuerſitas, ſeu pluralitas ad conſtituendum realem ordinem. Cùm enim Verbum aſſumpſit animam & corpus, duæ fuerunt partiales aſſumptiones. Nec enim verum eſt animam, & corpus fuiſſe aſſumpta provt à ſe inuicem indiſtincta, & provt inuicem per naturalem vnionem copulata, & confuſa cum totali humanitate: ex quarta enim concluſione patebit inferiùs, aſſumptionem animæ & corporis factam in priori naturæ, eſſe ante naturalem inter ipſa vnionem, & totalis humanitatis compoſitionem. Addo, quamuis mentem inter, & animam non ſit realis diuerſitas, formaliſque pluralitas, qualis eſt inter animam, & corpus; tamen eſſe aliquam ex natura ipſius rei virtualem diuerſitatem, ac pluralitatem.

8. Dicendum Tertiò, probabilius videri, quòd totius humanitatis aſſumptio ſit poſterior ſecundùm ordinem exequutionis, aſſumptione animæ, & corporis, licèt ſecundùm ordinem intentionis ſit prior. Quare poteſt diuerſo reſpectu dici totalem humanitatem aſſumptam eſſe mediante anima, & corpore; & è contra, animam, & corpus aſſumpta eſſe mediante aliquatenus totali humanitate. Concluſio iſta quæ contra Durandum ſupponit, ponendum eſſe aliquem ordinem inter aſſumptionem partium, & aſſumptionem humanitatis totalis, eſt Diui Thomæ, & aliorum multorum. Primum eius membrum probatur à Suare, ex eo quòd connaturaliter in creatis ſuppoſitis compoſitionem partium habentibus, v.g. in nobis, partes concipiantur vt exiſtere ſic, & ſubſiſtere per partiales ſubſiſtentias priùs naturâ, quàm totum ex iis conflatum ſubſiſtat. Vnde conſequens videtur, vt in Chriſto vnio hypoſtatica, ſeu applicatio ſubſiſtentię diuinæ, fiat eodem etiam ordine, ſuccedit enim ſubſiſtentia diuina in locum ſubſiſtentiæ creatæ, ac naturalis; eodemque ſe modo, & ordine proportionaliter, quo iſta habere debet. Ego tamen illo nequaquam vti poſſum argumẽto, qui ſubſiſtentiam in creaturis naturalem, quæ partialis ſit, & per quam partes in priori, quàm totum, ſubſiſtant, nullam agnoſcam. Vidimus enim alibi, creatam ſubſiſtentiam aliud nihil eſſe, quàm totalitatem. Quare vt ens aliquod per ſe ſubſiſtat, debet iam eſſe completum totum, quod ita in ſe claudatur, vt ad aliud pertinere non poſſit. Igitur ſi ordinem, ac proportionem creatæ noſtræ ſubſiſtentiæ ſequeremur, dicendum eſſet cum Valque, & aliis quibuſdam, vnionem hypoſtaticam factam non fuiſſe priùs naturâ in anima, & corpore, quàm in totali humanitate; ſed tunc incepiſſe, quando poſt naturalem corporis, animæque inter ſe coniunctionem, ſubſiſtentia creata oritura naturaliter, niſi impediretur, fuiſſet.

9. Verumtamen non videtur eadem proportione, nec eodem ordine philoſophandum de ſubſiſtentia corporis, & animæ Chriſti, deque totali eius humanitate, quo philoſophamur de ſubſiſtentia creata corporis, animæ, humanitatiſque noſtræ: nam cùm in nobis ſubſiſtentia conſiſtat formaliter in totalitate, & quadam incommunicabilitate, ac per conſequens nequeat competere partibus, quæ toti communicantur, nec ipſæ totalitatem habent; certum eſt in Chriſto ſubſiſtentiam non eſſe totalitatem huiuſmodi, ſeu incommunicabilitatem; ſed eſſe ipſummet Verbum, quod non ſolùm toti humanitati, ſed etiam ipſis huius partibus vnitur; imò nec toti poteſt vniri humanitati, niſi quatenus ſingulis eius vnitur partibus. Dico autem ipſum in priori vnitum eſſe iſtis, quàm illi. Imò certum eſt, vnionem hanc Verbi, quatenus terminatam ad corpus, & animam, non requirere totalis humanitatis compoſitionem, & exiſtentiam, ſed ab hac eſſe independentem. Eſt enim de fide, quòd poſt diſſolutionem totalis humanitatis, ſeu poſt mortem Chriſti, vnio hypoſtatica exiſtentiam habuit in corpore, animaque ſeorſim ſumptis. Vnde ſumitur argumentum pro noſtra ſententiâ. Nam hac poſita veritate, quod vnio hypoſtatica partium ſeorſim ſumptarum non pendeat ab exiſtentia totalis humanitatis, videtur omninò dicendum, corpus, & animam aſſumpta fuiſſe hypoſtatice in priori, quàm naturali inter ſe vnione coniungerentur, & totius humanitatis exiſteret generatio. Non enim eſt vlla ratio, cur Deus, qui ipſas partes ſecundùm ſe, ac ſeorſim ſumptas volebat per ſubſiſtentiam Verbi independenter ab earum toto ſubſiſtere, quemadmodum patet ex triduo mortis, expectarit productionem, ac generationem totalis humanitatis ad hoc, vt illas initio aſſumeret, vnionemque hypoſtaticam ſubordinaret, ac poſtponeret vnioni earum inter ſe naturali: quamquam id, ſi voluiſſet, facere poterat; cùm hoc totum pendeat à ſola intentione agentis, provt vnum ex intuitu, ac præſuppoſitione alterius operari eligit; ſed conuenientius videtur, vt prædictæ partes humanitatis, quemadmodum priùs naturâ ante ſuum totum extiterunt, ſic & priùs naturâ aſſumptæ ſint, quoad ordinem exequutionis. Quod addo, quia ordine intentionis prior fuit vnio Verbi ad totalem humanitatem, vt infra dicam *num.* 12.

10. Iuxta præcedentem doctrinam meliùs, ac plauſibiliùs explicatur, quomodo naturalis generatio, & conceptio Chriſti humana, fuerit generatio verè Dei: quatenus partes in eo ſigno rationis, in quo inter ſe coniungebantur, & in quo generabatur totum, vnitæ iam fuerant Verbo. Vnde item bellè intelligitur, quomodo Beatiſſima Virgo ſit in ſummo rigore dicenda Mater Dei. Meliùs, inquam, id intelligitur ex noſtro philoſophandi modo, quàm ſi id, quod per Virginem Matrem generatum eſt, non fuiſſet vnitum Verbo in illo priori naturæ, cùm generabatur; ſed fuiſſet mera creatura aſſumenda à Verbo in rationis ſigno tantùm ſubſequenti; quemadmodum voluerunt Scotus, & Paludanus, quos ſequitur

tur Vaſq. *diſp.*32. *c.* 2. & *d.* 39. *c.* 3. In horum ſanè ſententia B. Virgo non generauit Deum, niſi in ſenſu diſiuncto, & velut materialiter: Non enim generauit eum, qui in eo ſigno, in quo generabatur, Deus eſſet, ſed naturam, quæ poſteà deſinens eſſe pura creatura, fuit Dei. Atque ita Virgo fuit priùs mater, quàm Mater Dei.

11. Peto inſuper à prædictis Authoribus, quomodo vnio hypoſtatica potuerit poſt deſtructionem humanitatis in mortis triduo conſeruari, ſi ea dependebat ab humanitatis totalitate, nec exiſtebat niſi ex huius intuitu? Nimiſque abſurdum, ac voluntarium eſt, quod aliqui reſpondent, vnionem huiuſmodi à totalitate humanitatis pendere quidem in fieri, ſed non in conſeruari. Nec multò melius, quod Vaſques ait, deſiiſſe quidem in morte Chriſti vnionem hypoſtaticam, quæ in totali humanitate extiterat, vtpotè ab hac dependentem, ſed aliam in partibus de nouo productam. Nemo non videt id meram eſſe diuinationem, nec ſatis quadrare menti Sancti Leonis *ſerm.*9. *de natiuit.*& *ſerm.*10. 17.& 19.*de paſſione*; non etiam Sancti Bernardi *lib.*5.*de conſider.* & aliorum, qui non ſolùm aſſerunt animam & corpus manſiſſe vnita Verbo, ſed etiam priorem vnionem illarum partium indiſſolubilem permanſiſſe. Præterea Patres aiunt animæ vnionem, quæ eſt ad Verbum, maiorem ac perfectiorem eſſe, quàm eam, quæ eſt eiuſdem animæ ad corpus, quia hæc diſſolui potuit, non illa.

12. Reſtat vt poſt probatum, & explicatum prius concluſionis membrum; nempe quod aſſumptio hypoſtatica humanitatis totaliter conſideratæ, poſterior ſit ſecundùm exequutionis ordinem aſſumptione corporis, & animæ; nunc alterum membrum explicemus. Et quidem quòd ſecundùm intenſionis ordinem humanitas totalis priùs aſſumpta ſit, quàm illius partes, indubitatum eſt. Nam totalis natura cenſeri debet finis perfectionum omnium, quæ in partibus reperiuntur. Atque ita prima Verbi intentio directa eſt immediatè ad ipſam naturam totalem aſſumendam; & deinde ad eius partes conſequenter, ac velut mediatè. Vnde clarum manet vltimum concluſionis membrum, nempe dici aptè poſſe, ſi attendamus ordinem intentionis, quòd partes humanitatis aliquo modo mediate totali humanitate vnitæ fuerint Verbo; quemadmodum attendendo ordinem exequutionis dicere debemus, totalem humanitatem à Verbo aſſumptam mediantibus ſuis partibus.

13. Contra primam concluſionis partem obiici poteſt primò: Si corpus, & anima ſint in priori vnita Verbo, quàm tota humanitas conſtituta ſit, & in Verbo ſubſiſtat: ſequitur à Verbo nihil aliud fuiſſe aſſumptum, quàm partes humanitatis: poſito enim quod partes ipſas Verbum aſſumpſerit in priori ante humanitatem, non apparet quomodo poſteà humanitatem in ſua totalitate conſtitutam aſſumere potuerit: nam ſi poſteà per nouam vnionem hypoſtaticam aſſumpta ſit totalis humanitas, oportet vi nouæ talis vnionis aſſumi partes vt iam vnitas, & ſimul ſumptas: humanitas enim totalis nihil eſt aliud præter ipſas, atque ita partes fuerint bis aſſumptæ, nēpe ſemel in priori ante conſtitutionem humanitatis, & ſemel iterum in poſteriori. Si autem per nouā vnionem non aſſumi dicatur humanitas, poſtquā in poſteriori conſtituta eſt, clarum relinquitur, nullam aliam in Chriſto eſſe vnionem hypoſtaticā, quàm eam quæ in priori erat, & ad ſolas partes pertinebat: ſicque humanitas per ſe, & formaliter ſumpta non vnietur Verbo niſi remotè, mediatè, & ratione partium.

14. Ad hanc obiectionem reſpondet Suares, vniones hypoſtaticas partiales corporis, & animæ, factas ante conſtitutionem humanitatis, non manere in poſteriori inuariatas, ſed ſe habere nouo modo, quatenus datur inter illas vinculum aliquod phyſicum, per quod ex duabus partialibus fit vna totalis vnio hypoſtatica, vi cuius humanitas integra immediatè, & ratione ſui aſſumitur. Nec enim vnio totalis hypoſtatica partes ſeorſim ſumptas, ſed humanitatem vt totalē reſpicit primò ac per ſe, & immediatè: hæc autem vnio totalis hypoſtatica non eſt cenſenda animam & corpus iterum Verbo vnire, quaſi ſecunda quædam aſſumptio prioribus partialibus aſſumptionibus ſuperaddita. Non enim eſt ab iis prorſus diſtincta, ſed eas eſſentialiter includit, cùm ex ipſis intrinſecè componatur, nec alio modo humanitatem vt totalem Verbo vnit, quàm quatenus partiales eæ vniones, ex quibus conſtat, coniunctæ inter ſe, & ſimul ſumptæ ipſas humanitatis partes inter ſe item coniunctas, & ſimul ſumptas ipſi Verbo vniunt.

15. Meliùs quàm Suares obiectioni propoſitæ reſpondet Antiſſiodorenſis 3. *lib.ſum.tract.*1.*c.*1.*q.*2. aſſerens, poſtquam in priori naturæ corpus & anima Chriſti fuerant vnita Verbo per duas partiales vniones, non acceſſiſſe vllam aliam in poſteriori vnionem totalem; ſed hoc ipſo, quod anima, & corpus per naturalem inter ſe coniunctionem inceperunt humanitatem integram conſtituere, prædictæ partiales vniones hypoſtaticæ ſimul ſumptæ inceperunt quaſi componere vnum aggregatum, quod per mutuam approximationem, ſeu immediationem, & ſpecialem earum inter ſe ordinem dici quodammodo poteſt vna totalis vnio hypoſtatica. Clarumque eſt, totalem humanitatem per huiuſmodi partialium vnionum hypoſtaticarum aggregatum, aſſumptam ſufficienter fuiſſe. Impoſſibile namque eſt, vt humanitatis partes à Verbo aſſumptæ coniungantur inter ſe, quin totale eſſe humanitatis intelligatur aſſumptum; quandoquidem poſtquam inter ſe coniunctæ ſunt, manent aſſumptæ à Verbo, & vt tales humanitatem, ſeu potiùs hominem totalem conſtituunt. Atque ſic omne eſſe, quod ex illis conſurgit, quantum ſatis eſt, vnitur Verbo, quatenus quidquid in humanitate capax eſt vnionis hypoſtaticæ, vnitum ipſi Verbo eſt (& quidem nouo quaſi titulo, poſtquam totum ex illis factum eſt) nempe anima, & corpus: præter quæ duo nihil eſt in humanitate aſſumibile per ſe, & immediatè; modus enim vnionis naturalis, quo corpus animæ, vt potentia ſuo actui nectitur, non eſt aliter aſſumibilis, quàm quatenus partiales corporis, & animæ entitates, à quibus ipſe eſt realiter indiſtinctus, vt inter ſe iunctæ, & per dictum ipſum vnionis naturalis modum modificatæ perſeuerant terminare ſupernaturalem Verbi vnionem, quam iam in priori cœperant habere. Nec probabile eſt, quod contra hoc addit Suares, vnionem ipſam naturalem, quæ eſt inter animam, & corpus, quamque ipſe ſupponit eſſe entitatulam ex natura rei à ſuis extremis diſtinctam, vniri ſubſiſtentiæ diuinæ per vnionem hypoſtaticam; ita vt detur vnio vnionis. Conſtat quàm illud abhorreat à noſtra doctrina, quæ vnionum entitatulas ab extremis diſtinctas non agnoſcit.

16. Atque quod dictum eſt de vnione naturali, quā corpus, & anima copulantur vt potentiæ, & actus, dicendum item de omnibus vnionibus partium quarumcunque corporis Chriſti; ſiue illis quæ ſubiecto vniunt formas talium partium conſtitutiuas, putà formam carnis, formam nerui, formam oſſis, itemque formam pili, formam vnguis, formam dentis, &c. ſiue illis quæ partes integrantes partibus ſimiliter integrantibus connectunt, putà medietatem digiti

Digitized by Google

digiti alteri medietati, caput collo, collum pectori: quales vniones infinitæ in partibus proportionalibus, iuxta communiorem ſententiam, reperiuntur. Eaſque certum videtur, non debere per ſeipſas immediatè vniri Verbo, & aſſumi hypoſtaticè: quemadmodum enim, vt quantum aliquod coloratum videatur, & producat ſpeciem intentionalem, non eſt opus, vt vniones ipſæ partium integrantium videantur,& producant ſui ſpeciẽ, ſed ſatis eſt, quod partes omnes videantur,& ſpeciem producant per actiones partiales, quæ ſine immediata vnione faciant vnam totalẽ actionem, identificatam ſcilicet cum prædictis ſolis partibus viſibilibus: ſic ad hoc vt totum Christi corpus,& tota humanitas verè vniatur Verbo, & aſſumatur hypoſtaticè, ſufficit quod partes vnitæ aſſumantur,non aſſumptis earum vnionibus.Quod valet contra ſupradictam opinionem Suaris, iuxta quam deberent eſſe infinitæ vniones hypoſtaticæ vnionum naturalium infinitarum.

17. Obiici poteſt ſecundò, ſubſtantias eas omninò corporeas, & formis materialibus conſtantes, quas Verbum aſſumpſit, putà ſanguinem, capillos, &c. debuiſſe neceſſariò conſtitutas eſſe in ſua totalitate per vnionem naturalem materiæ, & formæ, in priori antequam ipſarum formæ intelligantur eſſe vnitæ Verbo. Patet. Nam iſtarum ſubſtantiarum formæ non exigunt ſubſiſtentiam, niſi de ratione totius; quandoquidem ratione ſui inhærent,& à materia, perinde ac ſi accidentales eſſent, dependent. Et cùm non priùs exiſtant,quàm ſuo vniantur ſubiecto, vtpote productæ per eductionem, & dependenter ab ipſo ſubiecto,clarũ eſt,non poſſe ſubſiſtere ſecundùm ſe ſeorſim, & in priori, quàm totum exiſtere, ac per conſequẽs ſubſiſtere intelligatur.Atque ita ipſę nullo modo aliter à Verbo aſſumptæ ſunt,quàm ratione totius,ſeu mediante toto. Reſpondeo, id omne,quod obiectio proponit,concedendũ videri in his ſubſtantiis omninò corporeis, quarum formæ ſunt à materia eductæ. Nec enim de huiuſmodi ſubſtantiis eodem modo philoſophandum eſt, quo de totali humanitate, cuius formam, nempe animam rationalem, conſtat aſſumptam eſſe à Verbo ſecundùm ſeipſam,& independenter à totalitate humanitatis; cùm poſt diſſolutionem humanitatis perſeuerarit,vt ante,in Verbo ſubſiſtere, quemadmodum oſtendit experientia; cuiuſmodi experientia non habetur ratione formarum materialium ſanguinis, pili, dentis, oſſis, &c. Nunquam enim tales formæ manſerunt vnitæ Verbo extra ſubiectum,& poſt totius, quod conſtituunt, diſſolutionem.

18. Petes vtrum illæ prædictæ formæ materiales, quæ ſubiectis inhærent, & quibus non debetur naturalis ſubſiſtentia ad ipſas immediatè terminata, aſſumptæ fuerint ſecundùm ſeipſas à Verbo, & illi immediatè vnitæ? Videtur enim nihil, quod actualem inhæſionem habeat,eſſe capax immediatè aſſumptionis,ſiue vnionis. Nam alioqui ſubſiſteret ſimul per ſubſiſtentiam Verbi,& inhæreret materiæ: quod non minùs repugnat, quàm vt aliqua forma & per ſeipſam naturali ſubſiſtentiâ ſubſiſtat, & ſimul inhæſione dependeat à ſubiecto. Reſpondeo, tales formas cùm ſubſtantiales ſint, & eſſentialiter conſtituant compoſitum illud quod à Verbo aſſumptum eſt, fuiſſe in ſeipſis verè aſſumptas, ac immediatè vnitas ipſi Verbo; non tamen niſi in poſteriori naturę,quàm in ſubiecto habeant naturalem vnionem, nec niſi ex intuitu totius compoſiti, quo nimirum mediante intendit Deus formas huiuſmodi Verbo vnire. Quamuis autem repugnet aliquid ſimul & inhærere materiæ, ſeu quacumque ratione eſſe in toto, & per ſubſiſtentiam naturalem ſubſiſtere: non tamen item repugnat & inhærere, ſeu eſſe in toto, & ſimul per ſubſiſtentiam Verbi ſubſiſtere. Quandoquidem ſubſiſtentia naturalis, cùm non ſit aliud, quàm incommunicabilitas, & formaliter ſit in totalitate, & per eam res non in alio, ſed in ſeipſa ſubſiſtat; mirum non eſt, ſi abſolutè repugnet communicationi, quæ fit per inhæſionem, & cuicumque rationi partis. At verò alia hîc ratio eſt de ſubſiſtentia Verbi, per quam humanitas, quæ illi hypoſtaticè vnitur, non conſtituitur ſubſiſtens in ſeipſa, & incommunicabilis, & totalitatem habens, ſed potiùs conſtituitur vt ſubſiſtens in alio, & actu communicata Verbo. Dico autem, quòd non ita repugnat aliquam rem ſimul & eſſe in Verbo, & ſimul eſſe incluſam vt partem in toto ſubſiſtente non in ſe, ſed in ipſo Verbo, aut etiam eſſe inhærentem ſubiecto; quemadmodum contradictorium eſt, illam eſſe & in ſeipſa incommunicabilem, & eſſe in alio, ſeu eſſe communicatam alij.

19. Denique petes; quid ſi alicuius totius pars vna ſola fuiſſet à Deo aſſumpta, & non altera? v.c. ſi hominis anima ſola, & non corpus vnionem haberet hypoſtaticam? Reſpondeo, in eo caſu anima ſola ſubſiſteret, & quidem in Verbo ſolo, non autem in toto naturali, quod cum corpore componeret. At verò corpus nullam ſubſiſtentiam haberet; non in Verbo, vt ſupponitur: non etiam in toto quod componit, quia ipſum totum non eſſet verè totum ſubſiſtens; nec ſui eſſet iuris; cùm partem eius, nempe animam, Verbum ei eripuiſſet, ac tanquam ſuam ſibi aſciuiſſet. Quare illud nouæ conditionis compoſitum ex tali anima, & corpore non vocandum foret homo, cùm non foret totum quod adæquatè ſubſiſteret: ſed ex parte quidem animæ foret Deus, ex parte autem corporis foret humanitas inadæquata non ſubſiſtens.

CAPVT X.

An Deus rem quamcumque creatam ſibi poßit hypoſtaticè vnire.

1. DVBIVM hîc moueri ſolet de perſonalitate ipſa, ſeu de natura perſonalitatem retinente; præterea de natura Angelica, tum de irrationalibus, ac denique de forma accidentali.

Dico primò: non poteſt Deus aſſumere perſonalitatem connaturalem creaturæ, ſeu naturam quampiam, quæ perſonalitatem propriam retineat poſt aſſumptionem: poteſt tamen eam perſonæ præexiſtentis naturam aſſumere, quæ perſonalitatem ſuam abiiciat adueniente vnione hypoſtatica. Prior pars concluſionis eſt certa. Et quidem ſi perſonalitatem ſumamus in abſtracto, prout eſt modus virtualiter à natura, cui aduenire, adimique poſſit, diſtinctus; nemo non videt impoſſibile eſſe, quòd is modus tam præcisè ſumatur, ac diuinæ ſubſiſtentiæ vniatur, vt non ſecum ipſam naturam, quam modificat, inuoluat. Nihil enim is aliud eſt, quàm ipſius naturæ, prout in ſe completæ totalitas, iuxta noſtram ſententiam. Et quamuis de perſonalitate non aliter, quàm ij, qui eam volunt eſſe quandam entitatulam, philoſopharemur; tamen clarum eſſet, illam hypoſtaticè inaſſumibilem eſſe. Quis enim non videat repugnare, vt modus exiſtendi per ſe, & incommunicabiliter, ſic alieno ſuppoſito communicetur, vt in

Digitized by Google

in illo ipſe ſubſiſtat? Fatentur omnes, perſonalitatem eſſe ex ſuo conceptu terminum vltimum ſubſtantiæ: repugnat ergo illi ab alio terminari. Confirmatur à pari. Nam quamuis Deus poſſit accidens conſtituere quaſi per ſe, tamen quòd ipſa actualis inhærentia eius per ſe ſubſiſtat, clara eſt contradictio. Ergo & ſubſiſtentiam per ſe, implicat ſubſiſtere per aliud.

2. Secundò ſi non præcisè, ac in abſtracto perſonalitatem, ſed in concreto perſonam, ſeu ſubſtantiam, provt affectam naturali perſonalitate ſumamus, manifeſtum etiam eſt, illam incapacem eſſe vnionis hypoſtaticæ. Nam perſonalitas connaturalis creaturæ nihil eſt aliud in ea ſubſtantia, quàm afficit, præter exercitium, quo talis ſubſtantia ſubſiſtit per ſe, hoc eſt, exiſtit in ſeipſa incommunicabiliter, & non in alio. Ita vt huiuſmodi exercitium, quamuis ſit aliquid poſitiuum, importet tamen inſeparabiliter excluſionem, ſeu negationem alterius ſuſtentantis hypoſtaticè. Ille enim eſt conceptus ſubſiſtentiæ; & contrarium aſſerere, voluntarium eſſet, ac alienum à ſenſu Sanctorum Patrum, qui collegerunt, Chriſtum non habere creatam perſonalitatem, ex eo quod habeat diuinam. Nempe intelligebant creatam perſonalitatem propriam cum alienâ ſimul perſonalitate eidem naturæ tribui non poſſe. Interrogabis, an Deus ſaltem poſſit naturam aſſumere in vno loco, quæ in alio diuinitùs conſtituta, non aſſumatur, ſed propriam ſuam perſonalitatem retineat. Reſpondeo poſſe. Natura enim duobus in locis conſtituta æquiualet duabus naturis, quarum vna poſſet aſſumi, & perdere ſuam perſonalitatem; altera verò non aſſumi, & ſuam perſonalitatem ſeruare.

3. Solùm difficultatem contra concluſionem hanc facere poteſt, quòd videatur tam facilè aſſumi poſſe naturam manentem in proprio ſuppoſito, quàm poſſit aſſumi ab vno diuino ſuppoſito manens in alio etiam diuino; quemadmodum iſtud ſecundum non repugnare diximus *cap. 5. huius lib.* Videtur enim inter hæc duo paritas eſſe: quæ enim eſt ratio, vt ſi natura poſſit habere duas ſubſiſtentias diuinas, non poſſit ſuam propriam, & vnam diuinam? Rationem certè nullam vidit Scotus, adeò vt ex huius repugnantia intulerit repugnantiam illius. Sed reſpondendum eſt, diſparitatem eſſe inter alienam, & propriam perſonalitatem quoad hoc, quòd alienâ ſubſiſtentia poſſit compati nouam alienam, propriam verò non poſſit. Ratio diſparitatis huius petitur ex eo, quòd magis inter ſe opponantur ſubſiſtentia propria, & ſubſiſtentia aliena, quàm duæ inter ſe ſubſiſtentiæ alienæ, vel duæ ſubſiſtentiæ propriæ. Nam propria ſubſiſtentia eſt modus intrinſecus per ſe ſolum exiſtendi cum excluſione exiſtendi in alio; quandoquidem dicit eſſe totum, quod ſit ſui iuris, & non eſſe quaſi partem pertinentem ad aliud. Hic autem modus habet, vt patet, repugnantiam cum illo modo exiſtendi, quem habet natura aſſumpta in alieno ſuppoſito: quia eſſe per ſe, & eſſe in alio, contradictoriè opponuntur, ſaltem mediatè, & conſequenter: quatenus (licèt vtrumque ſit poſitiuum) vnum importat negationem alterius; quod exemplo ſumpto ex aliis modis ſimilibus bene explicari poteſt: fieri enim nequit vt eadem virga ſit recta ſimul & curua, quia illi modi, licèt poſitiui ſint, includunt mediatè contradictionem. Quare dico ad præſentem difficultatem, mirum non eſſe, ſi eadem natura poſſit eſſe in duobus ſuppoſitis extrinſecis, non autem in proprio, & alieno. Atque ex hac eadem ratione intelligitur, cur poſſit eadem natura diuina eſſe in tribus perſonalitatibus ſibi connaturalibus: nimirum quia in omnibus illis eſt per ſe; nec illæ ita ſe habent, vt vi vnius quidem ſit per ſe, vi autem alterius ſit in alio. Modi porrò per ſe exiſtendi inter ſe comparati, quemadmodum & modi exiſtendi in alio inter ſe item comparati, non includunt eam repugnantiam, quam includunt modi per ſe comparati cum modis in alio.

4. Poſterior concluſionis pars, quòd natura perſonalitatem ſuam habens poſſit à Deo aſſumi, dummodo perſonalitatem quam habet perdat vnione hypoſtatica adueniente, nullam patitur difficultatem. Nam quare Deus non potuiſſet humanitatem Chriſti multò antequam eam aſſumeret, creare cum propria ipſius, connaturalique ſubſiſtentia; & deinde illam aſſumere, connaturali huiuſmodi ſubſiſtentia deſinente? Contrarium ſentit Diuus Thomas *4. contra gent. cap. 4.* ſed ſine ratione vlla, quæ nos hîc remorari debeat. Nego enim illi oportere, vt in deſitione connaturalis ſubſiſtentiæ humanitas deſtruatur, & ſuam propriam exiſtentiam perdat; hoc enim ipſo, quòd per vnionem hypoſtaticam natura, quæ totalitatem ante habebat, & ſui velut iuris in ſeipſa exiſtebat, incipiat eſſe in alio, & non ampliùs illa, quam habebat, totalitate circumſcribatur; non intelligitur ipſa eius ſubſtantia perire, quamuis pereat modus præcedens totalitatis, in quo ſecundùm noſtra principia ratio ſubſiſtentiæ creatæ conſiſtit.

5. Dico ſecundò, non impoſſibilem eſſe Deo aſſumptionem hypoſtaticam Angelicæ naturæ. Contrarium tenet Albertus *in 3. diſt. 2. art. 2.* proptereà quod in Angelica, & immateriali natura ſuppoſitum nihil addit ſupra ipſam, cùm hæc per ſe formaliter ſit id, quo eſt, & quod eſt; atque adeò per ſeipſam ſit ſuppoſitum, quemadmodum docet ipſe Diuus Thom. *4. contra gent. cap. 55. ad 4.* vbi generaliter ait, in ſeparatis à materia, ſuppoſitum non diſtingui à natura. Vnde fit, Angelicam naturam non magis aſſumibilem eſſe, quàm ſuppoſitum. Verumtamen fundamentum illud non valet. Eodem enim modo ſe habet ſuppoſiti ratio ad Angelicam naturam, quo in aliis omnibus naturis, in quibus ſuppoſitum non addit vllam entitatem, ſed modum indiſtinctum, & nihilominus ſeparabilem à parte rei. Quare non apparet, cur natura Angelica minùs ſit aſſumibilis, quàm anima rationalis, quam conſtat eſſe ſpiritualem, & in entitate ſua emergentem ſupra corpus. Hæc doctrina, quæ eſt communis Theologorum, ſumitur ex Diuo Paulo ſic *ad Hebr. 2.* loquentem, *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Vbi clarè ſupponit, aſſumptionem tam Angelicæ, quàm humanæ naturæ fuiſſe poſſibilem, ſed ex gratia Dei hanc fuiſſe prælatam illi.

6. Dico tertiò, non repugnare, quominus irrationalis natura, quamuis nullum ordinem habeat ad rationalem, vniatur Deo hypoſtaticè. Hæc eſt communior Doctorum ſententia *in 3. diſt. 2.* Diui Thom. & omnium diſcipulorum eius, necnon Scoti, Durandi, Marſi. Okam, &c. Eam putant eſſe probabilem *diſt. 2.* Ricar. & Gabriel, quamuis etiam putent probabilem contrariam opinionem, quæ fuit Henrici *quodlib. 13.* Carthuſiani *diſp. 2. quæſt. 2.* Pici Mirandulani *in apolog. concl. 4.* Ad probandum concluſionem noſtram multùm deſeruire poteſt facti ipſius experientia. Nam certum eſt, à Verbo aſſumptam eſſe materiam primam, & corpus terrenum humanitatis, necnon quaſdam eius partes non informatas anima rationali. Et quamquam illa omnia non ſint aſſumpta niſi in ordine ad animam; tamen dico illum ordinem fundatum fuiſſe potiùs in Dei ſapiente intentione, quàm in rei neceſſitate. Vnio

enim

Digitized by Google

enim hypoſtatica cùm proximè terminetur ad ſubſiſtentiam,aliud nihil per ſe videtur requirere,quàm vt natura, quæ aſſumitur, ſit capax ſubſiſtentiæ. Confirmatur. Nam in triduo mortis, quidnam impediebat, quominus Deus ſtatueret conſeruare mortui corporis vnionem hypoſtaticam, nolendo ampliùs animam hypoſtaticè terminare, nec eam reducere ad corpus? Optima etiam pro concluſione eſt ratio negatiua, quòd ſcilicet nulla inde ſequatur abſurditas, vt ex ſequentibus conſtabit.

7. Quamuis enim natura irrationalis, putà Leonis, &c. poſtquam aſſumpta fuiſſet, non poſſet Deo per cognitionem, & amorem coniungi, non propterea deſineret habere dignitatem, & perfectionem omnem, quam ſecum vnio hypoſtatica vehit. Naturæ enim aſſumptæ debetur ratione huius vnionis operandi modus perfectus, non abſolutè, ſed iuxta ipſius naturæ capacitatem, vnde ſequitur,quòd ei gratia creata, & viſio Dei non debetur,niſi ſit eius capax. Satiſque eſſet, quod Deus irrationalem naturam, poſtquam illam aſſumpſiſſet, eleuaret ad actiones miraculoſas, quas Dionyſ. & Damaſc. diuinas vocant: licet hoc ſit extrinſecum, nec neceſſarium. Aſſerendum porrò eſt, quòd natura huiuſmodi incapax cognitionis, & amoris Dei, atque gratiæ habitualis, eſſet verè ſancta, non per ſanctificationem, quæ ſit coniuncta cum rectitudine in actibus virtutis, & meritoriis; ſed per ſanctificationem, quæ ſit deificatio naturæ aſſumptæ, propter intimam præſentiam, & vnionem diuinæ perſonæ, ratione cuius deificationis vera illi adoratio deberetur; & oporteret ei ex decentia communicari à Deo perfectam operationem, iuxta ipſius capacitatem. Dices videri deificatione, & ſanctificatione prædicta indignum, vt res ita deificata careat vſu rationis, & operationes exerceat brutalitatis, ac feritatis, quales exercere intelligeretur, ſi Deus leoninam, vel bouinam, &c. naturam aſſumpſiſſet. Reſpondeo, hanc obiectionem probare, non eſſe in naturis irrationalibus intrinſecam congruentiam,vt à Deo aſſumantur,quare de facto illas Verbum aſſumere noluit. Nihilominus abſolutè loquendo non habent tantam indecentiam, & diſproportionem ad vnionem hypoſtaticam, vt Deus, ſi eas ſibi vniret, cenſendus eſſet facere contra vllam virtutem: quemadmodum docet Tertul. *lib. de carne Chriſti, cap.4.* diſputans contra Marcionem, qui Deo indignum iudicabat, vt de fœmina carnem aſſumeret: *Hoc enim*, ait Tertul. *ita videbitur, ſi res humano ſenſu ponderetur, non autem ſi diuino; quia ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes. Et idem eſſet* (ſubdit) *ſi de lupa, aut ſue,aut vacca prodire voluiſſet; & feræ,aut pecoris corpore indutus prædicaret.* Hæc eſt etiam doctrina expreſſa Gregorij Nyſſeni *in orat. magna catechetica, cap.27.* vbi tradit,*poſſe Deum ſine indecentia quamcumque naturam ſumere, quia omnes naturæ creatæ diſtant infinitè à Deo; vnde reſpectu illius ferè nihil inter ſe diſtant.* Nota diuinam hypoſtaſin, ſi naturam v.g. leoninam aſſumeret, non habituram fore rationem perſonalitatis, ſed ſimplicis ſubſiſtentiæ, foretque diuina hypoſtaſis verè perſonalitas, prout ſolùm terminaret naturam diuinam. Atque ita leo ille Deus; non foret perſona, niſi per communicationem idiomatum.

8. Dico quartò, non repugnare, quominus accidentia, & formas à ſubiecto, cui inhærent, dependentes ſibi Deus vniat immediatè, & ſecundùm hypoſtaſin. Concluſio eſt Marſilij, Almaini, Maioris, & eam ait Gabriel eſſe amplectendam ab iis, qui tenent aſſumi poſſe irrationalem ſubſtantiam. Probatur. Nam cùm accidens poſſit diuinitus conſeruari ſeparatum ab omni ſubiecto, non apparet cur non in tali ſtatu poſitum queat hypoſtaſi diuinæ vniri. Et quicquid in contrarium opponitur, eſt voluntarium, ac debile. Vt cùm Suarez, poſtquam alias quorumdam rationes improbauit, ſic argumentatur primò, quia id quod eſt incapax ſubſiſtentiæ connaturalis, recipere non poteſt vnionem quæ ſuccedit in locum ſubſiſtentiæ connaturalis, & eſt eſſentialiter modus ſubſtantialis. Secundò non videtur accidens magis poſſe ſubſiſtere, quam ſubſtantia inhærere. Atqui ſubſtantia inhærere non poteſt per diuinam potentiam. Tertiò, quemadmodum impoſſibile eſt, vt punctum terminet corpus, aut ſuperficiem, cui nullo modo proportionatur, ſic eſt impoſſibile, vt ſubſtantia diuina terminet accidens defectu proportionis inter vtrumque.

9. Reſpondeo ad primum, vnionem hypoſtaticam non ſemper eſſe loco ſubſiſtentiæ connaturalis, vt patet ex ipſius doctrina Suarij, qui tenet formas eſſentiales materiales non habere connaturalem ſubſiſtentiam; & nihilominus poſſe hypoſtaticè per immediatam vnionem aſſumi, ratione totius compoſiti aſſumpti. Prætereà fateor nullum modum, quo accidentia modificentur, poſſe dici ſubſtantialem ratione ſubiecti modificati. Et conſequenter nego vnionem hypoſtaticam debere eſſe modum ſubſtantialem ex parte ſubiecti, nempe ipſius accidentis, quod per eam modificaretur; quamuis ex parte termini, hoc eſt hypoſtaſeos diuinæ, dici ſubſtantialis poſſet. Ad ſecundum dico eſſe diſcrimen inter ſubſtantiam comparatam cum inhærentia,& inter accidens comparatum cum ſubſiſtentia. Nam videmus in Euchariſtiæ Sacramento poſſe accidentia amittere ſuam inhærentiam actualem, & acquirere modum quaſi exiſtendi per ſe. In quo ſaltem ſtatu apparet ipſa eſſe valde apta, vt per extrinſecam diuinam hypoſtaſin aſſumantur. At verò eam ſubſtantiam, cui ſubſiſtentia ſit connaturalis, nullum habere nouimus ſtatum, qui ad inhærentiam accedat. Deinde cùm ſubſtantiæ connaturalem ſubſiſtentiam habenti repugnet inhæſio, & dependentia à ſubiecto, intelligetur ex num. proximè ſequenti, quòd formæ inhærenti actualiter non repugnet terminare alienam ſubſiſtentiam. Ad tertium nego paritatem. Cùm enim manifeſtum ſit, inadæquationem eſſe inter punctum & ſuperficiem; non eſt ſimilis inadæquatio inter ſubſiſtentiam diuinam (quæ continet eminenter omnem perfectionem tum exiſtendi per ſe, tum quaſcumque naturas terminandi) & inter accidens.

10. Addo, accidentia, non tantùm ſeparata à ſubiecto, ſed etiam inhærentiam actualem ſeruantia, poſſe aſſumi à Deo hypoſtaticè. Probatur. Nam formæ ſubſtantiales ſanguinis,pilorum, &c. haud dubiè aſſumptæ ſunt in Chriſto; & tamen eæ non ſunt aptæ connaturaliter ſubſiſtere, vt ipſe Suarez cenſet in Metaphyſica; ſed cùm exiſtant dependenter à ſubiecto, dici poſſunt actu inhærere. Cur ergo ſimiliter accidentia non poterunt, etiam dum actu inhærent, aſſumi hypoſtaticè? Probatur item à priori. Nam inhærentia actualis, & vnio hypoſtatica ſunt duo modi poſitiui, quorum vnus non ex ſe importat negationem alterius, atque adeò ſunt diſparati, & non opponuntur contradictoriè. Et quamuis per inhærentiam forma dependeat à ſubiecto in ſuo eſſe, per vnionem autem hypoſtaticam non dependeat à ſubiecto, ſed à Verbo, tanquam à termino; non tamen propterea eſt contradictio in hoc duplici genere dependentiæ, quod vni & eidem competere poteſt reſpectu diuerſorum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XI.

Super hypoſtatico humanitatis cum Diuinitate coniunctæ ſtatu, moralis conſideratio.

1. CVM Deus plenam, & cumulatam rationem entis, omnemque poſſibilem eſſentiæ perfectionem abſorbeat, imò ſolus ipſe vera ſit, germanaque, & fundamentalis omnis eſſendi ratio, quod Dionyſius 6. *de diuinis nominibus* ſignificat, cùm ei non ſimpliciter εἶναι, ſed ſpeciali emphaſi αὐτοεῖναι, hoc eſt, ipſummet eſſe tribuit, meritò cætera præter eum omnia, ſi cum ipſo comparentur, inſtar obtinent nihili, nec tam entia, quàm quædam, vt ſic dicam, entium decolorationes cenſentur, & velut eſſentiæ ἀπηχήματα. Vnde ſeipſe Deus (quaſi primum, aut ſolum ens) proprio nomine *Exodi* 3. vocari præcepit, illum abſolutè qui eſt. Atque ſcriptura teſtatur *orbem terrarum eſſe ante illum tanquam momentum ſtateræ, & tanquam guttam roris antelucani.* Quod cùm de omnibus creaturis, quo ſe cumque modo habeant, verum ſit, quando coram illo apparent, eique ſe comparandas exhibent, quid de humana natura cenſendum eſt, quando naturæ diuinæ non quocumque comparanda modo offertur, ſed per vnionem hypoſtaticam proximè applicatur, intiméque coniungitur? Profectò neceſſe eſt, vt ab hac penitus obſcuretur, & dum in eam altè ſe condit, velut euaneſcat *Ex quo totus ſplendor diuinitatis* (inquit Hugo Victor. *q. 7. apolog. de Verbo incarn.*) *ſe infudit lucernæ humanitatis, minus lumen cedit maiori.* Et licèt humanitati tanta luce effuſæ propria non eripiatur ſubſtantia, ſubſiſtentia tamen denegatur. Per hoc enim myſterium, vt eſt in Concilio Francofordienſi, *non ſubſtantia ſubſtantiam, ſed perſona perſonam conſumit.* Quia ſubſtantia ſcilicet deſinit eſſe perſona per aſſociationem cum Verbo, vtpote facta velut pars, & amiſſo ſui iure, in ius tranſlata alterius. Vt verò ſubſtantia illa humana ius perſonalitatis amiſit, & dignitatem per ſe eſſendi, ſic & perdidit operandi authoritatem, ac laudem, quæ ſibi aſſignetur. Nec enim ſuæ ſunt, ſed diuini Verbi, quæ ab illa emanant, operationes. Neque in rerum, vt ita dicam, theatro geſtus vllus tribui debet ei naturæ, quæ nullam per ſe poteſt ſuſtinere perſonam.

2. Porrò quamvis humanitas in Chriſto propria ſua perſonalitate minuatur, nec mentio eius aliqua fieri ſic poſſit, vt aliquid de ipſa, quaſi propriè ſuum enuncietur: quicquid enim in hoc myſterio enunciatur humanum, non de humanitate, ſed de homine dicitur, & de ſolo diuino ſuppoſito prædicatur; nihilominus quæ, modo iam explicato, per incarnationem cenſetur obſcurata humanitas, non ſolùm totam ſuam eſſentialem perfectionem intra ipſum Verbi Numen ſaluam, integramque conſeruat, ſed & tam ſublimè eleuatur, vt in eodem emineat, quo Diuinitas ipſa, faſtigio. Nec altiùs hæc, quàm illa, aſſurgit, cùm ambæ conſideant in eodem hypoſtaſeos throno. Neque Deus in Verbo hominem vlla perfectione ſuperat. Sicque aduentu Chriſti, & incarnatione ius conſtitutum eſt nouum, quo creaturam impunè, & citra idololatriam adorare, atque cum ipſo ſummo communiter nomine venerari poſſimus. Quod ſtatim vt creati fuerunt, Angeli didicere; ſuamque in eo verti ſalutem intellexere, vt hominem, Deumque nullo diſcrimine venerationis haberent. Et qui inter illos ab homine deſciuerunt, in homine Deum ſenſerunt, dum pœnas protinus contemptæ vnius, & eiuſdem in Deo, homineque Maieſtatis, luerunt: quorum Angelorum impietatem Neſtorius, Theodoruſque Mopſueſtenus, & alij quidam hæretici æmulati ſunt, qui dum perſonam in Chriſto diuinam negabant, humanamque fingebant, Dei, hominiſque iura ſeiungere voluerunt.

3. Nos igitur fideles animæ in Chriſto Deum, & hominem, non vnum, & alterum, quaſi duo ſint, agnoſcamus: ſed Cyrillum ex Epheſino Concilio præcipientem audiamus. *Nemo*, inquit, *Emmanuelem in hominem ſeorſim, & in Deum rurſus ſeorſim diſpeſcens, duas perſonas affirmet.* Eum, inquam, nos, quem peperit Virgo, nequaquam ei, quem in æternitate Pater genuit, poſtponamus. Idem nobis eſt, qui Verbum in ſinu Patris, & qui infans Matris in gremio. Nec duo filij ſunt, Flius Dei, filiuſque Virginis. Atque cùm filium gloriam eſſe parentum ſcriptura teſtetur, quæ Deo eſt gloria, eſſe Patrem, eadem Mariæ eſt, eſſe Matrem. Atque, ſi à terminis relationes nobilitatem, ac ſpeciem accipiunt, Mater hæc illi Patri eatenus aliquo modo nec nobilitate, nec felicitate concedit.

4. Vt porrò ſe habet in Chriſto humanitas quoad exiſtentiam, ſic & quoad operationem. Quare ſicut non per ſe exiſtit, nec ſui eſt iuris, ita nec per ſe, nec ſuo nomine quicquam operatur. Illius ſiquidem operationes non ſunt ſuæ. Nam quomodo ſuæ, & non Verbi, cùm nec ipſamet ſua ſit, ſed Verbi? Verùm quamvis eæ, quæ ab illa emanant actiones, ei minimè tribuantur: eo tamen excellentiores ſunt, ſublimioriſque dignitatis, quòd non ei tribuantur, ſed Verbo. Inde ſcilicet infinitus eſt humanorum Chriſti operum valor, quòd non humanitatis cenſeantur, ſed talis hominis. Humanitate enim Verbum operatur, tanquam inſtrumento, ſine quo redemptionem humani generis operari non poterat. Quam ſcilicet mihi ſalutem operatus eſt Dominus, ea non orta eſt ex Diuinitatis operibus, quæ nec mereri, nec ſatisfacere per paſſionem, ſuique ſubmiſſionem poteſt, ſed ex humanitatis ſe ſubiicientis, cruciatuſque tolerantis humilitate, quam ei adiuncta Verbi ſublimitas infinitè eleuauit. Vt enim Verbum per ſe, niſi naturam humanam ſibi implicaret, nullas Patri ſatisfactiones offerre potuiſſet; ſic nec humana natura, niſi Verbo inſereretur, potuiſſet offerre condignas. At vnionis hypoſtaticæ beneficio factum eſt, vt per ſuam exinanitionem Verbum, & per ſui exaltationem humanitas ita iungerentur, vt cùm vnum hominem ambo componerent, ambo etiam ſiue agere, ſiue pati, condignamque offerre Deo ſatisfactionem in illo indiuiſim homine cenſerentur. Potuit enim & mereri, qui ex humanitate, & infinitè mereri, qui ex Verbo conſtabat. Totius autem huius rei fundamentum eſt, ac ratio, quòd in ipſius Chriſti compoſitione Verbum præ humanitate ſic dominatur, ſicque humanitatem ad ſe trahit, vt ad ipſum ſolũ humanę omnes actiones & paſſiones pertineant: cum non minùs ad illud humanitas pertineat, quàm ad nos membra noſtra: nec ipſum aliter humanitate vtitur, quàm ipſi vtamur membris noſtris. Quare vt homini tribuitur quicquid operantur, patiunturve membra eius, ſic etiam Verbo diuino quicquid humanitas (quæ tota illius eſt) agit, vel tolerat. Atque ita omnes actiones, paſſioneſve illæ, cùm ad Verbum

Digitized by Google

Verbum pertineant, dignitatem ab ipſo hauriunt infinitam, eique commenſam. Ex dictis planum eſt, quam habeant duo vnionis hypoſtaticæ termini inter ſe affinitatem, atque communionem; & quomodo natura diuina, cùm humanam naturam ad ſuæ conſortium perſonalitatis admittit, ſic illam ſibi vindicet, atque ſubiiciat, vt hæc nullas poſſit operationes exercere, quæ non illius ſint, vereque diuinæ, & pretij moraliter infiniti.

5. Quæ cuncta cùm ita ſint, video te, Fili Dei, & idem fili hominis, toti mundo propoſitum velut mirabile prodigium, & ſublime felicitatis humanæ ſignum; cui vt contradicitur in mundo ab impiis, ſic benedicitur à Sanctis in omni æternitate. Video vtramque in te naturam ſic fuiſſe temperatam, vt coniunctis officiis humana lapſos homines excitaret, & eoſdem diuina eueheret in Dei filios. Cui conſentaneum negotio fuit, vt nec alia natura, quàm humana, nec ab alia perſona, quàm à ſecunda diuina, quæ naturalis Dei Filius eſt, aſſumeretur. Sic enim & per verum hominem ſaluus factus eſt homo; & idem per verum, naturalemque Dei Filium factus eſt Dei Filius. Et quidem non aliter ferè, quàm ſub ipſius incarnationis exemplo: cùm in generis humani redemptione incarnationis myſterium fuerit etiam velut adumbratum; & id ipſum in illa, quod in iſto quadam proportione contigerit.

6. Nam quemadmodum per incarnationem homo de ſemine Dauid declaratus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis; ita nos per redemptionem in Dei filios virtute ſpiritus ſanctificationis adoptamur. Atque vt per vnionem hypoſtaticam humanitas in ius diuinum tota tranſiit, & omittens eſſe ſua, propriam perſonæ rationem non habuit, ſalua tamen omni naturalis eſſentiæ proprietate: ſic per ſummæ charitatis vnionem anima noſtra Deo coniungitur, & per cæleſtem ecſtaſin à ſe quodammodo tota deſciſcens, ſuaque eſſe deſinens, tranſit in Deum. *Amor diuinus* (ait Dionyſius *cap. 4. de diuinis nominibus*) *ecſtaſim facit, non ſinens amatores eſſe ſui iuris, ſed in ius eorum quæ amantur, penitus transferens.* Quod in ſe experiebatur, fatebaturque Apoſtolus *cap. 2. ad Galatas*; cùm diceret; *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus.* Ecſtaſim nempe illam, & à ſe diſceſſum comitatur vnio cum Deo, & in hunc quodammodo transformatio; ita vt quemadmodum candens ferrum nihil videtur eſſe, quàm ignis, ſic in homine tunc nihil propè, niſi diuinum appareat; ſed fiat myſtica quædam creaturæ, Deique commixtio; non tamen ad imitationem incarnationis Eutychianæ, in qua naturarum differentiæ, proprietateſque tollantur. Quod voluiſſe quidam aliquando Pſeudomyſtici exiſtimantur; quaſi nempe mens creata ſuam penitus eſſentiam abiiciens, & in Dei naturam verſa, non aliter, quàm per diuinam exiſtentiam exiſtat; nec aliter intelligat, aut velit, quàm per increatam intelligentiam, atque voluntatem. Non ille ſenſus eſt nec Dionyſij, nec verorum, germanorumque myſticorum. Qui, dum animam ſanctam aſſerunt liquefieri in Deum, perdere ſeipſam, & in pelagus, abyſſumque demergi Diuinitatis, poſtquam à ſuo creato eſſe defecit, ſeque ipſam exuit; nihil aliud ſignificare intendunt, præter ſummam quandam vim intellectionis, atque dilectionis: quò enim Deum aliquis perfectiùs intelligit, & cognoſcit, eò magis in illum velut penetrare cenſetur: & quò perfectiùs diligit, eò profundiùs in ipſo & locum, & domum, & requiem, & ſecuritatem inuenit.

7. Tandem quemadmodum humanitas in Chriſto, licèt eius vt perſonæ, nulla ratio habeatur, & quantum ad conſiderationem creati ſuppoſiti, velut redacta ſit in nihilum; eleuatur tamen per illam ipſam exinanitionem ad idem hypoſtaſeos cum Diuinitate faſtigium, & ad ſublimiorem quandam exiſtendi veritatem, atque illius operationes dignitatem inde contrahunt infinitam. Sic etſi mentes noſtræ, cùm in Deum per charitatem abſorptæ ſunt, videantur deſiiſſe quodam modo in ſeipſis, atque ita neque eſſe, neque poſſe per ſe quicquam; nihilominus certum eſt eas ex intima, profundiſſimaque Diuinitatis coniunctione ad ſupernaturalem cùm eſſendi, tum operandi euectas eſſe dignitatem; & vt in Deo ſunt quodammodo omnia in ſe illapſo, ſic & poſſunt omnia in eodem ſe confortante.

8. Fac, Domine Iesv Christe, per humanæ naturæ cum tua Diuinitate vnionem, per mirabilem in illâ factam ſuppreſſionem perſonalitatis creatæ, me tam arcta tecum charitate coniungi, vt mihi totus ipſe ſupprimar, & abſorbeatur mens mea in pelagus & abyſſum tuæ Diuinitatis ab omnibus, quæ extra te ſunt. Fac vt in perfectionum tuarum infinitate retruſiſſimè deliteſcens, à me ipſo deſciſcam, & ab hoc miſero humanitatis ſtatu in illud eſſe quodammodo remigrem increatum, & ſupereſſentiale, quod in te habui ab æterno; vbi tecum in ſinu Patris tui vnum ſim per voluntatis affectum, vna vita, vna eſſentia, vnus ſpiritus. Sic nimirum, vt, dum tu in me, & ego in te, ſimus ambo conſummati in vnum.

LIBER

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS.

De humanæ in Chriſto naturæ perfectionibus quoad animam.

CVM de Chriſti humanitate, & iis illius partibus, ſecundùm quas hypoſtaſi diuinæ vnita fuit, præcedenti libro egerimus, ſupereſt vt de eiuſdem perfectionibus, quas cum vnione hypoſtatica poſſidet, diſputare debeamus. Et quidem primò de ſanctitate, quam cùm ipſi humanitati abſtractiuè ſumptæ, tum Chriſto ſubſiſtentia, Diuinitaſque Verbi tribuit, dum ipſum Chriſtum conſtituit naturalem Filium Dei: ſecundò nobis diſſerendum erit de illo inferiore ſanctificationis genere, quod in gratia infuſa, & charitate conſiſtit; necnon de virtutibus, ac donis, quæ cum gratia ſimul infunduntur.

CAPVT PRIMVM.

Vtrum Chriſtus quà homo, per Verbi ſanctitatem conſtituatur formaliter ſanctus.

1. CHRISTVM anima, & corpore ſanctiſſimum iam inde à primo conceptionis inſtanti extitiſſe, nullus vnquam qui chriſtianus eſſet, dubitare potuit, cùm Angeli ad Mariam verba id manifeſtè teſtentur *Lucæ 1. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*: & Chriſtus ipſe ſimile de ſe teſtimonium ediderit *Ioan. 1. Quem Pater ſanctificauit*, inquit, *& miſit in mundum*. Quare ipſum eodem capite vocauit Euangeliſta plenum gratiæ, ita vt de eius plenitudine omnes accepcrimus, vnde ſancti eſſemus. Quærere tamen ſolent Theologi, quænam ſit formalis cauſa illius ſanctitatis; aliquidne increatum, ſeu diuinum, qualis eſt perſonalitas, Diuinitaſque Verbi; an habitualis gratia creata, qualem Spiritus ſanctus cordibus noſtris infundit. Cùm ex vtraque illa cauſa conſecrari Chriſtum, & in Sanctum ſanctorum vngi dicendum ſit; nos primo hoc capite ſanctitatem eam conſiderabimus, quæ per vnionem hypoſtaticam ex perſonalitate, deitateque Verbi profluit; de illa verò ſanctitate poſteà diſſeremus, quæ oritur ex creata gratia habituali, & merè accidentalis eſt, de qua ferè ſola antiqui Theologi diſputarunt: pauci enim, iique recentiores, prius illud ſanctitatis genus, quod præcisè ab hypoſtatica vnione, ac diuinitate Verbi exiſtit, attigerunt.

2. Aduertendum eſt primò circa priorem illam, & diuinam ſanctificationis cauſam, conſiderari poſſe vnionem ipſam hypoſtaticam, quatenus eſt modus humanam, diuinamque naturam in perſonam vnam connectens. Non enim deſunt, qui Chriſtum putent conſtitui ſanctum ſubſtantialiter ab vnione prędicta velut cauſa formali, quòd ea ſit ordinis planè diuini, & altioris, quàm gratia ſanctificans, quæ nobis infunditur. Quandoquidem non videtur fieri poſſe, vt forma quæ tam diuina ſit, non ſanctificet, diuinizetque ſuum ſubiectum. Conſiderari inſuper, & quidem præcipuè debet in indaganda cauſa ſanctitatis ſummæ, quam poſſidet perſona Verbi. Denique conſideranda etiam eſt eiuſdem diuinitas, quatenus diſtincta realiter à perſonalitate.

3. Aduertendum eſt ſecundò, Chriſtum, prout hîc de eius ſanctitate agimus, poſſe tripliciter ſumi. Primò adæquatè, ſeu completè, quatenus eſt Deus-homo, ſiue aliquale compoſitum ex diuinitate, humanitateque per vnionem hypoſtaticam in perſonam ſimplicem copulatis. Quo modo dubium non eſt, quin qua parte Deus eſt, ſit ſubſtantialiter ſanctus per infinitam, quanta eſt in tota Trinitate ſanctitatem; neque de illo ita ſumpto quicquam eſt hoc loco dicendum ampliùs. Sumi ergo præatereà poteſt Chriſtus ſine tota illa amplitudine, nimirum quatenus eſt homo; vbi particula ea, *quatenus*, duplicem poteſt facere ſenſum. Vel enim primò reduplicat ſupra perſonalitatem; quam nomen homo concretum importat; atque ſic nobis conſideranda erit hoc loco ſanctitas perſonalis, diuinæque filiationis dignitas. Vel ſecundò reduplicat ſupra naturam, & ita non alia, quàm quæ humanitatis ſunt, attributa propriè ipſi Chriſto conueniunt. Attamen videndum nobis erit inferiùs, an infinitum aliquod, ſubſtantialeque ſanctitatis genus conueniat illi eatenus vt homini, ſeu (quod idem ferè eſt) ipſius humanitati; quam etiam conſiderabimus in hoc capite abſtractè ſumptam, & inueſtigabimus, quæ illi, vt à diuina perſonalitate diſtinctæ, ſanctitas, dignitas, & amabilitas ex hypoſtatica vnione proueniat.

4. Concluſio prima. Excellens illa ſanctificatio, quæ in Chriſto homine oritur ex eo, quod eius humanitas à Verbi ſubſiſtentia terminetur, non cauſatur formaliter ab vnione hypoſtatica, ſiue ab eo modo

Digitized by Google

modo, qui duas naturas in vnam perſonam connectit. Concluſio facilis eſt, & clara. Ille enim modus vnionis non eſt niſi cauſalitas ſubſiſtentiæ; nec habet alium effectum formalem, quàm vnire, & applicare humanitati ſubſiſtentiam diuinam, quæ ſanctitatem non poteſt non aduehere ſecum, Chriſtoque per ipſam vnionem communicare. Quare vnio dici quidem poteſt communicatio formalis ſanctitatis, & ſanctificare vt quo, eſſeque influxus formalis ſanctificationis: non tamen dici poteſt ſanctitatis vera cauſa, nec ſanctificare vt quod: quemadmodum cauſa formalis albi, non eſt vnio, qua albedo ſubiecto vnitur; nec vnio animæ cum corpore eſt formalis cauſa animati; nec vllus eſt, qui loquens de forma, qua nos reddimur ſancti, non cogitet gratiam ipſam habitualem, aut hæreat in ſola cogitatione vnionis, qua talis gratia nobis applicatur.

5. Et quamvis vnio hæc hypoſtatica ordinis ſit valdè ſupernaturalis, ac diuinioris, quàm gratia noſtra habitualis; nullum tamen habet effectum alium formalem, quàm tali homini ſanctitatem diuinam à ſe diſtinctam vnire, & applicare. Quare non habet illa de ſuo vnde ſanctificet, ſed tantùm eſt via, ſeu tranſitus, quo diuina ſanctitas, quæ eſt in Verbi ſubſiſtentia, influat in ipſum Chriſtum. Quæ ſubſiſtentia, niſi adueniret ipſa, & influeret, quid poſſet per ſe prodeſſe, imò quid concipi poſſet eſſe per ſe ſolitariè ſumptus tranſitus, influxus, aut via? Tranſitus, inquam, ſiue influxus nihili? Quemadmodum quid prodeſſe poſſet ad animandum vnio animæ per ſe ſumpta, & vt abſtrahens ab anima ſe formaliter communicante? Dices, melior eſt vnio hypoſtatica, & magis eſt cũ peccato incompoſſibilis, quàm ſit gratia noſtra ſanctificans. Reſpondeo, omnem quã habet excellentiam, & incompoſſibilitatem cum peccato, non habet ratione ſui, ſed ratione ſubſiſtentiæ, ſeu naturæ diuinæ: hæc enim eſt propriè quæ prædictam excellentiam, & incompoſſibilitatem habet; vnio autem non aliter eam dicitur habere, niſi quatenus ipſam ſubſiſtentiam ſecum defert, & ad humanitatem applicat.

6. Concluſio ſecunda. Chriſtus quatenus homo ſanctitatem habet ſubſtantialem prouenientem formaliter, & immediatè à ſubſiſtentia Verbi prout diſtincta virtualiter à natura diuina. Probatur. Nam Chriſtus, quatenus homo, & vt ſumptus in concreto, ſonat perſonam, & includit diuinam ſubſiſtentiam. Ergo quatenus homo (reduplicatione facta ſupra perſonalitatem) habet quicquid in tali ſubſiſtentia, perſonalitateque continetur. Habet igitur ſubſtantialem & increatam ſanctitatem, eſt ſanctus per eſſentiam, & tantùm eatenus Deo placet, quantùm ſubſiſtentia ipſa, & diuinitas. Eſtque Filius naturalis Dei, non ſolùm inferiori, & minùs excellente filiatione ea naturali, quam Suares *diſp. 53. ſect. 3.* ait conuenire in tempore ipſi Chriſto ratione gratiæ vnionis (de qua filiatione dicemus alibi) ſed æterna illa filiatione, quæ conuenit ipſi vt Deo, & vt eandem habenti cum Patre ſubſtantiam. Atque hoc, vt dixi, reduplicatione facta ſupra perſonalitatem.

7. Porrò ſi Chriſtus quatenus homo ſumatur cum reduplicatione ſupra humanitatem, is non ita participat ſubſtantialem, & increatam ſanctitatem, vt dici poſſit eatenus ſanctus per eſſentiam, deoque tantumdem placere, quantum ſubſiſtentia, ſiue diuinitas, eſſeque filius naturalis modo prædicto. Licèt enim eius humanitas, ſupra quam fit eiuſmodi reduplicatio, vnitam ſibi habeat ſubſiſtentiam, diuinitatemque Verbi, atque conſequenter infinitam, & ſubſtantialem ſanctitatem, omnipotentiam, immenſitatem, æternitatem, &c. non tamen inde ſequitur eam eſſe infinitè ſanctam illa ſubſtantiali, diuinaque ſanctitate, quemadmodum nec omnipotentem, immenſam, æternam, &c. Clarumque eſt illam, quamvis intellectioni, volitionique diuinæ, vt & cæteris attributis vniatur, non tamen fieri intelligentem, vel volentem per prædictam intellectionem, ſeu volitionem, item licèt humanitas vnita ſit exiſtentiæ Dei, non hinc fit, eam formaliter exſtere per exiſtentiam Dei. Ad hos enim effectus oporteret ipſam vniri exiſtentiæ, intellectioni, omnipotentiæ, immenſitati diuinæ per identitatem, & eo modo, quo Deus illis vnitur. Siquidem humanitas ita diuinæ exiſtentiæ, immenſitati, cæteriſque attributis vnitur, vt ab iis non informetur tanquam eorum ſubiectum, impoſſibile enim eſt, vt attributum vllum diuinum, aut ſubſiſtentia increata ſubiecti ſit alicuius creati vera forma: quemadmodum ſi ſupponeremus naturam humanam vniri naturæ angelicæ, non poſſet illa eſſe ſancta per gratiam, & charitatem, quæ eſſet in iſta, vt in ſubiecto proprio, & ſolo. Patet: nam humana illa natura non poſſet elicere ſupernaturalem actum per habitum charitatis exiſtentem in natura Angelica, neque haberet ius ad viſionem Dei propter actus charitatis ſupernaturales ipſius naturæ Angelicæ.

CAPVT II.

Qualem humanitas abſtractè ſumpta contrahat ſanctitatem ex vnione hypoſtatica.

1. CONCLVSIO prima. Humanitas Chriſti abſtractè ſumpta, hoc eſt, vt non ſeparata quidem à Verbo, ſed tamen vt ab eo diſtincta, quamdam contrahit à perſonalitate diuina ſanctitatem moralem, quæ ſit ordinis longè ſuperioris omni ſanctitate orta ex alia quantacumque gratia ſanctificante. Iſta concluſio probari videtur ſatis ex illis Angeli ad Mariam Verbis *Luc. 1. Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Vbi ſanctitas affirmatur, quæ Chriſtum afficiat ratione eius naturæ, ſecundùm quam ſolam erat ex Virgine naſciturus: ſanctitas, inquam, ea excellens, & ſupereminens, quæ iuncta ſit cum naturali filiatione Dei. Hanc ſanctitatis perfectionem ortam ex Verbi hypoſtaſi communicante ſe per vnionem, ita vt opus non fuerit alia ſanctitatis accidentaria formâ, adſtruunt ſæpè SS. PP. cùm aiunt, humanitatem delibutam, vnctam, deificatam ipſa ad Verbum vnione, vt Nazianz. *orat. 4. de Theologia,* ſcribit Chriſtum, hoc eſt vnctum, dici propter humanitatem: *Ea enim humanitas,* inquit, *vncta eſt non actu, vel operatione, vt in aliis, qui Chriſti nuncupantur, ſed totius vnctoris præſentiâ.* Et Damaſc. *lib. 3. de fide, c. 3. & 4. Ipſe ſe vnxit, vngens quidem vt Deus ſua deitate, vnctus autem vt homo: nam ipſe eſt & hoc, & illud; ſiquidem deitas eſt vnctio humanitatis.* Cui conforme eſt, quod ait Conc. Francofordienſe, *Chriſtum fuiſſe vnctum, non gratiâ, ſed naturâ.* Et de eadem vnctione, quæ facta fuerit per vnionem hypoſtaticam, interpretantur multi Patres (quos videre potes apud Suarem *diſp. 8. ſect. 1.* & apud Vaſq. *diſp. 41. cap. 1.*) ea verba, quibus Chriſtus dicitur *vnctus oleo lætitiæ præ aliis omnibus, Pſal. 44. Vnctus in ſanctum ſanctorum, Danielis 9. Vnctus Spiritu Sancto, & virtute, Act. 4. & 10.*

Digitized by Google

2. Probatur etiam ea veritas ratione manifeſtâ; nam cùm hypoſtaſis Verbi ſanctitatem increatam, diuinæque naturæ plenitudinem humanitati implicet, vniatque intimè; non poteſt fieri, quin humanitas tali ſanctitati illius, velut cuiuſdam exquiſitiſſimi balſami contactu odorem Diuinitatis contrahat, eoque penitus inficiatur. Etenim ſi veſtes, quæ Sanctorum corpora contigerunt, moralem inde contraxiſſe cenſentur velut ſanctitatis ſpeciem, ob quam eas religioſè veneramur; quid cenſere nos æquum eſt de Chriſti anima, corporeque, quibus ſe Diuinitas induit, & intimè commiſcuit? Dubium eſſe non poteſt, quin talem humanitatem diuinitate vndecunque, vt ita loquar, affluentem tanti vis numinis conſecret; non quidem vt cauſa propriè formalis, ſed eo modo quo ſequens explicat concluſio; nimirum vt cauſa velut effectiua, & originatiua dignitatis moralis, quæ ſit diuini quidem ordinis, ſed ſecundaria ſanctitas, & forma recepta in humanitate. Argumentum etiam ſumi poteſt ex eo quod, ſi Chriſti humanitas non eſſet ſancta per vnionem hypoſtaticam modo explicato, ſed tantùm per gratiæ habitualis infuſionem, non haberent eius opera valorem in ratione meriti, & ſatisfactionis ſufficientem ad hominum redemptionem. Non enim tanti valoris fundamentum eſſe poteſt gratia infuſa (quamuis eam ſupponeremus eſſe infinitam) vtpote inferioris ordinis.

3. Non agnouerunt hanc noſtram concluſionem neque Magiſter, neque S. Thomas, vt oſtendit Ariaga *diſput.29. ſect.*1. & contrariam manifeſtè ſententiam ſuppoſuerunt tum Henricus, Bonauent. Alenſ. Gabr. &c. qui putarunt Chriſto infundi debuiſſe omni neceſſitate gratiam ſanctificantem, quia non potuit niſi ſanctus, gratuſque Deo exiſtere: tum Durandus, & quidam Thomiſtæ, qui cenſuerunt non repugnare, vt Deus ſit homo, & tamen is homo non ſit ſanctus, neque gratus Deo; quia potuit produci abſque gratia creata. Vtrique enim, vt patet, ſupponunt Chriſtum vi ſolius diuinę hypoſtaſeos non poſſe ſanctificari, & ad id neceſſarium eſſe gratiam infundi creatam. Sed in eo quod ſupponunt, falluntur; clarum enim eſt ex dictis in hac concluſione, & ex poſteà dicendis, illum hominem, cuius humanitas ſit vnita hypoſtaticè diuinitati, non poſſe non eo ipſo diligi dilectione, quæ ordinetur ad communicationem ſupernaturalium bonorum; deinde non poſſe non carere omni culpa, atque adeò debere acceptari ad meritum & ad gloriam, quod eſt eſſe ſanctum, Deo gratum, & iuſtum.

4. Obiicies. Si natura humana vniretur naturæ angelicæ, iuſtæ, & habenti ſanctitatem, ille homo (qua talis) qui etiam Angelus eſſet, non foret vi vnionis, nec vi hypoſtaſeos, naturæve angelicæ ſanctus ob ſanctitatem illam creatam, ſeu angelicam. Ergo neque Chriſtus, quà homo, ſanctus erit ob ſanctitatem increatam diuinitatis. Reſpondeo, non eſſe paritatem: nam hypoſtaſis, & natura diuina, cui vnitur humanitas Chriſti, eſt intranſitiuè ſanctitas ipſa increata, & ſanctitas per eſſentiam: quare tam propriè, tamque immediatè humanitas vnitur ſanctitati, quàm ipſi hypoſtaſi. Atque adeò non eſt mirum ſi tam propriè humanitas afficiatur ſanctitate, quàm hypoſtaſi, & ſit ſancta per ſanctitatem participatam, quæ moraliter emanet modo ſupradicto ex ſanctitate ipſius hypoſtaſeos increatâ, & immediatè vnitâ. At verò angelica ſeu hypoſtaſis, ſeu natura, cui humanitas immediatè vniretur, non poteſt dici eſſe intrãſitiuè, & eſſentialiter ſanctitas, neque habere poteſt ſanctitatem aliam, niſi eam quæ ſit accidens, cui humanitas non vniretur præciſè ex eo, quod eſſet vnita hypoſtaſi, ſeu naturæ ipſius Angeli.

5. Concluſio ſecunda. Prædicta ſanctitas informans vt vera forma humanitatem, non eſt ſanctitas increata ipſius hypoſtaſeos, aut naturæ diuinæ; ſed eſt participata quædam, & moralis, ac velut creata per effectio emanans ab hypoſtaſi, naturaque diuinâ. Probatur. Nam ſi vlla ratio eſſet cur humanitas deberet dici ſancta formaliter per ſanctitatẽ increatam, hæc ſola foret, quòd humanitas ſanctitati increatæ vniatur. Atquī ea ratio nulla eſt. Ergo, &c. Maior conſtat. Vt minor intelligatur, notandum eſt, aliud eſſe, quòd humanitas habeat ſibi vnitam ſanctitatem ipſam increatam ipſius hypoſtaſeos, totiuſque diuinitatis; & aliud, quòd ipſa habeat effectum formalem ſanctitatis huiuſmodi increatæ. Ratio eſt, quoniam humanitas non eſt propriè ſubiectum hypoſtaſeos diuinæ, ſanctitatiſque increatæ, neque hæc illam verè, proprieque informat; quod tamen neceſſarium eſſet, ad hoc vt per talem ſanctitatem humanitas diceretur formaliter ſancta. Eademque ratio eſt cur licèt ipſa humanitas aliquo modo vniatur immenſitati, æternitati, & intellectioni diuinæ; non tamen ſit immenſa, æterna, ſciens omnia. Vnio hypoſtatica non eſt vnio hypoſtaſeos vt formę alicuius in ſubiecto informationis. Quid ergo? eſt quædam copula, quâ Verbum habens, ſeruanſque rationem totius aſſumit ad ſe humanitatem; & erepta huic eius totalitate, dat ipſi rationem partis, ei dominando, eamque faciendo ſuum velut inſtrumentum, & quaſi ſuã vindicando: ita vt humanitas iam ſua non ſit, nec ſibi quicquam agat, ſed omne quod eſt, & facit, Verbo ſit, & faciat ſoli. Quod genus vnionis longè abeſt ab ea vnione, qua Verbum, aut eius hypoſtaſis, ſeu ſanctitas fingeretur in humanitate recipi tanquam in ſubiecto informationis, vt eam formaliter faceret eſſe ſanctã. Tantùm abeſt, vt Verbum ſit in humanitate, vt potiùs humanitas dici debeat eſſe in Verbo, vt in quodam toto. Imò addo, quod ſicut immenſitas, æternitaſque vnita humanitati, non facit hanc immenſam, ac æternam, ita propriè loquendo diuina hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentia, ne quidem facit humanitatem eſſe ſubſiſtentem, quin potiùs eam facit non eſſe ſubſiſtentem, nec enim talis humanitas recipere poteſt ſubſiſtentiæ formalem, ac proprium effectum, quid eſt ſubſiſtere. Nec opponas, ſubſiſtit in Verbo, nam illud, *in Verbo*, eſt terminus alienans à ſubſiſtentia: quod enim in Verbo ſubſiſtit, non ſubſiſtit in ſe; atque adeò non ſubſiſtit abſolutè, quandoquidem ſonat in ſe ſubſiſtere, ac per ſe eſſe. Atque hoc, quod humanitas ad Verbum ita pertineat, vt nulla debeat eius ſiue quoad eſſe, ſiue quoad operari, ſeorſim haberi ratio, ſed omne eius eſſe, & operari referatur ad eam tantùm vt quo, ad Verbum autem vt quod; eſt fundamentum infiniti valoris operum ipſius humanitatis, quòd non vt humanitatis conſiderẽtur, ſed vt Verbi.

6. Explicatur etiam, & confirmatur ex eo noſtra concluſio, quod propria, & immediata forma ſanctitatis, qua nos ſancti, & Filij Dei conſtituimur, non ſit gratia infuſa, quatenus eſt entitas phyſica. Poteſt enim ea reperiri abſolutè in homine reo peccati mortalis. Vt ergo forma, qua nos conſtituimur ſancti, eſt moralis quædam perfectio, quæ ex inſtitutione diuina ad infuſionem prædictæ gratiæ ſequitur; ita dico formam, qua propriè, & immediatè Chriſtus (vt homo, ſeu ſecundùm humanitatem) conſtituitur ſanctus, eſſe moralem dignitatem, quæ ex Verbi perſonalitate emanat.

7. Aliter, quàm noſtra concluſio philoſophantur Suares, Delugo, Hurtadus, Ariaga, & quidam alij, qui

vt

Digitized by Google

vt videre eſt apud Delugo *diſput.* 16. *ſect.* 1. volunt ipſammet hypoſtaſin, & ſanctitatem increatam Verbi, eſſe formam, qua Chriſti humanitas eſt ſancta, dareque ius ad beatitudinem eo modo, quo gratia dat, imò meliori modo, quàm gratia det. Atque aſſerit prædictus Delugo, quod quamuis non omnia Dei attributa, quæ vniuntur humanitati, dent hnic effectum ſuum formalem (nam nec ob immenſitatem ſibi vnitam ſit immenſa humanitás, nec ob intellectionem diuinam ſibi item vnitam, omniſcia, vt nec per omnipotentiam omnipotens) nihilominus Verbi hypoſtaſis,ſanctitaſque diuina reddat formaliter ſanctam humanitatem per vnionem. Probat autẽ hoc, quia putat eſſe peculiare ſubſiſtentiæ diuinæ, vt poſſit dare ſuum effectũ formalem, hoc eſt,poſſit cõſtituere formaliter ſubſiſtentem humanitatẽ, & in ea facere quod modus ſubſiſtentię creatę faceret per veram informationẽ,quam ſupplere poteſt ſubſiſtentia ipſa increata. Poſito autem, quod Verbi ſubſiſtentia det ſuum effectum formalem, & faciat humanitatem formaliter ſubſiſtentem, neceſſarium ait eſſe conſequenter, vt faciat formaliter ſanctam. Non enim ei vniri poteſt humanitas ita vt formaliter ſubſiſtat, quin hoc ipſo formaliter ſanctificetur, & ſubſtantialiter ſanctificetur, cùm id imbibatur in conceptu ſubſiſtendi in Verbo. At verò, inquit, hæc vnio non ſufficit, vt humanitas reddatur immenſa, vel æterna, &c. per Verbum: quia immenſitas diuina vnitur humanitati vt iam completæ in ratione præſentiæ, ſupponitur enim humanitas Chriſti non eſſe incompleta niſi in ordine ad ſubſiſtendum,& ad ea quæ includuntur in conceptu ſubſiſtendi. Includitur autem in conceptu ſubſiſtendi per ſubſiſtentiam Verbi, habere aliquid diuinum vt formam, quod eſt formaliter ſanctificari: non verò includitur in hoc conceptu eſſe immenſum, ſed habere immenſitatem aliter, quàm vt informantem. Non eſt autem idem habere in ſe quocumque modo immenſitatem, & eſſe immenſum. Hæc eſt ſupradicti Authoris doctrina.

8. In qua primò nego id quod ſupponit, nempe quod humanitas ſubſiſtat per Verbi ſubſiſtentiam, cui vnitur, facientem id quod ſubſiſtentia creata (quæ ſit vera forma, & modus realiter diſtinctus) faceret. Nam nec ſubſiſtentia creata modus eſt diſtinctus informans naturam, cùm ſit pura eius totalitas ſeorſim exiſtens. Neque ſubſiſtentia Verbi ſupplet ita ſubſiſtentiæ illius creatæ defectum, vt faciat humanitatem eſſe ſubſiſtentem; non magis quàm ſubſiſtentia parietis faciat albedinem ſubſiſtere. Cùm ergo non aliter velit Delugo humanitatem ſanctificari per ſubſiſtentiam Verbi, quàm quo modo ſit per eam ſubſiſtens, ruit ea, quam adſtruit per ſubſiſtentiam diuinam ſanctitas. Præterea ſi quod vult, verum eſſet, humanitatem habere à Verbo formaliter vt ſubſiſtat, & ſimul habere omne quod includitur in conceptu ſubſiſtendi; negari non deberet in ea doctrina, quin aſſumpta humanitas tam dici poſſit per vnionem hypoſtaticam immenſa, & æterna, quàm ſancta ſubſtantialiter. Nam vt ſanctitas increata includitur in conceptu ſubſiſtentiæ Verbi; ſic etiam in eiuſdem ſubſiſtentiæ conceptu, & entitate includitur immenſitas quædam, & æternitas relatiua. Quod autem reſpondet ad id Delugo de ratione humanitatis, incompletâ quidem reſpectu ſubſiſtentiæ, at completâ reſpectu præſentiæ & durationis, vnde fiat vt completi poſſit humanitas per Verbi ſubſiſtentiam, non poſſit autem per immenſitatem, aut æternitatem; id, inquam, eſt voluntarium: nam natura in priori, quàm concipiatur aſſumi, non magis concipitur completa iam eſſe per naturalem præſentiam, aut durationem, quàm per naturalem ſubſiſtentiam. Ergo ſi omiſſa naturali ſubſiſtentiâ poſſit fieri ſubſiſtens,& ſancta per ſubſiſtentiam Verbi, ſic etiam deberet poſſe, omiſſa naturali præſentiâ, & duratione fieri immenſa, & æterna per eam immenſitatem, & æternitatem relatiuam, quam diuina ſubſiſtentia non minùs includit,ſecumque defert, quàm ſanctitatem ſubſtantialem, & increatam. Porrò conſtat humanitatem (vtpote circumſcriptam loco, & cœptam in tempore) non poſſe eſſe immenſam, nec æternam, igitur nec ſubſiſtentem, ſanctamve formaliter per increatam ſubſiſtentiam. Neque ſunt ſolidæ ſubtilitates,quas nimis retruſas excogitat Ariaga *diſp.* 29. *ſect.* 5. *ſubſect.* 6. vt explicet cur ſubſiſtentia Verbi faciat ſubſiſtentem humanitatem, non ei communicando immenſitatem ſuam relatiuam.

9. Suares *diſput.* 18 *ſect.* 1. *concl.* 1. noſtræ pariter ſententiæ repugnat, aſſerens Chriſti humanitatem formaliter conſtitui ſanctam per gratiam vnionis,ſeu per ipſam hypoſtaſin,ſanctitatemque increatam. Fundatur in SS. PP. Nazianzeno, Cyrillo, Damaſceno, Auguſtino,&c.aſſerentibus vnctionem qua Chriſtus homo fuit delibutus,eſſe ipſam diuinitatem,ſeu Verbum, per cuius præſentiam humanitas ſanctificatur. Quos Patres interpretatur hic Author voluiſſe humanitatem ſanctificari per hypoſtaſin Verbi non tantùm cauſaliter,ſed etiam formaliter; hoc eſt, non tantùm ita vt Verbum ſit radix,& fons à quo ſanctitas in illam humanitatem manauit; ſed ita vt ipſum Verbum ſit verè forma ſanctificans. Cùm enim, inquit,ſancti dixerunt vnctionem humanitatis fuiſſe diuinitatem,non potuerunt clariùs rationem eius formalem explicare. Videntur enim ſignificare, quod vnum,& idem ſit, Chriſtum conſtitui diuinitate, & vngi diuinitate.Eoque referunt Chriſti verba, *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum. Ioan.* 1. Quaſi nempe ſanctificatio ſit ipſa miſſio, quæ per incarnationem facta eſt. Confirmatur: nam hypoſtaſis vnita humanitati non poteſt in hac vllum compati peccatum.Ergo conſtituit eam innocentem,ergo & ſanctã gratamque Deo,& dilectã ea dilectione,quę omnem odij poſſibilitatem excludat. Malè addit Petr.Hurtad. *diſp.* 47. *n.* 31. *& ſeqq.* hanc opinionem eſſe de fide,cùm ob auctoritatem SS.PP.tum ob illa Pauli verba *Heb.* 1. *Tantò melior Angelis effectus, &c.* Quæ verba non faciunt ad hanc rem, cum in iis non intendat aliud Apoſtolus,quàm probare diuinitatem Chriſti.Et præterea ſatis intelligitur melior effectus fuiſſe Chriſtus Angelis per ſanctitatem moralem ſupremi, ac velut diuini ordinis,cauſatam ab hypoſtaſi non formaliter, ſed quaſi efficienter; & per filiationem diuinam eo modo illi vnitam, quo ipſam hypoſtaſin, quæ non eſt vt forma ſubiecti.

10. Reſpondeo ad Suarem, Sanctos meritò quidem aſſerere,quod aſſumpta humanitas per Verbum ſanctificetur hoc ipſo,quòd aſſumpta eſt; quia ſcilicet Verbum non poteſt ad humanitatem ſibi vniendam accedere, quin ſecum deferat ſplendorem moralem,ſeu dignitatem,quæ ab illo promanans informet ipſam humanitatem, & faciat formaliter ſanctam; quod hypoſtaſis diuina non poteſt per ſe immediatè facere, cùm non vniatur vt forma, ſed alio longè diuerſo modo. Ita non vnguentum (cuius comparatione ſæpè Patres vtuntur) ſed odor ab illo in corpus aliquod vnctum emanans, cenſeri debet propria odorati eius corporis forma; vnde ſic argumentor. Quod eſt formalis ſanctitas humanitatis,eſt forma ipſius humanitatis: Atqui Verbum, ſeu hypoſtaſis non eſt forma humanitatis: Ergo neceſſarium eſt, vt præter ipſam Verbi hypoſtaſin aliqua ſit alia

ſanctitas quæ ab ea promanet, & ſit moralis forma recepta in humanitate, vt in ſubiecto informationis. Quæ forma meliùs ex infrà dicendis intelligetur, vbi explicabitur illius effectus formalis. Petes. Nonne Christus vt homo eſt ſubſtantialiter ſanctus. Reſpondeo dicitur eſſe per vnionem ſubſtantialiter ſanctus, quòd à ſubſtantiali Verbi ſanctitate ſanctificetur per formam ab hac originatam.

11. Concluſio tertia. Humanitas in abſtracto ſumpta, prout ſanctificatur per Verbum (non formaliter, ſed eo modo, quo dictum eſt in præcedenti concluſione) licèt ſit eatenus in ſuo genere infinitè ſancta, atque amabilis; nihilominus non tam à Deo amatur; nec tam huic placet, quàm ipſum Verbum: neque illius ſanctificatio ſufficit ad Christum conſtituendum Filium Dei naturalem filiatione æterna, & increatâ, ſufficit tamen ad dandam ipſi Chriſto filiationem Dei, naturalem, minùs excellentem, & ortam in tempore. Probatio huius concluſionis quoad minorem humanitatis, quàm Verbi ſanctitatem, & amabilitatem, nobis quidem facilis eſt, ſuppoſita concluſione præcedenti. At valdè eſt iis difficilis, qui præcedentem noſtram concluſionem non admittentes, aſſerunt humanitatem deificari, ſanctificarique formaliter per increatam ſanctitatem Verbi. Quare multùm ſubtilitatis hac in re impendit Delugo ſuprà citatus, quem potes conſulere *diſp.*16.*ſect.*3. ex noſtra tamen ſuperiùs explicata doctrina, quæ ſanctitatem formalem humanitatis aſſumptæ aſſtruit non eſſe perſonalitatem ipſam Verbi, aut ſanctitatem increatam, ſed eſſe participatam quandam ſanctitatem, & creatam perfectionem moralem ex vnitâ hypoſtati emanantem; ſequitur manifeſtè non poſſe ipſam humanitatem eſſe tam ſanctam, ac tam à Deo amatam, ac ipſum Verbum eſt ſanctum, & amabile: atque per conſequens neque Christum quatenus hominem (factâ reduplicatione ſuprà eius humanitatem, dicendum eſſe Filium Dei æterna, & increata filiatione, quamvis talis ſit, factâ reduplicatione ſupra eius ſubſiſtentiam.

12. Verumtamen manifeſtum etiam eſt, quod addit noſtra concluſio, humanitatem, & Christum, quatenus per eam conſtitutum, habere ſummam aliquam, & infinitam ſanctitatem participatam, quæ longè ſuperioris ſit ordinis, quàm omnis alia ſanctitas poſſibilis in perſona vlla creata. Ex qua tam excelſa ſanctitate neceſſarium eſt ſummè à Deo amari, cùm humanitatem, tum Christum quà hominem, eiuſque operationes omnem habere valorem ad merendum, ſatisfaciendumque poſſibilem. Prætereà clarum eſt eandem illam ſanctitatem importare ſecum filiationem Dei, quæ cùm non poſſit eſſe, vt antè dictum eſt, æterna, increataque filiatio, eſt tamen naturalis, & pluſquam adoptiua; vtpotè exiſtens in perſonâ non extranea, & prouenìens cauſaliter ex perſonalitate Verbi, ſeu ex filiatione ipſa increata, vnita prædictæ humanitati. Vt enim ſanctitas prouenìens ex gratiâ habituali nobis infuſa, coniunctam habet ex ordinatione diuina filiationem adoptiuam: ita, & quidem multò magis neceſſarium eſt, gratiam vnionis hypoſtaticæ importare ſecum, non ex ſola ordinatione diuina, ſed ex rei velut natura, filiationem pluſquam adoptiuam, & naturalem, de quâ filiatione naturali orta in tempore, & communicata, non quidem ipſi humanitati, quæ per ſe ſpectata non denominatur filia naturalis Dei, ſed Chriſto vt homini, diſputandum nobis erit in loco.

13. Noſtram hanc doctrinam de minore humanitatis, quàm Verbi ſanctitate tuetur Delugo *loco iam citato*, ſed parum conſequenter ad ſua principia. Si enim ſanctitas increata, vt ipſe tanquam indubitatum ſupponit, eſt vera, & immediata forma conſtituens humanitatem ſanctam, fatendum conſequentèr videtur, ab ea communicari humanitati excellentiam, & amabilitatem, quam habet, nimirum illam ipſam, quæ eſt Verbi; atque ita Christum quà hominem, & vt conſtitutum tali humanitate, eſſe verum, æternumque Dei filium: cùm diſertè prædictus Author illa *diſp.*18.*num.* 34. aſſerat perſonalitatem Verbi (vt à natura diuina contradiſtinctam) eſſe quidditariè diuinam filiationem, & per illam Verbum conſtitui Filium Dei; atque eatenus ipſam humanitati tanquam ſubiecto communicari. Hinc apparet quàm difficile ſit iis qui ſuperiorem noſtram concluſionem quartam non amplectuntur, probare id quod hæc quinta concluſio affirmat de minore humanitatis amabilitate, ſeu ſanctitate, quàm Verbi.

14. Nec probare poſſum, aut bene capere quod ait *num.* 61. idem Delugo. Humanitatem, vt gratam, & vt ſanctam ſanctitate Verbi, diligi ſicut ipſum Verbum; at non ſumptam, quia grata eſt, & ſancta ſanctitate Verbi. Quis enim non videt illam, ſi ſubeſt tali formæ increatæ, habere totum id, quod formaliter ſecum fert illa forma? Confirmatur: nam clarum eſt, quòd albedo vt octo, facit album vt octo, Et amabilitas vt octo, facit amabile vt octo. Ergo ſanctitas, & amabilitas infinita, & tanta quanta eſt Verbi, faciet humanitatem (ſi ad hanc comparetur vt formalis cauſa) infinitè amabilem, & quantum ipſa diuinitas amabilis eſt. Eandem habet difficultatem quod ait Suares *diſp.*53.*ſect.* 3. filiationem naturalem, quæ conuenit Chriſto vt homini, ratione vnionis, minùs excellentem eſſe, quàm filiationem naturalem, quæ conuenit eidem vt Deo ratione æternæ generationis; & conſequenter ſanctificationem humanitatis per gratiam vnionis longè minorem eſſe ſanctificatione per eſſentiam. Quomodo enim verum id eſſe poteſt, ſi verum eſt, ſanctitatem Verbi eſſe (vt ipſe vult) formam ſanctificationis humanitatis? Neque valet quod reſpondet Delugo *num.*73. eandem formam, licèt tota communicetur duobus ſubiectis, poſſe tamen dare diuerſum effectum vni, quàm alteri: quemadmodum, inquit, ſanctitas Verbi vnita lapidi, non ſanctificaret naturam lapidis eo genere ſanctitatis, quo humanitatem. Dico enim formam, quæcumque illa ſit, non poſſe ita vniri, & informare, quin ſecundùm id quod informat, communicet ſe totam. Nec enim ſuſpendere poteſt effectum ſuum formalem primarium, ſi Verbi ſanctitas lapidi, & ſimul vniatur homini, vtrumque (modò vnio ſit hypoſtatica) faciet Deum, & adorabilem; neutrum verò conſtituet formaliter, & alio modo, quàm per communicationem idiomatum, iuſtum, ſanctum, & amicum Dei; non magis, quàm immenſum, æternum, omnipotentem, &c. Sed quod attinet ad effectum ſecundarium, in homine originabit iuſtificationem, & filiationem aliquam naturalem, & quidem qualis eſt æterna, ſi verum ſit ſanctitatem increatam Verbi eſſe cauſam formalem, quæ humanitatem Chriſti ſanctam conſtituat. In lapide autem incapace iuſtificationis originabit genus aliquod aliud moralis excellentiæ, & quaſi dignitatis, quod genus de facto in Chriſti materia prima, ſanguine, &c. reperitur.

15. Reſtat, vt aſſertionem, quam velut fundamentalem aduerſarij proferunt, euertam: aiunt ſcilicet, neceſſarium non eſſe, vt ſanctitas increata, licèt per illam humanitas conſtituatur formaliter ſancta, det ipſi humanitati totam perfectionem, & amabilitatem, quam habet: poſſe enim eandem formam

Digitized by Google

formam diuerſo modo vniri ſubiecto, atque attendendum hic magnam eſſe diuerſitatem. Nam quamuis perſonalitas diuina, & ſanctitas increata ſanctificet formaliter & diuinitatem, & humanitatem; illa tamen ſe communicat per identitatem, iſti autem per vnionem hypoſtaticam. Quemadmodum licèt albedo ſe communicet totam ſubiecto informationis, tamen non facit illud eo modo diſgregatiuum viſus, quo ipſa eſt diſgregatiua: ipſa enim eſt diſgregatiua eſſentialiter, identicè, & intranſitiuè; at non facit ſubiectum ſuum eſſe diſgregatiuum eo modo, ſed tantùm accidentaliter.

16. Reſpondeo: licèt non negem poſſe diuerſo modo, vt dictum eſt, formam aliquam ſe communicare ſubiecto; & fatear ſanctitatem increatam informare, vt ita loquar, diuinitatem, ſeu Verbum alio modo, quàm humanitatem; & albedinem alio item modo eſſe diſgregatiuam viſus, quam ſubiectum eius. Dico tamen quod & ſanctitas increata, ſi humanitatem conſtituat formaliter ſanctam; & albedo, ſi formaliter conſtituat ſuum ſubiectum diſgregatiuum, dant totum id quod ſunt, & quod habent. Quare ſanctitas non poteſt quicquam ſui ſuſpendere, & non totam dare, quam habet eſſentialiter amabilitatem: ſicut & albedo, ſi eſt diſgregatiua vt octo, non poteſt ſuum ſubiectum facere minùs diſgregatiuum, quàm octo. Eſto modus ſit diuerſus, & humanitas habeat per gratiam vnionis id quod Verbum habet per identitatem, & eſſentialiter: ſubiectum item albedinis habeat accidentaliter, quod albedo habet eſſentialiter; nihilominus negari non poteſt, quin & per gratiam vnionis humanitas ſit ſancta, ſeu amabilis ea ſanctitate, amabilitateque tota, quâ Verbum; atque ita ſit tam intensè ſancta, & amabilis, ſine tot gradus virtuales ſanctitatis, & amabilitatis habeat, quàm Verbum, non ſecus ac prædictæ ſubiectum albedinis tam diſgregatiuum ſit, quàm ipſa albedo. Dico igitur, cùm abſurdiſſimum ſit humanitatem eſſe tam ſanctam, Deoque amabilem, quàm ipſam Diuinitatem; id tamen ſequi ex eorum ſententia, qui aſſerunt humanitatem eſſe formaliter ſanctam per ſanctitatem increatam, & Verbi perſonalitatem. Ex eorumdem etiam ſententia ſequitur Chriſtum vt hominem eſſe Filium Dei filiatione æterna, quare aſſerendum omninò videtur, formam qua humanitas ſanctificatur, & qua Chriſtus vt homo, Deo eſt amabilis, & conſtituitur naturalis Filius Patris, non eſſe increatam ipſam, & ſubſtantialem ſanctitatem; ſed eſſe aliquam ſanctitatem moralem inferiorem, emanantem cauſaliter à perſonalitate, & ſanctitate increata, vnita hypoſtaticè ipſi humanitati.

CAPVT III.

An, & ad quid in Chriſto detur gratia habitualis.

1. QVEMADMODVM non defuere qui, quòd in Chriſti humanitate ſanctitatem, quæ à Verbi perſonalitate, diuinitateque oriretur, nequaquam agnoſcerent, putarint neceſſariam omninò eſſe ipſi Chriſto, vt poſſet quatenus homo dici ſanctus, gratiam habitualem: ſic ex aduerſo fuere nonnulli, qui hanc ideò velut ſupervacaneam ab illo reiecerint, quòd ſubſtantialem in ipſo ex Verbi perſonalitate ſanctitatem agnouerint. Non multùm ab horum ſententia videtur abhorrere Paludanus *diſt.* 13. *q.* 2. & ad eandem propendere teſtatur Ariaga Vvadingum *diſp.* 5. *dub.* 1. Putauit nimirum hic Author, nullos SS. Patres gratiam creatam admiſiſſe in Chriſto, expreſsè autem negaſſe Cyrillum *in epiſt. ad ſolitariam vitam degentes, cap.* 1. quæ epiſtola habetur in Epheſino Concilio. Sed fallitur, alij enim illius Sancti Patris mens eſt, eamque infra proferemus.

2. Concluſio prima. Chriſtus præter illam ſanctitatem, quæ à perſonalitate, diuinitateque Verbi, eo modo, quo ſuperiore capite explicatum eſt, emanat, aliud poſſidet ſanctitatis genus per infuſionem gratiæ habitualis. Concluſio hæc eſt D. Thomæ *q.* 7. & ita certa, communiſque inter Theologos, mirum vt ſit repertum fuiſſe vnum, aut alterum, qui in ea fluctuarit: eamque Suares, & alij Doctores grauiſſimi cenſuerunt ad fidem catholicam pertinere. Probatur primò ex ſcriptura, locus enim ille Pſal. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis,* quo vſi ſumus ad probandam ſanctitatem, quæ ſit ex gratia vnionis, hoc etiam genus ſanctitatis, de quo agimus, probat, & ad hoc eum retulit Athanaſius *ſerm. 2. contra Arianos,* vbi per oleum intelligit ſanctificationem, quâ Verbum nobiſcum communicat, & quam accepit vt homo. *Vnde,* inquit, *factum eſt, vt eam gratiam ſpiritus, quam ipſe vt homo accepit, nos ex eiuſdẽ plenitudine dimanantẽ acceperimus.* Eandem illius olei explicationem Hieron. *in c. 3. Abac.* affert: *Super omnia vnguentorum genera,* inquit, *eſt vnguentum ſpirituale, quod vocatur oleum exultationis, quo vngitur Saluator... Participes autem eos puto, ad quos loquitur Ioannes; Et vos vnctionem habetis à Sancto.* Idem vnguentum, ſeu oleum Ambroſius *ſuper cap. 1. ad Hebr.* dicit eſſe gratiam, quæ communis eſt Chriſto, & nobis. Quò etiam accommodat illud Pſalmi 128. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius.* Bernardus *ſerm. 16. in Cant.* idem oleum explicat ſeptem dona Spiritus ſancti, quibus impletus eſt Chriſtus, iuxta Iſaiam *cap.* 11. Poſſunt æquè de hoc genere ſanctitatis intelligi alia ſcripturæ loca, quibus nos eminentiorem illam, quæ ex Verbi perſonalitate exiſtit ſanctitatem, capite ſuperiore probauimus.

3. Sanctorum Patrum teſtimonia immeritò Vvadingus negauit ſuppetere ad hanc adſtruendam veritatem, nam præter Athanaſium, Ambroſium, Hieronymum, & Bernardum, quos iam referebamus, ipſius Cyrilli locus ab illo Authore contra nos relatus, ei aduerſatur. Ait enim eo loci Sanctus ille Pater, *nomen Chriſti tribui iuſtis, vtpote vnctionem à Sancto habentibus,* iuxta 1. *Ioan.* 2. deindeque addit, *Chriſtum id habere inſuper, vt ſit Deus.* Et concludit; *Si quis propter eam vnctionem ſolam* (communem ſcilicet ſanctis hominibus) *Chriſtum eſſe Deum, & adorari aſſerat, debebit is conſequenter aſſerere, nos eſſe Deos, & adorandos æquè ac ipſum Chriſtum.* Vbi manifeſtè ſupponit Chriſtum habere id ſanctitatis genus nobiſcum commune, quod non ſufficiat ad conſtituendum ipſum Deum; quare illum aliam inſuper habere ſanctitatem, & vnctionem ſubſtantialem, ob quam adoretur vt Deus. Videri poſſunt alij in hanc rem Sancti Patres apud Suarem, & Vaſquem. Quorum ille ait, iſte negat, hanc noſtræ concluſionis veritatem dogma fidei eſſe, propter adductas cùm ſcripturæ, tum Sanctorum authoritates. Sed quidquid ſit de illo certitudinis gradu, qui mihi non videtur adeò manifeſtus, debet tamen iſta noſtra concluſio eſſe indubita, nec ſine temeritate negari poteſt.

4. Poſſumus etiam validè argumentari ratione,

tantùm enim abeſt, vt Chriſtus ex eo quòd per Verbi perſonalitatem conſtituatur ſanctus, nequeat item ſanctificari per habitualem gratiam, quæ ſit creatum donum menti eius inhærens; vt ex contrario ipſa per Verbi diuinitatem ſanctificatio ratio ſit optima, cur is debeat adiunctam habere ſanctificationem gratiæ habitualis. Exigit ſiquidem Verbi dignitas, vt ſibi vnita humanitas perfectiones omnes eas habeat creatas, & inhærentes, quæ tali naturæ conuenientes ſint, & contentaneæ, nec iure poteſt negari, quin illi collata fuerint omnia, quæ ad ipſius ornamentum facere poterant. Quis eam dicat vllis aut corporis, aut animi dotibus, ſine quibus homo illuſtrem commendationem habere non poteſt, caruiſſe? Petebat, inquam, vnionis hypoſtaticæ dignitas, vt & corpus egregiam, quà virium, quà valetudinis firmitatem cum honeſta formæ totius ſpecie obtineret, & animus virtutibus moralibus non careret. Quòd ſi morales, eæque naturales virtutes Chriſto deeſſe non debuere, nec profectò deeſſe infuſas, theologicaſque oportuit; neque ob vnionis hypoſtaticæ ſplendorem neceſſe fuit arceri, & velut inſociabilem amoueri gratiam eam habitualem, quæ ipſa per ſe nobiliſſimum eſt diuinæ naturæ conſortium, & cenſeri poteſt in Chriſto quædam vnionis ipſius hypoſtaticæ velut emanatio, ſeu appendix. Quamuis enim minus ſit, inferiuſque donum, quàm gratia vnionis, hanc tamen non minuit, cùm nunquam bonum acceſſione boni deterius fiat. Nec audiendus eſt Vvadingus, cùm ait Chriſtum nullo modo ſanctificari poſſe per gratiam habitualem, vtpotè ſanctificatum priùs infinitè per Verbi hypoſtaſin. Abſurdè. Quaſi nimirum conferri nequeat pluribus titulis, ac modis ſanctificatio. Certè ſi eandem Chriſti humanitatem ſibi inſuper aliæ duæ perſonæ diuinæ vnirent, illa ſanctificaretur iterùm, ac tertiò de nouo.

5. Confirmatur. Nam gratia vnionis, quantumvis excellens, non impedit quo minùs humanitas decoretur virtute patrandi miracula. Ergo multò minùs impedire debet infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ longè maius eſt ipſius humanitatis ornamentum. Probatur item hæc veritas euidenter ex eo, quòd excellentia vnionis cum Verbo non impediat, ſed exigat infuſionem luminis gloriæ, quamuis creati doni. Ergo neque impedire debet infuſionem gratiæ, quæ illius eſt fundamentum, & connaturaliter reſpondet ipſi gloriæ. Accedit quod Concilium Tridentinum de omnibus vniuerſim iuſtis definit, eos iuſtificari per infuſionem gratiæ, & charitatis; atque gratiam infuſam referri ad gloriam velut huius ſemen; ita vt hæc cum aliqua ad illam proportione tribuatur. Ergo cùm de omnibus iuſtis id aſſerat Concilium, non debet ab illa vniuerſalitate Chriſtus excludi; cùm in ea nihil includatur, quod illo ſit indignum. Etſi enim vi vnionis hypoſtaticæ Chriſtus ſit naturalis hæres Dei; & ius ad gloriam, viſionemque beatificam tam perfectam, quantam eius potentia obedientialis capere poteſt, habeat; illa tamen prærogatiua, & perfectio nullatenus obſcuratur ex eo, quòd nouo item iure ob acceſſionem gratiæ infuſæ gloria debeatur; & ex eo, quòd illius glorificationis, ſeu viſionis beatificæ, vt ita loquar, exequutio, per quam ſatisfit iuri illi anteriori orto ab vnione hypoſtaticâ, compleatur eo modo connaturali, qui vt dictum eſt, vſurpatur in omnibus iuſtis. Cùm enim Chriſtus ſit caput, & exemplar omnium iuſtorum, illam debuit habere cum iis & ſanctificationis, & glorificationis homogeneitatem. Denique cùm eius humanitas nequeat exercere ſupernaturales operationes, niſi eius potentiæ eleuentur, certum autem ſit vnionem hypoſtaticam non poſſe talem eleuationem conferre, neceſſarium fuit, vt aliqua inſuper alia gratia ſanctificans tribueretur, qualem cæteræ intellectuales creaturæ habent, per quam ad operandum eleuaretur, vt mox dicemus in concluſione tertia.

6. Concluſio ſecunda. Sanctitas habitualis prædicta non ad id Chriſto datur, vt is per illam primariò ſanctus, Deoque gratus, & ad infinitè merendum idoneus conſtituatur. Huic aſſertioni aduerſantur primò Paludanus, Ruardus, Taper. Marſilius, Durandus, Capreolus, &c. qui ſanctitatem hanc infuſam ideò agnoſcunt in Chriſto, quòd hunc exiſtiment non potuiſſe per vnionem hypoſtaticam reddi iuſtum, & gratum Deo, vnde colligunt neceſſariam ei fuiſſe gratiam habitualem, ſine qua ipſius humanitas (vt ipſi putant) manſiſſet in puris naturalibus: quod aliqui omninò impoſſibile, alij abſolutè poſſibile affirmant. Suſpicio eſt Magiſtrum, necnon D. Thomam, & maximam partem antiquorum eius opinionis fuiſſe, cùm de humanitatis aſſumptæ ſanctitate & huius cauſa formali diſputantes, ſolius ferè meminerint gratiæ habitualis. Verùm ex dictis præcedenti capite apparet concipi non poſſe perſonalitatem diuinam, & ſanctitatem ſubſtantialem vniri alicui naturæ intellectuali, ita vt cum hac faceret vnum concretum, quod eſſet Deus, quin eam ſuo imbutam, infectamque nomine deificaret, redderetque infinitè dignam ad merendum.

7. Aduerſantur nobis ſecundò Alexander, Bonauentura, &c. exiſtimantes non potuiſſe humanitatem vniri Verbo, niſi ſupponeretur eſſe priùs ſancta, & habere gratiam habitualem velut diſpoſitionem, & conditionem ſine qua non. Hanc nos doctrinam reiecimus *lib. 4. cap. 2.* quamuis enim humanitas nudè, & ſecundum ſe ſimpliciter conſiderata naturalem proportionem non habeat ad vnionem, nullo tamen modo ei repugnat, ſed potiùs potentiam ad illam habet obedientialem.

8. Concluſio tertia. Sanctitas habitualis ideò reperitur in Chriſto, vt eius humanitatem vnione Verbi iam ſanctificatam perficiat tam quoad eſſe, quàm quoad operari. Prior pars de perfectione quoad eſſe ſatis intelligitur ex prima concluſione: certum enim eſt excellentem gratiæ qualitatem eundem ornandi habere effectum in Chriſti, quem in cuiuſcumque alius Sancti humanitate: nec fieri poſſe (cùm præſertim in ſumma quadam, & quanta eſſe poteſt, menſura ei conferatur) quin ei tribuat omnem excellentem diſpoſitionem, & pulchritudinem, quam cum ſubſtantiali Verbi dignitate ſociari non repugnet. Porrò non eſt exiſtimandum, gratiam huiuſmodi habere in Chriſto omnem effectum, quem habuit in cæteris creaturis intellectualibus: nam in hominibus quidem lapſis expellit peccatum, in Angelis autem, & Adamo nondum lapſo primariam ſanctitatem confert; quorum effectuum neutrum potuit Chriſto conferre. Præterea in omnibus cùm Angelis, tum hominibus eum habet effectum, vt illos conſtituat Filios Dei adoptiuos, quem effectum etiam conſtat non potuiſſe locum habere in Chriſto, quandoquidem antequam gratia ei habitualis infunderetur, præſupponebatur conſtitutus iam Filius naturalis Dei per vnionem hypoſtaticam. Et cùm hæc gratia non habeat annexum effectum filiationis niſi ex inſtitutione diuinâ, non debuit Deus inſtituere vt eum effectum conferret infuſa Chriſto; neque ipſa poterat conferre filiationem adoptiuam ei qui non erat perſona extranea.

Secunda

Digitized by Google

9. Secunda pars concluſionis vt probetur, quæ pertinet ad perfectionem operandi; aduerte in creaturis intellectualibus aliquod ſanctitatis genus reperiri in ordine ad ſupernaturales operationes, per quod potentiæ eleuantur, & tum per diuinum auxilium, ſiue habituale, ſiue actuale, tum per ipſos actus tali auxilio proportionatos quodammodo conſecrantur. Certum eſt autem vnionem hypoſtaticam non poſſe hoc ſanctitatis genus conferre, quandoquidem non iuuat naturam aſſumptam ad operandum; hanc enim tantùm in ratione ſuppoſiti perficit, ac in eſſendo terminat, intactas relinquens potentias eius, vt patet in oculo, qui præciſe ex eo quòd Verbi ſubſiſtentiâ terminetur, nec longiùs, nec acutiùs videt: ſed ad hunc effectum quodam indiget præter vnionem hypoſtaticam auxilio; & clarum eſt quod intellectus humanus Chriſti, quantumvis hypoſtaticè Verbo coniungatur, non poteſt Dei eſſentiam videre, niſi lumine gloriæ, aut aliquo æquiualente auxilio eleuetur. Dicendum igitur eſt fuiſſe in Chriſto auxilium aliquod, & eleuationem intellectus, & voluntatis ad hoc vt actibus ſupernaturalibus Deum proſequi poſſit.

10. Cùm porrò conferri potuerit hoc auxilium duobus modis, vno quidem per actiuum concurſum Dei in ipſo intimè habitantis, & defectum habituum creatorum ſupplentis, vt in homine contingit, qui exiſtens in peccato mortali, actum contritionis elicit. Altero per habitum ſupernaturalem, qui potentias rationales permanenter informet, actuſque ſupernaturales reddat familiares, proportionatos, ac velut naturales; longè melius eſt, ſi aſſeramus in Chriſto auxilium ad ſupernaturalia hoc ſecundo potiùs modo, quàm priore, licèt poſſibili, per Spiritum Sanctum Chriſto ſemper intimè aſſiſtentem. Ratio petitur ex eo, quod cæteri homines gratiam habitualem à Chriſto tanquam à capite acceperint ratione vnionis: vnde ſequitur ipſam animam Chriſti multò magis, vtpote, propinquiorem vnioni, accipere debuiſſe eiuſmodi gratiam. Cùmque Chriſtus futurus eſſet caput omnium iuſtorum, qui ab ipſo gratiam habitualem eſſent accepturi, oportebat ipſum habere hanc gratiam, vt ſic eſſet caput quodammodo homogeneum ſuis membris. Confirmatur: nam Chriſtus eſt omnium infra ſe ſanctorum non modò caput, ſed etiam exemplar: debet ergo eſſe ſimilitudo inter illos, & reliquorum omnium ſanctitatem. Adde quòd gratia habitualis ſit tum ornamentum in eſſendo magnum, tum connaturalius ad ſupernaturales actiones, vt iam diximus, adiumentum, nullo modo indecens Chriſto.

CAPVT IV.

Quanta, & qualis ſit in Chriſto gratia habitualis.

1. Dico primò. Gratia Chriſti habitualis non eſt infinita, eſt tamen tanta, vt maior in eo eſſe non poſſit. Hæc concluſio quoad priorem partem (loquendo de gratia prout eſt entitas, & qualitas quædam, ſicut nos illam nunc ſumimus) eſt communis, & traditur nominatim à D. Thom. *q.7. art.11.* Eam item præter Thomiſtas docent Scotus, Durandus, Albertus, Bonauentura, Ricardus, Almainus, Suares, Vaſq. Delugo, &c. optima ratio ad eius probationem affertur à Sancto Doctore *in illo art. 11.* quòd capacitas animæ Chriſti ſit finita, vt manifeſtum per ſe videtur. Perfectio enim, & capacitas ſubiecti debet eſſe proportionata eius entitati: nec probare poſſum aliquorum Theologorum ſententiam, qui creaturarum omnium potentias obedientiales, cùm ad agendum, tum ad recipiendum illimitatas, & ſaltem ſyncategorematicè infinitas agnoſcunt: atque ita capacitatem eſſe negant in anima Chriſti limitatam ſolùm, & finitam.

2. Sunt qui priorem hanc noſtræ concluſionis partem quibuſdam aliis ſtabilire conentur improbabilibus argumentis. Suares *diſp.22. ſect.1.* argumentum hoc affert, quia gratiam dari repugnat infinitam, ſi enim ea daretur infinita (inquit) ergo poſſet dari lumen gloriæ infinitum, & viſio Dei infinita, per quam cognoſceretur Deus ab humano intellectu quantum cognoſcibilis eſt; & cognoſceretur in ipſo quicquid facere poteſt. Verùm primò nego Suari repugnare infinitum lumen gloriæ, ac viſionem Dei infinitam. Nego item opus eſſe, vt per infinitum huiuſmodi lumen, & viſionem Deus cognoſcatur, quantùm cognoſcibilis eſt, & perfectè comprehendatur: non enim repugnat vnum infinitum alio eſſe maius, & in Deo multæ ſunt variorum generum infinitates, quarum vna videri poteſt non viſis, cognitiſve aliis. Imò nec fieri poteſt, vt viſio quæcumque infinita æquet infinitatem perfectionis diuinæ, vel vnius.

3. Vaſques *diſp.46.* alia ratione argumentatur: nam quamvis infinitum actu in quantitate & multitudine non inficietur eſſe poſſibile, vult tamen ſpecialiter intenſionem infinitam gratiæ habitualis eſſe impoſſibilem; propterea quòd non poteſt eſſe tanta, quin maior eſſe poſſit. Nam quantacunque aliquis habere ſupponatur, poterit is per bona opera fieri Deo gratior, & ſanctior. Igitur non habebit gratiam infinitam: ſi enim eſſet infinita, non poſſet augeri, quia non haberet vltimum intenſionis gradum eum quo poſſent continuari gradus illi, qui aduenirent. Sed hoc Vaſquis argumentum nihil vrget, falſaque eſt ſuperior prima propoſitio, quòd nempe gratia nunquam tanta eſſe poſſit, quin poſſit maior eſſe: nam ſi ſupponamus tantam alicui datam eſſe gratiam, vt ei nulla fieri poſſit acceſſio; dicendum erit idem de illo, quod de Chriſto: bona ſcilicet illius opera fore quidem gratiſſima Deo, & maiorem in dies promeritura eſſe Dei complacentiam; ſed nullum propter illa extiturum gratiæ infuſæ, aut ſanctitatis habitualis augmentum. Præterea cùm non repugnet infinitum dari infinito maius, non ſequeretur ex eo quod gratia eſſet infinitè intenſa, nec haberet vltimum intenſionis gradum, impoſſibile eſſe omne augmentum ſuperueniens; præſertim ſi ſupponamus, quæ probabilior eſt, homogeneitatem graduum; nec enim tali homogeneitate ſuppoſita neceſſarium eſſet vltimum aliquem, ſeu ſummum gradum, in quo vnio fieret, inueniri. Poſſet ſiquidem Deus ex præſuppoſitis gradibus infinitis eligere aliquem, in quo faceret diſſolutionem deſtructa vnione duarum illius partium, & harum partium extremitatibus nouum illum, quem interſerere vellet, gradum vnire: quo facto gratia quæ antea erat infinita, creuiſſet. Quod ſi ſupponeremus intenſionem fieri per gradus heterogeneos, & ſimul diceremus non datam fuiſſe omnem poſſibilem intenſionem, ſed aliam minorem, infinitam tamen; non putat Ariaga *diſp.32.num.23.* defuturum intenſioni huic infinitæ ſummum gradum, cui gradus ſuperuenientes vnirentur immediatè. Ille autem ſummus, inquit, eſſet vltimus; & aliunde in illo infinito

Digitized by Google

finito eſſet etiam primus,ſeu infimus. Atque ita daretur in eo infinito primus, ſeu infimus: quod licèt, vt ait, multos terreat, putat tamen aſſerendum, nec cenſet repugnare, infinitum huiuſmodi claudi duobus extremis; non magis quàm continuum duobus punctis determinatis, inchoatiuo, & terminatiuo.

4. Rationes quædam aliæ, quas omitto, à nonnullis afferuntur, vt probetur hæc noſtra ſententia, quòd habitualis gratia non ſit in Chriſto infinita. Fundantur autem illi ferè (vt Suarez, & Vaſquez à nobis iam refutati) in eo quòd repugnet dari abſolutè gratiam categorematicè infinitam; cùm aliundè ſupponant non deeſſe potentiam in Chriſto infinitam obedientialem, ad quantamcunque gratiam recipiendam. Quare Suarez, & Delugo fatentur ſe in Chriſto agnituros gratiam infinitam actu, ſi hæc ex parte ſua non implicaret. Nos contra quàm illi, cùm poſſibilem eſſe ſupponamus gratiam actu infinitam, in eo ſolùm fundamur, quòd in Chriſto non ſit infinita potentia obedientialis receptiua, ſed tantùm limitata: nec putamus rationem aliam ſolidam, quòd Chriſtus gratiam infinitam non habeat, afferri poſſe præter illam, quæ eſt D. Thomæ, & ſumitur ex finita capacitate animæ Chriſti.

5. Aduerte gratiam habitualem, de qua diſputamus, à Theologis poſt D. Thomam diſtingui vulgò bifariam. Primò vt habet rationem entis, ſeu qualitatis; & in hoc ſenſu de illa nos hactenus egimus, negauimuſque cum S. Doctore, eſſe in Chriſto infinitam. Secundò vt habet rationem gratiæ, in qua acceptione idem S. Doctor, aliique paſſim aiunt eam poſſe dici aliquo infinitam modo: qui tamen modus eſt valde improprius, & ad nomen potiùs, quàm ad rem pertinet; eique aduerſantur Scotus, Durandus, Albertus, &c. Quandoquidem in gratia idem eſt eſſe qualitatis, & eſſe gratiæ. Ergo, ſi vt qualitas eſt finita, non poteſt eſſe infinita vt gratia. Quamuis vt ait S. Thomas conferatur animæ Chriſti, ſicut cuidam generali principio gratificationis, non habenti ſcilicet effectus ſuos limitatos. In hac parui momenti, & ferè de nomine controuerſiâ, quam obſcuris valdè verbis & proponit D. Thomas, & exponit Caietanus, dicendum eſt, Chriſti gratiam habere quidem ſine reſtrictione omnem vſum, & operationem, effectumque gratiæ, non modò intra, ſed etiam extra ipſum Chriſtum, quatenus ex illius plenitudine omnes gratiæ quà in Angelos, quà in homines profluxere. Item certum eſt ipſam immenſum quantùm per quandam relationem, & ſumptam ab vnione hypoſtatica denominationem nobilitari. Quemadmodum enim Verbum eleuat humanitatem ad moralem quandam dignitatem infinitam, ſic etiam eadem dignitate, ſplendoreque morali perfundit omnes eiuſdem humanitatis qualitates, vnamquanque in genere ſuo, & iuxta ſuam capacitatem. Vnde fit vt ipſa gratia, charitaſque habitualis Chriſti, ac cæteræ virtutes elicuerint operationes infinitè meritorias, & ſatisfactorias; ita tamen vt illarum valor non ſumatur ab ipſa per ſe gratia, ſed à Verbo: nihilominus id omne quicquid eſt infinitatis, cenſeri debet gratiæ extrinſecum, neque in ſe illam auget vllatenus, vel nobilitat.

6. Contra priorem huius noſtræ concluſionis partem hactenus probatam, & explicatam, quòd nempe Chriſti gratia habitualis non ſit infinita, opinantur nonnulli Theologi, Almainus *in 3. diſt. 13. quæſt. 7.* Maior *quæſt. 3.* Scotus *quæſt. 4.* & ex noſtris Petrus Hurtadus *diſp. 48.* & Ariaga *diſp. 32. ſect. 3. & ſequentibus.* Fundamentum eorum eſt, quoniam ex vna parte gratiæ infinitudo eſt poſſibilis, ex altera verò Chriſti capacitas obedientialis eſt infinita. Cùm ergo ex nullo capite repugnet, non debet negari Chriſto talis gratia, ob perſonalem illius dignitatem. Sed ſuprà iam diximus, & ex dicendis mox in ſecunda parte huius concluſionis intelligetur, capacitatem obedientialem animæ Chriſti eſſe finitam, quemadmodum & phyſicam humanitatis dignitatem; quare non poteſt eſſe ſubiectum infinitæ vllius perfectionis phyſicæ. Atque ita ſubuerſum manet fundamentum horum Theologorum, quorum ſententiæ fauent eatenus Suarez, & Delugo, quatenus profitentur (ſupponentes capacitatem non deeſſe Chriſto infinitam) non propter aliud negare ſe in illo infinitatem habitualis gratiæ, niſi quia per ſe repugnat infinitum talis qualitatis, ſeque alioquin cum prædictis illis Authoribus opinaturos fuiſſe affirmant.

7. Secunda pars noſtræ concluſionis reſtat explicanda, tantam ſcilicet gratiam fuiſſe Chriſto infuſam, vt maior eſſe non poſſet. Id verò per ſe manifeſtum ſatis eſt, ſuppoſita (quam iam ſæpè diximus) finita humanitatis Chriſti capacitate obedientiali ad gratiam recipiendam. Si enim huiuſmodi capacitas eſt finita, ſequitur quòd Deus illam impleuit quantùm impleri poteſt: quid enim eſſe poterat cauſæ, cur Deus tàm parcè gratiam habitualem Chriſto impertiret, vt eius vaſculum non impleret? Atque hinc fit, vt ea gratia, quam te Deus impertiit, nequeat (pleno nempe iam vaſculo) augeri. Vnde vides in noſtra optimè ſententiâ explicari, quomodo Chriſtus habuerit gratiæ plenitudinem, de qua D. Thomas *quæſt. 7. art. 9.* & quam ſignificant ſcripturæ, dum aiunt Chriſtum plenum fuiſſe gratiæ, & veritatis; impletum ſpiritu ſapientiæ, ſcientiæ, timoris domini; in eo fuiſſe plenitudinem gratiæ, de qua plenitudine omnes accepimus, & ſimilia. Huiuſmodi plenitudinem non ita ac nos commodè explicare illi poſſunt, qui potentiam receptiuam obedientialem affirmant eſſe in humanitate Chriſti infinitam. Quod non tantùm de iis intelligi velim, qui in Chriſto eſſe affirmant gradus gratiæ finitos, vt Suarez, Delugo, &c. Sed etiam de illis qui volunt eſſe categorematicè infinitos, vt Ariaga, & alij, cenſentes intenſionem fieri per gradus homogeneos: hi enim aſſerere coguntur, non ſic impletam eſſe capacitatem humanitatis, quin alios gradus poſſit etiam recipere; illos, verbi causâ omnes, qui ſunt in beatiſſima Virgine: hi autem additi illis, quos iam de facto Chriſtus habet, facient intenſionem maiorem, vtpotè homogenei, vnibileſque præcedentibus, iuxta ipſorum ſententiam: vnde ſequitur Chriſtum non habere plenitudinem; quemadmodum vas illud non eſt plenum, quod poteſt plus recipere.

8. Vt meliùs explicetur, & intelligatur plenitudo gratiæ, quam Chriſtus habuit omni admiratione maiorem, petes quam proportionem illa habeat cum omnium Sanctorum, Angelorum, hominumque gratiis collectiuè ſumptis. Reſpondeò, gratiam habitualem, quæ fuit in Chriſto, ſecluſa etiam, neque conſiderata vnione Verbi, eam habere maioris inæqualitatis proportionem cum omnibus Sanctorum gratiis, vt hæ vniuerſæ cum illa nullo modo ſint comparabiles, & ſe habeant inſtar guttę ad maris plenitudinem. Atque inde vlteriùs apparet, quanta fuerit dignitas, & intenſio in ſingulis actibus v. c. charitatis, quos Chriſtus eliciebat cùm viueret. Dicendum enim omninò eſt, vel vnum illius actum, vi ſola gratiæ habitualis (non conſiderando gratiam vnionis) ſuperaſſe, pluſquàm verbis vllus, aut cogitatione conſequi valeat, omnes ſimul actus quarumcunque

Digitized by Google

cumcunque virtutum meritorios, quos tota collectio Angelorum, & hominum aliquando elicuerit. Quod euidenter probatur, duobus, quæ ſunt omninò certa, ſuppoſitis. Primò Chriſtum, dum charitatis actum eliciebat, operatum fuiſſe ſecundùm vltimum potentiæ, hoc eſt, quàm intenſè poterat. Secundò nullum fuiſſe meritorium actum Angelorum, hominumve, qui non auxerit in ſubiecto ſuo gratiam habitualem; ex quo fit omnes meritorios actus collectiuè ſumptos Angelorum, hominumque, non excedere horum gratiam, & charitatem habitualem. Quibus duobus ſuppoſitis neceſſariò conficitur, actum vel vnum Chriſti fuiſſe intenſiorem, maiorẽque valoris (vi gratiæ habitualis, ex quâ procedebat) quàm omnes ſimul ſumptos actus omnium collectiuè ſumptarum creaturarum intellectualium. Patet: nam Chriſti actus quilibet commenſus fuit (vt fert prima ſuperior ſuppoſitio) omnibus gradibus gratiæ, quas ipſe Chriſtus habebat; & actus omnes Angelorum, hominumque (vt fert ſecunda ſuppoſitio) non excedunt eorumdem Angelorum, hominumque gratiam habitualem. Ergo actus ſingularis quilibet Chriſti ſuperat omnes collectiuè Angelorum, hominumque actus. Etenim vt ſe habet Chriſti gratia habitualis ad omnem collectiuè Angelorum, hominumque gratiam; ita ſe habet ex dictis actus vel vnus Chriſti ad omnes eorumdem actus collectiuè ſumptos. Atque per eandem philoſophandi rationem puto vel vnum charitatis actum elicitum à Beatiſſimâ Virgine, quando moriebatur, & fortè in toto progreſſu vitæ, intenſiorem fuiſſe, magiſque meritorium, quàm omnes ſimul ſumptos actus omnium & Angelorum, & hominum: nam, vt benè ratiocinatur Suares, Beatiſſima virgo ſola plus habuit gratiæ infuſæ pro dignitate Matris Dei, quàm omnes ſimul ſumptæ aliæ creaturæ intellectuales. Et probabile eſt, mihique indubitatum, eandem Virginem ſemper exercuiſſe actus ſuos charitatis ſecundùm vim ſummam gratiæ ſuæ habitualis. Quamobrem ſingularem ſaltem aliquem à Virgine elicitum charitatis actum neceſſe eſt ſuperaſſe intenſione, & valore omnes ſimul tàm Angelorum, quàm hominum actus: quandoquidem hi cum illo eadem proportione comparari debent, quâ omnes ſimul ipſorum Angelorum, & hominum gratiæ habituales comparantur cum habituali eiuſdem Beatiſſimæ Virginis gratia.

9. Dico. Secundò, gratia habitualis in Chriſto eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra. Concluſio hæc eſt indubitata: Patres enim, cùm de gratia Chriſti loquuntur, nuſquam ſignificant loqui de gratia diuerſæ ſpeciei à noſtra. Et ſanè nullum eſt talis aſſerendæ diuerſitatis fundamentum, cùm actus charitatis, & viſio beatifica Chriſti nullam habeat diuerſitatem ſpecificam à noſtris talibus actibus. Deinde Chriſtus eſt caput, & exemplar omnium ſanctorum; debet ergo eiuſdem rationis cum illis habere ſanctitatem. Quomodo videmus in corporibus phyſicis eiuſdem eſſe naturæ caput, & membra; exemplaria verò eſſe non poſſunt abſque ſui ſimilitudine. Non audiendi ſunt hîc aliqui Thomiſtæ, aſſerentes gratiam habitualem Chriſti, licèt non ſecundùm abſolutam eſſentiam differat, tamen ſecundùm modum eſſendi, & ſecundùm ordinem quem habet ad ſubiectum, eſſe rationis, ac ſpeciei diuerſæ ab habituali noſtra gratia. Certè ille modus eſſendi ſumptus ex ſola parte ſubiecti non mutat intrinſecè ipſam gratiam, atque etiamſi gratia fingeretur eſſe forma ſpecificata eſſentialiter in ordine ad ſubiectum; non tamen propterea dicendum foret, ipſam, prout ordinatur ad humanitatem Chriſti, differre ſpecie à noſtra gratia: cùm Chriſti humanitas non differat ſpecie à noſtra humanitate; non enim illam vnio Verbi mutat phyſicè, & eſſentialiter, ſed tantùm quandam ipſi tribuit dignitatem, ob quam poteſt eſſe principium actuum, qui meritoriam, ſatisfactoriamque vim habeant, qualem actus noſtri habere non poſſunt. Vtrum porrò cum ea gratia, quæ ſimilis eſt noſtræ, quandam aliam huic diſſimilem Chriſtus habeat, aut habere poſſit, diſputat Ariaga *diſp.* 32. *ſect.* 6. Verùm quod attinet ad factum, cùm abſque dubio Chriſtus gratiam habeat noſtræ ſimilem, inutile eſt, nimiſque voluntarium ſuperaddere illi aliam, à qua item ſanctificetur. De poſſibilitate verò gratiæ cuiuſdam alius, quâ ſanctificentur animæ, & quæ contineat indiuiſibiliter perfectionem charitatis, luminis gloriæ, & omnium inſuper actuum ſupernaturalium (de qua re agit Ariaga) non eſt præſentis, nec vllius magnæ diſputationis, cùm nulla appareat repugnantia, quin tale genus gratiæ Deus ſi voluiſſet, Chriſto potuiſſet infundere.

10. Dico tertiò. Gratia habitualis non eſt forma propriè conſtituens Chriſtum caput Eccleſiæ, ſeu electorum: ſed nec fuit neceſſarium, aut ſufficiens tantæ dignitatis fundamentum. Supponit iſta Concluſio quod fuſiùs oſtenditur alibi, Chriſtum vt hominem eſſe caput hominum, & Angelorum. Caput noſtrum Chriſtus eſt, inquit Auguſt. *concl.* 3. *in Pſal.* 36. Corpus capitis illius nos ſumus: nunquid ſoli nos; & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt iuſti, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt illa vna ciuitas fiat ſub vno Rege, & vna prouincia ſub vno Imperatore. Quod ſumptum eſt ex D. Paulo *Coloſſ.* 2. *Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*, &c. necnon *Epheſ.* 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam* (& Angelorum ſcilicet, & hominum) *quæ eſt corpus ipſius*: vbi ſermo eſt de Chriſto vt homine; quem nempe Apoſtolus *ibidem* dixerat, *Suſcitatum à mortuis, & conſtitutum ad dexteram Dei, qui omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Sub humanitate eius*, inquit Anſelmus, *quia ſicut pes inferior pars corporis eſt; ita humanitas eſt inferior Chriſti natura.* Conſiſtit autem præcipuè illa dignitas capitis, quæ ſuo loco explicatur, in poteſtate gratias per varios influxus deriuandi in omnes partes, ſeu membra Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum ipſius Chriſti.

11. Aſſerit autem noſtra concluſio, poteſtatem illam, dignitatemque capitis non fundari propriè in gratia habituali, quæ ad id neque ſufficiens fuit, neque neceſſaria. Nam primò clarum eſt, gratiam habitualem non poſſe eſſe cauſam formalem, conſtitutiuamque dignitatis capitis, cùm dignitas hæc ſit aliquid morale, gratia verò quid phyſicum. Ad ſummum ergo gratia huiuſmodi comparari debet ad dignitatem capitis, vt huius aliquale fundamentum. Dixi aliquale, hoc eſt, improprium, inſufficiens, neque neceſſarium. Chriſtus enim ſufficienter conſtituitur Sanctus ad quodcumque redemptoris, ſanctificatoris, &c. officium per vnionem ipſam hypoſtaticam; nec ſine hac poterat ad vllum idoneus cenſeri capitis effectum: nam quantumvis in eo concipiamus habitualem ſanctitatem, non propterea concipiemus ipſum poſſe in rigore iuſtitiæ pro peccatis hominum ſatisfacere, vel mereri Angelis, hominibuſve gratiam, & gloriam: quandoquidem gratia habitualis Chriſto collata eiuſdem eſt ſpeciei cum gratiâ B. Virginis, aliorumque ſanctorum, in quibus nullum apparet veſtigium eius prærogatiuæ,

vt

Digitized by Google

vt aliis, quàm ſibi gratiam, aut gloriam mereri, vel pro noſtrorum peccatorum culpa condignè ſatisfacere poſſint. Scriptura porrò ſatis indicat principatum Chriſti Domini, vt capitis creaturarum, ex decreto diuino fundari in eo, quod per vnionem hypoſtat cùm ſit Filius Dei naturalis. Ita nimirum *Pſal. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Similiter *Pſal. 109. Ex vtero ante luciferum genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum.*

12. Nihilominus quamvis Chriſti gratia habitualis non fuerit præcipuum, & ſufficiens fundamentum dignitatis capitis, fuit tamen aliquale: nam Chriſtus, cùm per eam gratiam in nos influit quæ ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, ſimilis nobis, & velut ſuis homogeneus membris conſtituitur, quod neceſſarium eſt ad rationem capitis. Præterea tanta plenitudo, quantam diximus, ſanctitatis eum optimè inſtruebat ad ſupernaturaliter pro nobis operandum, & conſtituebat eundem exemplar eius, quam ab ipſo participamus pro noſtris ipſorum peccatis ſatisfaciendi, virtutis. Atque ſecundum hæc intelligere oportet D. Thomam *q. 8. art. 5.* dum ait gratiæ Chriſti habituali ex eminentia, quam habet, competere, vt deriuetur ad alios, & hoc pertinere ad rationem capitis. Hæc autem gratia non eſt entitatiuè alia, quàm ea ipſa, quæ eundem Chriſtum vt ſingularem perſonam priuatim ſanctificat, ſicut monet idem S. Thomas *art. 4.* aliique Theologi *in 3. diſt. 13.* qui in explicanda capitis in Chriſto dignitate, totum ferè in huiuſmodi gratiæ habituali, vix vnionis hypoſtaticæ mentione facta, poſuerunt, quemadmodum & ipſe S. Doctor.

13. Petes primò, an Chriſtus quemadmodum dicitur caput Eccleſiæ, ſic, & eiuſdem ſit dicendus membrum; quandoquidem in phyſico hominis corpore caput cenſetur eſſe illius aliquod membrum. Aſſerere quidem videtur illud Paulus 1. *Cor. c.* 12. cùm ait; *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*; quaſi diceret, eſtis membra Chriſti, qui & ipſe eſt membrum: ſiue vt explicat S. Thomas, eſtis membra de membro principali, quod eſt Chriſtus. Reſpondeo, caput in corporibus phyſicis eſt pars componens, & ab aliis membris commodum aliquod accipiens: quare meritò conuenire poteſt illi membri nomen. At Chriſtus caput eſt, ſic ex omni Eccleſia eminens, vt pars eius dici non poſſit; quare membrum dici non ſolet, nec debet. Eſſe enim membrum, & partem, ſonat aliquid incompletum, quod per compartes perficiatur. Quod attinet ad locum Pauli, præter alias interpretationes (quas videre potes apud Cornelium à Lapide) bona illa eſt, quæ ſumitur ex Græco, vbi eſt pro iis verbis, *membra de membro*, μέλη ἐκ μέρους; id eſt, membra ex parte, quaſi dicat Apoſtolus, eſtis membra partialia, ſeu membra membrorum, aut commembra, compartes, atque confratres eiuſdem ſocietatis: atque ita explicat Chryſoſtomus. Petes ſecundò, an Chriſtus caput dicatur ſecundùm humanitatem. Reſpondeo ſecundùm id eſt caput, ſecundum quod nos redemit, & ſecundùm quod in nos influit per merita infiniti valoris: id autem ei conuenit ratione humanitatis, non ſimpliciter ſumptæ, ſed vt vnitæ diuino ſuppoſito. Petes tertiò, an Chriſtus, vt eſt caput Beatorum, Angelorum, & hominum, ſic etiam ſit caput dæmonum, hominumque damnatorum. Reſpondeo, fuit caput dæmonum, & hominum damnatorum, quamdiu fuerunt in via, & gratias ab illo, quas habuere, acceperunt. Poſt eorum autem damnationem, cùm non eos ſibi coniunctos habeat tanquam membra, non propriè dici debet illorum caput: quamvis eorum ſit ſupremus Dominus, iudex, &c. Petes denique, an eſſe caput noſtrum, conuenire poſſit vlli puræ creaturæ. Reſpondeo, conſtat ex dictis aliàs, ſoli creaturæ, quæ Deus ſit, competere, vt ſatisfacere pro peccatis noſtris poſſit, & gratiam, gloriamque mereri aliis. Igitur ſoli competit Chriſto eſſe illo modo caput.

14. Dico quartò. Gratia habitualis non eſt in Chriſto diſtincta à virtutibus ipſius theologicis: hæ verò non ſunt omninò eædem, quæ in nobis, Angeliſque viatoribus. Prior pars concluſionis ſumi debet ex tractatu de gratia, vbi Theologi meliùs ſentientes reiiciunt eorum doctrinam, qui in nobis formam quandam adſtruunt priorem virtutibus theologicis, & ſe habentem ad has velut naturam ad ſuas potentias. Superflua eſt hæc entitatum multiplicatio; cùm nec potentiarum in anima noſtra, naturave Angelica diſtinctionem realem nihil cogat admittere, nec dubium ſit, quin ſufficienter ipſi ſanctificemur immediatè per charitatem adiunctam fidei, & ſpei. Porrò quamquam verum eſſet virtutes theologicas præſupponere gratiam, & ſanctitatem à ſe diſtinctam, ex qua orirentur; hæ tamen in Chriſto non indigerent alia præſuppoſita ſanctitate, quàm Verbi hypoſtaſi, ex qua fluxu quodam, non quidem phyſico, ſed morali orirentur: nam nec ſat probabiliter, qui diſtinguunt gratiam ab his virtutibus, aſſerere poſſunt ipſas ab illa fluere per phyſicam efficientiam, & aliter quàm per connaturalitatis exigentiam, influxumque moralem. Quod attinet ad poſteriorem huius concluſionis partem, negantem, virtutes omnes Theologicas eſſe eaſdem in Chriſto, atque in nobis, ea non intelligenda eſt de charitate, quam certum eſt eſſe eiuſdem ſpeciei in Chriſto cum noſtra; ſed de fide, necnon aliquo modo de ſpe, vt apparet ex capite ſequenti, in quo id quia fuſiùs explicandum eſt, poterit tractari commodiùs.

CAPVT V.

Quæ virtutes, Spiritus Sancti dona, & gratiæ gratis datæ reperiantur in Chriſto.

1. Licet hæc in Chriſto ſint intelligentiæ, ac voluntatis ornamenta, ideoque videatur eorum conſideratio ad tractatum, quem de illarum duarum facultatum perfectionibus inſtituturi poſtmodum ſumus, pertinere; quia tamen cùm gratia Chriſti habituali, ſanctitateque infuſa, de qua nunc agimus, virtutes quidem theologicæ, vt iam vidimus, identificantur; cæteræ verò cunctæ Spiritus Sancti donationes coniunguntur velut quædam illius ſeu proprietates, ſeu comitatus; ideò videtur de iis agendum hoc loco, vt plenior prædictæ gratiæ cognitio habeatur. Itaque.

2. Dico primò. Inter Virtutes Chriſti theologicas, fides non eſt numeranda. Probatur: nam habitus ille non eſt in Chriſto ponendus, cuius conſtat nullos Chriſtum potuiſſe vnquam exercere actus. Atqui Chriſtus in eo eſt, ſemperque fuit ſtatu, in quo fidei exercitium nullo modo ſit poſſibile: nam fides eſſentialiter eſt obſcura, vtpote cuius obiectum formale

Digitized by Google

formale aliud eſſe non poſſit, quàm Dei reuelatio obſcurè propoſita. Quapropter Paulus eam pronunciauit euacuari, nec manere in beatis. Ergo multò minùs manere poteſt, aut vnquam manere potuit in Chriſto, qui iam inde à primo conceptionis inſtanti beatitudinem habuit longè perfectiorem, alteriuſque rationis, quàm reliqui Beati. Primò enim horum beatitudo non ſemper extitit, certumque eſt eos, quamdiù viatores extiterunt, habitu indiguiſſe fidei, & per eum operatos eſſe; quod in Chriſto locum non habet. Quare poſteà in cælo non attinuit illum habitum in eis corrumpi, cùm iam productus ſupponeretur, & manere poſſet tanquam monumentum victoriæ, qua ſancti vicerunt regna, & reportarunt promiſſa fidelibus præmia.

2. Quin & ſecundò addo, plurimos Theologos opinari, ne quidem omne actualis ipſius fidei exercitium cæteris hominibus comprehenſoribus repugnare, abſolutè loquendo. Etſi enim de facto non eliciant actum credendi circa ea, quorum intuitiuam cognitionem habent, qualia ſunt attributa diuina, vt ſumitur ex Apoſtolo 1. *Corinth. cap.* 13. & ex Benedicto XI. *in Extrauag. Benedictus Deus:* vbi Pontifex ille definit, *quod viſio Dei actum fidei, & ſpei in beatis euacuet, prout fides & ſpes ſunt theologicæ virtutes*; hoc eſt, quatenus verſantur circa Deum immediatè. Nihilominus non apparet (loquendo de poſſibili) implicantia, quòd fides exerceatur etiam circa res, quarum habetur intuitio, dummodo earum fiat reuelatio obſcura, quæ ſit ad eas medium, vt ſuppono ex tractatu de fide: quomodo Philoſophi vulgò cenſent poſſe eſſe in nobis de eadem re ſcientiam, & fidem per diuerſa media. Sed nec vlla eſt difficultas, quin Beati poſſent iam ex natura rei exercere actum veræ fidei circa obiecta quæ non vident. Sanè fieri poteſt reipſa, vt S. Petrus v. c. quippiam in hac vita crediderit, cuius non habeat intuitiuam cognitionem; tale eſſe poteſt quod canis Tobiæ fuerit domeſticis caudâ blanditus. Sciens ergo Sanctus Petrus id ſe dum viueret credidiſſe propter diuinam ſcripturæ authoritatem, cur non poſſit tali authoritati, & reuelationi obſcuræ, cùm ſciat illam eſſe infallibilem, nunc aſſentiri, atque ita veram, propriamque fidem exercere? Affirmat Leſſius *lib.* 2. *de ſummo bono, num.* 160. ſe nihil in eo vel ſuperflui, vel incommodi reperire; ſed quicquid ſit ea de re quoad factum (quia probabile eſt omnes beatos manifeſtam intueri reuelationem, quòd tota ſcriptura fuerit diuinitùs inſpirata) negari ſaltem non poteſt eius poſſibilitas: Deus enim poſſet nullam nouam dare de cauda prædicti catuli reuelationem claram.

3. At in Chriſto non ita eſt, petit enim dignitas vnionis hypoſtaticæ, illum nullam habuiſſe vnquam reuelationem obſcuram, atque adeò nullum potuiſſe habere fidei actum: vnde aſſerendum conſequenter eſt (quòd ſuprà iam diximus) non ponendam in Chriſto fidem habitualem. Ad quid enim habitus, cuius nullum eſſe vnquam deceat actum? Adſtipulatur huic ſententiæ D. Thom. *quæſt.* 7. *art.* 3. cum Scholaſticis *in* 3. *diſt.* 26. & Auguſt. 14. *de Trinit. cap.* 2. Aſſerendum eſt igitur, datam fuiſſe Chriſto quandam ſublimioris generis ſapientiam loco fidei obſcuræ noſtræ, quæ ſapientia ſit virtus verè theologica: cùm in omnibus rebus ſibi manifeſtè reuelatis, feratur in aliquid increatum, nempè in reuelationem, authoritatemque diuinam, tanquam in obiectum formale; & in multis habeat etiam pro obiecto materiali perfectiones increatas, attributaque diuina. Neque dubium eſt, quin ſi quis habens ſimilem quamdam reuelationis, aut rerum diuinarum euidentiam, eliceret actum ſapientiæ ſupernaturalem, poſſet elicere ſimul actum charitatis Dei ſuper omnia, & ſic iuſtificari. Sed Deus alia viâ nos ducit, & vult nos in obſcuro fidei lumine ambulare, atque accedentem ad Deum oportet credere, *Hebr.* 6.

4. Aduertit Suarez *in comment. ad illam quæſt.* 7. *art.* 3. quòd licèt in Chriſto non fuerit habitus fidei, qui propriè eſt in intellectu; habitus tamen, quo voluntas benè diſponitur ad obediendum fidei, & quo nobis fidei honeſtas placet, potuit eſſe; cùm huiuſmodi habitus nullam imperfectionem importet, aut ſupponat. Non enim repugnat, quo minùs is qui opus aliquod exequi non poteſt, habeat tamen affectum benè diſpoſitum circa honeſtatem talis operis, & complacentiam circa ipſam. Ita virtus liberalitatis, & magnificentiæ reperiri poteſt in paupere, virtus pœnitentiæ in Beatiſſimâ Virgine. Atque pari modo poni poſſunt in Angelis ſupernaturales actus pro conditionatis actibus caſtitatis, ſobrietatis, &c. & pro tali circa eas virtutes complacentia, vt dicant v. c. ſi haberem corpus, & eſſem homo, ſeruarem caſtitatem, &c. Neque puto, quod Delugo, prædictos habitus angelicos, à noſtris eatenus diuerſos eſſe, quòd reſtricti, ac determinati ſint ad ſolos actus conditionatos, cùm Angeli ſint incapaces abſolutorum circa tales materias actuum. Dico enim eſſe per accidens, quòd ſubiectum prædictorum habituum eam incapacitatem habeat; & illos tales eſſe debere, vt eorum vi Angeli non tantùm poſſint elicere actus conditionatos, ſed etiam eſſent elicituri abſolutos, quando poſſibiles forent.

5. Dico ſecundò. Spes fuit, & manet etiamnùm in Chriſto ſecundùm habitum, at non ſecundùm omnes ſuos actus, ſed tantùm ſecundùm aliquos. Vt hæc concluſio explicetur, & probetur, aduertendum eſt, habitus (cùm præſertim ſunt ſupernaturales, & ſe habentes latè per modum potentiarum) valere non ad vnum ſolùm, ſed ad multos, & valdè diuerſos actus. Quorum actuum fieri poteſt, vt aliqui non poſſint a quadam perſona exerceri propter peculiarem ſtatum talis perſonę, poſſint tamen aliqui alij. In quo caſu, quamuis habitus ſupernaturalis non ſit neceſſarius ad illos actus qui ſunt huic perſonæ impoſſibiles, neceſſarius tamen eſt ad alios actus exercendos, qui ſunt ei poſſibiles. Atque ita dico habitum ſpei locum habere in Chriſto, quandoquidem Chriſtus, ſi non omnes, at certè multos illius actus exercere poteſt.

6. Aduertendum item nomen ſpei poſſe dupliciter ſumi, atque multos reperiri Authores, qui non ſatis duas illas eius acceptiones diſtinguant. Primùm eo nomine ſignificatur certus quidam affectus, qui non ad vnam ſpecialem virtutem, ſed ad omnes pertineat, & ſit actus proſequutiuus circa quodcumque bonum abſens, atque difficile. Vt enim omnes virtutes in obiectum ſuum tendunt per amorem, deſiderium, & lætitiam proſequutiuè; ſic etiam in illud, quando proponitur vt arduum, per ſpem feruntur, qui actus ſpectat ad partem appetitus iraſcibilem. Secundò ſpei nomen ſumi poteſt pro ſpeciali quadam virtute, quæ obiectum formale habeat nulli alij commune virtuti. Tale autem obiectum malè aliqui aſſerunt eſſe arduitatem. Nam arduitas præcisè, & per ſe non poteſt vllum terminare virtutis actum proſequutiuum, ſiquidem hic non reſpicit niſi bonum. Si autem arduitas vt iuncta bono conſideretur, nulla virtus eſt quæ ad bonum arduum ferri poſſit; atque ita non diſtinguetur ſpes ab vlla virtute, neque erit virtus peculiaris. Vaſqueſius *diſp.* 42.

Digitized by Google

diſp. 42. ſect. 2. vult in formali obiecto ſpei præter rationem ardui reperiri etiam, quod credatur euenturum: ſed hoc eodem modo refutatur; non enim vlla virtus eſt, ex cuius motiuo non poſſimus in tale aliquod obiectum ferri. Non benè idem author *ibidem*, aſſerit ſpem, vt eſt theologica, habere pro obiecto formali Deum, non tanquam id quod ſperatur, ſed tanquam id à quo ſperatur: ſicut fides non ex eo dicitur theologica, quòd Deum credamus, ſed quòd Deo credamus dicenti, & atteſtanti. Non benè, inquam, nam vt obiectum formale fidei (nempe reuelatio) debet formaliter credi, ſic per virtutes voluntatis debet ipſa voluntas velle ipſarum obiecta formalia. Atqui certum eſt, quod per ſpem non ſperamus, nec volumus Deum ſub conſideratione principij à quo ſperamus: quis enim dicat cùm aliquid ſperas à Rege, te ſperare Regem. Tenenda ergo videtur omninò Suaris hac in re doctrina, qui *in tract. de ſpe diſp. 1. ſect. 2.* vult obiectum formale ſpei theologicæ eſſe Deum vt bonum noſtrum, & vt amatum amore concupiſcentiæ ſupernaturali. Idque clarè ſumitur ex D. Thoma *q. 7. art. 4. ad 3.* & ex D. Aug. *in Enchirid. cap. 8.* Sic enim hæc virtus & theologica eſt, & ſpecialis, ac diſtincta ab aliis omnibus. Cùm dico obiectum eius eſſe Deum, intelligo primarium, ac præcipuum obiectum, illam virtutem ſumendo vt theologica eſt.

7. Nam ſi adæquatè, latiſſiméque ſecundùm omnes ſuos actus ſumatur, eius obiectum eſt omne noſtrum bonum ſupernaturale, aut quicquid tali bono contrarium eſt; ſiue id omne, in quod per ſupernaturalem concupiſcentiæ vel amorem, vel auerſionem tendimus. Bonum autem ſupernaturale, quod ſperamus, varium eſt. Poteſt enim eſſe vel finis vltimus, vel medium ad finem vltimum conducens. Malum item tali bono oppoſitum multiplex eſt. Præterea circa prædictum bonum non vnus eſt actus; poſſumus enim in illud tendere vel amore ſimplici, vel deſiderio, vel lætitia, vel ſpe, hoc eſt, peculiari illo actu, ad appetitum iraſcibilem pertinente, de quo loquutus ſum initio numeri præcedentis. Quemadmodum etiam circa malum bono ſupernaturali oppoſitum verſari poſſumus per odium, fugam, triſtitiam, iram, fiduciam, timorem. Atque hi omnes actus eliciuntur ab hac virtute theologica, quæ ideò vocatur ſpes, quòd nomen ab eo appetitus iraſcibilis actu, quem iam quarto loco recenſuimus, ſumpſerit, quia in eo potiſſimum actu difficultatem quandam obiecti connotante & ſuperante virtus huiuſmodi, quæ generoſum, & erectum animum ſpecialiter præ ſe fert, eluceat. Ex dictis intelligitur Ariagam *diſp. 33. ſect. 1.* perperam ponere in Chriſto ſpem (quoad rem ipſam, licèt non quoad nomen) reſpectu aliorum. Putat enim actum, quo deſideratur beatitudo, ſeu Deus proximo, pertinere ad habitum ſpei theologicæ. Contra: nam talis actus, non eſt ſpei, ſed charitatis erga proximum, & eſt theologicus tum ratione obiecti materialis, tum ratione obiecti formalis: amatur enim proximus propter Deum formaliter amatum.

8. His poſitis manifeſta eſt omnium concluſionis præſentis partium probatio. Patet enim Chriſtum non potuiſſe quidem vltimum finem ſupernaturalem deſiderare, aut in eum velut abſentem, atque difficiliter acquiſibilem tendere per ſpecialem eum actum ſpei, qui nomen huic virtuti dedit. Ratio eſt, quia nunquàm habuit talem finem abſentem: verumtamen potuit deſiderium, & ſpecialem prædictum ſpei actum exercere circa gloriam corporis, quæ abſens erat, & ei proponebatur vt morte vænalis. Prætereà circa vltimum finem potuit, ex ſenſu amoris proprij ſupernaturalis, ferri per actum amoris ſimplicis, & per actum lætitiæ, ſeu fruitionis. Potuit etiam malum proprium ſupernaturale odiſſe, &c. quorum actuum multos poteſt etiam nunc in cœlo exercere. Quod Chriſtus habuerit ſpem, manifeſtum eſt *ex Pſal. 17. Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum*: ſiue vt citatur à Paulo ad Hebræos, *Et ero fidens in eo.* Manet igitur probata concluſio, ſpei habitum (quali nos inſignimur) reperiri in Chriſto, per quem habitum aliquos exercuerit actus, licèt non quoſcumque potuerit. Ex dictis facile eſt, eorum rationes ſoluere, qui habitum ſpei denegarunt Chriſto, licèt nonnullos in eo agnouerint eius virtutis actus. D. Thomas fatetur in Chriſto fuiſſe ante reſurrectionem ſpem actualem gloriæ corporis, habitualem negat, quia defuit actus primarius, nempe is quo ſperatur fruitio diuinæ eſſentiæ. Sed nos aſſerimus nequaquam defuiſſe Chriſto perfectiſſimum ſpei actum circa fruitionem eſſentiæ diuinæ, complacentiam ſcilicet, gaudiumque de illa. Caietanus *ad illum art. 4.* ait Chriſtum caruiſſe habitu ſpei, quoniam loco habitus in voluntate habeat melius principium, quo ſpei actus conuenientes eliceret, nempe poſſeſſionem ipſam, fruitionemque Dei. Contra: nam fruitio, quæ eſt actus voluntatis, non poteſt eſſe elicitiuum principium ſpei actualis; habitus enim, non autem actus actum generat ſimul cum potentia. Denique Vaſqueſius rationem, cur habitum ſpei à Chriſto excludat, hanc profert, ne ſcilicet illum aut amitteret poſt adeptam gloriam corporis, aut otioſè retineret. Similiter putat animas beatorum ſperare iam reſurrectionem ſuorum corporum ſine connaturali habitu, ne poſt reſurrectionem illum amittant, ſupplente interim Spiritu Sancto illius defectum. Ex ſuperiùs dictis apparet, eam Vaſqueſij rationem nullam eſſe: manebit in Chriſto, aliiſque Beatis per omnem æternitatem ille habitus non otioſus, ſed ex motiuo amoris proprij ſupernaturalis operabitur actum gaudij de beatitudine, &c.

9. Dico tertiò. Chriſtus perfectiſſimam habuit cùm erga Patrem, tum erga homines charitatem. Non poteſt vlla eſſe de hac aſſertione dubitatio: nihil enim frequentius, expreſſiuſque ſcriptura teſtatur, quàm Chriſti charitatem, & ſummam, qua Patrem, & nimiam quâ genus humanum dilexit. Si de illa quidem charitate, quam habuit erga Deum, ſit ſermo, ea non vnius fuit modi: aliquam enim habuit non liberam, quæ viſionem beatam conſequebatur; & quæ nec ipſa meritoria (vt certum eſt contra Antiſſiodorenſem, & Gabrielem) nec (vt probabilius eſt contra Scotum) principium, conditioque meriti fuit. Habuit & alteram Chriſtus aduerſus Deum charitatem diſtinctam ab amore beatifico, liberam, & meritoriam, de qua Suares *diſp. 40. ſect. 2.* intelligit illud quod ait S. Thomas *q. 19. art. 3.* meruiſſe Chriſtum per charitatem, non vt erat comprehenſoris, ſed vt erat viatoris. Et ſanè vt Deum Chriſtus duplici ſcientia ſupernaturali comprehenſoris, & viatoris cognoſcebat; ita potuit duplici actu amoris, qui ad duplicem illam ſcientiam ſequeretur, diligere. Suam in Patrem charitatem ipſe teſtatus eſt his verbis *Ioannis 14. Vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandauit mihi Pater, ſic facio.*

10. Si verò de Chriſti erga homines charitate loquamur, dubitari non poteſt, quin eos amauerit, propter quos & venit in mundum, & omni vitâ deſudauit; quibus docendis cum perpetuo non contumeliarum ſolùm, ac iniuriarum, ſed etiam ipſius capitis

Digitized by Google

capitis periculo prædicauit; quibus denique ſaluandis, & à miſeria ſempiterna liberandis atrociſſimam mortem ſubiit, cùm pro illis ſe reum ſuppoſuiſſet. Si vt ipſe teſtatur, maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; quantam illam fuiſſe putabimus charitatem, qua pro ipſis etiam inimicis non recuſauit omni crudelitate ita lacerari, vt à planta pedis vſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas; vniuerſo corpore flagellis conciſo, diuulſo, & extenſo in cruce, atque in ea contentis, adductiſque vehementiſſimè, ac demum traiectis membris? Adeò vt nullum tale in mundo fuerit vnquam, ſed ne fingi quidem poſſit charitatis exemplum, in quo Chriſtum ſua in homines amoris ceſtatis videri poſſit mente aliquo modo mouiſſe. Idque confitentem eum Hieronymus *in cap. 1. Oſee* his verbis inducit: *Ego in tantum dilexi, & tam demens paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis portarem, mea paſſione curarem, & qui amator ſum omnium hominum, traherem eos ad credendum in vinculis charitatis.*

11. Hæc porrò tam mirabilis in Chriſto charitas (cuius actus, vtpotè liber, illius ipſius quod nobis optabat boni meritorius fuit) conſiderari debet vt ortum habens non modò ex infuſa, ſed etiam ex beatifica ſcientia. Cùm enim Chriſti anima per lumen gloriæ in Verbo videret homines, eorumque miſeriam; nihil ipſum nec cogebat, nec vetabat eorumdem misereri. Fuit ergo libera, atque meritoria miſeratio, quam eorum concepit ex tali ſua beatifica cognitione, vt bene docent Alenſis, & Scotus, approbatque Suares *loco ſuprà citato.* Quare non poteſt obſtare lumen gloriæ, quo minùs actus charitatis erga proximos ſit meritorius, ac liber. Quemadmodum libera & meritoria exiſtimanda eſt fuiſſe v. c. admonitio illa, quam Petro Chriſtus dedit de ſui negatione futura; quamvis eam ſupponere velimus datam ex cognitione beatifica, quam in Verbo habuerit de talis negationis futuritione. Sed eius rei tractandæ alius eſt locus, & fortè aliquid de ea dicetur infrà cùm agemus de Chriſti merito.

12. Dico quartò. In Chriſto reperitur timor Dei, ad ſpem & charitatem theologicas virtutes pertinens, tam habitualis, quàm aliquis etiam actualis. Probatur concluſio quoad habitualem timorem; nam ſi timeatur Deus ex motiuo concupiſcentiæ, vt cùm metuimus, ne Deus nos beatitudine, aut bono ſupernaturali priuet, &c. id pertinet ad habitum ſpei: ſi verò timor concipiatur ex motiuo amoris amicitiæ erga Deum, vt quando metuimus, ne Deus malum aliquod extrinſecum (quod ſolùm poteſt) patiatur, vel bono item extrinſeco priuetur, id referendum eſt ad habitum charitatis. Atque per hunc timorem ex motiuo amoris amicitiæ Dei poſſumus horrere peccata non tantùm noſtra, ſed etiam aliena, & timere, ne alij peccando malum Deo extrinſecum creent: ſed & ipſa aliorum peccata timere item poſſumus ex motiuo charitatis erga proximum, & illa horrere, quatenus ſunt malum ipſius proximi. Hinc patet prior pars concluſionis. Cùm enim iam viderimus concluſione ſecunda, & tertia reperiri in Chriſto habitum ſpei, & charitatis, neceſſarium eſt duplicem illum in eo timorem Dei habitualem, ab illis duabus theologicis indiſtinctum virtutibus reperiri. Præter hunc duplicem timorem theologicum concipi poteſt in Chriſto quidam alius Dei timor, de quo dicam *n. 15. & 16.* Ad rationem iam factam, quâ probatur timor qui determinatè ſit ſpei, vel charitatis, accedit authoritas ſcripturæ, propter quam de fide eſt aliquem indeterminatè timorem Dei fuiſſe in Chriſto: ſic enim habet de ipſo loquens Iſaias *cap. 11.*

iuxta verſionem Septuaginta ſenum, & iuxta vulgatam; *Replebit eum Spiritus timoris Domini.*

13. Cum habituali timore Dei agnoſcendus eſt in Chriſto pariter actualis, non quidem omnis, ſed (vt expreſsè fert noſtra concluſio) aliquis. Clarum eſt Chriſtum non potuiſſe elicere actum, quo timeret, ne Deus illi bonum ſupernaturale eriperet. Verumtamen alij ſunt actus timoris, quos haud dubiè, non modò cùm in hac mortali vita degeret, elicuit; ſed etiam nunc in cælo elicit. Non enim actualis omnis timor Dei eſt indignus beatitudinis ſtatu; quare de beatis Angelis canit Eccleſia, *tremunt poteſtates*: quod ſumptum videtur ex 26. Iob; *Columnæ cæli contremiſcunt*: conſentitque cum Pſalmo 18. vbi dicitur; *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.* Hic verò Dei timor, quem Chriſtus, & Beati in cælo habent, varius poteſt eſſe. Primò enim poteſt eſſe ex charitate, quatenus concipiunt horrorem, & fugam omnis peccati, quaſi alicuius mali Deo quotidie imminentis à peccatoribus, de quo timore ait eleganter Auguſt. 14. *de ciuit. cap. 6.* timoris caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare; non ſollicitudine neceſſitatis, ſed tranquillitate charitatis. Notandum porrò quod quamvis Chriſtus, aut alius Beatus, peccare non poſſit, tamen abſolutè natura eius capax eſt peccati: poteſt ergo ipſe voluntate ſua fugere ex motiuo cùm ſpei, tum charitatis hoc malum tanquam poſſibile ſimpliciter naturæ ſuæ. Secundò ex motiuo ſpei, ſeu amoris proprij poteſt haberi à Chriſto, & quolibet Beato actus timoris de malo quod Deus per potentiam abſolutam inferre valet creaturæ ſuæ: quia licet anima Chriſti, vel alia beata, conſiderando potentiam Dei vt coniunctam voluntati, & prouidentiæ eius, ſecuriſſima ſit, nec timere queat vllum malum; tamen præciſè conſiderando potentiam diuinam ſecundùm ſe, poteſt voluntas refugere malum illud, quod ab ea prouenire poſſet. Non dubitat Suar. *diſp. 20. ſect. 2.* quin is actus conueniens Chriſto ſit.

14. Obiicies. Is qui omnimodam habet certitudinem de non futuritione alicuius damni, non poteſt concipere vllum illius timorem, debet enim neceſſariò timor eſſe cum incertitudine eius quod timet. Ergo cùm Chriſtus ſcientiam haberet diſtinctam rerum futurarum, & certus eſſet non futurum ſibi damnum, aut malum vllum, nihil poterat timere. Reſpondeo falſum eſſe quod ad actum timoris neceſſariò requiratur incertitudo mali venturi; nam qui videt malum ſibi certò imminens, v.c. reus aliquis inſignis, qui ad iudicis tribunal rapitur, is habet naturaliter actum appetitus iraſcibilis circa malum apprehenſum ineuitabile, qui actus vocatur ἀγωνία, formido, ſeu timor. Quemadmodum è contra, ſi prædictus reus apprehenderet ſupplicium ita incertum, vt poſſet euitari, exiſteret in eius appetitu iraſcibili actus fiduciæ θάῤῥος. Atque ita dum in horto Chriſtus oraret, cœpit, vt refert Marcus *c. 14.* pauere, hoc eſt, vehementer timere propter ſupplicij quod certiſſimum prouidebat, atrocitatem. Præterea ex aduerſo licèt qui certus eſt de non futuritione mali alicuius, non poſſit timere ne eueniat, poteſt tamen concipere affectum horroris circa illud, & quoſdam alios elicere actus, qui quocumque dicantur nomine, ſint à timore habituali, hoc eſt ab eodem, à quo timor, habitu, & ex eodem obiecto formali. Quemadmodum deſiderium beatitudinis certò futuræ habet idem formale obiectum cum ſpe, & ad eundem cum hac pertinet habitum, atque ſimiliter illud ipſum deſideriū beatitudinis pertineret ad ſpei habitum in eo homine, qui ſupponeretur eſſe per reuelationem

tionem certus de non futuritione ſuæ beatitudinis.

15. Porrò aduertendum eſt ex D. Thoma *q. 7. art. 6.* timorem aliquem Dei poſſe in Chriſto, & Beatis reperiri, conſiſtentem in affectu reuerentiæ ad Deum propter eminentiam eius. Quo modo ſumitur à D. Luca dum ait *cap. 7. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum.* Ita etiam dixit Apoſtolus *Rom. 13. Reddite omnibus debitum, cui timorem, &c.* Ratio huius loquendi modi ſumitur ex eo, quod timor reſpiciat malum quod ab alio infligi poteſt: neceſſe eſt autem, eum qui poteſt infligere malum, habere quamdam eminentem poteſtatem ſuper alium à quo timetur: & ideò quamuis interdum nullum timeatur malum ab eo qui eminet poteſtate; tamen affectus reuerentiæ ad ipſum propter talem eminentiam timor vocatur. Hanc doctrinam de timore habet idem S. Thomas 2.2. *quæſt.* 19. *art.* 11. Item S. Bonauent. 3. *diſt.* 34. Gabriel *ibidem*, Alenſis 2. *part. quæſt.* 118. Ianſenius *ſuper cap.* 1. *Prouerbiorum.*

16. Addo, quòd affectus reuerentiæ erga Deum propter eius reuerentiam, non ibi ſiſtit; ſed habet aliquem alium affectum adiunctum, propter quem mereatur nomen timoris, nempè affectum ſubdendi ſe Deo, & conſequenter affectum, qui fit per modum fugæ, quo creatura in conſpectu diuinæ eminentiæ ita ſe habeat, vt veluti non audeat ad eam accedere, & formidet inueſtigare, vel comprehendere mirabilia eius. Hunc timorem reuerentiæ, ſeu admirationis vocat eleganter Dionyſ. *cap. 13. de cœleſti Hier. Sacram, ac plenam horroris venerationem, quâ ſancti celſam myſteriorum indaginem perhorreſcunt:* aitque ſignificari viſione illa Iſaiæ *cap. 6.* vbi Seraphim velabant pedes, & terga. Ex hoc affectu cantant Beati *Apocal. cap. 16. Magna, & mirabilia ſunt opera tua Domine; quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* Atque hæc de timore Dei, qui vtrum ſit donum aliquod Spiritus Sancti diſtinctum à virtutibus charitatis, ſpei, religionis, humilitatis, &c. ſignificabitur infrà.

17. Dico quintò. Anima Chriſti conſequenter ad gratiam habitualem, virtuteſque theologicas accepit omnes virtutes morales ſine imperfectionibus, quas earum aliquæ ſupponunt, vel connotant. Videtur omninò certa iſta concluſio, præſertim ſi de virtutibus moralibus loquamur, quæ ſunt entitatis ſupernaturalis, ſunt enim hæ magnum ornamentum humanitatis. Nec dubium eſt quin Chriſtus perfectiſſimos exerceret talium virtutum actus: habuit ergo habitus earum infuſos, & quidem ab inſtanti creationis, quemadmodum gratiam habitualem, cum qua ſolent etiam in nobis habitus earumdem virtutum ſupernaturales infundi.

18. Vera item eſt concluſio, ſi loquamur de virtutibus moralibus entitatis naturalis, & quæ per ſe infundi non ſolent, ſed acquiri à nobis per actus. Dicendumque eſt illarum habitus fuiſſe Chriſto diuinitùs in primo conceptionis inſtanti infuſos, atque ita fuiſſe in illo non quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum ſupernaturales. Hi enim habitus non ſunt indigni ſtatu illo diuino, ad quem euecta erat Chriſti humanitas; & eos Theologi à Suare *diſp.* 19. *ſect.* 2. citati volunt in Beatis reſidere, & quidem iure. Quemadmodum enim vti naturali ratione clarâ & euidenti, quamuis ſit perfectio inferioris ordinis, ſimul eſſe poteſt cum beatitudine, quia non habet conditionem illi repugnantem, & nequaquam gratia per ſe, atque adeò nec gloria deſtruit perfectiones naturæ. Ita operari ſecundùm rectam rationem naturalem, & habere affectum illi conformem, non aduerſatur beatitudini. Et profectò habitus prædicti virtutum naturalium in Chriſto neceſſarij fuerunt quodammodo, vt appetitus per eos rationi merè naturali ſubderetur, & ſemper in actu primo frænatus teneretur. Appetitum enim aliter quàm per hos ad id deſtinatos habitus frænari, ſeu contineri, præternaturale fuiſſet. Cùm porrò ſecundùm eos habitus operabatur Chriſtus, illos non augebat, quemadmodum nec iam auget in cœlo, ſub ea ratione, ſub qua eos ab initio ſuæ creationis accepit; cùm tam perfectos tunc poſſederit, vt ad maiorem eorum perfectionem, capacitatem non habeat. Quomodo autem in iis per ſcientiam experimentalem profecerit, explicatur ſuo loco.

19. Addidi in hac concluſione, virtutes morales, ſiue per ſe infuſas, & ſupernaturales quoad entitatem, ſiue infuſas tantùm per accidens, & naturales quoad entitatem; non datas fuiſſe Chriſto cum imperfectionibus, quas illarum aliquæ coniunctas habent: quia non decuit in Chriſto eſſe v. c. continentiam, quatenùs inſurgentes concupiſcentiæ motus actu, & reipſa compeſcit: nec pœnitentiam, quatenùs de propriis dolet criminibus, &c. Verumtamen habitus continentiæ prout virgineos illos exercet actus, qui prædictam imperfectionem non ſupponunt, in Chriſto locum habuit, ſicut etiam pœnitentiæ habitus, qui non diſtinguitur à charitate, vel iuſtitia, & valet ad actus multos, qui peccatum in ſuo ſubiecto non ſupponunt.

20. Dico ſextò. Impleta fuit anima Chriſti donis Spiritus ſancti. Sumitur iſta concluſio ex *Iſai. cap.* 11. vbi ſeptem huiuſmodi dona numerantur: *Requieſcet*, inquit, *ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Ex quo loco habetur, concluſionem hanc eſſe de fide: Quare Abailardus eo nomine fuit exiſtimatus hæreticus, quòd donum timoris in Chriſto negarit. Porrò in prædictis donis, ſapientia, intellectus, conſilium, & ſcientia perficiunt intelligentiam; neque in Chriſto lumen obſcurum habent, vt in nobis, in quibus identificantur cum fide: fortitudo autem, pietas, & timor Dei perficiunt voluntatem. Sunt porrò hæc omnia indiſtincta à virtutibus illis, ad quas eorum obiecta pertinent, prout adiunctum habentibus vehemens, & extraordinarium Spiritus Sancti in nos irruentis auxilium. Clarum autem eſt, quòd nec virtutes, nec auxilium huiuſmodi repugnant Chriſto; in quo tamen auxilium illud vehemens Spiritus Sancti nunquam (vt ſæpè facit in aliis hominibus) rationis vſum, libertatemque minuebat; quin potiùs illud ipſe Chriſtus pro ſua libertate excitabat, & habebat in ſua velut poteſtate.

21. Dico ſeptimò. Omnes alias habuit Chriſtus gratias, quas vocamus gratis datas. Ita D. Thomas *quæſt.* 7. *art.* 8. & reliqui Theologi cum Magiſtro *in* 3. *diſt.* 13. qui fundantur in Auguſt. *epiſt.* 57. *circa finem*, vbi dicit, ſicut in capite omnes ſenſus, ita in Chriſto vigere omnem gratiam, cùm ipſe ſit Caput Corporis Eccleſiæ, vt habetur *Coloſſ.* 1. & cùm Deus non ad menſuram dederit ſpiritum Filio, dicendum eſt ad plenitudinem illam gratiæ pertinere omnes collectiuè gratias gratis datas, quæ aliis hominibus diuiſim communicantur, & nouem à Doctoribus vulgò numerantur, ex D. Paulo 1. *Cor.* 12. quamuis aliæ plures eſſe poſſint. Earum autem nouem, quas recenſet Apoſtolus, quinque ait Cornelius à Lapide eſſe veriſimiliter in nobis habitus permanentes; ſcilicet ſapientiam, ſcientiam, fidem (hoc eſt intelli-

gentiam

Digitized by Google

gentiam magnam myſteriorum fidei) genera linguarum, & interpretationem ſermonum, necnon aliquando diſcretionem ſpirituum. Reliquas autem eſſe motiones tranſeuntes (quæ tamen motiones in Chriſti ſemper fuere poteſtate) nempe gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetias, diſcretionem ſpirituum. Quarum omnium gratiarum explicatio peti poteſt ex Cornelio citato, aliiſque interpretibus ſcripturæ. Probatur vlteriùs noſtra concluſio: nam hæ gratiæ cæteris per Chriſtum communicantur; debuit ergo illas ipſe habere formaliter, ſi alioqui nihil impediat, & ſint perfectiones ſimplices. Deinde hæ gratiæ, quarum aliquæ ad cognitionem, aliquæ ad ſermonem, aliquæ ad actionem, & miraculorum operationem pertinent, ſunt vel neceſſaria, vel conuenientiſſima ornamenta in perfecto Doctore, in quo requiritur præter exactam rerum intelligentiam facultas ad explicanda, & diſtinctè, clarèque proponenda myſteria, eademque ſuadenda, & tum verbis, tum operibus confirmanda. Atqui Chriſtus fuit perfectiſſimus, & ſummus Eccleſiæ ſuæ Doctor.

CAPVT VI.

Circa illam, quam Chriſtus ex vnione hypoſtatica, naturalem habuit Dei filiationem, atque ſanctitatem, pia conſideratio.

1. Conſentanevm eſt, Chriſte, cùm ex duplici conſtes diuina, humanaque natura, te ſummè vtrinque perfectum, omnique ſanctitatis laude cumulatum eſſe. Et quidem quod ad naturam ſpectat diuinam, cuius plenitudo in te corporaliter inhabitat, nihilo te minùs, quàm Patrem conſtat eſſe perfectum. Cùm enim ſubſiſtentiam increatam humanitati coniunctam poſſideas, neceſſe eſt eam te perſonam, cui cum Deo Patre omnia ſunt paria, ſuſtinere; atque ita ſubſtantiali, infinitáque ſanctitate, qualem ſubſiſtentia quælibet diuina continet, potiri. Vnde fit, vt (etiam quà homo, facta ſuprà ſubſiſtentiam reduplicatione) ſanctus ſis per eſſentiam, Filiuſque Dei æternus; ac tantùm eatenùs Deo Patri placeas, quantùm ſubſiſtentia, naturaque diuina, & quantum ipſe ſibi placet. Nec enim te vllâ, vnde placeat, poteſt ille tibi antecellere, qui ad te omnem ſuæ naturæ præſtantiam transfuderit, & cum quo tibi ſit naturalis omnis perfectionis abſque vlla exceptione communitas. Eandem tu, quam ille æternitatem nulla temporis circumſcriptione poſſides: in eandem cum illo diffuſus es immenſitatem, quæ ſpatiorum nulla, extremitate conſiſtat: poſſibiles denique omnes in eandem cum illo infinitatem perfectiones, quà ſapientiæ, quà bonitatis, quà potentiæ, &c. colligis.

2. Tu ſolus (tui conſcius, quantus, & qualis es) noſti gloriam eius generationis, quà ſe Pater in te reciprocauit, hoc eſt, in alterum ſemetipſum. Noſti ſolus tuæ conſubſtantialitatis myſterium, in quo, cùm Pater, & Filius vnum ſint, ita vt vterlibet in altero non videat niſi alterum ſe, non poteſt altero ſe nec ſuperior eſſe Pater, nec Filius inferior: ſed exultat alter in altero cum Spiritus ſancti coæterna plenitudine. *Quemadmodum, ſi fas ſit dicere* (inquit Sanctus Zeno *ſerm. 1. de Geneſi*) *duo maria, freto æſtus alternos in vnum conferente connexa, in ſemet recumbunt; quæ licèt ſui proprietate locis, vocabuliſque diſcreta ſint, tamen huius, & illius profundi vaporis vna virtus, vna eſt fluendi natura.* Neque diuinitatis, hoc eſt, illius immenſi pelagi, quod complexu ſuo poſſibilem omnem eſſentiæ continet perfectionem, poteſt Patrem inter, Filiumque diuidi magnitudo, quæ eſt & communis amborum, & ſingulis propria, nulli priuata: nimirum ea conſubſtantialitatis ratio eſt, vt quicquid perfectionis de Patre aſſerimus, idipſum de te ſine differentiæ diſcretione ſentiamus, atque in vtriuſque maieſtate adoretur æqualitas, quam nec pro dignitate laudant Angeli, nec Cherubim, aut Seraphim; quantumvis non ceſſent ſolemnis ſui triſagij modulatione, aſſiduiſſimoque clamore quotidie proſequi laudes diuinitatis tuæ. Itaque cùm nec ipſæ Angelorum linguæ ſufficiant dignum tribuere Maieſtati tuæ præconium, obmuteſcant neceſſe eſt hominum linguæ, neque id conentur dicere, quod cùm dicitur, non poteſt dici; & cùm explicatur ſupra loquentis captum aſſurgit, ipſaque explicatione deprehenditur explicari non poſſe. Ergo dum in Chriſti Numine celebrando omnis creatæ linguę ſuccumbit infirmitas, ipſum noſtri laus decet ſola ſilentij; vt Pſalmi 64. Hebraïcus textus habet, דֻמִיָּה תְהִלָּה. Atque ita neceſſarium eſt, vt illimet vni, qui lingua, & ſermo Patris eſt, locus relinquatur ſuæ diuinitatis excellentiam prædicandi. Hæc pro captu noſtro de ſanctitate Chriſti ex prima, æternaque ſua filiatione.

3. Poſtquam anima pia tantam intellexit ſui dignitatem ſponſi, quatenùs Dei (ſiue etiam quatenùs hominis, reduplicatione facta ſupra hypoſtaſin) ſupereſt vt inſuper attendat quantam natura humana, per ſe, diſtinctéque ſumpta excellentiam ex eo contrahat, quòd hypoſtaticè diuinitati iungatur. Chriſtus quidem quà homo, ſi reduplicatio fiat ſupra naturam humanam, infinitè abeſt ab increato, diuinoque faſtigio; neque eatenùs dici poteſt ſanctus per eſſentiam, vel Deo tam charus, ac diuina ſiue eſſentia, ſiue ſubſiſtentia. Licèt enim eius humanitas diuinæ vnita ſit ſubſiſtentiæ cum qua ſanctitas per eſſentiam, cæteraque attributa diuina identificantur; propterea tamen ipſe non debet ab ea ſanctitate denominari Sanctus per eſſentiam, quà homo, quemadmodum nec à cæteris attributis cum eadem ſubſiſtentia identificatis, omnipotens, immenſus, æternus, &c. Finge naturam alicuius hominis vniri hypoſtaticè Angelo, num ideò humanus illius intellectus ea doctus dicetur eſſe ſcientiâ, qua intellectus Angelicus, cui vnietur? Non ſufficit ad effectum eiuſmodi formalem, vnitam quomodocumque habere perfectionem aliquam, niſi ea vniatur vt proprio forma ſubiecto. Cōſtat autē perfectiones diuinas eo modo humanitati vniri non poſſe.

4. Nihilominùs talis humanitas per vnionem hypoſtaticam ad ſublime quodpiam ſanctitatis faſtigium erigitur, quòd Chriſtum quà hominem conſtituat naturalem (cum nequeat eſſe adoptiuus) Filium Dei, non illa quidem filiatione, qua Filius eſt Dei æternus, & quæ immediatè à ſubſiſtentia diuina velut à propria forma ſumatur; ad id enim neceſſarium foret ſubſiſtentiam humanitati coniungi per identitatem, quomodo vnitur diuinitati, ſed alia longè diuerſa filiatione naturali, quæ per vnionem hypoſtaticam in vtero Virginis cœpta eſt, & ab Angelo ſignificata cùm ipſi Virgini dixit, *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex his eminet, atque conſtat contra veteres quoſdam Theologos, humanitatem ſic per vnionem hypoſtaticam ſanctificari, vt Chriſtus, quà homo, independenter ab omni alia creata ſanctitate, Deo ſit ſummè gratus, & ad infinitè merendum longè magis idoneus, quàm per quamcūque ſupernaturalium habituum infuſionē. Quid enim in Chriſto

Digitized by Google

vt homine poteſt æquè Deo placere, quàm quòd illum videat plenitudine diuinitatis imbutum, & per gratiam vnionis conſtitutum eſſe filium ſuum naturalem.

5. Neque tamen ideò negandum eſt Chriſto illud aliud inferius ſanctitatis, & gratiæ habitualis decus, quo reliqui omnes amici Dei ornantur, ac diuinæ fiunt conſortes naturæ. Cùm enim per gratiam vnionis Chriſtus caput hominum, & Angelorum conſtitutus ſit, debuit membris ſuis aliquo modo aſſimilari, & ad eius dignitatem pertinuit vt humanitas eius nullo, quod eam decorare poſſet, ornamento careret; ac tantam, quantæ fuit capax, gratiam habitualem reciperet, quæ ex illo, velut ex capite in oram, & omnem latitudinem veſtimenti eius, quod eſt Eccleſia, reſiliret. Nos enim gratiam ſanctificantem ex plenitudine eius gratiæ accepimus. Illud ſcilicet eſt *vnguentum*, vt ait Ambroſius, *quod ex capite deſcendit in barbam Aaron, & in veſtem eius.* Attendat hîc mens fidelis, quòd ſicut Chriſtum iubente Apoſtolo, debemus ipſi induere, ſic ille fideles omnes, atque Eccleſiam toto orbe diffuſam ſibi aptauit inſtar veſtimenti, trabeæque ampliſſimæ, ac magna circumdatæ varietate. Iungamur itaque tanquam veſtimentum capiti noſtro, atque ipſi ornando, amiciendoque Chriſto ſic aptemur, vt candorem ex illuminatione vultus eius accipiamus. Sicut enim expreſſo transfigurationis myſterio docemur, cuius facies reſplenduit ſicut ſol, eius veſtimenta debent eſſe alba ſicut nix. Pauca hæc de ſanctitate Chriſti ex noua per vnionem hypoſtaticam filiatione Dei naturali, à nobis tradita ſint ſatis.

6. A te iam libenter petierim, quæcumque es anima pia, & Chriſti ſponſa, qualem dicas eſſe dilectum tuum ex dilecto? Quid habes quod reſpondeas aliud, quàm dilectum tuum, qui ortus ex dilecto Deo Patre, naturalis eius Filius in æternitate erat, alteram filiationem naturalem eiuſdem Dei nactum eſſe intra virgineum matris vterum. Ab illa itaque gemina Dei filiatione naturali dicas dilectum tuum & eſſe in æternitate candidum, vocarique candorem lucis æternæ; & in tempore rubicundum, quando volens fratribus hominibus ſimilari, particeps factus eſt eorum ſanguinis, per cuius effuſionem in Cruce habemus redemptionem; & pacificata ſunt omnia, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis. Dicas ob geminæ illius filiationis excellentiam, quòd habetur in Canticorum Cantico, ipſum eſſe & pulchrum, & decorum. Quæ verba gemina pulchri, & decori declarant, vt Bernardus ait, *ſummum in vtraque Chriſti ſubſtantia decorem, in altera natura, in altera gratia. Pulcher eſt Dominus Ieſus Angelis ſuis in forma diuinitatis ſuæ, in ſplendoribus Sanctorum per naturalem filiationem æternam. Decorus eſt nobis in forma humanitatis, & in forma ſerui*, dum nouam habere cœpit filiationem naturalem Dei per hypoſtaticam vnionem; & dum conſequenter ſingulare per gratiam habitualem ſanctificationis decus accepit. Quod etiam ſubobſcurè Dauid indicaſſe videtur, dum Chriſti pulchritudinem commendans, voce non vtitur ſimplici, ſed eâ quæ ſuarum conduplicatione literarum ſeipſam geminet, ac pulchritudinem velut conduplicatam ſignificet. Qui enim *Pſalm.* 44. verſus prædicat Chriſtum eſſe ſpecioſum formâ præ filiis hominum, ſic Hebraïcè concipitur, יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם, Verbo ſcilicet יָפְיָפָה, vt linguæ illius periti notant, ad maiorem emphaſim geminato, ac in ſe quaſi reuoluto, complicatoque.

7. Porrò cùm habitualis ea gratia, quam Deus omnibus infundit quos ſuâ beneuolentiâ complectitur, cum virtutibus ſemper quà theologicis, quà moralibus indiſſolubili nexu copuletur; exiſtimandum non eſt, ſummam illam, & immenſam gratiam, quæ Chriſto infuſa eſt, virtutum huiuſmodi comitatu eſſe deſtitutam, & quidem primò theologicas inter eius virtutes euidentiſſima rerum ad diuinitatem ſpectantium ſcientia, eminentiſſimaque ſapientia numeratur loco fidei, quæ quòd reuelatione nitatur obſcura, in eum, qui Deus ſit, & lumine gloriæ illuſtretur, conuenire non poteſt. Spem verò Chriſtus habet, non quæ per præſentem boni conſequutionem euacuetur, ſed quæ beatitudinis compos penetrare poſſit cœlos, & introire vſque ad interiora velaminis, vbi tota ſit in actibus gaudij, fruitionis, aliiſque beatificis ex proprio ſui amore circa felicitatem iam adeptam elicitis. Quod ad charitatem attinet, ea ſi ſpectetur aduersùs Patrem æternum, probatione non indiget, cùm eam præcipuè toti manifeſtari mundo Chriſtus ipſe verbo, opereque ſategerit, cùm dixit, *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandauit mihi Pater, ſic facio. Ioan.* 14.

8. Et ſanè, cùm charitas aliud non ſit, quàm plurium perſonarum vnio, & animorum, voluntatumque coniunctio, quænam eſſe maior poteſt, quàm inter perſonas illas, quæ eſſentialiter ſenſu, & voluntate vnum ſunt. *Ego, & Pater*, ait Chriſtus, *vnum ſumus.* Quòd ſi charitas, quæ in cordibus noſtris diffuſa eſt per Spiritum Sanctum, nos in Deum ſic transformat, vt quiſquis adhæret Deo, vnus cum illo ſit ſpiritus, iuxta Pauli teſtimonium, qui perfectam illam adhæſionem, vnitatemque in ſe expertus, certum dicebat *Rom.* 8. eſſe ſe, quia neque mors, neque vita, &c. poterat ipſum ſeparare à charitate Dei; quantam putamus fuiſſe illam charitatem, quæ in corde ipſius Chriſti velut in ſuo fonte reſidebat, & ex qua velut riuulus profluxit in Apoſtolum, & eximios alios Sanctos ea rerum omnium, præ dilecto Deo, contemptio, vt nec potentiam, nec iram Tyrannorum vnius putidi fecerint olei, & mortem, atque ſupplicia, luſum reputarint puerorum, vt ſanctus dixit Chryſoſtomus. Quod ſi eius erga nos charitatem attendamus, ſuperuacaneum eſt dicere quid ſignificet eius propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcenſus de cœlis? quid labores tota vitâ exantlati? quid mortis genus atrociſſimæ, quam non pro amicis, ſed pro inimicis ſubiit. *Audi eum dicentem* (inquit S. Auguſt. *tract.* 49. *in Ioan.*) *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores, ſi enim Deus peccatores non amaret, de cœlo ad terram non deſcenderet*; mortem ſcilicet propter eos acerbiſſimam oppetiturus.

9. Sed tandem conſiderandum eſt, quod vt charitas, quâ nos Deo coniungimur, Spiritus ſi dona, & morales omnes virtutes ſupernaturali nexu habet ſibi coniunctas; ita & Chriſtum Spiritus Sanctus, qui in illo reſidet, ſuorum impleuit perfectione donorum (quæ Iſaias *cap.* 11. enumerat) necnon virtutum omnium perfectione moralium; quarum virtutum ſplendorem ita nos conuenit ſpeculari, vt in eandem imaginem transformemur. *Nam tota vita Chriſti per hominem, quem in terris geſſit* (vt ait Auguſt.) *morum in nobis temperandorum diſciplina fuit, ſpeculumque virtutum.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER NONVS

De humanæ in Chriſto naturæ perfectionibus quoad intellectum.

VARIA hic occurrunt, quæ non paruam diſputationem habeant circa triplicem Chriſti ſcientiam, beatam, infuſam, & experimentalem. Ea nos ſingula expediemus hoc libro. Et primò de ſcientia Chriſti beata prioribus quinque capitibus agemus, de infuſa à ſexto ad nonum, & duobus poſterioribus de experimentali.

CAPVT PRIMVM.

An Chriſtus ſcientiam creatam habuerit, & qualem?

1. DIco primò. Extitit in Chriſto non ſolùm increatus, ſed etiam creatus, & humanus quà intellectus, quà ſcientiæ, ſeu intellectionis actus. Concluſio eſt indubitata: quemadmodum enim duas in Chriſto naturas intellectuales orthodoxa fides agnoſcit, ſic etiam neceſſariò duos intellectus cum ſuis operationibus. Et quidem de diuino intellectu ambigi non poteſt, quin is in Chriſto extiterit, ſuppoſita conſubſtantialitate Verbi, & eiuſdem vera, propriaque incarnatione. Quod autem ad humanum attinet intellectum, res æquè certa eſt, & euidens, ſuppoſita veritate humanitatis aſſumptæ. Atque huc faciunt verba Leonis Magni, relata in ſexta Synodo *act.* 17. *Agit*, inquit, *vtraque forma cùm alterius communicatione, quod ſuum eſt; Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt; & carne exequente quod carnis eſt.* Vbi ſignificatur, quamlibet in Chriſto naturam ſuas proprietates, potentias, atque actiones, ac per conſequens ſuum intellectum, ſibique proprias intellectiones habuiſſe; atque ita Chriſtum quà hominem non fuiſſe ſcientem, & intelligentem ſola ſcientia, intellectioneque increata.

2. Quod & ex Scriptura manifeſtum eſt, quæ ſæpè teſtatur ipſum ſecundùm naturam humanam habuiſſe mentem, ſcientiam actualem, ſpiritum ſapientiæ, intellectus, conſilij, &c. Sanè non aliter Chriſtus de ſe, quàm vt homine, & vt Patri obſequente loquebatur, cùm dixit *Ioan.* 8. *Scio eum, & ſermonem eius ſeruo.* Aſſerunt & paſſim Euangeliſtæ ipſum oraſſe, quæ actio non poteſt eſſe, niſi cognoſcentis, ſeque Deo ſubmittentis creaturæ. Hanc item veritatem probant omnes definitiones Eccleſiæ contra Monothelitas. Eædem enim rationes, quæ Chriſtum probant duas habuiſſe voluntates, probant & duos in eo fuiſſe intellectus. Nec enim voluntas humana poteſt operari ſine præuia intellectione humana, ſibique proportionata. Diſerteque apud ſextam Synodum *act.* 11.

in Epiſtola Sophronij, aſſeritur, *Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem animabus noſtris contribulem, & mentem noſtræ menti comparem.* Vbi mens intellectum ſignificat. Nec minùs diſertè *act.* 4. & 8. id eadem Synodus definiuit his verbis: *Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent. Duas naturas eius prædicamus, & vnamquamque proprietates naturales habere confitemur: diuinam omnia quæ diuina; humanam omnia quæ humana ſunt, abſque vllo peccato.* Idem vniuerſalius, atque confuſiùs definiuit Concilium Later. ſub Martino I. *can.* 9. vbi dicitur *fuiſſe proprietates humanitatis in Chriſto indiminutè, & ſine deminoratione.*

3. Quare neſcio quid ſibi voluerit Hugo Victorinus, cùm Chriſti animam aſſeruit fuiſſe intelligentem ſola diuina intellectione, & ſapientem ipſamet ſapientiâ increata, communicata & vnita illi per vnionem hypoſtaticam: quo modo intelligit illud *Coloſſ. cap.* 2. *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Indubitanter affirmo* (inquit *tom.* 3. *tract. de ſapientia animæ Chriſti*) *in anima Chriſti creatam ſcientiam non fuiſſe: nam qui creatam ſcientiam admittit in Chriſto, carnaliter potiùs, quàm ſpiritualiter loquitur.* Teſtatur Gregorius Ariminenſis *in* 2. *diſt.* 17. *quæſt.* 7. Doctores quoſdam idem ſuo tempore cenſuiſſe: multoſque ait Caietanus 3. *part. quæſt.* 9. *art.* 2. putauiſſe nullam in eo eſſe repugnantiam: quos conſequens fuit aſſerere ita de facto fuiſſe in Chriſto, cui nulla excellentia poſſibilis deneganda eſt.

4. Quod in eo nulla ſit repugnantia, probari poteſt, ex eo quod Sanct. Thom. eiuſque diſcipuli velint eſſentiam diuinam intellectui beato Chriſti, aliorumque ipſam in cœlo videntium, vniri per modum ſpeciei intelligibilis, ſeu ſpeciei impreſſæ. Cur ergo non poterit vniri per modum intellectionis, ſeu ſpeciei expreſſæ? Secunda probatio ſumitur ex eo quod ſubſiſtentia increata Verbi diuini potuerit naturæ humanæ ita communicari, vt per illam formaliter ſubſiſteret. Non videtur autem magis repugnare, vt ſcientia, ſeu cognitio increata ſic vniatur eidem humanitati, vt per eam formaliter ipſa humanitas ſit ſciens, atque intelligens. Nec enim apparet maior ratio, cur vna diuina, & increata perfectio communicari, & ſuum effectum formalem tribuere poſſit, quàm alia quæcumque.

5. Hæc ſententia falſa eſt omninò non tantùm

Digitized by Google

intellecta quoad factum, ſed etiam quoad poſſibile: ſi enim ſic explicetur, vt velit animam Chriſti, atque mentes beatas non tantùm habere vnitum intellectionis actum increatum, ſed etiam ipſum diuinum intellectum, ita vt & Chriſtus, & alij Beati careant propria, naturalique potentia intelligendi; patet per ſe, quàm ſit abſurdum concipere ſubſtantiam intellectualem ſpoliatam intellectu, proprietateque tam connaturali. Atque ſi loquamur quoad factum de anima Chriſti, eſt directè contra definitiones ſuperiùs allatas *num.* 2. Adde quod iuxta veriorem ſententiam potentia intelligendi eſt indiſtincta realiter ab anima rationali, atque adeò ab hac abſolutè inſeparabilis. Imò illam exiſtimo huic eſſe eſſentialem, & de primo conceptu eius; neque aliud eſſe formaliter, quàm ipſam rationalitatem, ſeu formam rationalis.

6. Quod ſi quis dicat potentiam quidem intelligendi creatam reperiri in Chriſto, ſed non actum humanum intelligendi, & huius loco intellectionem diuinam, & increatam illi communicari, per quam intellectus creatus ipſius Chriſti intelligat, & conſtituatur ſciens. Contrà. Nam primò intellectio, & ſcientia actualis exercitium eſt vitæ, & vitalis actus, qui (licèt aliqui contrarium ſentiant, quibus Ariaga *diſp. 36. ſect.* 1. ſuffragatur) nullomodo poteſt conſtituere intelligentem cum intellectum, à quo non eliciatur, quamuis ſupponatur eſſe illi vnitus: vt enim actus alicui ſit vitalis, neceſſarium eſt vt ab eo & recipiatur tanquam forma, & eliciatur: atque vtrumque deeſt intellectioni diuinæ reſpectu Chriſti, ſeu intellectus eius humani. Quemadmodum enim non poteſt illi intrinſeca eſſe (vt intellectui diuino) per identitatem; ita nequit ei vniri tanquam forma; ſed nec, vt per ſe manifeſtum eſt, poteſt ab eo elici.

7. Secundò. Si Chriſtus vt homo intelligeret formaliter per intellectionem increatam, haberet illius effectum formalem, & intelligeret omnia obiecta, quorum ipſa eſt repræſentatio formalis: atque ita Chriſti humanitas foret æquè omniſcia, æquè ſapiens, æquè beata, &c. atque ipſa diuinitas. Quod licèt Hugo citatus concedere videatur, eſt tamen abſurdiſſimum. Nec dici poteſt intellectionem, ſeu ſcientiam increatam non habere in Chriſto vt homine totum ſuum effectum formalem, quem habet in Deo, quia non eſt illi, quemadmodum huic, connaturalis. Id, inquam, dici non poteſt; nam ſi intellectio diuina vnitur humanitati Chriſti, ita vt faciat illam intelligentem, facit illam intelligentem ſecundùm totam ſuam vim, & dat illi totum effectum formalem, quem ipſi Deo dare poteſt. Non enim ſuſpendere poteſt vim ſuam repræſentandi, vt eam (cùm eſſentialis ipſi ſit) non communicet integram, quando ſe integram ipſam communicat: ſicut videmus calorem, qui eſt igni connaturalis, habere totam vim calefaciendi & comburendi, quando ponitur in ferro, quam habet in ipſo igne.

8. Tertiò. Si proptereà quod ſubſiſtentia diuina communicari poteſt per vnionem humanitati, inferas poſſe pariter intellectionem diuinam communicari, & eſſe de facto communicatam non minùs, quàm ſubſiſtentiam; ergo idem fateri debes de aliis attributis diuinis, vt nempè Chriſtus ſit volens vt homo per volitionem, & voluntatem diuinam: atque ita nihil differes à Monothelitis. Item ſi potens per omnipotentiam diuinam, atque ſic poſſit omnia, mundos creare infinitos, infinitos Angelos, &c. Quod quàm abſurdum eſt: Imò, quod intolerabilius, dicendum foret naturam ipſam diuinam ita vniri poſſe humanitati, vt Chriſtus quatenus homo eſſet verè, ac formaliter Deus. Porrò quod attinet ad argumentum hoc ſumptum ex ſubſiſtentia diuina, quaſi non minùs quàm hæc poſſit communicari humanitati diuina intellectio, & ſcientia, de illo mox fuſiùs dicam *num.* 10.

9. Ad primam rationem pro contraria ſententia fundatam in opinione Thomiſtarum de eſſentia diuina vnita intellectui Chriſti, & Beatorum per modum ſpeciei intelligibilis, ſeu ſpeciei impreſſæ; nego illam opinionem eſſe veram, quamuis Caietanus, & aliqui ex illa ſchola miras ſubtilitates hìc excogitent ad id explicandum. Diuina eſſentia eſt ita præſens intellectui beato, vt non indigeat vlla ſui ſpecie intelligibili (quæ fortè aliunde eſt impoſſibilis) vt ad ſui viſionem determinare queat intellectum. Non enim ad id requiritur talis ſpecies, niſi in abſentia obiecti, cuius illa vices gerat.

10. Ad ſecundam, & præcipuam in hac materia rationem ſumptam ex communicabilitate, & vnibilitate ſubſiſtentiæ diuinæ; reſpondeo nullam eſſe in ea difficultatem, ſuppoſita noſtra doctrina, quam alibi explicuimus de ratione, quidditateque ſubſiſtentiæ creatæ. Ex ea enim apparet longè diuerſam eſſe conditionem ſubſiſtentiæ, atque intellectionis: cùm enim ſubſiſtentiam homini naturalem ſupponamus non eſſe propriè vllam formam, aut entitatem modalem, ſed conſiſtere in mera totalitate naturæ humanæ ſibi relictæ, nec aſſumptæ ab vlla diuina perſona, quæ illam ſibi vendicet quaſi ſuam, & impediat ne ſit aliquod totum per ſe, ac ſeorſim; conſtat nihil fieri aliud per vnionem hypoſtaticam, ſeu communicationem ſubſiſtentiæ diuinæ, niſi priuationem prædictæ totalitatis, ita vt humanitas non ſit ſui quaſi iuris; ſed quicquid ipſa vel eſt, vel agit, vel patitur, ad perſonam ſolam diuinam pertineat; illa verò neque agere, neque pati, neque eſſe denominetur, ſed dicatur eſſe tota alterius, & agere, vel pati ſub nomine ſolùm alterius, perſonæ ſcilicet diuinæ, quæ ſola propriè dicitur & eſſe, & agere, & pati per humanitatem, quaſi per aliquid ſui. Quemadmodum v. c. non dicimus manum Caini occidiſſe Abelem, ſed Cainum manu ſua fratrem occidiſſe. Quare falſum eſt diuinam ſubſiſtentiam humanitati effectum vllum formalem concedere poſitiuum, cùm ſolam eius priuationem inducat totalitatis, connaturaliſque ſubſiſtentiæ: neque verum eſt, quod illam faciat ſubſiſtere, & ſuppleat (vt quidam vulgò loquuntur) defectum ipſius connaturalis ſubſiſtentiæ. Non enim humanitas Chriſti, cùm non ſit aliquod totum, magis ſubſiſtit, quàm accidens vnitum ſubſtantiæ dicitur ſubſiſtere propriè per ſubſiſtentiam ſui ſubiecti.

11. In ſoluenda hac difficultate non parum laborant illi, qui volunt ſubſiſtentiam creatam, & humanam non in totalitate conſiſtere, ſicut nos explicuimus, ſed eſſe modum aliquem, ſiue entitatulam, quæ naturam ſubſtantialem informet. Nec poſſunt benè explicare cur intellectio, ſeu ſcientia diuina non poſſit vniri humanitati, & dare illi ſuum effectum formalem tam benè ac ſubſiſtentia. Leſſ. *lib.* 2. *de ſummo bono*, *n.* 14. diſcrimen inter ſubſiſtentiam, & intellectionem diuinam quoad præſens negotium in eo ponit, quòd intellectio, non autem ſubſiſtentia includat duplicem ordinem ad ſubiectum quod denominat; nempe ordinem procedentis, & ordinem informantis: debet enim intellectio tanquam vitalis motio ab intelligente procedere, & in eo tanquam in forma remanere, quorum neutrum poteſt competere intellectioni diuinæ

reſpectu

Digitized by Google

reſpectu humanitatis: quare concludit non eſſe mirum, ſi per ſubſiſtentiam diuinam humanitas poſſit ſubſiſtere; at intelligere per intellectionem diuinam non poſſit. Contra hanc ſolutionem nonnulla quidem ex aliquorum ſententia refert Delugo *diſp.* 18, ſed quæ parum valida ſunt: quamobrem ipſe *num.* 9. tandem illi eidem ſolutioni adhærer, eaque neceſſaria eſt omnibus iis qui ſubſiſtentiam creatam volunt eſſe modum diſtinctum, ſeu entitatulam, & de facto illam præter Leſſium,& Patrem Delugo amplectitur etiam Vaſques, quamvis hi nonnihil inter ſe diſcrepent. Nihilominus.

12. Nullo modo probanda videtur illa ſolutio, quam tamen non ſatis bene impugnat Ariaga *diſp.* 36. *ſect.* 1. admiſcens improbabilia multa, quibus omiſſis aliter impugnari debet. Primò enim illa ſolutio ſupponit quod falſum eſt, nempe creatam ſubſiſtentiam eſſe formam modalem ex natura rei diſtinctam, cùm non ſit aliud quàm naturæ ſubſtantialis totalitas, quæ totalitas per aſſumptionem hypoſtaticam pellitur. Secundò non eſt viquequaque verum (vt ea ſolutio ſupponit) diſcrimen inter ſubſiſtentiam, & intellectionem, quòd hæc petat procedere ab intelligente, non autem illa à ſubſiſtente. Nam & ſubſiſtentia creata, cùm iuxta illos ſit proprietas, atque modus naturæ, debet ab hac procedere, ſeu emanare; & intellectio poteſt reddere intelligentem (vt apparet in Deo) quamvis non producatur, nec emanet phyſicè. Tertiò, quòd eſt præcipuum, deficit illa prædicta ſolutio in eo, quod non reddat rationem quare attributum omnipotentiæ non poſſit æquè ac ſubſiſtentia vniri, dareque ſuum effectum formalem humanitati: quandoquidem omnipotentia non magis quàm ſubſiſtentia includit duplicem illum ordinem: non enim includit ordinem procedentis vitaliter à ſuo ſubiecto, ſed ſolùm habet ordinem informantis, quem item ordinem debet habere ſubſiſtentia diuina ſecundùm iſtos, qui volunt ſubſiſtentiam creatam eſſe formam modalem: in incarnatione autem ſubſiſtentiam diuinam ſupplere illius defectum, faciendo quod ipſa faceret, hoc eſt faciendo humanitatem verè, proprieque ſubſiſtere, vt nominatim aſſerit diſertè delugo *diſp. illa* 18. *n.* 4.

13. Dico ſecundò. Cognitio in Chriſto intellectiua (quam nomine ſcientiæ ſignificamus propter euidentiam,& certitudinem, ſine qua nullum iudicatiuum actum mentis habuit, aut habere potuit Chriſtus) varia eſt,ac multiplex. Patet: nam primò eſt ſcientia beata, quam ſcilicet habuit per lumen gloriæ. Secundò eſt ſcientia, quam Theologi vocant inditam, & infuſam, ſiue per ſe, qualis eſt ea, quæ, cùm ſit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis, non recipitur in mente humana, niſi ſecundùm ipſius mentis potentiam obedientialem, & dicitur infundi, quatenùs ex potentia obedientiali educitur; ſiue per accidens, qualis eſt ea, quæ, cùm ſit in entitate ſua naturalis, infunditur tamen extraordinario & ſupernaturali modo. Tertiò denique eſt ſcientia, quæ vocatur acquiſita, quam ſcilicet Chriſtus quotidiano vſu acquiſiuit per variam obiectorum occurrentium experientiam, vnde etiam experimentalis nuncupatur,& nullo modo ſupernaturalis eſt: atque de hoc triplici ſcientiarum in Chriſto genere nunc diſputandum.

CAPVT II.

Quando ſcientia beata animæ in Chriſto cœperit.

1. QVEMADMODVM oſtendimus ſuperiori libro *cap.* 3. Chriſtum præter vnionem hypoſtaticam, aliud etiam genus ſanctificationis habuiſſe per infuſionem gratiæ, quæ ſit eiuſdem entitatis cum ea gratia, qua nos ſanctificamur: ita nunc aſſerendum eſt conſequenter eodem, quo nos beatum fuiſſe genere gloriæ, quæ eſt gratia conſummata. Eam verò gloriam ex prima parte ſupponimus conſiſtere, non in quodam eſſentiæ diuinæ in hominis beati eſſentiam illapſu, qualem vulgò putatur aſſeruiſſe Henricus *quodlibeto* 13. *q.* 12. ita nempe, vt diuinitas illabatur in animam, & hæc in illam tota transformetur, atque idem eſſe cum illa videatur, quomodo experimur ferrum in ignem transformari; vnde conſequantur in animæ beatæ intellectu, voluntateque operationes quaſi diuinitatis ipſius. Quod longè peius aliqui Pſeudo myſtici ita fieri cenſent, vt mentes beatæ à ſuo eſſe creato deficientes tranſeant formaliter in ideam, à qua profluxerunt, hoc eſt, vt formaliter, ſubſtantialique tranſmutatione conuertantur in illud eſſe increatum, & ſupereſſentiale,quod ab æterno habuerunt in idea diuina, in qua vnum erant cum Deo, vna vita, vna lux, vna beatitudo, vnus Spiritus. Verùm ſtolida eſt, & hæretica illa circa ſtatum beatorum imaginatio, longeque abeſt à verorum contemplatiuorum ſententia, & ab ea, quæ moralis tantùm, nec phyſica ſit, in diuinam eſſentiam, gloriamque transformatione, quam explicant Carthuſianus *lib.* 3. *de contemplatione*, *cap. vlt.* Et Ruſbrochius *de ſeptem cuſtodiis*, *c.* 14. necnon *lib.* 2. *de ornatu ſpiritualium nuptiarum*, *c.* 76. *& ſequentibus*, ac poſt eos Leſſius *libro* 2. *de ſummo bono*, *cap.* 1.

2. At nos hìc ſupponimus, gloriam, ſeu beatitudinem hominis (quam Chriſto negare nemo debet, conceſſa fuiſſe in hac etiam vita) conſiſtere in clara Dei viſione, hoc eſt, in ea perfectiſſima circa perfectiſſimum obiectum intellectione, cui neceſſariò adiungatur amor, & gaudium cùm amicitiæ, tum concupiſcentiæ circa idem obiectum, vt in prima parte probatur: hicque ſupponimus, illam tam excelſam, ſupernaturalemque viſionem, cùm debeat eſſe actus vitalis, oportet non ab extrinſeco aduenire intellectui, ſed ab huius elici potentia obedientiali, eleuata per lumen gloriæ, vt definitum eſt à Concilio Viennenſi, contra Beguardos, ac Beguinas, & habetur *in Clementina*, *Ad noſtrum*, *de hæreticis*. Hoc lumen gloriæ diſtinctum eſt ab ipſa viſione, cùm prædictum Concilium aſſerat intellectum ad eam per illud eleuari. Eſt porrò huiuſmodi lumen ſuprema quædam irradiatio, & participatio lucis, qua Deus ſeipſum videt, per quam intellectus creatus redditur deiformis, & ſimilis Deo, quia (vt ait Ioannes) videt eum ſicuti eſt, eleuatus ab hoc lumine cùm ad eliciendam, tùm ad excipiendam viſionem beatificam. Circa huiuſmodi viſionem & ſcientiam beatam prout intellectui Chriſti infuſam ſunt quædam hìc explicanda; quando nempè cœperit? quid per eam Chriſtus cognoſcat? eſſentiamne diuinam integram? Item creaturaſne quà ſecundùm poſſibilitatem, quà ſecundum exiſtentiam? omnes, an aliquas? & quot, & quomodo?

Digitized by Google

3. Et quidem primò dum quæritur, an Chriſtus hanc ſcientiam, viſionemque beatificam ſemper habuerit. Reſpondendum eſt omninò affirmatiuè. Ita Magiſter *3. diſt.* 13. Albertus, Durandus, Maior, Ricardus, & Diuus Thomas *hic quæſt. 7. art. 1. & q. 34. art. 4.* Sequuntur Suares, Vaſques, & alij communiter. Probatur verò: nam ſi Adamus ob ſtatum ſuum excellentiori cognitionis genere fuit illuſtratus, *Eccleſ.* 17. ſi Moſes ratione ſui officij ſummo prophetiæ dono; & Paulus tanta rerum cognitione diuinarum fuit decoratus, ipſam vt Dei eſſentiam in hac vita intuitus eſſe à nonnullis credatur; conueniens omninò erat, vt ſupremum quoddam ſcientiæ genus, quo Angelorum quantumvis beatorum cognitiones omnes ſuperarentur, Chriſto iam inde ab eius conceptione concederetur; id enim vnionis hypoſtaticæ dignitas exigebat.

4. Adducuntur in huius rei probationem quædam ſcripturæ teſtimonia, vt illud *Ioan.* 1. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Et cùm dicebat Chriſtus *Ioan.* 3. *Quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur.* Item *cap.* 8. *Ego quæ vidi apud Patrem, loquor.* Quæ loca ſi de Chriſto non tantùm ſecundum diuinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem ſpectato intelliguntur, concluſionem noſtram probant. Certius eſt de Chriſto vt homine intelligi quod ipſe de ſe ait *Ioan.* 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo.* Quemadmodum enim Chriſtus non poterat deſcendiſſe de cœlo, niſi ſecundùm diuinitatem, quæ ſola fuerat in cœlo, & cœperat in terra vniri carni, ita nec tunc poterat dici aſcendiſſe in cœlum, niſi ſecundùm humanitatem: nam diuinitas non habuerat aliquem effectum nouum in cœlo, reſpectu cuius dici poſſet aſcendiſſe. Ergo cùm dicatur apud Ioannem *eo loco*, Chriſtus ſecundùm humanitatem aſcendiſſe iam tunc in cœlum (nam hæc vox, *aſcendit*, ſonat præteritum, *ἀναβέβηκεν*) & eius humanitas nondum aſcendiſſet per corporeum aſcenſum; debet intelligi aſcendiſſe per aſcenſum animæ Deum iam videntis. Aduerto poſſe aliquem hic dicere, quod Chriſti humanitas in cœlum aſcendiſſet per ipſam vnionem hypoſtaticam, quâ ſublimata fuerat ad eſſe diuinum; ſed cùm cœlum, ſiue Paradiſus ſit locus propriè deſtinatus viſioni Dei, ſeu Beatis Deum videntibus, non autem deſtinatus faciendæ vnioni hypoſtaticæ, quam conſtat debuiſſe potiùs in terra, & in vtero fœminæ fieri, magis propriè intelligitur per aſcenſum in cœlum viſio beatifica, quàm incarnatio deifica.

5. Obiicitur contra hanc doctrinam primò ſcriptura, quæ Chriſtum ait non fuiſſe clarificatum ante paſſionem, *ſed oportuiſſe illum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Secundò ſi Chriſtus erat beatus, quomodo poterat eſſe liber circa mandatum diuinum? Libertas enim quæ eſt circa aliquid, requirit vt eius obiectum poſſit omitti. Eſt autem impoſſibile, vt qui beatus eſt, omittere velit mandatum diuinum. Tertiò quomodo potuit triſtari, &c. Quartò, ſi Chriſti mens erat omninò per viſionem, & fruitionem in Deum abſorpta, quomodo poterat ſufficere ad tot actus, quot ei erant in via neceſſarij. Reſpondeo ad primum, ſcripturam, cùm ait, quòd Chriſtus, dum viueret, nondum erat clarificatus, intelligendam eſſe de clarificatione nominis inter homines, & de gloria corporis, quæ ſuſpenſa erat. Ad ſecundum ſatisfit prolixè libro ſequenti, in quo agitur de Chriſti libertate. Ad tertium, aduertendum eſt, in anima humana non vnam eſſe rationem ſimplicem, ſed variam, ac multiplicem; & quemadmodum intellectus, ac voluntas, quamuis ſint vna, & eadem entitas, ſunt tamen duæ diſtinctæ rationes; ita in ipſa voluntate plures poſſunt rationes diſtingui. Et quidem duæ in ea, quantum ad præſens negotium, velut portiones conſiderandæ ſunt, vna inferior, & altera ſuperior. Dico ergo animam triſtari non poſſe ſecundùm eam voluntatis portionem ſupremam, ſecundùm quam ſupponatur de facto beata; poſſe tamen ſecundùm alteram inferiorem, quæ vel eſt coniuncta ſenſibus, vel rationem ſequitur non eleuatam beatificè.

6. Huic difficultati non bene reſpondet Canus *lib.* 12. *de locis, cap.* 14. *ſub finem*, vbi vult Chriſtum tempore paſſionis non habuiſſe fruitionem, & delectationem de Deo clarè viſo; ad hoc nimirum, vt poſſet pro nobis triſtari, & pati. Idem videtur ſenſiſſe Ambroſius *lib.* 10. *in Lucam, cap. de triſtitia Chriſti. Sequeſtratâ*, inquit, *delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis Chriſtus afficitur.* Eaque ratione exponit illud *Matth.* 27. *Vt quid dereliquiſti me?* Cùm hæc ſententia Cani temeritate non vacet, Ambroſius in alium ſenſum debet explicari, nempe vt voluerit, Chriſtum eo modo ſuperaſſe delectationem diuinitatis, & beatitudinis, quo dicitur exiuiſſe per incarnationem è ſinu Patris, reliquiſſe aliquo modo gloriam Maieſtatis ſuæ, deſcendiſſe de cœlis, &c.

7. Ad quartum reſpondeo, non eandem eſſe rationem animæ noſtræ in vita beata, & in hac mortali, in qua experimur intenſo, ac vehementi actu circa obiectum vnum ſic mentem defigi, vt non ſinatur quicquam aliud agere, & ad omnes alias cogitationes inepta reddatur. Sanè beatitudo genium, vt ita loquar, habet benigniſſimum, non eſt importuna, non moleſta, ſed ſuauis, expedita, & perfectionem, non obſtacula afferens. Quemadmodum artifex dum cogitatione intentus eſt vehementiſſima ſuæ artis inter operandum, non impeditur, ſed iuuatur tali cogitatione ad eliciendum affectum vehementem circa ſuum opus, & ad melius attendendum circa illius ſingula, ad manus, inſtrumentaque, eo quo par eſt modo applicanda, ad oculos in quam oportet partem aduertendos, & ad alia ſimilia, quæ tali ſue vehementiſſimæ cogitationi ſubordinantur, & ad eam naturali quodam nexu ſequuntur. Ita non eſt incredibile poſſe inter beatitudinem, & actus inferiores occultum quendam eſſe ordinem, ita vt mens beata reddatur expeditior, liberior, & fortior ad agendum circa materias etiam infimas, remotis impedimentis, & adiumentis admotis. Adde quod ad huius rei explicationem facit, quod iam in cœlo Chriſtus, licèt intenſiſſimam eliciat eſſentiæ diuinæ viſionem, tamen non ita mente rapiatur, quin ad minimas omnium hominum cogitationes attendat, ac de iis iudicium ferat: ipſe enim regit mundum, de omnibus ipſe cognoſcit, iudicat, diſponit, ſic volente Patre, qui omne iudicium dedit Filio.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

Quàm perfectè Chriſtus eſſentiam diuinam videat.

1. SVPPONENDVM hîc eſt ante omnia, Deum ita eſſe incomprehenſibilem, iuxta ſcholaſticorum omnium ſententiam in ſcriptura, ſanctiſque Patribus fundatam, vt nulla ſui viſione, quantumvis clarâ poſſit ab vllo creato nunc intellectu comprehendi, in quo licèt omnes conueniant, mirè tamen diſſentiunt in modo illam incomprehenſibilitatem explicandi. Ratio illius diuerſitatis eſt, quod non omnes eodem modo concipiant quid ſit Deum comprehendi. Ex quo fit, vt qua ratione aliqui ſe putant probare Deum incomprehenſum eſſe, ind.centur ab aliis nihil afferre, quo minùs reipſa ſit à Chriſti anima, & Beatis omnibus comprehenſus. Quare neceſſarium eſt, nos videre, ac ſtatuere quis ſit comprehenſionis illius, quam incomprehenſibilitas diuina excludit, verus, germanuſque conceptus. Eum verò Auguſtinus *epiſt.* 112. *cap.* 8. ita tradit, vt comprehenſio ſit viſio eius obiecti, in quo nihil eſt quod lateat videntem. *Aliud eſt*, inquit, *videre, aliud eſt totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præſens vtcunque ſentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumſpici poſſunt*. Hæc ſanctus ille Doctor, qui conformiter ad ea dicit *ſerm.* 38. *de verbis Domini, Non poſſe corpus aliquod à nobis oculo corporeo comprehendi per vnum ſimul intuitum, quia dum partem anteriorem videmus, latet neceſſariò poſterior: quamquam non repugnet oculum corporeum comprehendere aliquid intuitu ſucceſſiuo.* Quomodo ipſe ait *loco iam citato epiſtola* 112. *circumſpicere te poſſe fines annuli tui.* Ex iſto comprehenſionis conceptu, ſeu definitione, quæ colligitur etiam ex Nazianzeno *oratione* 36. quæ eſt quarta de Theologia, & ex Chryſoſtomo *homil.* 5. *de incomprehenſibili Dei natura*, intelligere potes comprehenſionem non poſſe eſſe niſi intuitiuam. Nam in abſtractiua cognitione totum obiectum aliquo modo latere dici poteſt, vtpote abſens, nec coram apparens, non tamen intuitio, ſeu viſio omnis, & comprehenſio. Dari enim poteſt viſio inadæquata.

2. Comprehenſionis prædictam definitionem Auguſtinianam, dum eam omnes amplecti ſe profitentur, vanis modificationibus pro arbitrio ſuo excogitatis varij explicant, & immutant, vt ipſam accommodent ad eam quiſque opinionem, quam ſequuntur de beatifica Chriſti viſione, & illam ab hac diſtinguant. Primò enim S.Thomas 1.*part.quæſt.*17. *art.*7. aliique cum eo multi aiunt, non ſatis eſſe ad comprehenſionem, vt videatur quidquid in obiecto eſt, niſi videatur tam perfecto modo, quàm cognoſcibile eſt: nempe ita vt cognitio in ſe ſit tantæ perfectionis in genere cognitionis, quantę eſt obiectum in genere cognoſcibilis; ſiue quantæ poteſt eſſe vlla eius cognitio. Vnde fit vt Deus, cùm ſit infinitus, poſcat pari infinitate cognoſci, hoc eſt, ea cognitione, quæ non tantùm ſecundùm intenſionem infinita ſit, ſed etiam ſecundùm eſſe, eodem ſcilicet modo, quo ipſa Dei eſſentia. Atque inde inferunt, non comprehendi Deum à Beatis, cùm nulla poſſit creata cognitio eſſe infinita eo modo ſecundùm eſſe, quo infinita eſt eſſentia Dei. Sed hic comprehenſionis conceptus voluntarius eſt, & præcereà tantùm excogitatus ab iis Authoribus, vt cùm ipſi aſſerant omnia, quæ in Deo ſunt, à Beatis videri, non tamen cogantur fateri, quod detur comprehenſio ipſius Dei. Præterea talis conceptus nequaquam eſt accommodatus ad rem ipſam, & naturam comprehenſionis: nam vt comprehendatur obiectum quod eſt omni modo infinitum, quid attinet viſionem eſſe illi perfectione æqualem, aut aliter infinitam, quàm ſecundùm latitudinem obiectiuam, & capacitatem, quâ omnia velut includat. Quemadmodum vt aurea ſphæra comprehendatur pixide, quid attinet pixidem eſſe potiùs auream, quàm argenteam, vel eburneam. Sanè illud valdè materiale eſt ad rationem comprehenſionis; imò ex illa opinione ſequitur, contra ſancti Thomæ mentem, quod triangulum v.c. non poſſet comprehendi per vllam demonſtrationem humanam, quandoquidem cognoſcibile eſt per demonſtrationem angelicam, & pluſquàm humanam. Sed nec demonſtratio angelica poſſet eſſe comprehenſiua ipſius trianguli, cum eius poſſet eſſe demonſtratio entitatiuè perfectior, nempe Archangelica, &c.

3. Atque ex dictis refelluntur etiam Nominales, in eo quod varios diſtinguunt, & excogitant, ab Auguſtino diſcedendo, comprehenſionis modos, qui creatæ Dei viſioni conuenire nequeant: aiuntque comprehenſionē illam Dei, quam Chriſtus non poteſt habere, eſſe cognitionem, qua res aliqua videatur optimo modo, & ſumma, ex parte videntis, perfectione, qua videri poteſt: in quo ſenſu fatentur rem nullam, quantumvis exiguam, comprehendi poſſe ab vllo alio intellectu, quàm diuino. Reiiciuntur & iidem Nominales, dum alium præterea conceptum, ſeu modum comprehenſionis tradunt, vt nempe ſit cognitio, quæ eandem habeat proportionem cum aliis omnibus cognitionibus poſſibilibus, quàm habent res ipſæ cognitæ cum aliis omnibus poſſibilibus rebus: qui ſenſus comprehenſionis ſi admitteretur, facilè per eum probaretur, Deum à ſe ſolo comprehendi. Quemadmodum & per hanc inſuper aliam ab iis fictam comprehenſionis acceptionem, qua volunt comprehendi rem aliquam tunc tantum, quando cognoſcitur ſub omnibus prædicatis, quæ illi conuenire poſſunt.

4. Denique nec admittendi ſunt Suares, & Vaſques, dum communi ambo conſenſu aſſerentes, iuxta D.Thomam, ad comprehenſionem Dei non ſufficere, quod omnia, quæ formaliter in ipſo ſunt, videantur, requirunt inſuper cognoſci ſimul omnes creaturas, quæ ab illo oriri, pendereque poſſunt. Nam licèt in corporalibus, vt vnum corpus comprehendatur ab alio corpore, neceſſarium non ſit omnia in hoc includi, quæ ab illo pendent, aut pendere poſſunt, quia non pertinent ad quantitatem eius; tamen in obiecto intelligibili requirunt hi Authores ad comprehenſionem eius cognoſci quidquid ab illo oriri, pendereve poteſt, quia id totum cenſent ad tale obiectum pertinere, vt cognoſcibile eſt. Cùm in hoc quod iam dixi, ambo illi conſentiant; nihilominus in explicando modo, quo volunt à Deo pendentes creaturas poſſe à nobis in eſſentia diuina cognoſci, diſſentiunt, oppoſitique ſunt tota diametro. Vaſques enim cum Nominalibus aſſerit creaturas non videri formaliter in eſſentia diuina, ſed cognoſci in ea tantùm cauſaliter, hoc eſt, per reuelationem diſtinctam à lumine gloriæ, & per cognitionem peculiarem reſultantem à viſione beatifica: quare vult, cùm dicimus creaturas cognoſci in Verbo, id

non

Digitized by Google

non ita intelligi, quaſi Verbum, ſeu eſſentia diuina ſit ratio formalis eas cognoſcendi; ſed quòd viſio, quà Verbum videtur, exigat ipſas reuelari. Sic ille *in 1.p.diſp.5.c.7.* Suares autem *lib.2.de Deo, cap.25.* opinatur creaturas tanquam obiectum ſecundarium videri eadem formaliter viſione, qua Deus videtur; ita vt ipſe Deus ſit medium illas videndi, atque hoc putat propriè eſſe, creaturas videri in eſſentia diuina, ſeu in Verbo. Suppoſita illa duplici opinione circa modum cognoſcendi creaturas, (ſeu cauſaliter tantùm, ſeu formaliter) in Deo, ait vterque prædictus Doctor, ſi creaturæ eo modo quo cognoſcibiles ſunt in Deo, cognoſcerentur omnes, futuram Dei veram, propriamque comprehenſionem. Verùm quia non omnes, ſed aliquæ tantùm cognoſcuntur, ſiue cauſaliter, vt Vaſques, ſiue formaliter, vt Suares exiſtimat; ideò concludit tam hic, quàm ille, Deum à Beatis, ipſoque etiam Chriſto vt homine, non comprehendi. His præmiſſis reſtat vt oſtendere debeamus, quanta ſit Chriſti beatifica ſcientia. Primò quidem circa obiecta quæ in Deo ſunt formaliter; deinde circa creaturas in ipſo eminenter contentas.

5. Concluſio prima. Chriſti anima intuetur ſimul & inuariabiliter tantam attributorum diuinorum, & earum perfectionum, quæ formaliter in Dei eſſentia continentur, multitudinem, quantæ ſimul intuendæ capacitatem habet obedientialem. Hæc concluſio facilis eſt, ſi reuocentur in memoriam, quæ ſuo loco diximus de perfectione cùm gratiæ ſanctificantis, tum aliorum ornamentorum, quæ æquum eſt, ob dignitatem vnionis hypoſtaticæ, Deum Chriſto contuliſſe abſque alia menſurâ, quàm capacitatis, potentiæque obedientialis, quæ in humana illius naturâ ad recipiendum inuenitur, ita vt potentiâ eius omninò completa, ipſe plenitudinem gratiarum omnium habeat, de qua plenitudine omnes quà Angeli, quà homines acceperunt. Idem igitur dici debet de lumine gloriæ, & viſione beatifica. Nec enim vlla ratio poteſt afferri, cur Deus, qui diues in omnes cæteras creaturas extitit, capacitatem omnem Chriſti obedientialem cumulare noluerit, præſertim cùm ſit finita; & Suares, aliique multi, qui infinitam illam exiſtimant, fatentur ſe conceſſuros Deum ipſam repleturum fuiſſe, ſi poſſibilem aliunde putarent infinitudinem luminis gloriæ, aliarumque gratiarum. Porrò dictum eſt in hac concluſione, Chriſtum per lumen gloriæ intueri ſimul, & inuariabiliter attributa diuina, quæ ſibi proponuntur; hoc eſt, non poſſe in vnum iam, & poſteà in aliud ferri velut vagando cognitione per diuerſa obiecta. Beatitudo enim eſſentialis, cùm menſuretur æternitate, debet eorum, quæ nacta eſt, bonorum tota ſimul eſſe, ac perfecta, & per conſequens omnis mutationis expers poſſeſſio. Quare non dici poteſt de attributis, quod infrà dicemus de creaturis, nempe Chriſtum in actu primo, ſeu in habitu multas videre, quas non videt ſemper in actu ſecundo.

6. Concluſio ſecunda. Non intuetur diſtinctè anima Chriſti per lumen gloriæ, attributa omnia, ſeu perfectiones omnes, quæ formaliter ſunt in eſſentia diuina. Petitur primò ratio ex limitatione intellectus creati, & ex infinitate attributorum diuinorum. Eſt enim per ſe notum, quò plura ſimul obiecta cognoſcuntur, eo maiorem vim cognoſcitiuam requiri: Ergo ad infinita cognoſcenda ſimul attributa, vis neceſſariò requiritur infinita, quantam ſcilicet nullus intellectus, qui ſit de facto creatus, habet. Hæc prima ratio manifeſtior euadet per conſiderationem immenſitatis diuinæ. Patet enim, quòd noſter intellectus, ſi ſpatiorum extra cœlum imaginariorum infinitatem ſucceſſiua cogitatione peregrinetur, ita vt in nulla poſſit extremitate (quia nulla eſt) conſiſtere; in ipſo, vt ita loquar, curſu deficiet, interminatamque tantæ vaſtitatis in omnes partes profunditatem, quam vlteriùs luſtrare non poterit, cogetur omittere. Multò igitur minùs poteſt vno ſimultaneè videre intuitu, cum eſſentiæ diuinæ infinita vaſtitate ſeu formalem, ſeu virtualem eiuſdem in illis imaginariis ſpatiis præſentiam. Cùm ergo Chriſtus vt homo non poſſit, ne quidem ipſam Dei localem immenſitatem intueri, quæ eſt vnum ex eius attributis, quomodo poſſet intueri infinita illius attributa, quorum quodlibet habet ſui generis immenſitatem.

7. Secundò probatur concluſio ex eo quod manifeſtum ſit, non poſſe videri in Deo omnes, quas habet creaturarum in ſe formaliter eminentias, vel ſimplices intelligentias earumdem vt poſſibilium: quamvis enim illæ eminentiæ, ſeu intelligentiæ diuinæ ſint vnum ſimplex, ſunt tamen virtualiter infinitæ; quot nempe ſunt poſſibiles, & à Deo cognoſcibiles creaturæ. Præterà non videri poſſunt illæ omnes eminentiæ, & intelligentiæ diuinæ creaturarum, quin cognoſcerentur omnes ſimul creaturæ; atqui fatentur illi ipſi, qui volunt omnia, quæ in Deo formaliter ſunt, à Beatis videri, non tamen ab iis cognoſci omnes poſſibiles creaturas; aiuntque Beatos, ſi has omnes cognoſcerent, nihil defuturum illis, quo minùs diuinam comprehenderent eſſentiam.

8. Tertia ratio, & quidem iudicio meo efficax, cui benè ſatisfacere aduerſarij non poſſunt, ſumitur ex eo, quod nullus Theologus dubitet, quin eſſentia diuina ſit incomprehenſibilis, ſaltem reſpectu omnium iam creatorum intellectuum, quicquid ſit de poſſibilibus. Ergo certiſſimum eſſe debet, eſſentiam diuinam ab intellectu Chriſti humano non comprehendi. Atqui comprehenderetur, ſi is omnia, quæ intra illam formaliter ſunt, intueretur. Illud enim comprehenditur, quod ita videtur, vt nihil eius lateat; quemadmodum ex Auguſtino ſuperiùs vidimus: neque vllæ, quas refutauimus, illius definitionis explicationes, modificationes, aut potiùs corruptiones admittendæ ſunt. Et ſanè quis non concedat, obiectum quod videtur totum ſecundùm omnes ſuas, quibus conſtat, partes, ita vt nihil, quod in eo ſit, cognitioni ſubtrahatur, videntis cognitione finiri? Ergo cùm illam non excedit, ab ipſa comprehenditur. Quare Nominales, propterea quod volunt à Beatis videri omnia, quæ in Deo continentur formaliter, in genere, concedunt ab ipſis Beatis comprehendi verè, ac propriè Deum, ſi comprehenſio definiatur vt eam Auguſtinus definit: ideoque vt poſſent in aliquo ſenſu defendere Deum eſſe incomprehenſum, commenti ſunt ad ſuum libitum nouas comprehenſionis acceptiones, quas retulimus *num. 9.* Doctrinam huius noſtræ ſecundæ concluſionis tradit Ricardus *in 3.diſt.14.art.1.q.4.* cùm ait naturæ diuinæ ſimplicis quatenus infinita eſt, profunditatem non poſſe ab vllo intellectu creato ſic videri, quin aliquid neceſſariò lateat. Idem ſignificat *ibidem* Bonauentura *art. 1. q. 2.* Ferrarienſis 4. *contra gentes, cap. 59.* dicit Beatos non videre diſtinctè omnes diuinas perfectiones, quæ ſunt infinitæ, licèt videant ſimplicem eſſentiam, illas omnes perfectiones continentem. Ita & Okamus *in 4. q. 13.* aſſerit Deum ſolum poſſe videre in ſe omnia prædicata, quæ ſibi conueniunt; alios autem Beatos non videre omnia. Accedit, Henricus *in ſumma art.75. quæſt.9.* id ipſum debuit tenere Scotus, cùm

Digitized by Google

ſumma art. 75. *q.* 9. id ipſum debuit tenere Scotus, cùm aſſerat diſtinctionem formalem ex natura rei eſſe inter attributa diuina, quæ diſtinctio ſufficit, vt vnum poſſit ſine alio videri. Nec deeſt ſuffragium ipſius ſcholæ Thomiſticæ: refert enim Suares *lib.* 2. *de Deo, cap.* 22.*n.*7. Capreolum docere in 1. *diſt.*17. *q.* 2. *art* 4. *ad* 8. Durandi, quod attributa diuina poſſint à Beatis præciſiuè videri vna ſine aliis, per verba quæ vocat inadæquata, additque per hæc clarè videri ſingula attributa diſtincta formaliter. Ab ea ſententia, vt ait idem Suares, non diſſentit Ferrarienſ. neque Caiet. multique conſentiunt Thomiſtæ alij.

9. Obiici contra hanc concluſionem poteſt fundamentum eorum, qui ex aduerſo docent non poſſe exiſtere, etiam de potentia abſoluta, viſionem beatificam, niſi omnia attributa, quæ formaliter ſunt in Deo, videantur; ita vt ex parte obiecti increati, nequeant eſſe viſiones inæquales inter magis ac minus beatos. Id verò fundamentum eſt, quoniam ea viſione cernitur Deus in ſua entitate indiuiſibili, & in ſua eſſentia, ſiue ſecundùm eam perfectionem, ac differentiam qua conſtituitur in eſſe Dei, & quæ continet formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Ergo ſi non videatur omnis talis perfectio, contenta formaliter in ratione Deitatis, non videtur ipſa deitas tota, & adæquata. Deitas autem inadæquata non eſt deitas. Confirmatur: nam neceſſarium eſt vel omnia videri attributa, vel nullum: Ergo omnia. Minor per ſe patet: nam non poteſt dici videri Deus, ſi nullum eius attributum, nullaque perfectio, quæ formaliter in ipſo ſit, videatur. Probatur maior, nulla enim fortior eſt ratio, cur vnum potiùs attributum videatur, quàm aliud. Ita multi nobis aduerſantur, quos ſequuntur, citantque Suares *lib.* 2. *de Deo, cap.* 2. & *in* 3. *p. diſp.* 26. *ſect.* 3. nec non Vaſq. *in* 1. *p. diſp.* 28. *cap.* 2. & 3.

10. Reſpondeo me negare fundamentum illud, quo aduerſarij nituntur: quamvis enim omnia, quæ in Deo ſunt formaliter, ſint vna ſimplex, & indiuiſibilis entitas, nec poſſint entitatiuè diuidi; ſunt tamen virtualiter multa. Et quemadmodum non obſtante ſumma illa entitatiua ſimplicitate, poteſt diuina eſſentia in Filij generatione quodammodo ſeparari à paternitate, & quidem ſecundùm rem ipſam, ſic non implicat ipſam eſſentiam, & paternitatem, cæteraſque perfectiones diuinas non obſtante ſua identitate, ſimplicitateque entitatiua, eſſe virtualiter plura in ordine ad cognoſci, & non cognoſci, atque ita poſſe quodammodo ſeparari in illius Beati viſione, qui vnam perfectionem cognoſcit, alia omiſſa, & manente incognita. Cùm autem id ſit, videtur diuinitas tota, ſed non totaliter; & id quod videtur, eſt verè diuina eſſentia, diuina entitas, diuina ſubſtantia, eſt inquam id, quod totus Deus eſt.

11. Ad id quod addunt, non eſſe maiorem rationem cur vnum potiùs attributum videatur quàm aliud, reſpondetur negando. Quemadmodum enim in creatione mundi, & in iis ſeu naturalibus, ſeu ſupernaturalibus effectibus ſingulis, quos produxit, non prodidit Deus omnia ſua ſimul attributa, & omnes ſuas perfectiones, in rerum enim productione v. g. non operatus eſt ſecundùm perſonalitates, quas peculiari poſteà reuelatione prodidit, manſeruntque incognitæ, ac retruſiſſimæ in illo perfectiones infinitæ, quæ in nullis ſeu naturæ, ſeu gratiæ effectibus nobis apparent: ſic poteſt in beatitudine perfectiones quaſdam retegere, aliis manentibus occultis, velut in receſſu, profunditateque diuinitatis; poſſuntque congruentes eſſe rationes, cur vnæ potiùs videndæ exhibeantur, quàm aliæ. Et quidem nemo dubitat, quin conuenientiſſimum ſit vt ea myſteria, quæ per fidem in via crediderimus, noſtro intellectui exhibeantur in præmium captiuitatis, quam circa illa ſubiit. Quò referri poteſt illud Pauli 1. *Corinth.* 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: quaſi diceret, id ipſum clarè, & apertè videbimus, quod nunc obſcurè credimus.

CAPVT IV.

An, & quomodo creaturas poſſibiles Chriſtus per ſcientiam beatam in Deo cognoſcat.

1. VT hoc expediri poſſit, aduertendum eſt, nos hîc non agere de cognitione creaturarum in Deo, prout intra eſſentiam diuinam reperiuntur eminenter, ſecundùm illud enim eſſe eminentiale ipſæ non ſunt ipſæ, neque diſtinguuntur à Deo, in quo omnia, etiam quæ in ſe ſunt inanima, viuunt, iuxta Auguſtinianam illius loci expoſitionem; *Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Ioan.* 1. atque in hoc ſenſu acceptas creturas dubium non eſt, quin Chriſtus eo modo in eſſentia diuina videat, quo ſuprà diximus ipſum videre attributa, & perfectiones, quæ ſunt formaliter in Deo. Agimus ergo de cognitione creaturarum ſecundùm proprias earum eſſentias, & limitatum id, ac dependens eſſe, quod formaliter habent, cùm per ſui productionem velut exeunt à Deo, in cuius & potentia, vt poſſibiles, & intellectione, ſeu Verbo eſſentiali, vt intelligibiles dici poſſunt aliquo modo contineri.

2. Aduertendum item eſt, creaturas hoc ſecundo modo ſumptas poſſe dupliciter dici cognitas eſſe ab eo, qui Deum per lumen gloriæ vidit. Primò quidem, ita vt Deus, quatenus viſus, ratio ſit formalis eas noſcendi per eandem ipſam ſui viſionem: quemadmodum Angelo vidente, & penetrante eſſentiam v. c. lapidis, illa ipſa viſio, ſeu lapis vt viſus, cauſa eſt cur proprietas illius cognoſcatur: quomodo duo obiecta eiuſdem actus ſic ſe habent, vt vnum ſit ratio, & medium noſcendi alterum. Atqui creturæ, quæ eo modo per viſionem Dei cognoſcuntur, dicuntur propriè in Deo cognoſci: & hoc genus cognitionis vocat Auguſtinus cognitionem matutinam. Secundò, Beatus poteſt cum viſione Dei ſimul cognoſcere creaturas per proprias ſpecies, ita vt duo illa obiecta, nempe Deus, & creatura, ſint à ſe inuicem independentia quantum ad cognoſci. Quomodo poteſt Angelus (etiam per eandem ſpeciem totalem, per eundemque actum) videre ſimul & lapidem, & florem, quod & puto accidere paſſim oculo noſtro corporeo: vna enim ſpecie intentionali, atque adeò vnica intuitione videmus obiecta diuerſa ſimul propoſita, vt cùm lapis, & flos ſunt iuxta ſe poſiti: in caſu quo Beatus videat hoc modo ſimul & Deum, & creaturam diſparatè, ac ſine vnius ab alio dependentia in cognoſci, non debet propriè dici quod creatura videatur in Deo magis, quàm Deus in creaturâ; cùm neutrum illorum comparetur ad alterius cognitionem vt ratio formalis, & medium. Vbi notandum eſt id peculiare eſſe, quando ſimul, & diſparatè Deus, creaturaque cognoſcuntur, quòd actus ille videntis eo modo ſimul & Deum, & creaturam,

curam, non poteſt eſſe vnus ſimplex, ſed neceſſariò debet eſſe duplex realiter diſtinctus. Non enim duo realiter diſtincta obiecta poſſunt vno ſimplici actu cognoſci, niſi vel vnica ſit amborum ſpecies impreſſa, vel vnum eorum obiectorum ſit medium ad cognitionem alterius. Atqui in præſenti nec Deus, vt ſupponimus, eſt medium cognoſcendi creaturam, nec datur eadem ſpecies impreſſa Dei, & creaturæ, cùm Dei non exiſtat de facto ſpecies impreſſa, Deuſque nequeat in ratione obiecti ſubire locum ſpeciei impreſſæ reſpectu cognoſcendæ creaturæ, quamuis poſſit reſpectu ſui cognoſcendi. Hoc verò cognitionis genus quo creatura per propriam ſpeciem, & in ſuo formali eſſe cognoſcitur, vocatur ab Auguſtino cognitio veſpertina, quam cum ſupradicta cognitione matutina vult feciſſe veſperum illud & mane, quo ſex dies conſtitiſſe dicuntur à Moſe in creaturarum productione.

3. His ſuppoſitis non deſunt, qui Chriſtum vt hominem aſſerant videre in Verbo creaturas omnes poſſibiles. Et quidem Hugo Victorinus vult Chriſtum, & quoſlibet Beatos habere viſionem Dei increatam ſibi vnitam, & per eam videri cùm Verbum, tum omnia, quæ per Verbum Deus videt. Sed illa opinio nimis abſurda eſt. Alij item non deſunt, qui cunctas creaturas videri cenſeant in Verbo, licèt variè: aliqui enim nullas omninò excipiunt ſiue merè poſſibiles, ſiue exiſtentiam inuoluentes; quemadmodum refert Durandus, & D. Thomas, aliqui verò ad creaturas merè poſſibiles viſionem eam limitant, vt Durandus *in 3. diſt.* 14. & *in 4. diſt.* 49. *quæſt.* 3. Henricus *quodlibeto* 7. *quæſt.* 4. *&* 5. ita creaturas poſſibiles in eſſentia diuina, vt idea eſt, videri cenſet, vt non videantur ſecundùm eſſe indiuiduale, ſed tantùm ſecundùm eſſe ſpecificum: communior tamen ſententia negat creaturas omnes in vllo eorum ſenſuum videri in Verbo, aſſerit tamen videri aliquas, cùm à Chriſto, tum à reliquis Beatis.

4. In contrarium eſt illorum ſententia, qui docent nullo modo poſſe creaturas cognoſci propriè in Verbo, ita nempe vt per eundem actum quo Verbum, ſeu diuina eſſentia videtur, cognoſcantur, non ob aliam rationem formalem, quàm ob ipſam eſſentiam provt viſam. Sic opinatur Vaſques *in* 1. *part. diſp.* 50. qui pro ſe *cap.* 6. citat Bonauenturam, Gabriëlem, Almai. Maiorem, Scotum, Okamum. Fundamentum huius ſententiæ non aliud eſſe poteſt, quàm quia diuina eſſentia non habet realem vllam relationem ad creaturas: relatio autem rationis, cùm nihil dicat in Deo intrinſecum, non poteſt eſſe ratio cur viſa diuina eſſentiâ videantur creaturæ. Affert & tres alias rationes Vaſq. ſumptas ex abſurdo. Prima eſt, quod ſi vlla creatura videri poſſet in Deo, omnes deberent neceſſariò videri. Secunda, quoniam ſi creaturæ, & earum indiuidua in Deo cernerentur, ſequeretur eum qui plura cerneret, quàm alius, eſſe beatiorem, cùm tamen accidat vt aliquis Beatus inferioris meriti plura cernat creaturarum indiuidua, quia nimirum plura ad illius ſtatum pertinent, vt apparet in eo qui fuerit Rex, ad quem pertinent ea quæ in ipſius regno fiunt. Idem eſt ſi aliquis fuerit Fundator Religionis: idem etiam ſi alicui plures, quàm alteri à fidelibus offerantur preces, &c. Tertia ratio quam hic Author affert, vix eſt diuerſa à prima, nempe quòd cùm omnes creaturæ deberent æquè videri, ſequeretur Deum comprehendi.

5. Concluſio prima. Chriſtus in eſſentia diuina per lumen gloriæ, viſionemque beatificam cognoſcit ſimplici intuitu, ac ſine diſcurſu creaturas poſſibiles. Aduerſatur iſti concluſioni Vaſques *diſput.* 50. *cap.* 6. Nominales ſequutus; eam verò docet D. Thomas, eiuſque diſcipuli, necnon Suares cum Theologorum maiore parte. Eandem expreſsè tradit multis locis Auguſtinus, qui creaturas eo modo cognoſci ait cognitione matutina, vt *lib.* 4. *de Geneſi ad litteram, c.* 23. Afferri poſſunt & alij Patres, vt Gregor. qui *lib.* 4. *dialog. cap.* 33. ait nihil eſſe quod Beati neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt. Et Bernard. *lib.* 5. *de conſider.* aſſerens mentem beatam videre Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Colligitur & ex Dionyſ. qui *cap.* 7. *de diuinis Nom.* affirmat, *Deum ex ſe, & in ſe per cauſam rerum omnium cognitionem, & ſcientiam habere anticipatam, & comprehenſam, & ſecundùm vnicam cauſæ complexionem, ſeu comprehenſionem omnia ſcire.* Vnde infertur, Beatos, quibus Deus altiſſimam ſuæ beatitudinis participationem conceſſit, in ipſa eſſentia diuina clarè viſa creaturas poſſibiles tam arctè cum ipſius Dei omnipotentia, Verboque coniunctas cognoſcere.

6. Accedit ratio ad authoritatem: nam per cauſas, ſeu in cauſis poſſunt effectus cognoſci, qui in illis continentur. Atqui creaturę poſſibiles continentur in eſſentia diuina vt effectus in ſua cauſa, & habent neceſſariam cum omnipotentia coniunctionem. Ergo dubium non eſt, quin ab eo intellectu, qui clarè diuinam eſſentiam, & omnipotentiam videbit, poſſint cognoſci. Præterea nemo negabit, quin res quælibet in expreſſa ſui imagine, & repræſentatione cognoſcatur. Atqui in diuino intellectu, eiuſque Verbo ſunt ideæ, & expreſſæ repræſentationes creaturarum poſſibilium. Negari ergo non poteſt, quin beata mens intuens diuinum intellectum, & in eo Verbum, æternaſque creaturarum ideas, poſſit in iis cognoſcere, ac velut in ſpeculo videre ipſas creaturas. Probatur etiam hac ratione concluſio noſtra. Dubium enim non eſt, quin Angelus poſſit lumine ſuo naturali per viſionem propriæ ſuæ eſſentiæ cognoſcere abſque diſcurſu Deum vt cauſam ſui eſſe. Ergo multò magis concedendum eſt, Chriſti animam, dum lumine gloriæ ſupernaturali videt eſſentiam diuinam, ſiue illam potentiam, quæ eſt cauſa Angeli, cognoſcere in illa, & per illam ipſum Angelum; non enim tam bene videtur cauſa in effectu, quàm effectus in cauſa, præſertim ea, quæ ſola & independenter ab omni alia continet effectum; maximè verò ſi ſupponatur talis cauſa videri lumine ſupernaturali.

7. Nec valet quod Vaſques, & alij opponunt, diuinam eſſentiam non habere intrinſecas, & reales relationes ad creaturas. Manifeſtum eſt enim (quidquid ſit de diuinis ad creaturas relationibus, ſeu realibus, ſeu rationis) alicuius rei cauſam productiuam, tum etiam eiuſdem repræſentationem, ſeu ſpeciem expreſſam, habere neceſſariam, atque realem cum illa coniunctionem ſufficientem, nec poſſe in omnipotentia videri clarè vim productiuam roſæ v. g. aut eiuſdem idealem in Verbo imaginem, quin roſa ipſa noſcatur. Ad id quod opponit prædictus Auctor, inde ſequi Deum pendere à creaturis poſſibilibus, ita vt ſi roſa v. c. non eſſet poſſibilis, non foret in Deo ſua omnipotentia. Reſpondetur eam cum creaturis coniunctionem, non eſſe dependentiam; nec dicendum eſſe diuinam ſiue potentiam productiuam, ſiue intellectionem ſpecificari à ſuis obiectis. Quod autem potentia productiua creaturarum nulla foret, ſi per locum intrinſecum creaturæ non eſſent poſſibiles, nullum eſt inconueniens. Et peto à Vaſqueſio, num velit Deum in eo caſu habiturum potentiam producendi improducibilia, & impoſſibilia, aut poſſe habere intellectionem roſæ tanquam entis realis, ſi

ſi roſa tale non foret ens ? Sanè in ſcholis nihil frequentius quàm Deum nec poſſe facere impoſſibilia, ſeu implicantia contradictionem , nec poſſe in ſua intellectione decipi. Stet ergo poſſe Chriſtum vt hominem duplici illo medio (omnipotentiâ ſcilicet clarè viſa , & Verbo clarè item viſo) cognoſcere in Deo creaturas poſſibiles. Aduerte non benè probari à Vaſqueſio ex independentia Dei à creaturis, quòd nequeant ipſæ creaturæ in Deo cognoſci. Contra illum benè argumentatur Petrus Hurtadus *in 1. part. diſput.* 54. nam certum eſt , quòd non obſtante Dei independentia à creaturis, has poteſt Deus producere , & ſuo Verbo, ſeu ſua ipſius eſſentiâ videre. Ergo æquè certum eſſe debet, non obſtante prædicta independentia , poſſe Chriſti intellectum creatum eaſdem creaturas in eadem eſſentia Dei cognoſcere: Non enim maior connexio requiritur , vt creato intellectui Deus ſit medium pro cognitione illarum, quàm vt ſit cauſa ipſarum realis , & vt eas ipſe cognoſcat.

8. Porrò ad illam Vaſqueſij ratiocinationem, quod res abſoluta non poſſit eſſe medium ad cognoſcendam aliam rem à ſe diſtinctam, nec appareat, quomodo aliquid poſſit eò ſe re mentem noſtram, quò ipſummet non referatur: Reſpondet Suarez tantùm abeſſe vt id medium , quo res aliqua cognoſcitur, debeat eſſe relatiuum , vt è contra debeat relatiuum non eſſe. Cùm enim relatiuum non poſſit priùs cognoſci , quàm ſuum correlatiuum (relata ſiquidem ſunt ſimul & naturâ , & cognitione) fieri non poteſt , vt relatiuum, quà tale , ſit medium præcognitum ad cognoſcendum alterum relatiuum ; ſed neceſſarium eſt aciem mentis ad vtrumque extremum tendere, neutrius præſuppoſita cognitione. Vt igitur vna res per alteram , aut in altera cognoſci poſſit tanquam in medio præcognito, ſatis eſt ſi cum ea talem connexionem habeat, vt in ipſa eminenter contineatur , & ex ea reſultare , ſeu dimanare , cauſarique poſſit. Ita quidem Suarez *lib. 2. de Deo, c. 25.* qui coniunctionem illam , quam habent creaturæ cum eſſentia diuina, & quam vniuerſim habent effectus omnes cum ſua cauſa , non vult eſſe relationem cauſæ realem, ſed fundamentum relationis. Verumtamen (quicquid ſit de nomine) certum eſt cauſam, vt productiuam effectus , dici poſſe ad hunc aliquo modo referri ; & eam coniunctionem , quam potentia v. c. roſæ productiua habet cum ipſa roſa, quemdam eſſe in Deo ad roſam reſpectum : quod clarè patet in diuina ipſius roſæ viſione ; quomodo enim Deus concipi poteſt videre roſam per viſionem, quæ roſam non reſpiciat. Vt autem reſpondeatur ad Suarem in eo quod aſſerit , relatiuum vnum non poſſe alteri præcognoſci , atque adeò non poſſe eſſe cauſam eius cognoſcendi, notandũ eſt primò non requiri prioritatẽ in quo, ſed tantùm à quo inter cognitionẽ medij, & cognitionem rei per illud cognitæ. Notandum ſecundò cùm dicitur rem illam , quæ eſt medium ad aliquid cognoſcendum, debere eſſe relatiuam & nõ abſolutam, nequaquã hunc eſſe ſenſum, quòd is qui v. g. effectum in ſua cauſa cognoſcit, debeat cogitare in actu (vt ita loquar) ſignato ipſam rationem relati, ſeu ipſam relationem , quaſi dicat, cauſa illa, & effectus ille ſunt inter ſe relata ; ſic enim vnum ſumptum in ratione relati non poteſt eſſe medium cognoſcendi ſui correlati ; nihil ergo aliud hîc eſt, quàm quòd ille qui v. g. intuetur eſſentiam Dei, excitetur ad cognoſcendam roſam , quæ in illa velut in ſpeculo , aut radice principiove ſuo repræſentatur eo ipſo modo, quem Suares explicat.

9. Quod attinet ad Vaſqueſium , ille quidem cùm aſſerit non reperiri in Deo coniunctionem ſupradictam cum creaturis, debet conſequenter aſſerere , creaturas non poſſe cognoſci in eſſentia diuina. Eodem ſcilicet modo ille de eſſentia diuina in ordine ad creaturarum poſſibilitatem philoſophatur , quo de diuinis actibus liberis in ordine ad ipſarum creaturarum exiſtentiam : verumtamen in eo peccat eius opinio , quòd ſupponat idem eſſe , eſſentiæ diuinæ coniunctionem cum creaturis , & eiuſdem ab earum poſſibilitate dependentiam , quaſi nempè diuina potentia ſe accommodare debeat poſſibilitati creaturarum ; & ab his ſpecificata , ſiue propter hoc ſolum, vt eis quodammodo ſeruiat inſtituta , debeat ipſis ſuum eſſe. Non eſt ita : nam ſi de perfecta , & plena, vt ſic loquar , alicuius creaturæ , v.g. roſæ, poſſibilitate ſermo ſit , non ab ea poſſibilitate pendet potentia diuina, ſed ea potiùs poſſibilitas ab ipſa potentia : non enim eſt poſſibilis produci roſa , niſi quia ſupponitur dari in Deo potentia eius productiua. Quod ſi de roſæ imperfecta poſſibilitate loquamur, conſiſtente in eo tantùm , quod roſa non implicet in ſuis prædicatis contradictionem , verum quidem eſt , eam poſſibilitatem imperfectam, & ſe tenentem ex parte ipſius roſæ, non pendere ex eo, quòd detur potentia eius productiua ; ſed hanc potentiam habere talem coniunctionem eſſentialem cum ea non implicantia contradictionis , vt ſit omnimoda ſimultas inter illa duo , nec vnum dici debeat pendere propriè ab altero , licèt vnum ſine altero eſſe non poſſit. Idque genus impropriæ dependentiæ , ſeu mutuæ coniunctionis, effugere non poteſt Vaſq. in ſua opinione. Neceſſariò enim fatetur Deum habere omnipotentiam productiuam earum omnium rerum, quas non implicet contradictionem produci. Pendet ergo ea intrinſecè ab hac non implicantia : ſi enim eſſet implicantia in rebus omnibus , nullam Deus haberet producendi potentiam , talem ſcilicet quæ ab intrinſeco ſuum obiectum non implicare ſupponat. Non autem idem eſt de ſcientia viſionis. Ea quidem eſſentialiter ſupponit exiſtentiam obiecti, nec ipſa ſupponitur ab obiecto , ſiquidem res non exiſtit quia videtur, ſed videtur quia exiſtit : At magnum eſt in eo diſcrimen, quòd viſio rei contingentis ita ſupponit neceſſariò exiſtentiam actualem obiecti , vt tamen nihil intrinſecum habeat , ratione cuius eam ſupponat, aut requirat ; totaque coniunctio , quam cum illa habet , conſiſtit in denominatione merè extrinſeca. Ex his quæ hactenus dicta ſunt, manet ſatis probatum quod aſſeruit hæc noſtra concluſio , animam Chriſti per ſcientiam beatam cognoſcere in eſſentia diuina creaturas poſſibiles.

10. Concluſio ſecunda. Anima Chriſti non cognoſcit in eſſentia diuina creaturas omnes poſſibiles; cognoſcit nihilominùs quammultas intellectus humanus per lumen gloriæ eleuatus intelligere ſimul poteſt , ita vt in Chriſto obedientialis eius potentia intellectiua impleatur. Prior pars (cui Durandus, & quidam alij aduerſantur; patrocinantur tamen vulgò Doctores , quorum multi per id explicant quomodo Deus ab anima Chriſti non comprehendatur) ſatis ex eo intelligitur, quod ſæpiùs dictum eſt aliàs , potentiam nullam finitam eleuari poſſe ad infinitum ſiue producendum, ſiue recipiendum. Cùm ergo certum ſit , poſſibiles creaturas eſſe infinitas , & humanam Chriſti facultatem eſſe finitam, patet eas ab illo nequaquam videri poſſe omnes , ſaltem ſimul. An verò , ſiue per viſionem beatificam , ſiue per diſtinctam reuelationem poſſint ab ipſo ſucceſſiuè quaſi percurri, cognoſcendo prout ad eas attendere voluerit

Digitized by Google

(quod eſt ipſas cognoſci in actu primo) videbimus mox. Porrò hæc ratio ſumpta ex infinitate creaturarum poſſibilium, & finita vi animæ Chriſti ad intelligendum, valet etiam contra illos qui volunt omnes creaturas à Chriſto ſimul cognoſci non in eſſentia diuina, ſeu per eundem beatificum actum, quo ea videtur; ſed per repræſentationem, ſeu reuelationem factam iuxta perfectionem viſionis ipſius beatificæ, quam iſti putant poſſe in aliquibus, præſertim verò in Chriſto, ita perfectam eſſe, vt poſſit omnes omninò conſequenter creaturas poſſibiles per diſtinctam reuelationem repræſentari. Valet etiam contra illos, qui putant cum D.Th. *q.* 10. *art.* 3. Chriſtum in Verbo videre infinitas (ſaltem, vt *diſp.* 19. *ſect.* 2. interpretatur Delugo, indiuiduales) ſubſtantias poſſibiles, quia putant eum in Verbo comprehendere ſubſtantias exiſtentes, in quarum potentia continentur aliæ infinitæ poſſibiles.

11. Secunda etiam pars concluſionis intelligitur ſatis ex dignitate perſonæ Chriſti, ob quam aliàs diximus, illum tantam habere quà gratiæ, cæterarumque virtutum ipſam gratiam comitantium, quà item luminis gloriæ infuſionem, quantam illius potentia obedientialis capere poteſt; cùm nulla reddi poſſit ratio, cur Deus Pater noluerit potentiam humanitatis obedientialem omnimodè, & vſque ad ſummum replere, præſertim cùm facilè repleri poſſit, vtpotè non infinita ſyncategorematicè, nec inexplebilis. Conſequenter ad iam dicta quæri poteſt, num habita ratione prædictæ Chriſti dignitatis aſſerendum videatur, cùm propter limitatam intelligendi facultatem ipſe ſit incapax cognitionis actualis infinitorum ſimul obiectorum, tribui ei ſaltem debeat cognitio habitualis omnium poſibilium creaturarum; ita ſcilicet vt queat pro ſuo arbitrio nunc has, nunc illas (modò ſemper finitas) cognoſcere? Affirmant Bonauentura, & Marſilius, necnon diuerſa ab iis ratione Scotus, qui vult improbabiliſſimè Beatos poſſe eundem viſionis actum circumferre prout voluerint per omnes creaturas poſſibiles. Quaſi eadem viſio queat circa varia obiecta Beatos actuare, aliquando quidem per modum actus ſecundi, ſi intellectus attendat, aliquando autem per modũ actus primi, ſi non attendat. Abſurdè: nam (præterquam quod viſio beatifica inuariabilis eſt) nequit vllus actus vitalis ſuſpendi, minuive, quemadmodum nec augeri formalis effectus. Minùs abſurdè dici poſſet, intellectum Chriſti per aliquod lumen habituale, quod ſit inſtar potentiæ, & diſtinctum à lumine gloriæ, poſſe mutatis ſucceſſiuè actibus, omnes diſtributiuè creaturas in eſſentia diuina eminenter incluſas cognoſcere, prout eas Chriſtus eligere, ſimulque ſumere citra infinitatem voluerit. Cùm autem per hoc lumen habituale Chriſtus concipiatur habere facultatem quaſcunque, & quotcunque creaturas intelligendi, ac velut peragrandi, debebit aſſeri ipſum eas ſcire, nec earum vllam ignorare: quamuis ſi quæ ſit infinita, non poſſet ipſam adæquatè, totâque ſimul cognoſcere. Hunc ego modum ſcientiæ habitualis circa quaſcunque creaturas citra infinitatem categorematicam cognoſcendas, non video repugnare. Atque ſi de facto non repugnet, exiſtimo concedendum eſſe dignitati, meritoque Chriſti. Dixi autem per eum modum ſcientiæ cognoſci creaturas, vt extra viſionem beatificam reuelatas: nam quas videt Chriſtus per beatificam viſionem, illas eatenus, ac ſine intermiſſione cognoſcit actualiter, nec enim ea viſio poteſt variari, vt ſupra indicaui contra Scotum.

CAPVT V.

An, & quomodo creaturas ſecundùm exiſtentiam Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcat.

1. CONCLVSIO prima. Anima Chriſti non cognoſcit formaliter in Verbo, nec in omnipotentia tanquam in medio cognito, res ſecundùm ſuam exiſtentiam ſumptas; cognoſcit tamen eas cauſaliter, & in Verbo, & in omnipotentia. Concluſio quoad priorem partem probatur, ſuppoſita opinione, quæ omninò tenenda eſt, Verbum diuinum, & omnipotentiam nihil habere intrinſecum quod reſpiciat exiſtentes creaturas, & quo viſo conſequens ſit eas cognoſci: ſed habere tantùm extrinſecam ad ipſas terminationẽ. Vnde fit vt nihil ſit in eſſentia diuina, per quod poſſit Beatorum intellectus duci ad cognitionem rei v.c. vt exiſtentis. Poſterior concluſionis pars ſuadetur ex eo, quod nullus dubitat, quin ſinguli Beati vnà cum viſione eſſentiæ diuinæ habeant cognitionẽ rerum earum exiſtentium, quæ ad ipſorum ſtatum pertinent; quæ cognitio non poteſt haberi per viſionem ipſius eſſentiæ diuinæ habentis rationem medij cogniti, non modò propter rationem iam factam in priori parte concluſionis, ſed etiam quia cùm terminetur ad obiectum ſuum vt exiſtens, debeat eſſe immediata, & independẽs à medio cognito. Quare cùm talis cognitio haberi non poſſit per ipſam viſionem beatificam formaliter, ſupereſt vt per eam cauſaliter habeatur: quatenùs ſcilicet cuilibet videnti Deum debetur conſequenter manifeſtatio, ſeu reuelatio exiſtentium earum rerum, quæ ad ipſius pertinent ſtatum. Quæ reuelatio ex viſione beatifica velut ex radice morali oritur; & proptereà illæ res dicuntur videri in eſſentia diuina cauſaliter.

2. Vbi aduertendum eſt, diuerſitatem eſſe inter Deum videntem in ſuo Verbo, ſeu potiùs videntem ſuo Verbo creaturas exiſtentes, & inter mentes beatas. Iſtæ enim cùm, vt dictum eſt, nihil videant in diuino Verbo intrinſecum, quod aliter ſe habeat circa exiſtentia, quàm circa poſſibilia, non poſſunt ex intuitu diuinæ eſſentiæ venire in cognitionem rerum habentium exiſtentiam ſupra meram poſſibilitatem: quare indigent ad id ſpeciali reuelatione diſtincta ab intuitione Verbi, ſeu eſſentiæ diuinæ: at verò Deus, cùm velut informetur actu ſui intellectus, eſſentialique Verbo, quo res vt poſſibiles cognoſcit; atque actus ille intelligentiæ, ſeu eſſentiale Verbum habeat vim mirabilem, & nobis inexplicabilẽ dandi intellectui diuino effectum formalem cognitionis rerũ exiſtentium, poſito quod exiſtant, non indiget Deus alia illuminatione, quàm illius Verbi eſſentialis ſui: quod licèt nihil ob exiſtentiam obiecti acquirat præter denominationem extrinſecam, vim habet, quam dixi, conſtituendi ipſum Deum intelligentem.

3. Huic noſtræ concluſioni Suares cum quibuſdam aliis aduerſatur *lib.* 1. *de Deo, cap.* 27. vult enim *n.* 15. exiſtentias rerum videri in Verbo à Beatis, quatenus formaliter habentibus viſionem beatificam poſſibilitatis ipſarum, poſito quod hæ in exiſtentiam prodierint. Requirit autem viſionẽ non quamcunque hîc beatificam, ſed eam cui inſit particularis quædam perfectio, non per additionem partialis cuiuſdam entitatis, nec per modum extẽſionis, aut intenſionis, ſed

vult

Digitized by Google

vult eſſe ipſammet indiuiduam entitatem viſionis, quæ ex ſua indiuiduali differentia ſit perfectior, & valeat repræſentare exiſtentiam rerum ſimul cum earum poſſibilitate, quod non valeret alia indiuidua viſio earumdem rerum vt poſſibilium: quare *num.* 17. putat hic Doctor eſſe ſententiam Diui Thomæ, quod beata viſio, quæ repræſentat exiſtentiam alicuius creaturæ, hanc repræſentat inuariabiliter ab initio, & quod reſpectu eius viſionis perinde ſit, quod res per eam repræſentata habeat, vel habitura ſit exiſtentiam. Et ex hoc principio ait, iuxta D. Thom. viſionem beatam menſurari æternitate participata. Cenſet nempe eſſe quid ſimile ei quod reperitur in cognitione diuina, quæ eadem & poſſibilitatē repræſentat, & (ſi res futura, aut exiſtens ſit) exiſtentiam, cum hoc tamen diſcrimine, quod cognitio diuina eadem eſt ſiue ſit poſſibilitatis ſolius, ſiue ſimul etiam exiſtentiæ. At cognitio quam habet Chriſti anima, cæterique Beati, debeat eſſe indiuidualiter perfectior, & diuerſa quando habet pro obiecto ſimul exiſtentiam cum poſſibilitate. Hæc ſummi Doctoris ſententia non paruas habet cur improbari debeat, difficultates, quas proſequitur Leſſius *lib. 2. de ſummo bono, cap.* 10.

4. Nam primò nos paulò ante oſtendimus, nihil eſſe in eſſentia diuina intrinſecum, quod à Beatis viſum, poſſit illis ſignificare creaturarum actualem exiſtentiam. Secundò. Cùm viſio beatifica ſit inuariabilis, atque quod repræſentat, non poſſit non ſemper repræſentare, neceſſe foret, vt Sanctus quilibet in primo ſuæ beatitudinis momento, ac deinceps per omnem æternitatem abſque intermiſſione omnes preces ſibi aliquando offerendas, & omnia ſimilia ad ipſos honorandos vſurpanda cognoſceret, necnon de iis quæ ad familiam ipſius, ad filios, filiaſque, &c. pertinent, cogitaret, putà de proſperis ſucceſſibus, de nuptiis, &c. quod videtur abſurdiſſimum. Hæc enim omnia longè commodiùs per ſpeciales, temporariaſque reuelationes cognoſci poſſunt, aut etiam cùm exiſtunt, videri immediatè, quemadmodū partes vniuerſi, temporumque decurſus. Tertiò Angeli ſancti, quæ ab ipſis agenda ſunt, atque adeò maximè ad ipſos ſpectant, ignorant ſæpiſſimè, vt conſtat *ex cap.* 10. *Danielis*, & apud alios Prophetas, vbi beati ſpiritus conſulunt, interrogantque alios, & ab iis doceri, illuminarique petunt, ac obtinent, vt apud Zachariam, &c. Teſtatutque Chriſtus *Marci* 13. Angelos neſcire diem vltimi iudicij. Quartò, ſi Beati aliquam vident in eſſentia diuina rerum exiſtentiam, conueniens eſt maximè, vt ſocietatem Sanctorum, & ſtatum, apparatumque omnem cœleſtis illius, quam incolunt ciuitatis, atque huius præcipuè ciues omnes. Atqui id non vident in Verbo, alioqui iam inde à primo ſuo in eam ciuitatem ingreſſu viderent omnes prædeſtinatos, cùm tamen contrarius ſit Eccleſiæ ſenſus, quæ ſic ait in quadam Oratione. *Deus cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuprema felicitate locandus.* Adde quod ſi Beatus aliquis nouit numerum omnium electorum, videt quando ille numerus ſit complendus, atque adeò videt diem iudicij, quem Chriſtus ait ab Angelis ignorari.

5. Concluſio ſecunda. Chriſtus videt in eſſentia Dei cauſaliter omnium exiſtentiam rerum creatarum, actionum, cogitationum, &c. quæcunque iam inde ab exortu mundi vſque ad diem iudicij vel productæ fuerunt, vel producentur. Concluſioni ſuffragatur D. Thom. *quæſt.* 10. *art.* 4. aſſerens (quod adhuc maius eſt, & paulò poſt examinabimus) animam Chriſti videre in Verbo ſimul, & in actu ſecundo omnia quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis. Suffragantur item nobis alij communiter Theologi *in* 3. *diſt.* 4. Fundamentum ſumitur, quoniam, vt dictum eſt in præcedenti concluſione, quilibet Beatorum videt omnia quæ ad ſtatum ſuum pertinent, *ex* 1. *part. q.* 12. *art.* 8. ſed ad ſtatum, & dignitatem Chriſti pertinent res omnes quæ exiſtentiam acceperunt, vel accepturæ ſunt vſque ad finem mundi; quia illarum eſt omnium Dominus à Patre conſtitutus. Item quia caput eſt hominum, & Angelorum, ad quos reliqua omnia ſpectant. Præterea eſt iudex omnium. Hanc doctrinam quoad eam quæ exiſtentiam habuerint vſque ad mundi finem, ait Vaſqueſius *diſp.* 51. *c.* 2. eſſe indubitatæ veritatis, optimeque quadrat cum Chriſti dignitate, & muneribus; atque conſentit ſcripturæ dicenti Deum non ad menſuram Chriſto dediſſe ſpiritum. Et ſanè ſi omnes creaturas ſub actuali earum exiſtentia non ſemper intueretur, eſſet in illo ignoratio, ſeu inconſideratio multarum rerum, quæ actu fierent. Sicque poſſet non aduertere quid tu v. c. iam cogites, & ſimilia: quod omninò abſurdum eſt, & ab eius dignitate alienum, qui de omnibus ferre iudicium debet. Confirmatur: nam cùm vnuſquiſque Beatorum videat in Deo quæcunque ad ſe pertinent; veriſimile eſt, quandoquidem vix aliquid erit vſque ad finem mundi, quod non aliquo modo ad quempiam Beatum pertineat, omnes Beatos ſimul ſumptos videre in Deo omnia ferè quæ in toto ſæculorum decurſu exiſtentiam habuerint. Atqui dubitari non debet, quin Chriſtus ſolus videat omnia quæ Beati vniuerſi videbunt in Deo; imò par eſt illum videre plura.

6. Nec verò deeſt ipſi ad id capacitas, vt patet ex vltimo iudicio, quod exercebit vel in inſtanti, vel breuiſſimo tempore: nam tunc de omnibus omnium hominum, Angelorumque cogitationibus iudicabit, & vel minimam muliercularum olera in foro vendētium fraudem, omnia mendaciuncula puerorum, &c. ſigillatim attendet. Aſſerendū præterea eſt Chriſtum res ſecundùm exiſtentiam omnes cognoſcere in ſeipſis intuitiuè, & immediatè, non tantùm eas quæ reſpondēt præſenti tempori, ſed & eas quæ vel præteritæ deſierunt, vel futuræ nondum extra cauſas prodierunt. Et quidem quod attinet ad ea quæ in tempore præſenti exiſtunt, vel geruntur, nulla poteſt eſſe difficultas, quin coram, & diſtinctè, eo modo quo ſingula ſe habent, videantur à Chriſto, cui tota mundi vaſtitas eſt inſtar vnius cubiculi, vel anguſtæ aulæ: multoque magis de Chriſto id aſſerendum eſt, quàm de Angelis, & dæmonibus, quibus hoc vniuerſum, quatenus rebus naturalibus conſtat, ita patet, vt in eo cuncta ferè vno intuitu cognoſcant. Quod autem ad eas res ſpectat, quarum exiſtentia præterita eſt, non eſt dubium quin eas poſſit per memoriam ſemper habere præ mentis oculis illo ipſo modo, quo eaſdem vidit cùm exiſtebant. Quod ſpectat denique ad ea quorum exiſtentia nondum fuit, ſed futura eſt, poteſt dici, Chriſtum per ſublimem quandam illuſtrationem in Verbo cauſaliter acceptam habere illa poſita ob oculos mentis eo modo, ac ſi illa iam vidiſſet, ac velut præterita recordaretur habituali notitiâ ſibi infuſa, quæ ſimilis rememoratiuæ exhibeat rem cum omnibus ſuis circumſtantiis; niſi quis fortè velit dicere, ea ipſa futura videri ſecundùm eorum exiſtentiam ei præſentem immediatè, penetratis per aciem mentis admirabiliter temporum, ſæculorumque interiacentium ſpatiis per quandam participationem eius luminis, quo Deus futura contingentia videt immediatè.

7. Obiici contra concluſionem poteſt, quod Chriſtus ipſe dicat *Marc.* 13. ſe neſcire diem, neque horam

extremi iudicij. Reſponſio communior eſt Hieronymi, Auguſtini, Ambroſ. Chryſoſtom. Hilarij, &c. Chriſtum eò loci dicere ſe diem iudicij neſcire, vt Doctorem noſtrum, cùm non eſſet ad indicandum illum diem legatus à Patre. Obijci item poteſt, ex noſtra concluſione ſequi, quòd Chriſtus, ſi videt omnia in mundo quæ exiſtentiam habuerunt quocumque tempore vſque ad diem iudicij, ſcientiam viſionis habeat omnem, quam habet Pater, ac per conſequens diuinam ipſam comprehendat viſionis ſcientiam. Reſpondeo. Scientia viſionis diuina fertur in attributa, perfectioneſque omnes quæ ſunt in eſſentia diuina formaliter; fertur etiam actu in omnia ſimul quæ contingent poſt finem mundi in æternitate: qualem ſcientiam eodem modo, quo Deus, anima Chriſti non habet. Nullum eſt autem inconueniens, quod ſcientiam diuinam viſionis, quæ in prædictam fertur exiſtentiam creaturarum citra infinitatem anima Chriſti per reuelationem aliquo modo adæquet, eatenuſque comprehendat, vt fatentur Caiet. Capreol. Medina, &c.

8. Concluſio tertia. Chriſti anima in Verbo, ſeu in eſſentia Dei cauſaliter videre poteſt res poſt mundi finem in omni æternitate futuras, ſic tamen vt non omnes, aut ex iis infinitas ſimul cogitare, intuerique actu valeat; ſed ſemper intueatur quantas ſimul capere poteſt finita mentis eius capacitas: prout ſe ad has, vel ad illas determinare pro arbitrio voluerit per ſpeciem habitualem ſibi conceſſam omnium eorum quæ per totam æternitatem aliquando contingent. Probatio omnium, quæ hac concluſione continentur, nullam difficultatem habet, ſuppoſitis principiis, quæ ſatis ex ſuperiùs frequenter dictis intelliguntur. Primò enim cùm certum eſſe debeat, diuinam eſſentiam nihil habere intrinſecum, quod rerum exiſtentiam indicare magis poſſit, quàm non exiſtentiam, & quod non ſit ad vtramvis indifferens, manifeſtum eſt non poſſe res in æternitate futuras cognoſci alio modo, quàm cauſaliter in Verbo, aut omnipotentia diuina, vt conſtat ex prima concluſione. Adde quod ea, quæ videntur formaliter in Verbo, videri debent & ab ipſo initio, & inuariabiliter, & ſine interruptione, & ſimul omnia; cùm tamen ita videri à Chriſto nequeant omnia quæ ſuborientur in decurſu æternitatis, vtpotè infinita.

9. Secundò clarum eſt ex ſumma Chriſti dignitate non poſſe denegari ipſi tantam, & tam perfectam rerum in æternitate futurarum cognitionem, quantam, & quàm perfectam poſſibile eſt ei concedi. Debet ergo res futuras omnes eo modo cognoſcere, in quo non appareat implicantia, præſertim cùm omnia quæ cùm in Beatis, tum in damnatis contingent, ad illius vt Sanctorum omnium Capitis, & impiorum iudicis, ſtatum pertineant. Ergo ex vna parte, cùm implicet eum limitata ſua, & humana intelligendi capacitate cognoſcere actualiter, & ſimultaneè infinita, meritò cognitio ſimultanea infinitorum obiectorum ei denegatur in hac noſtra concluſione, quamuis reclament non pauci, qui aſſerunt Chriſtũ in Verbo videre actu cunctas res futuras, & quidquid poſitiuũ Deus videt per ſcientiá viſionis. Non pauci verò eorum qui cenſent in Chriſto, aliiſque creaturis potentias obedientiales non eſſe limitatas, ſed poſſe in infinitum eleuari, teſtantur, vt Suares, Delugo, &c. ſe non denegare Chriſto infinitatem viſionis, aliarumque gratiarum, niſi quia infinitatem ex parte talium gratiarum repugnare ſupponunt. Ego tamen cum aliis multis, cùm non videam repugnantiam in infiniti productione, limitationem viſionis, & gratiarum in Chriſto refero ad ſolam limitationem potentiæ obedientialis receptiuæ, quam dico impletam quantum impleri, capereque potuit.

10. Porrò, cùm ex alia parte non appareat implicantia in habituali omnium per æternitatem futurorum cognitione, ita nempe, vt Chriſtus habeat ſpeciem tam latè patentem, quàm intellectum ipſum humanum, ad illa omnia in quantacumque multitudine citra infinitatem per varios actus prout ſe liberè applicuerit cognoſcenda; & ita conſequenter dici verè poſſit, futurarum rerum nullam ignorare (habitualis enim ſcientia excludit ignorantiam) manet inde ſufficienter probata, & euidens illa vltima concluſionis pars, quæ talem ei aſſerit habitualem cognitionem, quam ipſi tribuit Bonauentura, & alij plurimi, quos refert, ſequiturque Salas *tom.* 1. 1. 2. *tract.* 2. *diſput.* 4. *ſect.* 7. Verumtamen cùm omnis ea tantùm futurorum cognitio Chriſto concedatur, quæ ſupponitur contradictionem non implicare, diſſipandæ ſunt quædam apparentes implicantiæ circa cognitionem certorum obiectorum, quæ in æternitate ſunt exituræ.

11. Primò certum eſt inter omnia, quæ in æternitate ſunt futura, & quę cognoſcenda occurrunt, cenſeri videndam per ſeipſam intranſitiuè viſionem beatificam, eiuſque durationem nunquam defuturam; atque Chriſtum, alioſque omnes Beatos videre durationem ſuæ viſionis eſſentialiter reflexæ, vt indefectibilem; alioqui non forent completè Beati. Graues autem inde emergunt duæ difficultates. Prior eſt, quod viſio beata, ſi videat ſe, debeat in ſe reflexiones habere infinitas: altera verò, quod ea viſio ſi videat æternam ſuam durationem, nequeat per vllam Dei potentiam deſtrui, poſtquam ſemel producta fuerit. Quod ad priorem attinet difficultatem, patet quòd viſio illa vt videat ſe quatenus beatificam, debet ſic in ſeipſam reflecti, vt rurſus, cùm huiuſmodi reflexio ſit & clariſſima, & ad beatitudinem neceſſaria, ſeu pars beatitudinis, debeat per ſecundam reflexionem cognoſci; & ſecunda iterum reflexio, vtpote æquè clara, & beatifica, per tertiam reflexionem. Atque ſic in infinitum cognitiones dabuntur cognitionum, & reflexiones reflexionibus incumbent: neque vlla cognitio, cùm par omnium ratio ſit, debebit eſſe incognita, & expers ſuperuenientis reflexionis.

12. Id autem eſt impoſſibile. Nam primò, cùm intellectus Chriſti vim habeat finitam, non eſt capax infinitæ multiplicationis reflexionum quæ eliciantur ſimul omnes ſiue formaliter, ſiue (quod non eſt minùs difficile, nec minùs perfectum, imò perfectius) virtualiter; hoc eſt, ita vt vnus actus ſimplex viſionis æquiualeat infinitis actibus, & hos in ſua ſimplicitate contineat. Secundò concipi non poteſt, quomodo ſi infinitæ illæ reflexiones, ſeu formaliter, ſeu virtualiter dentur, poſſint omnes eſſe cognitæ per alias ſuperuenientes illis reflexiones: nam ſi nulla ſit reflexio, quæ cognoſcatur à Chriſto per reflexionem illi ſuperuenientem, neceſſe eſt vel dari reflexionem aliquam ſuper omnes reflexiones, quod eſt impoſſibile; vel omnes ita cognoſci, vt nulla reflexio detur extra numerum ipſarum cognitarum, quod eſt inintelligibile. Cùm enim nullæ reflexiones cognitæ ſint niſi per vlteriores reflexiones, neceſſarium eſt, vt nulla, quæ ſit cognita, careat vlteriori reflexione, atque ita poſt omnes cognitas detur aliqua incognita, ſicque erit contradictio. Nam & omnes ſupponuntur cognitæ, & tamen non omnes cognitæ.

Digitized by Google

13. Ad hanc difficultatem reſpondeo, peculiarem eam non eſſe in viſione creata Chriſti, de qua hîc diſputamus. Eadem planè occurrit in omni viſione increata, quam Deus, in eam ſe reflectens, ita videt ſe videre, vt ſuam etiam reflexionem videat, & hanc iterum reflexionem videat ſe videre, in ſuas omnes cogitabiles reflexiones infinitè ſe reflectens. Dicendum verò eſt non opus eſſe vt intelligamus nec in Deo, nec in vllis Beatis infinitas reflexiones formales, & pluſquam virtuales. Satis enim eſt, quòd viſio prima, & directa, ſit perfectiſſimè clara: quemadmodum in ea cognitione naturali, quam Angelus habet ſuæ ſubſtantiæ, imò in omni noſtra demonſtratione, lumen intellectiuum ſic fertur cognitione directa in ſuum obiectum, vt ea ipſa cognitio per virtualem reflexionem in ſeipſam velut replicetur. Non enim Angelus ſuam tantùm ſubſtantiam videt, ſed videt etiam ſe eam videre: & nos per noſtras demonſtrationes non tantùm rem quæ obiicitur, ſcimus, ſed etiam ſcimus, cognoſcimuſque nos ſcire. Negandum ergo eſt, quod facta intendit obiectio, in intellectu Chriſti viſiones infinitas viſionibus incumbere, ac ſuperuenire. Non enim datur niſi vna ratio, & perfectio viſionis, ſiue vna formalitet tendentia in obiectum directè: quamquam illa tendentia (etiam cùm prima eſt, & ſimpliciſſima) in ſeipſam ſit virtualiter ob ſummam claritatem, & euidentiam reflexa; eo modo, cum aliqua proportione, quo philoſophandum eſt de diuina, ſeu increata viſione. Cuius item rei exemplum aliquale habemus in nobis ipſis: quoties enim formamus conceptum generalem conceptus, in eo generali conceptu clauditur, & concipitur ipſemet ille actus, quem exercemus tunc, & ipſe eſt obiectum ſui ipſius, non per reflexionem, quæ præſupponat illum; nam conceptus prædictus, cùm in prima ſui exiſtentia, & ratione tendat in conceptum genericum, debet ſecundùm primam ſui rationem tendere in ſeipſum confuſè conſideratum. Alia ſimiliter ſunt quæ in ſua prima ratione inuoluunt ſeipſa obiectiuè, vt hæ voces, ſignum, dictio, nomen, verum, vniuerſale, intelligibile, ſignificabile, &c. Hæ ſanè ſecundùm ſuam primam ſignificationem ſeipſa important confuſè, nam hæc vox, *ſignum*, ſignum eſt; & hæc vox, *dictio*, eſt dictio: ratio item obiectiua veri, vniuerſalis, intelligibilis, &c. ſibi conuenit ipſi, & eſt vera, vniuerſalis, intelligibilis, &c. Atque ex his apparet negandum eſſe quod obiiciebatur, dari in Deo, necnon in Beatis viſionem ſupra omnem viſionem, & fieri abſurdam reflexionum ſeriem, & cognitionum ſuperfœtationem.

14. Inſtabis. Valebit ſaltem obiectio quoad virtuales reflexiones, quas neceſſarium eſt prædicto illo modo multiplicari; ita vt non detur vltima reflexio, nec vlla viſio non viſa. Reſpondeo. Non dantur propriè nec in Deo, nec in animâ Chriſti, cæteriſve Beatis reflexiones quas nos poſſimus concipere vt rationes multas obiectiuas, ſiue vt formalitates virtualiter diſtinctas: ſed eſt vna ſimplex formalitas adeò clara, & perfecta, ac in ſeipſam, dum in externum obiectum tendit, attenta, vt circa ipſam poſſit mens noſtra infinitè quaſi ludere, concipiendo in ea infinitas velut formales reflexiones. Nec in hoc infinito reflexionum diuinarum, aut beatificarum per mentem noſtram progreſſu eſt vllum inconueniens. Quod enim nos reflexiones reflexionum concipiamus, non eſt aliud in Deo, vel animâ Chriſti beata, quàm viſionem in iis eſſe ſui ipſius comprehenſiuam per vnicam, ſimplicemque tendentiam euidentiſſimam. In qua tendentia fatendum eſt quidem contineri eminentiſſimè quicquid perfectionis à nobis ſignificatur omnibus propoſitionibus affirmatiuis reflexiones ſuper reflexiones, velut dicendo; Deus, vel anima Chriſti, ſcit ſuam ſcientiam, & ſcit ſe ſcire ſuam ſcientiam, & ſcit ſe ſcire quod ſciat ſe ſcire, &c. Prædictam perfectionem agnouit in Deo Ariſtoteles *lib. 12. Metaph. c. 9. text. 51.* his verbis; *Seipſam* (ſuprema intelligentia) *intelligit, ſi eſt quidem quod optimum eſt: & eſt intellectio, intellectionis intellectio.* Dionyſ. autem *Epiſt. 9. Veneramur*, inquit, *quamdam vim ſimplicem, per ſe mobilem, per ſe agentem, ſe non deſerentem; ſed ſcientiam quæ eſt ſcientiarum omnium ſcientia, & ſemper ſe per ſemetipſam intuetur.*

15. Ex dictis ſolutum manet, tam id quod obiiciebatur *num. 12.* Chriſti intellectum, vtpotè finitum, non eſſe capacem habendarum viſionum ſimul infinitarum in ſeipſas reflexarum; quàm id quod addebat eadem obiectio, neceſſarium eſſe, vt in ea reflexionum infinitate reperiatur aliqua reflexio non cognita, vel etiam dari ſuper omnes aliquam. Totum id enim euaneſcit, cùm negatur dari formales reflexiones, imò & virtuales aliter, quàm quatenus datur vnica directa viſio perfectiſſimè clara, & ſuo intranſitiuè ſplendore omninò, ac vndecumque perfuſa.

16. Afferri tamen poteſt vlteriùs inſtantia difficillima contra ſolutionem iam datam in hoc vno conſiſtentem, quod Chriſtus videns ſuam viſionem beatificam, non videat in ea infinitas, veraſque reflexiones. Contra id, inquam, eſt, quòd negari nequeat, quin Chriſtus formalem habeat complacentiam ſuprà ſuam beatitudinem, formalem item cognitionem talis complacentiæ, rurſuſque formalem complacentiam illius cognitionis, quam iterum complacentiam ſit neceſſariò ſequutura eius cognitio: Atque ſic in decurſu æternitatis infinitas habebit Chriſtus formales tum complacentias cognitionum, tum cognitiones complacentiarum. Ita vt in infinitum & cognitioni formali complacentia formalis, & cuilibet complacentiæ cognitio ſuperueniat. In eo caſu nulla erit iuxta noſtram doctrinam cognitio, cuius complacentiam; & nulla complacentia, cuius futuram cognitionem non norit Chriſtus, ſaltem habitualiter: vtpotè rerum omnium futurarum, vt diximus, ſpeciem habens impreſſam; ita vt poſſit ad actualem cuiuſcumque rei futuræ, prout voluerit, ſe determinare notitiam. Nullam, inquam, poterit videre futuram cognitionem, expertem complacentiæ, nullam item complacentiam, in quam non cadat ſuperueniens cognitio: ſi enim aliquam poſſet videre cognitionem carentem complacentia, illa cognitio foret vltima, contra ſuppoſitionem; vltima item foret complacentia præcedens immediatè hanc vltimam cognitionem. Id verò contradictorium eſt, nam ſic daretur vltimum in æternitate. Verumtamen dici etiam in contrarium non poteſt, quòd ſiue anima Chriſti beata, ſiue ipſe Deus videre queat futuram in æternitate omnis cognitionis complacentiam aliquam, & omnis complacentiæ aliquam cognitionitionem: ſic enim ſuprà, & vltrà omnes cognitiones reipſa videretur à Deo complacentia; & ſuprà omnes complacentias eſſet cognitio. Cùm tamen manifeſtum ſit repugnare, vt poſt omnes cognitiones aliqua ſit complacentia, ſi poſt omnes complacentias ſit aliqua cognitio. Hæc difficultas per id ſolui non poteſt, quod ſuprà diximus, oſtendentes non dari in Chriſto, nec in Deo reflexas infinitas viſiones viſionũ, ſed vnicam viſionem formalem perfectiſſimè

claram,&c. Hic enim non agitur de viſione,ſeu cognitione reflexa in ſemetipſam, ſed de cognitione reflexa in complacentiam, & de complacentia in cognitionem reflexā; quas reflexiones conſtat eſſe formales. Reſpondeo nullam in hac inſtantia difficultatem eſſe, quæ ſit peculiaris in materia quam tractamus de cognitione beata Chriſti circa res omnes futuras in æternitate. Eſt enim eadem hæc ſumma, & ſupra noſtrum in hac mortalitate captum, difficultas reſpectu Dei: nam videt Deus omnes prædictas, quas in Chriſto ſuppoſuimus, cognitiones, & complacentias: ita vt in neutris videat vltimam aliquam. Atque illorum actuum ſeriem nulla claudat complacentia, nullaque cognitio. Quemadmodum ergo illa difficultas non impedit quo minùs Deus omnes illas & cognitiones, & complacentias actualiter norit eo modo, quo futuræ ſunt, ita etiam non impedit quo minùs eaſdem anima Chriſti cognoſcere poſſit habitualiter.

17. Sequitur vt alteram expedire difficultatem debeamus, propoſitam *num.*11. nempe quod ſi Chriſtus ſciat omnia, quæ in æternitate contingent, & nominatim videat ſuam beatificam viſionem eſſe in æternum duraturam; nequeat talis viſio per vllam potentiam deſtrui, poſtquam ſemel producta, ſeque cognoſcens fuerit, atque ita ſubtrahatur perfectè dominio Dei. Cùm enim ſit eſſentialiter vera, Deus non poteſt facere vt falſa ſit; faceret autem eſſe falſam, ſi vnquam deſtrueret. Si reſpondeas impoſſibilitatem eam deſtructionis non oriri ex reflexione, qua ſeipſam viſio illa cognoſcit in æternum duraturam, quia huiuſmodi viſio non facit, ſed ſupponit ſuum obiectum tale futurum eſſe, quale cognoſcit: Ergo cùm hæc viſio ſit obiectum ſui ipſius, ſupponit ſe in æternum duraturam, qualem nempe eſſe videt. Ex ea verò ſuppoſitione ſempiternæ durationis, non eſt mirum ſi non poſſit à Deo deſtrui. Contra reſponſionem illam eſt, quod æterna futuritio huius viſionis non poteſt præſupponi ipſi viſioni vt reflexæ, & veræ, cùm de eius eſſentia ſit & reflexio, & veritas, & æterna ipſa futuritio: quare in omni priori eſt reflexa, & vera, & futuritionem æternam includens; nec poteſt in vllo priori, niſi vt talis, conſiderari. Ea enim viſio non foret beatifica, quæ non videret ſe in æternum duraturam, aut quæ in hoc ipſo falſa eſſe poſſet. Præterea quando aliqua viſio, aut aſſertio rei futuræ importat neceſſitatem futuritionis tantùm conſequentem, oportet vt ipſa non ſit cauſa neceſſaria, & præſuppoſita eius futuri, quod ipſa videt, vel aſſerit; & futuritio illa debet eſſe ita independens à viſione, aut aſſertione ſui, vt ſine ea poſſit eſſe, eique præſupponatur. Atqui viſio beatifica, cùm videt ſe duraturam in æternum, eſt cauſa cur talis duratio ſit omnimodè neceſſaria. Eſſentia enim beatitudinis, ſeu beatificæ viſionis eſt vt ſit æterna, & ſe videat æternam, alioqui non foret beatifica. Non enim poteſt eſſe beatitudo ſi non ſit æterna, & inamiſſibilis. Itaque cùm huic viſioni eſſentiale ſit durare in æternum, & ſimul ita videre ſuam durationem, vt non poſſit non eſſe vera, manifeſtum relinquitur, quod ſi talis viſio vel per vnum inſtans extitit, non poteſt impediri à Deo æterna ipſius duratio, & quod illa impoſſibilitas non eſt conſequens ex decreto, quo Deus voluerit eam, poſtquam producta ſemel fuerit, durare in æternum: ſtatim enim atque producta ſemel eſt talis viſio, neceſſitatur Deus illam nunquam deſtruere. Eaque neceſſitas prouenit primò ex eo, quòd talis viſio nunquam poſſit non eſſe vera: & ſecundò ex eo, quod nunquam non poſſit dicere ſe duraturam in æternum. Quæ duo cum carentia durationis æternæ coniungi eſt impoſſibile antecedenti impoſſibilitate.

18. Illam difficultatem Delugo *diſput.*19. *n.*20. cùm ſoluere conatur, auget; ac rem quam ſupponit eſſe valde obſcuram, & quæ meo iudicio talis non eſt, explicat per quandam ſuam particularem opinionem, quæ longè ſit obſcurior. Nempe ſupponit primò, beatificam viſionem non eſſe niſi modalem entitatem. Secundò eam produci per actionem à ſe nullo modo, etiam ratione, diſtinctam. Tertiò actionem non diſtingui à duratione, ac per conſequens quartò omnem actionem, quæ aliquandiu durat, eſſe intrinſecè ſucceſſiuam. Vnde fit denique, vt viſio beatifica (ſicut omnes modales entitates, quas vult identificari omnimodè cum ſui productione, cumque ſua duratione) ſit aliquid intrinſecè ſucceſſiuum, & habeat partes continuò fluentes, ac ſtatim deſinentes, prout ortæ ſunt. Hoc ſuppoſito reſpondet prædictus Author ad præſentem difficultatem de viſione beatifica in æternum duratura, poſſe negari, quod viſio beatifica ſubtrahatur dominio Dei, poſtquam producta eſt, & quod ſit incorruptibilis: Quandoquidem, inquit, omnes eius partes, & ſingulæ, cùm ſucceſſiuam habeant exiſtentiam, corrumpuntur ſemper, ac fluunt. Quamuis enim verum ſit, quod quælibet pars repræſentet omnes ſequentes partes, vt infallibiliter futuras, & quod hæ ex ſuppoſitione illius repræſentationis (quæ nequit eſſe circa falſum) non poſſint omnes deficere, poſteà nihilominus manet quod diſtributiuè nulla eſt incorruptibilis, cùm ſingulæ ſemper deficiant. Quod autem ex ſuppoſitione præcedentis, quæ cæteras vt futuras cum infallibilitate repræſentauit, ipſæ cæteræ nequeant non eſſe, negat id eſſe inconueniens, nam etiam ex ſuppoſitione reuelationis diuinæ non poteſt non eſſe poſteà obiectum quod fuerit reuelatum. Hanc ſuam ſolutionem ait Delugo ſatisfacere probabiliter difficultati præſenti, licèt ex alio capite fateatur eſſe aliquid quod obſtet.

19. Verùm primò contra ſolutionem illam eſt ſui Authoris confeſſio, agnoſcentis illam non eſſe ſufficientē. Et quamuis non id ipſe confiteretur, hoc tamen appareret ex eo quod poſt longam diſputationem reſpondere cogatur, viſionem beatificam non videre ſe duraturam in æternum, aut ſaltem reflexionem illam eius non eſſe de eſsentia, ſed tantùm de complemento, ſeu integritate beatitudinis, quod patet quàm ſit abſurdum. Secundò nihil Delugo lucratur ex illa ſuâ peculiari opinione, quamuis ea admitteretur. Non enim poteſt impedire, quin neceſſariò ſint extituræ, atque ita dominio Dei eatenus ſubtrahantur partes, quas viſio ſuæ durationis nouit infallibiliter extituras, abſque eo quod per diuinam omnipotentiam valeant impediri. Tertiò nego, quod opinio ea peculiaris de viſionis beatificæ natura ſucceſſiua, & identitate cum duratione, ſit vera. Denique ad ſolutionem huius de qua agitur, difficultatis, non eſt opus tanto circuitu, poteſt enim expediri directè; quandoquidem negatur eſse inconueniens, quod viſio beatifica præuidens ſe in æternum duraturam, nequeat corrumpi, aut deſtrui, ex ſuppſitione, quod ſemel producta fuerit, & ſe prædicto modo in æternum duraturam præuiderit. Non enim producta fuit niſi ex volūtate, & pleno in illam dominio Dei. Nouum autem hîc non eſt, quod Deus ex ſuppoſitione quod aliquid liberè fecerit, non maneat poſteà liber ad illud deſtruendum. Nam fatentur omnes, quod ſi vnū Angelū produxiſset ab æterno, non poſset illum ſtatim deſtruere: ſi aliquid promiſerit, aut prædixerit, non

Digitized by Google

non poteſt cum præiudicio ſuæ fidelitatis, veritatiſve non implere quod aſſeruerit: ſi daretur actus aliquis fidei circa myſterium quodpiam, qui actus in ſe reflexus, de ſeipſo pronunciaret, ego nunquam mutabor, neque deſinam; is deberet ab intrinſeco ex ſuppoſitione ſuæ primæ productionis Deo liberæ, durare ſemper. Confirmatur hac ſuppoſitione, in qua Deus dixerit apud ſe, volo nullum actum ſupernaturalem Beatorum deſtruere, qui ſemel in patria productus fuerit: poſteà verò idipſum reuelarit Diuo Petro. Hac ſuppoſitione facta Diuus Petrus credet ei reuelationi per ſupernaturalem actum, qui actus erit eſſentialiter verus, & antecedenter incorruptibilis, abſque eo quòd Deus poſſit per vllam potentiam eum deſtruere; vtpotè ſupponentem eſſentialiter volitionem Dei, & reuelationem de non deſtruendo in æternum vllo actu Beatorum ſupernaturali, foretque falſus ille fidei actus, ſi deſtrueretur.

20. Porrò aliquid ſimile apparet in viſione beatifica, intenſa v. c. vt octo. In hac enim intenſione ſi comparetur ſecundus gradus cum tertio, conſtabit quòd ex ſuppoſitione ipſius ſecundi exiſtentis, Deus non poteſt deſtruere tertium. Ratio eſt, quia gradus omnes in illa intenſione vt octo vident mutuò ſe exiſtentes: nam tota viſio per quemcumque gradum videt ſe totam ipſam; & quicquid vnus gradus videt, vident cuncti: ſunt enim cuncti circa idem obiectum, alioqui non facerent intenſionem. Quare cùm ſint omnes eſſentialiter veri, non poteſt facere Deus, vt ſecundus exiſtens, & eſſentialiter videns tertium exiſtentem, ſit, & conſeruetur abſque ipſo tertio exiſtente, fiatque falſus hoc deſtructo. Neceſſitatur ergo Deus, ſi ſecundum gradum producat, aut conſeruet, producere, conſeruareque tertium. Nec propterea cenſetur amiſiſſe dominium plenum in illum, quia nimirum ſi non poteſt eum deſtruere, id eſt dumtaxat ex ſuppoſitione liberæ productionis ſecundi gradus. Et idem eſt de omnibus beatificæ viſionis gradibus comparatis inter ſe. Vnde vides falſum eſſe quod multi dicunt, conceptum realis identitatis declarari per inſeparabilitatem mutuam, & immediatam, ita vt ſi duo ſic ſe habeant, vt neutrum queat per vllam potentiam ſine alio produci, vel conſeruari, ſint realiter identificata. Ex hactenus dictis conſtat non eſſe tanti momenti, quanti nonnullis videtur, difficultatem hanc, quod impoſſibile ſit Deo viſionem beatificam deſtruere, ſi eā ſe reflectens in ſe norit æternam durationem ſuam: & immeritò coactum fuiſſe Hurtadum dando illi manus, fateri *diſp. 37. ſect. 7.* quod non poſſit Beatus per viſionem beatificam, nec per vllum alium actum ſupernaturalem, & eſſentialiter verum (de hoc enim eadem recurreret difficultas) videre ſuam indefectibilitatem, ac durationem æternam.

21. Tandem non omittam ab aliquibus talem inſuper moueri difficultatem contra noſtram hanc concluſionem, nimirum, ſi (vt ea pronuntiat) Chriſtus res videat futuras in æternitate, atque adeò videat ſuos actus, quos habiturus eſt liberos, tolli per talem ſcientiam libertatem eorum ipſorum actuum. Multa philoſophantur hîc aliqui, & nominatim Delugo, ſupponentes, quod nos non ſupponimus, ſed negamus; nempè in Deo videri formaliter per viſionem ipſam beatificam futuros huiuſmodi actus, &c. Verùm conſiderationibus, quæ nobis neceſſariæ non ſunt, omiſſis, dico ſcientiam, quam Chriſtus habet futurorum ſuorum actuum liberorum in æternitate, poſteriorem eſſe naturâ, quàm eorum futuritionem; atque ita non poſſe inducere neceſſitatem pluſquam conſequentem. Nec ſpecialis eſt ea in præſenti ob ſcientiam beatam difficultas. Agemus verò nos libro ſequenti de ſpectantibus ad libertatem Chriſti, & ex iis quæ ibi dicentur, poterit facilè ſolui hæc obiectio, circa quam ſic ratiocinatur Ariaga *diſp. 37. ſect. 1.* Vt probet in genere præſcientiam quantumvis infallibilem, actuum liberorum non poſſe obeſſe libertati ipſorum: nam vel obeſſet illis antequam exercerentur, vel in eo præcisè inſtanti, quo exercerentur. Neutrum poteſt dici. Non prius: nam cognitio v. c. hodierna non poteſt habere vllum effectum in libertatem die craſtina exercendam. Sed nec dici poteſt ſecundum: nam accedente cras inſtanti eo, quo præcisè actus debet exerceri, clarum eſt cognitionem, ſeu viſionem de exiſtentia ipſius, non poſſe libertatem impedire, prius enim eſt tunc operatio, ſeu exiſtentia eius actus, quàm eiuſdem viſio, ſeu cognitio. Benè concludit hæc Ariagæ ratiocinatio, ſi eum, qui præcedenti tempore futuram infallibiliter ſuam præuiderat operationem, ſupponamus fuiſſe oblitum ſuæ præcedentis notitiæ, ſi autem tunc etiam in ipſo operationis inſtanti vigere ſupponamus in eius mente præcedentem notitiam, & illum ad operationem accedere vt tali notitia inſtructum, & informatum, in eo caſu obiici poteſt, quod notitia ſe tenebit ex parte actus primi aliquo modo, & antecedet eatenùs prioritate naturæ operationem: nam faciet vt voluntas ægriùs, ac difficiliùs operetur. Verumtamen quia de ea notitia loquimur, quæ ſit præuiſio, ſecundùm id erit etiam poſterior, & ſupponet futuram eſſe in eodem inſtanti temporis operationem; neque eam, vtpotè præſuppoſitam, poterit quominùs libera ſit, impedire.

CAPVT VI.

An Chriſtus ſcientiam habuerit inditam, aut infuſam ſiue per ſe, ſiue per accidens.

1. PRÆTER ſublimem illam, ac beatificam cognitionem, de qua nunc egimus, reperiuntur in Chriſto inferiores aliæ ſcientiæ, quæ ſint vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm modum ſupernaturales, cum quibus certum eſt contra Gabrielem *in 3. diſt. 14. q. 3.* viſionem beatificam eſſe compatibilem: nec enim repugnat eiuſdem obiecti ſecundùm eandem rationem obiectiuam diuerſas eſſe ſimul per diuerſa media, ſeu per diuerſa lumina cognitiones. Quare omninò aſſerendum eſt, Chriſtum non illis caruiſſe; ſupponendum enim eſt tanquam per ſe cognitum, illud axioma, quod tradit S. Th. *q. 11. art. 1.* decuiſſe, vt anima Chriſti perficeretur per omnis potentialitatis conuenientem reductionem ad actum: poſtulat ſiquidem Chriſti dignitas, vt omne ornamentum quod non repugnet, collatum illi fuerit. Vt præſens de infuſa Chriſti ſcientia quæſtio explicetur.

2. Aduertere oportet ſcientiam dici poſſe infuſam vel per ſe, & ſecundùm ſubſtantiam, vel per accidens, & ſecundùm modum. Illa eſt quæ ex ſe, & naturâ ſua, poſito quod detur, poſtulat infundi, nec poteſt aliter obtineri, vtpotè ſuperans abſolutè exigentiam ſui ſubiecti. Iſta vero eſt, cuius ſubſtantia non ab-

ſolutè ſuperat capacitatem naturalem ſubiecti; quamvis hæc, & nunc detur modo quodam ſupernaturali. Talis eſt ſcientia, quam ille acciperet, qui in inſtanti perfectus euaderet Mathematicus, aut Philoſophus. Conſtat enim eam ſupernaturali modo acquiſitam ſcientiam eiuſdem per ſe fore naturę, ac ſi longo ſtudio fuiſſet acquiſita. Ita viſus cæco reſtitutus, cùm in ſubſtantia, & per ſe ſit naturalis, tamen ſecundùm modum, quo producitur, eſt ſupernaturalis: atque ad hoc genus infuſionis per accidens, & ſupernaturalitatis quoad modum, refero eas etiam ſpecies, & cognitiones, quæ Chriſto fuerunt infuſæ ſimiles eis, quas habent, vt ſibi connaturaliter debitas Angeli, & animæ ſeparatæ. Nec probo quod Arriaga *diſp.* 38. *ſect.* 1. & quidam alij nolint eas vocare infuſas per accidens, verùm illas dicant eſſe non quidem infuſas per ſe ſupernaturales, ſed, vt ipſi loquuntur, infuſas per ſe naturales. Sanè cùm ſint naturales quoad ſubſtantiam, meliùs dicentur ſimpliciter infuſæ per accidens, nullo autem modo per ſe. Quamvis enim dari non poſſint connaturaliter, & citra quamdam infuſionem homini viatori, poſſunt tamen Angelis, poſſunt homini comprehenſori: quare quòd homini viatori infundantur non connaturales, eſt illis (vtpote per ſe naturalibus) accidentarium. Hoc ſuppoſito quærenda hìc ſe offerunt quædam circa ſcientiam infuſam, ſeu inditam. Num ſcilicet in Chriſto locum habuerit, & quidem quænam infuſa per ſe, quænam infuſa per accidens. Præterea quænam ſint eius obiecta, qui actus, qui habitus, & quæ his inſeruientes ſpecies, quæ ſingula perſequemur.

3. Dicendum eſt Chriſtum cum beatifica ſcientia inferiorem aliam habuiſſe, tum eam quæ eſſet infuſa per ſe, ac ſecundùm ſubſtantiam, tum eam quæ infuſa eſſet per accidens, & ſecundùm modum. Concluſioni huic aduerſatur abſolutè Gabriel *loco ſupra citato*, exiſtimans impoſſibilem eſſe ſcientiam omnem infuſam, ſuppoſita ſcientia beata. Sed clarum eſt, nullam eſſe repugnantiam, quin vtraque ſcientia, & beata, & infuſa locum habuerit in Chriſto; cùm certum ſit poſſe vnam, & eandem rem à nobis cognoſci multiplici lumine, multiplicique genere cognitionis. Quod enim videmus ſenſu externo, videmus ſimul interno, videmus prætereà, percipimuſque intellectu. Qui etiam intellectus poteſt idem obiectum per diuerſa media cognoſcere. Poſita autem ſcientiæ infuſæ compoſſibilitate cum lumine gloriæ, non debemus illam negare Chriſto, cui nulla debet poſſibilis denegari perfectio. Et ſanè quando Chriſtus exercuit virtutum actus meritorios, ac ſupernaturales, neceſſarium fuit, vt illi actus, quà ſupernaturales, dirigerentur lumine ſcientiæ infuſæ; quandoquidem ipſe non habuit lumen fidei: lumen autem beatificum, ſeu ſcientia beata, quam habebat, non poterat valere ad merendum, nec ad dirigendos actus hominis viatoris. Porrò fortè poterat lumen ſcientiæ infuſæ, ſiue cognitio infuſa quidditatiua Dei, qualem Chriſtus habebat vt viator, inſeruire ad ipſos diuini amoris ſupernaturales actus meritorios, & diſtinctos à beatificis: cognitio verò Dei abſtractiua naturalis non poterat ſufficere ad ſupernaturalem amorem.

4. Ex dictis ſtet contra Gabrielem, potuiſſe, atque debuiſſe Chriſtum cum ſcientia beatifica inferiorem habere, infuſam, & quidem multiplicem, nec vnius rationis. Infuſam, inquam, ſiue per ſe, & quoad ſubſtantiam, ſiue per accidens, & quoad modum; quæ contineat cùm intellectum, & habitum principiorum, tum omne ſapientiæ genus, tum etiam artem, & notitiam omnium factibilium; vt nempe cognoſcere poſſet vnumquodque obiectum omni modo, quo eſt cognoſcibile. Vbi aduerti poteſt. Patrem Delugo non ſat benè probare multiplicitatem hanc ſcientiæ fuiſſe Chriſto debitam, ex eo quod neceſſaria ei varia ſcientiarum genera fuerint, vt poſſet per earum vnam cognoſcere clariùs, quam per alteram. Ea ratio probat quidem acquiſitam, naturalemque ſcientiam non debuiſſe eſſe ſolam abſque infuſa ſupernaturali, neque infuſam ſupernaturalem abſque beata. Non autem probat clariori præſuppoſitæ minùs claram, hoc eſt, vel beatæ infuſam, vel infuſæ acquiſitam ſuperaddi debuiſſe.

5. Concluſioni noſtræ aduerſantur item quoad ſecundam partem Bonauentura & Ricardus *in* 3. *diſt.* 14. ſcientiam infuſam per ſe, & ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, reperiri negantes in Chriſto (vtpotè habente beatam, & per hanc ad ſupernaturales actus ſufficienter inſtructo) & ſolam cum beata ipſi concedentes infuſam per accidens, ita ſufficientem, & amplam, vt non fuerit opus ab illo acquiri vllam aliam in toto vitæ decurſu. Aduerſantur etiam quoad tertiam partem concluſioni, diuerſo alio, contrarioque modo Scotus, & Durandus *in ead. diſt.* 14. admittentes in Chriſto cum ſcientia beata ſolam infuſam per ſe, & circa ea ſola obiecta verſantem, quæ naturalem intellectus humani capacitatem ſuperant, non autem circa ea, quæ per naturalem ſcientiam cognoſci poſſunt. Sed hi omnes ſatis ex eo refutantur, quòd Chriſti dignitas poſtulet nullam vt ei denegemus perfectionem, quæ poſſibilis ſit; & magna ſit ipſi perfectio, quòd & ſcientiam acquiſitæ noſtræ ſimilem, & ſublimem habeat etiam alium intelligendi modum per lumen infuſum, quo ipſam aliquatenus Dei quidditatem, ſicut & ſupernaturales, ſpiritualeſque creaturas, necnon rerum materialium formas poſſit immediatè per proprias ſpecies cognoſcere. Quam cognitionem vt eſſet proportionata cùm ipſius Chriſti, tum obiectorum nobilitati, decuit eſſe ſupernaturalem, per ſeque infuſam. Et ſanè cùm Chriſtus fidei virtutem non habuerit, neceſſe fuit vt haberet, qua viator, lumen ſcientificum non minùs ſupernaturale, ac per ſe infuſum, quàm ſit ipſa fides.

CAPVT VII.

Quorum obiectorum ſcientiam habuerit Chriſtus infuſam.

1. IAM vt de obiecto eius ſcientiæ, quæ eſt infuſa per ſe, ac ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, diſſeramus, attendi debet primò varium hìc eſſe rerum ordinem. Res enim de quibus dubitari poteſt, num ſint huius ſcientiæ obiecta, nonnullæ ſunt increatæ, vt Dei natura, & perſonalitates; nonnullæ verò creatæ. Quæ creatæ cenſentur, conſiderari poſſunt vel tanquam ſupernaturales, vel etiam tanquam naturales. Item attendi poſſunt vel ſecundùm actualem exiſtentiam, ſiue præſentem, ſiue præteritam, aut futuram; vel ſecundùm meram ſui poſſibilitatem. Quod attinet ad res primi ordinis. Dicendum eſt cognouiſſe Chriſtum per huiuſmodi ſcientiam infuſam Deum abſtractiuè per propriam ſpeciem, & quidditatiuè; quam Dei cognitionem eſſe

eſſe poſſibilem tenent Scotus, Molina, Ariaga, &c. quo poſito debuit Chriſto concedi. Nec erat inutilis, quamvis Chriſtus ſimul haberet notitiam eſſentiæ diuinæ intuitiuam, & beatam. Debuit enim is, vt ſæpe ſignificaui, omni modo poſſibili perfici, atque compleri. Et quidem ſi Chriſtus exercuit meritorios, ac liberos actus amoris Dei ſuper omnia, neceſſarium illi fuit noſſe Deum hoc cognitionis genere. Ad talem enim liberum amorem cognitio Dei abſtractiua naturalis ſufficere nequit; ſed nec ad eum vllum valere forſan poteſt intuitiua, aut beatifica, vtpotè ad amandum Deum neceſſitans. Quòd autem beata Dei cognitio Chriſtum non impedierit, quo minùs Deum per hanc ſcientiam infuſam cognitum amauerit ſuper omnia liberè, ſuaderi poteſt ex eo, quòd in illius mente duæ fuerint velut regiones, in quarum ſuperiore fuerit viſio Dei, & amor beatificus, ac neceſſarius; in inferiore fuerit per cognitionem infuſam ſupernaturalis amor liber, ac meritorius. Quod non videtur magis repugnare, quàm fuiſſe in ſuperiore mentis parte gaudium beatificum, in inferiore tædium ſummum, & triſtitiam vſque ad mortem.

2. Addo ſcientiam illam, quam Chriſtus habuit Dei, ad ipſas etiam fuiſſe perſonalitates extenſam, & ad totam rationem Trinitatis. Nouit enim euidenter ipſe reuelationes de Trinitate factas, quas nos obſcurè, & per fidem nouimus. Præterea oſtendemus mox illum habuiſſe ſcientiam intuitiuam vnionis ſuæ hypoſtaticæ, id autem non potuit eſſe, quin ſimul noſſet quidditatiuè (licèt non intuitiuè) terminum illius vnionis, nempe hypoſtaſin Verbi, ac per conſequens alias duas diuinas hypoſtaſes. Circa ſecundum ordinem ſuperiùs propoſitum, qui eſt rerum creatarum.

3. Dico Chriſtum habuiſſe ſcientiam ſupernaturalem, & comprehenſionem per ſe infuſam quidditatis vnionis hypoſtaticæ; necnon omnium ſupernaturalium formarum, ſiue productarum, ſiue producendarum vſque ad finem mundi: producendarum verò poſt finem mundi per æternitatem. Quemadmodum etiam earum quæ nunquam futuræ, ſed merè poſſibiles ſunt, cognitionem habuit infuſam in tanta multitudine, & ſublimitate, quæ compleat integram potentiam obedientialem intellectus humani. Omnes huius concluſionis partes vno, & eodem nituntur fundamento: quia nimirum Chriſto debetur omnis perfectio poſſibilis. Clarum autem eſt, quòd quidditatiua cognitio formarum ſupernaturalium eſt magna quædam perfectio, quam conſtat & eſſe poſſibilem, & non poſſe eſſe niſi ſupernaturalem. Neque eſt neceſſaria vlterior hìc probatio. Tantùm proponendæ, & expediendæ ſunt nonnullæ quæ ſe offerunt difficultates, ſeu obſeruationes.

4. In prima huius concluſionis parte, quæ eſt de quidditatiua vnionis hypoſtaticæ comprehenſione, obſeruandum eſt, contentionem inter quoſdam eſſe Theologos, num conſequenter ad illam comprehenſionem Chriſtus debeat noſſe hypoſtaſin ſuam, omnemque conſequenter Trinitatem. Negat Suares ob eandem rationem, ob quam comprehendens creatum à Deo mundum, non ideò noſſet Trinitatem. Contra quam Suaris rationem multa affert Delugo, & contra ipſum Delugo multa Ariaga *diſp. 39. ſect. 2.* Si comprehenſa creatura, inquit Suares, non facit cognoſci Deum, niſi vt vnum, omnipotentem, &c. Non autem vt trinum, quamvis omnipotentia, & diuinitas neceſſariam habeant cum Trinitate connexionem; ità vt ſi Trinitas non eſſet, non foret ea quæ eſt, diuinitas, & omnipotentia: Ergo vnio hypoſtatica à Chriſto comprehenſa non facit Chriſtum cognoſcere Trinitatem. Licèt enim faciat cognoſcere filiationem ſecundùm rationem relationis, ſeu perſonalitatis ortæ per intellectum, non tamen ſub conceptu filiationis habentis ordinem ad paternitatem, & ſpirationem quà actiuam, quà paſſiuam. Ita quidem Suares. Sed in contrarium Delugo vult, ſi comprehendatur vnio hypoſtatica, debere cognoſci tres omnes perſonas, & ordinem quem habet filiatio ad paternitatem, & ad actiuam, paſſiuamque ſpirationem. Ariaga putat eſſe quidem neceſſarium, vt cognoſcatur filiatio ſub conceptu filiationis, atque adeò paternitas; non tamen cognoſci ordinem quem ea habet ad ſpirationem.

5. Delugo pro ſua ſententia ſic argumentatur: Si darentur tres vniones hypoſtaticæ, vna cum ſingulis perſonis; non poſſent cognoſci niſi diſtinctæ inuicem; atque adeò ſecundùm ordinem, quem haberet vnaquæque diſtinctum ad ſuam perſonalitatem. Ergo iam cùm non datur niſi vnica vnio cum filiatione, debet cognoſci eodem modo filiatio quo in prædicto caſu. Quamquam pro ſententia Suaris reſponderi poſſit, quòd cum in caſu illo vnio hypoſtatica quælibet ſecundùm ſe cognoſceretur, non foret opus eam cognoſci comparatiuè cum alia vnione cognita; ſed cognoſceretur v. c. filiatio ſub ratione ſubſiſtentiæ intellectualis, non autem ſub ratione filiationis, aut relationis ad Patrem, &c. cenſeo tamen eſſe meliùs ſi concedatur, ex comprehenſione vnionis hypoſtaticæ neceſſarium eſſe cognoſci filiationem vt ordinem habet ad paternitatem. Atque in caſu quo, vt ſupponit Delugo, darentur tres vniones hypoſtaticæ, non poſſent eæ comprehendi, niſi tota ſimul Trinitas cognoſceretur. Quare loquendo de facto; Chriſtum exiſtimo vi comprehenſionis quam habet ſuæ vnionis hypoſtaticæ cognoſcere filiationem vt talem, & conſequenter ſaltem paternitatem.

6. Circa cognitionem per ſe infuſam ſupernaturalem quarumcumque formarum obſeruandum eſt, quod inter illas formas cenſeri debent actus ſupernaturales liberi, atque contingentes. Et licèt Chriſtus, (qui omnes illos actus nouit qui futuri ſunt vſque ad finem mundi) non poſſit infinitos (prout per totam æternitatem futuros, aut prout merè poſſibiles) cognoſcere ſimul actuali ſcientia diſtinctè; exiſtimo tamen ipſum omnium illorum quantumvis infinitorum actuum infuſam ſcientiam (vt de beata ſuperiori capite diximus) poſſidere habitualem; qua habituali ſcientia poſſit ad libitum vti, determinando ſe ad illorum actualem cognitionem in quacumque voluerit quantitate, modò non infinita, & potentiæ ſuæ obedientialis capacitatem non excedente. Illa verò habitualis ſcientia nequaquam in habitu multiplici conſiſtit, ſed in vno (vt vult Suares) ſimplici, qui vniuerſalitatem, eo modo quo potentia intellectualis, habeat, & cui adiuncta ſit ſpecies æquè ſimplex, &c. vniuerſalis ſe tenens ex parte obiecti; cùm ipſe habitus ſe teneat ex parte potentiæ, hanc eleuando. Dixi autem habitum, & ſpeciem non eſſe multiplicem, ſed ſimplicem, ne infinitatem habituum, ſpecierumque in Chriſti limitato intellectu cogamur admittere, iuxta obiectorum infinitatem, quamvis nullum eſſe putem inconueniens ſi fiat citra infinitatem aliqua multiplicatio infuſorum illorum habituum, ita vt quilibet habitus reſpiciat eorum cumulum obiectorum, quæ nonnullam ſub certo quodam genere connexionem habeant.

Digitized by Google

habeant. Hic porrò circa huiuſmodi actuum ſcientiam infuſam noua ſe offert difficultas.

7. Nam ſi loquamur de actibus futuris liberis ab ipſomet Chriſto exercendis, ij non poſſunt ſupernaturaliter exerceri, niſi per directionem ſcientiæ infuſæ. Ergo ſcientia infuſa ſupponere non poteſt futuram eorum exiſtentiam, vt hanc præuideat: ſic enim ſupponeret ſeipſam. Eademque eſt difficultas de exiſtentia liberorum actuum exercendorum ab hominibus, Angeliſve ſupernaturaliter. Nam ad horum exiſtentiam ſupponuntur merita Chriſti; ad merita verò Chriſti ſupponitur infuſa ſcientia prædicta, vtpotè directiua omnium meritoriorum actuum Chriſti. Sed reſpondendum eſt quòd ea ſcientia infuſa, quæ eſt actualis directio eorum Chriſti actuum meritoriorum quæ præuidentur, non ſupponit ipſorum exiſtentiam, ſed poſſibilitatem. At verò alia ſcientia infuſa, quæ eſt actualis præuiſio futurorum illorum actuum, præſupponit eorumdem futuram exiſtentiam, vt naturà priorem, vtraque autem illa ſcientia actualis, tum ea quæ eſt directio, tum ea quæ eſt præuiſio actuum, oritur ab vna & eadem ſcientia habituali.

8. Actum eſt hactenus de ſcientiæ per ſe infuſæ obiectis cùm increatis, tum iis creatis, quæ ſupernaturalia ſunt quoad ſubſtantiam. Nunc videndum eſt, vtrum ad hanc ſcientiam pertineant illa obiecta creata, quæ ſunt naturalis entitatis. Ad quod oportet notare quaſdam reperiri entitates, quæ licet conſideratæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam, non poſſint naturaliter ab homine cognoſci, tamen ipſarum ſubſtantia eſt omninò naturalis. Tales ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, nempe Angeli, & animæ rationales, & quæ illis inhærent accidentia: Item ſubſtantiales formæ, rerumque ſecundùm proprias ſpecies quidditates, & eſſentiæ: Item cogitationes, cordiumque ſecreta. Reperiuntur & aliæ entitates, quarum notitia naturaliter à nobis comparari poteſt: quales ſunt v.g. res illæ quas Philoſophia, & Mathematica, aliæque diſciplinæ conſiderant. Atque de illis omnibus naturalibus entitatibus quæri poteſt, num earum ſcientia infuſa in Chriſto fuerit, & num infuſa per ſe, an verò per accidens; ſiue an fuerit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, an verò dumtaxat quoad modum.

9. Ad quam quæſtionem reſpondendum videtur fuiſſe Chriſto infuſam ſcientiam earum entitatum, quarum ſpecies ſunt naturaliter inditæ Angelis, & animabus ſeparatis; & earum, quarum cognitio non poteſt humano ſtudio, laboreque comparari, neque pendet ab organis, cuiuſmodi eſt cognitio ſubſtantiarum ſpiritualium, &c. Cùm enim certum ſit Chriſtum tali notitia non caruiſſe, nec eam potuiſſe naturaliter comparari, ſupereſt illam fuiſſe à Deo infuſam aliqua ratione ſupernaturaliter. Vtrum autem illa infuſio fuerit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, an tantùm quoad modum, non ita certum eſſe poteſt. Nam conſtat talem ſcientiam eſſe in Angelis, animabuſque ſeparatis naturalem quoad ſubſtantiam. Ergo dici poſſet eiuſdem eſſe rationis in Chriſto, hoc eſt, angelici velut ordinis, & naturalem quoad ſubſtantiam, licèt ſupernaturalem quoad modum. Putarim nihilominus earum rerum habuiſſe Chriſtum ſcientiam ſupernaturalem in ſubſtantia, & per ſpecies longè nobiliores, vniuerſaliores, clariores, atque intenſiores, quàm angelicas; id enim Chriſto dignum eſt: ſed & præterea ſcientiam habuiſſe earumdem rerum infuſam per accidens, & ſupernaturalem in modo ſolo, vtpotè eiuſdem rationis cum ea, quæ eſt naturalis Angelis, & datur aliquo connaturali modo animabus ſeparatis. Hoc enim ſcientiæ genus non videtur debuiſſe negari Chriſto, licèt alias ſupernaturales habenti, cùm ſit & talibus proportionatum obiectis, & ornamentum accommodatum naturæ humanæ, atque adeò non ſuperfluum, ſed conueniens. Porrò quod ſpectat ad cognitionem ſecretorum cordis, & earum occultarum cogitationum intuitionem, quas aliquis in ipſa Chriſti præſentia habebat, quamuis de modo cognitionis illius multa nonnulli diſputent; videtur tamen facilè res expediri, ſi dicatur vim habuiſſe Chriſtum, quam habent Angeli, vel animæ ſeparatæ videndi actus internos eorum ſpirituum, qui ſibi loquuntur; Deo ſcilicet deſinente actus illos tegere, non denegando concurſum vt videantur; cùm ipſi ſint alioquin ex natura ſua talibus Angelis, animabuſque viſibiles. Hoc tamen diſcrimen eſt quod Chriſto nullos actus internos Deus vnquam tectos velit.

10. Quod attinet ad ſcientiam illarum rerum, quarum notitia humano, & merè naturali conatu comparari poteſt; illam exiſtimat Vaſquezius, & alij, quos citat, non fuiſſe Chriſto infuſam in inſtanti conceptionis, ſed ab ipſo fuiſſe acquiſitam ſucceſſiuè in ſuæ vitæ decurſu, prout eius ſe obtulerunt obiecta, vel occaſiones illam acquirendi. Ratio eſt, quia in inſtanti creationis Chriſtus non habebat organa ad id diſpoſita. Sed contrarium verum eſt: nam & potuit Deus Chriſto in ipſa conceptione vel dare organa diſpoſita, vel eorum diſpoſitionem, miniſteriumque ſupplere. Quare dicendum omninò eſt, ipſum in conceptionis inſtanti habuiſſe infuſas per accidens omnes ſcientias, notitiaſque naturales, quibus homines perfici poſſunt, & quæ longo ſtudio, laboreque comparantur. Ait tamen Gaſpar Hurtadus *diſp.* 8. *difficultate* 22. & poſt eum Arriaga, eorum obiectorum, quorum ſcientiam præuidebat Deus, Chriſtum acquiſiturum, nequaquam ipſi Chriſto infuſas ſpecies fuiſſe: vt nempe verum eſſe poſſet, quod ait Paulus *Hebr.* 5. *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Nimis eſt voluntaria illa horum authorum diuinatio. Vt enim habuit Chriſtus ab inſtanti creationis infuſas omnes virtutes morales merè naturales, quamuis eas in decurſu vitæ acquirere exercendo potuiſſet, ſic & notitias, ſeu ſcientias. Quomodo autem id non impedierit, quo minùs acquireret ſcientiam experimentalem, dicetur capite ſequenti.

11. Sunt qui velint non fuiſſe neceſſarium, vt Chriſtus ſciret v. c. talem hominem commiſſurum tali die furtum, aut hanc, vel illam rem facturum: quia nimirum ipſe ex occaſione poterat id, ſeu videndo, ſeu ab aliis audiendo diſcere. Contra: nam ſi ea quæ viſu, vel aliorum relatu diſcebat, non alia viâ nouiſſet: Ergo doceri, diſcereque ab aliis eguiſſet, quod nullo modo admittendum eſt. Præterea ſequeretur ipſum ignoraſſe ſimilia, v. c. furta, vel facta quæ Romæ, quæ in Perſide, &c. contingerent; cùm ea non poſſet vel videre ipſe, vel ab aliis audire. Atqui hæc conſequentia nullo modo debet admitti. Erat enim ille eorum omnium factorum legitimus iudex, & ſententiam de iis, vt à ſe per ſeipſum immediatè cognitis, laturus.

12. Aſſerendum igitur eſt nouiſſe Chriſtum, etiam quidditatiuè, res ordinis naturalis, exiſtentes quidem omnes, perindè ac ſi eas coram videret, etiam abſens, per ſpeciem ſimilem ei quàm nos habemus earum rerum, quibus aliquando interfuimus, & quas eodem modo, ac ſi præſentes eſſent, depingimus animo, & quaſi intuemur. Ita, inquam, Chriſtus

Chriſtus dum in terra degebat, de iis ſemper, quæ toto gerebantur orbe, cogitabat actu, quaſi ea præſens videret: nunc verò è cœlis omnia intuetur, & attendit, quæ vbivis fiunt, aut cogitantur. Res autem poſſibiles, vel poſt finem mundi in æternitate futuras ordinis pure naturalis, quales ſunt actiones v.c. eorum qui ſolo cum originali peccato deceſſerunt, &c. Non poteſt omnes ſimul infinitas cognoſcere actualiter, ſed tantùm habitualiter, per vnum ſcilicet habitum, aut ſpeciem tam vniuerſalem, ac eſt ipſe intellectus; ita vt ſe ad qualcumque, & quotcumque citra infinitatem ſimul cogitandas applicare pro libito poſſit. Iſtas autem cognitiones rerum merè naturalium, & humano in hac vita ingenio proportionatarum non opus eſt cenſeri quoad ſubſtantiam ſupernaturales, neque aliter infuſas, quam per accidens.

13. Contra ea, quæ diſputata ſunt hactenus de ſcientiæ Chriſto infuſæ perfectione, cenſerunt hæretici Agnoitæ, Chriſto ignorantiam, à qua nomen traxerunt, impingentes, vna cum Arianis, vt Athanaſius, & Hilarius teſtantur. Nobis verò id obiciunt, quod habetur *Marci* 13. *De illo die, vel hora (iudicij) nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Quod etiam *Matthæi* 24. aſſeritur. Reſpondeo plures eſſe veros, commodoſque ſenſus, ſecundùm quos illa de die iudicij ſcriptura explicari poſſit, illoſque videre potes apud interpretes. Dici enim v.c. poteſt, ſolum Patrem originaliter, & à nullo alio doctum noſſe diem iudicij, vt alia omnia: quomodo neque Angeli, neque filius, etiam quà Deus, nec Spiritus Sanctus nouerunt. Præterea, qui legatus à Rege prohibetur ſecretum aliquod ipſius Regis conſilium, ſibi alioqui non ignotum, enunciare, dicere poteſt ſe neſcire; nec mentitur ſi reſpondeat ſolum Regem illud ſcire. Verum enim eſt Regem illud aliquo ſcire modo, quo nullus alius dici poteſt ſcire. Chriſtus autem, vt doctor in mundum legatus, non poterat diem iudicij euulgare, nec vt talis didicerat.

14. Obiici etiam inter alia poteſt, quod Lucas ait *c.* 2. *Chriſtum profeciſſe in ſapientia.* Eumque locum vrgent noſtri temporis hæretici, qui antiquis hac in re conſenſerunt. Atque inter illos Melanchthon, & Luterus non ſolùm aſſerunt Chriſtum ignoraſſe diem iudicij, ſed & in pueritia communem cum aliis ignorantiam habuiſſe; eoque referunt prædictum Lucæ locum. Sed vſitata eſt apud Sanctos Patres illius loci (vt videre potes apud Vaſqueſium *diſp.* 47.*c.*1.) interpretatio, quòd Chriſtus per ætatis incrementa ſapientiam ſuam exteriùs magis, ac magis proderet. Quod autem addat Euangeliſta profeciſſe illum apud ipſum etiam Deum, & non tantùm apud homines, nihil aliud vult, quàm quod exteriora Chriſti opera verè, & iudicio Dei talia eſſent, vt præ ſe ferrent ſpeciem profectus, haberentque viſum in dies illuſtriorem ſapientiæ.

15. Solet item illud obiici, quod Sanctus Tho. explicat *q.*2. *art.* 4. nempe: Si Chriſtus ea omnia, quæ iam commemorauimus, ſciuit, atque ſi nouit quæcumque futura erant; quid ei opus fuit ſub paſſionem Angelo confortante? vt narratur *Luc.* 22. Angelus enim non eum confortare potuit, niſi oſtendendo illi aliqua motiua, & rationes, ex quibus eius mens robur, & conſolationem acciperet. Reſpondeo. Indubitatum eſt apud omnes Patres (ſi tres excipias, Origenem *homil.* 30. *in Matth.* Athanaſium *ſerm.* 4. *contra Arianos*, Cyrillum *lib.* 9. *Theſauri*, *c.* 4. quos tamen aliqui excuſare nituntur) Chriſtum vt hominem, omnia ſemper ab inſtanti conceptionis ſciuiſſe, quæ iam in cœlis cognoſcit. Et hoc, licèt in nullo Concilio definitum, Patres ita docent, vt contrarium damnent. Vide Vaſqueſium *diſp.* 51. *c.* 2. Quare non eſt audiendus Ariaga, qui putat poſt Gaſparem Hurtadum, eorum obiectorum, quæ Deus prævidebat Chriſto aliquando occurſura, ſcientiam non fuiſſe ipſi infuſam; vnde *diſp.* 40. *num.* 28. dicit ſe non reformidare ſpeciem quamdam magiſterij in Angelo admittere reſpectu Chriſti egentis conſolatione. Dicendum igitur eſt ad præſentem obiectionem, quod Angelus Chriſto apparens nihil eum docuit, nec vllas rationes conſolationis, quas ille ignoraret, propoſuit. Quid ergo? Placet Epiphanius *hæreſi* 69. & alij, qui explicant hæc verba, *Confortans eum*, hoc eſt, laudans fortitudinem eius, qua ſe obtulerat paulò ante ad mortem, dicendo, *Non mea voluntas*, &c. Confortare enim, i.e. dare robur, & fortitudinem, phraſi ſcripturæ idem eſt, ac robur, & fortitudinem laudare. Placet etiam, quod Angelus confortarit Chriſtum quodam exteriore miniſterio, vt corpus eius erigendo, ſuſtentando, ſudorem abſtergendo, &c. oſtendendo commiſerationem, quæ multùm valet ad leuamentum doloris; ſocium ſe illi in ea ſolitudine, & dormientium diſcipulorum derelictione exhibendo; & velut per ſuæ pulcherrimæ formæ præſentiam exhilarando, &c.

CAPVT VIII.

De actibus ſcientiæ Chriſto infuſæ.

1. DVBIVM eſt primò, an omnes actus ſcientiæ Chriſto infuſæ, ſint ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Reſpondeo. Clarum eſt illos quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturales, quorum obiecta ſunt ſupernaturalis entitatis, ſiue hæc ſint increata, vt eſſentia diuina, tres eius perſonalitates, &c. ſiue creata, vt vnio hypoſtatica, gratia ſanctificans, &c. Secundò ex ſupra dictis habetur, eos etiam poſſe eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales, quorum obiecta, licèt quoad entitatem naturalia, non poſſunt tamen in hac vita naturaliter per proprias ſpecies cognoſci à nobis. Ea ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, putà Angelorum, & animarum rationalium, ſecreta cordium, item materia prima, & eius formæ, necnon quarumcunque rerum eſſentiæ conſideratæ ſecundùm proprias ſpecies. Licèt non improbabile ſit Chriſtum horum ipſorum naturalium obiectorum ſcientiam aliam inſuper habuiſſe quoad ſolum modum infuſam, & in ſubſtantia naturalem, ei ſimilem, quam habent Angeli ſibi debitam: illa enim quoad ſubſtantiam naturalis ſcientia negari ei non debuit, vtpotè cum alia per ſe infuſa compatibilis, & ita naturæ humanæ proportionata, vt animabus ſeparatis quaſi connaturaliter tribuatur. Atque hoc genus ſcientiæ naturalis quoad ſubſtantiam, & infuſæ tantùm per accidens, non videtur pendere ab organis, cùm ſit ſimile ſcientiæ Angelicæ, & conceſſæ animabus ſeparatis organa non habentibus.

2. Tertiò item ex ſuperiùs dictis intelligitur, eos actus eſſe purè, ac ſimpliciter naturales tum quoad ſubſtantiam, tum quoad modum, qui habent obiecta naturalibus viatorum hominum cognitionibus paſſim obuia. Habitualis quidem eorum obiectorum ſcientia fuit Chriſto quoad modum ſupernaturaliter infuſa in primo conceptionis inſtanti, actualis

Digitized by Google

actualis tamen eorum cognitio in decurſu vitæ poſtquam organa non defuerunt, nihil videtur habere vnde dicatur aliquo modo infuſa, aut ſupernaturalis. Quamuis Ariaga *diſp.*40.*num.*29. videatur dubitare, num actualis ea ſcientia fuerit in Chriſto quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, tanquam certum ſupponendo poſſibilem eſſe ſcientiam ſupernaturalem per ſe infuſam, quæ dependeat à ſenſibus, & phantaſmatis. Sed id malè probat per noſtræ fidei actus; hi enim (quamuis priùs apprehendamus dependenter à phantaſmatis res quæ ſunt creditarum propoſitionum extrema) habent motiuum purè ſupernaturale, nempe reuelationem diuinam, ob quam coniunguntur ipſa extrema per indiuiſibilem actum ſupernaturalem; intra quem actum includuntur, vt apprehenſa nouo alio modo independenter à phantaſmatis. At verò nos hîc loquimur de actuali ſcientia nullum habente ſupernaturale motiuum, qualem homines paſſim eliciunt dependentem à ſenſibus, ac phantaſmatis, nec idoneam ad dirigendos voluntatis, & virtutis actus ſupernaturales.

3. Non eſt etiam audiendus Hurtadus aſſerens *diſp.*55.*num.*22. eſſe de fide, quod futura contingentia non poſſint cognoſci immediatè in ſeipſis, niſi per actum in ſubſtantia ſupernaturalem. Contra. Nam ſi hanc numero viſionem, vel ſpeciem intentionalem, qua hodie video ſpectaculum aliquod, Deus mihi heri infudiſſet, vidiſſem heri eodem modo, quo hodie, illud ſpectaculum, quod heri erat futurum contingens. Idem eſt ſi viſionem qua hodie video prædictum ſpectaculum, Deus conſeruet in diem craſtinum: Illud enim ſpectaculum, etſi non ampliùs exiſtens, ſic videbo cras, vt hodie video. Vbi notandus eſt modus, quo Deus poſſit facere à Chriſto, vel alio quocumque cerni quæcumque abſentia (ſicut continget in die iudicij, omnia omnium facta, cogitataque antiqua cognoſci velut intuitiuè ab omnibus) per ſpeciem nempe ſimilem illi quam nos reſiduam habemus earum rerum, aut factorum, quibus interfuimus, & quæ per recordationem animo nobis perinde depingimus, ac ſi coràm illa videremus.

4. Dubium eſt ſecundò, an Chriſtus in ſuæ conceptionis inſtanti actualem notitiam habuerit earum omnium rerum, quarum tunc illi ſpeciem, & ſcientiam habitualem Deus infudit. Reſpondeo. Certum eſt primò, Chriſtum in conceptionis inſtanti habuiſſe aliquem actum ſcientiæ infuſæ, vt de illo teſtatur Paulus *Hebr.*10. his verbis, *Ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Quibus verbis Chriſtus ſe vt homo ſubiicit, offertque Deo Patri, huiuſque agnoſcit voluntatem. Quam agnitionem ſupernaturalem eſſe conſtat, cùm fuerit fundamentum ſupernaturalis voluntatis, qua tunc nobis meruerit ſanctificationem, vt ſignificat idem Paulus ſubdens; *In qua voluntate ſanctificati ſumus.* Et ſanè ſi de Angelis vulgò aſſeritur ipſos in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ agnouiſſe, ac laudaſſe meritoriè Deum, multò magis id de Chriſto præſumendum eſt. Atque cùm ſcientiarum infuſionem habuerit ob vnionem hypoſtaticam, & hæc vnio ei collata fuerit in primo inſtanti, non fuit cur infuſio, vſuſque actualis ſcientiarum omnium differretur. Præſertim cùm viſionem Dei beatificam acceperit, cuius velut quædam appendix, & ſequela cenſeri debet ſcientia infuſa, quali nempe Chriſtus, qui non tantùm comprehenſor, ſed etiam viator erat, indiguit. Hæ rationes concludunt, habuiſſe Chriſtum in ſuæ conceptionis inſtanti actualem notitiam, & vſum omnium ſcientiæ habituum ſibi infuſorum. Quod etiam aſſerit Vaſq. licèt rationem afferat inualidam, ne ſcilicet Chriſtus aliquam haberet ignorantiam. Ea enim hic Author ſupponit ignorari ab homine, qui illorum ſcientiam actualem nunquam habuit, licèt habitualem infuſam aliunde ſupponatur accepiſſe. Validiorem rationem ſumere poſſumus ex D.Thom. quod Chriſtus habuerit ab initio vſum rationis non tantùm in viſione beata, ſed etiam extra illam, vnde factum eſt, vt ſtatim habuerit actum meritorium fundatum in cognitione ſcientiæ infuſæ independentis à phantaſia, & corpore, cùm ſit ſuperioris ordinis, & abſtracta à ſenſibilibus. Cumque ex eodem Sancto Doctore potentialitatem omnem, quam Chriſtus habuit, conſentaneum fuerit impleri, videtur omnem ſcientiam eius habitualem in ipſo infuſionis inſtanti fuiſſe actuatam.

5. Quare videtur probabile, Chriſtum in primo inſtanti habuiſſe actualem vſum ſcientiæ, etiam illius quæ per ſe pendere deberet à phantaſmatis, & quæ non ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, Deo supplente defectum phantaſmatum, & organorum; cùm & poſſibile, & Chriſto conueniens fuerit ratione vnionis hypoſtaticæ, vt ſtatim, quoad mentem perfectionem haberet omnem naturæ humanæ accommodatam. Quemadmodum aſſerit Damaſc. in libello, *quomodo ad imaginem Dei facti ſumus*, cum ait, *Sicut corpus Chriſti non fuit paulatim formatum, ſed Chriſtus ſtatim extitit perfectus infans; ita etiam in eo perfectam ſtatim fuiſſe ſapientiam, nec paulatim creuiſſe etiam ea parte, quâ homo erat.* Quod autem ait Sanctus Thom. *quæſt.*11. *art.*2. animam hominis viatoris indigere ad phantaſmata conuerti, eo quòd ſit corpori obligata, & ab eo pendeat, verum quidem eſt. Quare & Chriſtus habuit quoad hoc conditiones hominis viatoris, quatenus per ſcientiam in ſubſtantia naturalem conuerſus eſt tunc ad phantaſmata, quando habuit perfecta organa. Cenſet verò Ariaga *diſp.*40. *num.*16. probabile, eum perfecta organa habuiſſe ab inſtanti conceptionis. Sed quicquid ſit ea de re, potuit ſaltem poſteà corroborata ætate organis vti. Tuncque dici poſſent auctæ eſſe intenſiuè ſpecies eæ, quas infuſas ab initio accepit naturalium ſcientiarum. Neque periculum erat, quod idem Diuus Thom. *quæſt.*12. *art.*2. timuit, ne ſi ſpecies fuiſſent ab initio infuſæ, deeſſet Chriſto operatio, qua ſpecies à phantaſmatis abſtraherentur. Quo etiam modo poteſt explicari Chriſti profectus in ſapientia, quem refert Lucas *cap.* 2. ſi dicamus, illum catenùs profeciſſe, quatenùs ſpecies intelligibiles, & ſcientias naturales ſibi in creationis inſtanti infuſas, augebat intenſiuè per illos, quos ætatis progreſſu exercebat actus. Quod tamen dici nequit ſi ſpecies initio accepit quàm potuit habere perfectas. In quo caſu non fuit opus eas à phantaſmatis abſtrahi.

6. Petes conſequenter ad dicta, num ſicut aſſerimus fuiſſe in Chriſto à primo eius ortu non tantùm habitus, & ſpecies ſcientiarum infuſarum, ſed etiam ipſos earum ſcientiarum actus; ſic etiam dicendum ſit, illos ipſos omnes actus fuiſſe tota illius vita continuatos. Reſpondeo. Certum eſt potuiſſe tota vitâ ſua Chriſtum illis, quos infuſos initio accepit, habitibus, & ſpeciebus ad libitum vti; & ſaltem nunquam à cognitione rerum, quæ per terrarum, omniumque gentium orbem fiebant, ceſſaſſe. Talis enim cognitio ad ipſum vt iudicem omnium quæ vbivis committebantur, pertinebat. Imò ſunt nonnulli, teſte Suarez *diſp.*28. *ſect.* 1. qui cenſeant illum potuiſſe vno, & eodem ſimplici actu contemplari omnia obiecta ſcientiæ infuſæ. Ita Marſilius in 3. *quæſt.*10. *art.*2. Ego quidem illum conceſſerim, ſi

non

non vnico actu, ſaltem pluribus contemplatum ſemper fuiſſe obiecta, quotquot intra potentiam ſui intellectus obedientialem poterat, illa eligendo ad libitum. Quæ verò propter infinitatem conſiderare actu non potuit, ea non debet dici propterea ignorare: non enim ea ignorantur, quorum habitualis ſcientia poſſidetur, etſi animo non perpendantur.

7. Petes item, quonam modo Chriſtus (cùm non poſſet vti adæquatè ſuis omnibus ſpeciebus, & habitibus ſcientiæ, neque cognoſcere infinita) vim haberet ad certa obiecta ſe determinandi, eaque eligendi. Vt enim ſe ad aliqua cognoſcenda determinaret, opus erat, vt ea priùs cognoſceret: non enim eligi poteſt quod non cognoſcitur. Eadem difficultas formari poteſt in ſcientia beatifica: nam per hanc in loco diximus, non poſſe infinita cognoſci actualiter, quamuis lumen gloriæ faciat, vt infinita cognoſcantur habitualiter; ex quibus infinitis poterat Chriſtus eligere quæcumque & quotcumque, citra tamen infinitatem obiecta. Reſpondetur verò ad eam difficultatem, Chriſtum per lumen gloriæ videre ipſummet lumen gloriæ, cum eo omni quod virtualier continet; & eodem modo per ſcientiam infuſam cognoſcere quidquid in eius habitu, ſeu ſpeciebus intelligibilibus cognoſci poteſt, tanquam in ſignis inſtrumentalibus. Sicut enim illis anima ſemper conſiderat actu ſeipſam, ita quoque conſiderat facultatem ſuam, & eius perfectionem. Atque talis cognitio ſufficienter (vt bene cenſet Suarez *diſputatione vigeſima octaua, ſectione prima*) antecedit illam voluntatem, per quam Chriſtus ſe applicat ad quemcumque actum ſecundum, vt per eum obiecta quæ, & quot voluerit, conſideret, viendo vitaliter ſpeciebus, & ſignis formalibus, & quæ obiecta non in ſeipſis, ſed in alio (nempe in ſpeciebus, vt dictum eſt) cognoſcebat, incipiendo in ſeipſis cognoſcere per ipſaſmet ſpecies.

8. Dubium eſt tertiò, an actus ſcientiæ per ſe infuſæ ſit diſcurſiuus, ſeu collatiuus. Non hic mentio fit ſcientiæ infuſæ tantùm per accidens, & quoad ſubſtantiam naturalis: conſtat enim quoties operatur, hanc eſſe diſcurſiuam, atque ſimilem ei, quam nos marte noſtro acquirimus, qualem ſolam malè Alenſis agnoſcit in Chriſto. Quod autem ad ſcientiam per ſe infuſam attinet, exiſtimat Sanctus Thomas *quæſtione vndecima, articulo tertio*, illam ſi conſideretur in ſui acquiſitione, non fuiſſe diſcurſiuam, quia non eſt eo modo acquiſita, quo noſtra, procedendo ab vno ad aliud, hoc eſt, ab effectibus ad cauſas, vel contrà. Si autem conſideretur in ſui vſu, exiſtimat eſſe diſcurſiuam. Atque ita agnoſcit actualem diſcurſum, cùm Chriſtus ex eo, quod Petrus reſpondiſſet non à filiis, ſed ab alienis Reges tributum accipere, intulit ſtatim; Ergo liberi ſunt filij. *Matthei capite* 17. Idemque Thomiſtæ vulgò cenſent, & cum iis Vaſquez. Meliùs Diuus Bonauentura, Richardus, Suarez, &c. aſſerentes ſcientiam Chriſti per ſe infuſam, non habuiſſe diſcurſum, fuiſſeque per modum ſimplicis intelligentiæ. Quandoquidem lumen huius ſcientiæ perfectiſſimum erat, & res prout in ſe ſunt, repræſentans quidditatiuè; atque cùm ſpeciebus vniuerſalioribus vteretur, proprietates, effectuſque in ſuis principiis intuebatur; & quidem longè perfectiùs, quàm poſſit angelica etiam ſcientia. Quare non indigebat multiplicatione eorum actuum, quorum vnus penderet ab alio; in qua actuum multiplicatione & dependentia conſiſtit ratio diſcurſus formalis. Virtualis enim tantum eſt, quando actus non multiplicantur, licèt conceptus vnus obiectiuus in cognoſci pendeat ex alio priore per prioritatem à quo. Sic ex eo quod Iudas peccaſſe ſupponatur, illum Deus iudicat eſſe in æternum damnandum. Delugo *diſputatione vigeſima quarta, ſectione ſexta*, diſcurſum ait eſſe tunc formalem, quando cognitio eſt propter medium ex quo, & explicatur per particulam, *quia*, hoc modo: Deus eſt, quia creatura eſt. Tunc autem eſſe ſolùm virtualem, quando cognitio eſt propter medium in quo, & ita explicatur: Creatura habet ordinem ad Deum. Sed omiſſa illa loquendi ſubtilitate, non eſt dicendus formalis propriè diſcurſus, nec vera compoſitio, licèt vno cognito, alterum ob connexionem mutuam cognoſcatur, & explicari poſſit per particulam, *quia*, dummodo non ſit pluralitas formalium conceptuum.

9. Dubium eſt quartò, an omnis actus notitiæ Chriſto infuſæ euidens fuerit, & an certus? Reſpondeo affirmatiuè. Prior pars quoad euidentiam non bene probatur ex ſupernaturalitate: cognitionum enim ſupernaturalitas non importat neceſſariò euidentiam, vt apparet in actibus fidei diuinæ. Probatio autem ſolida, cur nullam Chriſtus notitiam habuerit obſcuram, & ineuidentem, ſumitur ex eo, quod propter aliud dicatur fides Chriſtum dedecuiſſe, quàm quòd eſſentialiter ineuidens ſit, & obſcura. Ex probatione verò huius prioris partis, manet ſufficienter probata pars ſecunda circa certitudinem; ſemper enim euidentiam notitiæ comitatur certitudo. Eadem ſecunda pars probatur etiam ex ſupernaturalitate in iis actibus, qui erant ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Eos enim vt implicat falſos eſſe, ſic etiam incertos, tantumque probabiles eſſe poſſe nemo iure conceſſerit. Quamuis fortè poſſet alicui venire in mentem (vt ait iam ſupra citatus Delugo *diſputatione ſecunda, numero* 80.) non repugnare ſupernaturalem opinionem probabilem, non quidem probabilitate proueniente ex periculo falſitatis, ſed ex aliqua formidine, qua intellectus aſſentitur tali obiecto, ſicut poteſt eſſe amor inefficax ex infirmitate voluntatis; & ſicut aliqui Authores cum Salas *tomo ſecundo in primam ſecundæ, tractatu vndecimo, diſputatione tertia*, cenſent virtutem prudentiæ habere poſſe actum, non quidem falſum, ſed probabilem. Verùm exiſtimo chimæram eſſe, & merum figmentum, quod actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, poſſit habere, præſertim in Chriſto, imperfectionem cognitionis incertæ, & habentis, vel ex ſe importantis, & arguentis formidinem falſitatis.

10. Imò nec puto actum purè naturalem veræ, propriæque prudentiæ poſſe eſſe ita merè probabilem, vt non innittatur alij, quàm ſuæ probabilitati: debet enim, vt iuxta eum poſſimus prudenter operari, innitti certo iudicio, quo arbitremur poſſe nos abſque errationis periculo ſequi talem hic, & nunc opinionem probabilem. Neque ſufficeret ſi hoc arbitraremur tantùm probabiliter. Quin etiam eos non cenſeo, poſſe licitè niti iudicio illo certo, quod iam dixi, de ſequenda licitè opinione probabili, qui omninò certi non eſſent illam reipſa opinionem præſupponi probabilem, quam volunt hîc & nunc ſequi (verbi cauſa, quod poſſint legitimè controuerſam aliquam pecuniam retinere) niſi enim priùs appareret eis

Digitized by Google

etentio talis pecuniæ licita per certam probabilitatem, non ad id ſufficeret iudicium de illa retentione tantùm probabiliter probabile. Quod oſtendit, quàm ſit imperfecta opinio merè probabilis, cùm non ſit ſufficiens ad fundandam tutò aliquam operationem, niſi fluctuare deſinat, & nitatur iudicio certo: tutior enim non poteſt eſſe operatio ſuo fundamento, quod cùm fluctuans ſupponatur, vacillabit & ipſa. Ex dictis patet veritas ſuperioris reſponſi, non decere vt vlli actus notitiæ Chriſto infuſæ per ſe (addo & per accidens) haberent meram probabilitatem, & eſſent incerti, talibus enim poteſt ſubeſſe falſum. Quare ſi tales habuiſſet Chriſtus, multùm detractum fuiſſet auctoritatis doctrinæ, quam tradebat. Supremam autem illam, & æternam Sapientiam, ab æterni luminum Patris ſinu ad terras illapſam, vt homines doceret, & ad infallibilis veritatis, & veri Dei agnitionem adduceret, potuiſſe aliquando decipi, impium eſt cogitare, quod piæ mentes ipſis vel auribus reſpuunt. Quandoquidem Chriſtus Verbum Patris, lumen de lumine, & ſplendor æternæ gloriæ, theſauros omnes paternæ ſapientiæ ſecundùm Diuinitatem poſſidet, & in eo pariter ſecundùm humanitatem reſidet altitudo celſiſſima creatæ omnis ſapientiæ, ac ſcientiæ.

11. Vnde infero eſſe reiiciendam opinionem illorum, quibus adhæret iam citatus Delugo *diſputatione vigeſima prima, ſectione tertia*, & Ariaga *diſputatione quadrageſima, ſectione quarta, ſubſectione tertia*, qui putant loquendo de poſſibili, non repugnaſſe Chriſtum inculpabiliter decipi. Quomodo enim poteſt habere infallibilitatem doctrinæ is qui non habet infallibilitatem cognitionis, & qui, ſi cùm decipitur, doceat quod ſentit, decipiet? Neque valet quod error inculpabilis, ſit malum dumtaxat pœnæ, & annexum naturæ aſſumptæ: quodque potuerit Verbum aſſumere verbi gratiâ cæcitatem talpæ, ſtoliditatem pecudis, &c. Id enim non mihi videtur dictum ſatis ſubtiliter. Nam cæcitas talpæ, ſtoliditas pecudis, &c. non eſt indecens illorum animalium naturis: quare Verbum illas aſſumens, deberet eas dirigere ſecundùm ipſarum indolem. At in humana natura error indecens eſt, & quamuis ſupponatur tali eſſe inculpabilis naturæ, videretur tamen aliquo modo ipſi verbo culpabile: ſi enim ita naturam intellectualem dirigeret, vt permitteret illam errare, decipique, Deus verè tali & errore erraret, & deceptione deciperetur. Et quidem in eo caſu non modò per communicationem idiomatum error naturæ humanæ pertineret ad Verbum, ſed etiam velut formaliter, & per immediatam imputabilitatem: officium enim eſt perſonæ, vt potentias naturæ intellectiuas ſibi ſubditas moderetur. Prætereà clarum eſt, non potuiſſe Verbum aſſumere omne malum pœnæ, & peculiarem habere indecentiam defectum ſummæ in docendo auctoritatis, qui neceſſariò ſequeretur ex poſſibilitate erroris inculpabilis. Confirmatur: ſi enim Chriſtus potuit errores, & inconſiderationes inculpabiles admittere, potuit eius etiam voluntas habere motus primos, impetuſque vitiorum inculpabiles, putà impatientiæ, obſcœnitatis, &c. Quas quis blaſphemias admittat.

12 Petes. Nonne Chriſtus, dum cognoſcebat media, quæ erant tantùm probabilia, iudicabat eſſe talia, & concluſiones probabiles eliciebat, quæ ex illis infallibiliter ſequebantur? Reſpondeo medium, aut concluſionem eſſe probabilem, eſt aliquid reſpectiuum, & dicitur ſolùm ratione illorum qui connexionem, quam verè vel habet, vel non habet aliquod medium cum concluſione, non clarè aduertunt. Chriſtus autem probè noſcebat, cùm videret, quamque rem, quæ aliis erat probabilis, & incerta, nequaquam ſibi eſſe talem; ſed euidenter in ſeipſa vel eſſe veram, vel falſam. Indicabat de de ipſa probabilitate, quam poterat habere tale medium reſpectu eorum, qui non niſi apparentiam valebant aduertere: & an opinantes deciperentur, necne, cognoſcebat. Neque magis neceſſe fuit ipſum vim argumenti probabilis penetrantem, indicare probabiliter vi illius argumenti, quàm Deum intuentem vim argumenti tui neceſſariò concludentis, argumentari, ſiue concluſionem vi illius elicere.

CAPVT IX.

De habitibus, & ſpeciebus ſcientiæ infuſæ.

1. DVBIVM eſt hîc primò, an præter ſpeciem, habitus aliquis neceſſarius fuerit ad ſcientiam Chriſto infuſam? Negat Vaſques *diſputatione* 45. *capite ſecundo*, aſſerens habitus ſcientiæ infuſæ comparatione tam ſupernaturalium, quàm naturalium obiectorum nihil aliud eſſe niſi ſpecies ipſas infuſas, quæ meritò habitus appellari poſſint. Putatque ſententiam illam eſſe Diui Thomæ *quæſtione vndecima, articulo ſexto*, vbi *ad tertium* dicit, lumen diuinitus infuſum, rationem eſſe communem intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur; ſicut lumen intellectus agentis eſt ratio intelligendi ea quæ naturaliter intelliguntur: & ideò oportuiſſe eſſe in anima Chriſti proprias ſpecies rerum ſingularium ad cognoſcendam vnamquamque rem propria cognitione. Atque ita oportuiſſe eſſe diuerſos habitus ſcientiæ in anima Chriſti. Vnde infert prædictus Author, Sanctum Doctorem habitus ſcientiæ infuſæ confundere cum ſpeciebus. Argumentatur deinde ratione ducta ex eo, quod vt ipſe ſupponit à ſe ſufficienter probatum *prima parte, diſputatione quadrageſima tertia, capite* 7. ad viſionem Dei beatam non ſit neceſſarium dari & habitum, hoc eſt, lumen gloriæ, & ſimul ſpeciem impreſſam, ſiue loco ſpeciei, eſſentiam diuinam, ſed alterutrum eſſe ſuperuacaneum: ſufficere enim vim intellectus creati cum ſolo habitu luminis gloriæ. Vnde concludit, in Chriſti Domini ſcientia infuſa neceſſarium non eſſe habitum ſimul cum ſpecie: quare cùm ſpeciem infuſam admittat, excludit habitum. Fundat verò totam illam doctrinam in hoc principio, nempe; Quoties ex parte alicuius cauſæ eſt ſufficiens principium omnium rationum, quæ in effectu producuntur, non debet addi quicquam aliud ex parte cauſæ ipſius, quod ad effectum concurrat. Quare, cùm in Chriſti actuali ſcientia infuſa non reperiantur niſi duæ rationes, nimirum ratio cognitionis, & prætereà ratio cognitionis talis, verſantis ſcilicet circa tale obiectum; intellectus autem ſecundùm ſe cauſet rationem cognitionis; & ſpecies impreſſa, determinans ad tale obiectum, cauſet rationem talis cognitionis; inde fit, vt intellectus Chriſti ſpeciebus infuſis inſtructus, ſit ſufficiens principium cognoſcendi actualiter hoc tam ſublimi, & excellenti genere

notitiæ

Digitized by Google

notitiæ infuſæ quamlibet rem, cuius habet ſpeciem, & fruſtra præter ſpeciem requiratur habitus, ſeu lumen vllum infuſum. Non enim reſtat in effectu tertia vlla ratio, quæ reſpondeat habitui tanquam tertiæ cauſæ.

2. Hæc ſententia Vaſqueſij noua, & ferè ſingularis, non videtur admittenda, licèt ab eo ingenioſè explicetur. Nam primò nullus eſt, qui in viſione beatifica non requirat, tanquam principium neceſſarium, habitum luminis gloriæ, quamquam obiectum (nempe diuina eſſentia) ſit præſens per ſeipſum, & longè perfectius, quàm per ſpeciem, intellectui beatorum; nec minùs cum ipſo intellectu concurrat, quàm ſpecies concurreret, ſi adeſſet. Igitur, etſi aliorum obiectorum, quæ per ſe præſentia non ſunt, adſit ſpecies impreſſa vicem eorum gerens, negari non debet, quin æquè requiratur habitus: non enim ſpecies plus facere poteſt, nec magis determinare potentiam intellectiuam ad tale obiectum, quàm poſſit ipſum obiectum, quando per ſe præſens, & intimum eſt. Ergo ſi non obſtante præſentia, & intimitate obiecti, requiri fatetur ipſe Vaſqueſius ad viſionem beatificam habitum luminis gloriæ, quare in Chriſti ſcientia infuſa eum requiri non item fatetur, quando ſpecies loco obiecti præſens eſt, & intima? Vrgetur iſtud exemplo fidei ſupernaturalis, ad cuius actum negari non poteſt, quin concurrat, & neceſſarius ſit habitus infuſus, licèt obiecti reuelati, quod creditur, non deſit ſpecies intima potentiæ, vt ipſam ad hoc potiùs, quàm ad illud obiectum determinet. Ratio eſt, quia cùm ſpecies ſe teneat ex parte obiecti, nec aliud præſtet, quàm vt ipſum intellectui ſiſtat, ſupponit ipſum intellectum habere ex ſua parte omne complementum neceſſarium ad operationem. Si autem intellectus non habet per ſe ipſum, & in ſua entitate complementum omne ſufficiens, oportet vt illud accipiat aliunde, quàm ex ſpecie, quæ nullo modo ſe tenet ex parte ipſius. Quare quoties operatio eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt accidit in viſione beatifica, in actu fidei, in actibus ſcientiæ Chriſto infuſæ, &c. opus eſt, vt ex parte intellectus accedat complementum, quo vis illius perficiatur. Id verò complementum vocatur habitus, qui non eſt ad facilius, ſed ad ſimpliciter operandum, & diſtinctus eſt à ſpecie impreſſa. Non eſſet tamen impoſſibile dari ſimplicem vnam qualitatem, quæ virtualiter duplex fungeretur & officio ſpeciei, quatenus ſe tenens ex parte obiecti, & ſimul officio habitus, ſe tenens ex parte potentiæ (idque putat Ariaga fieri poſſe in viſione Dei, vt vnica qualitas eleuaret potentiam, quà habitus; & eſſet loco Dei, quà ſpecies.) Nec obeſt quod ait Delugo, complementum ſe tenens ex parte potentiæ, hoc eſt habitum, debere priùs eſſe, quàm ſpeciem. Id enim non eſt verum, vt patet ex eo quod non repugnet dari vnum intellectum qui formaliter ſimplex, virtualiter tria eſſet, nempe intellectus, & habitus, & ſpecies, qualis fortè intellectus datur in quibuſdam Angelis.

3. Firma non ſunt argumenta pro ſententia Vaſqueſij; nec valet locus Diui Thomæ, qui producitur *ex quæſt.* 11. *art.* 6. *ad* 3. Quod enim Sanctus Doctor eò loci dicat, oportuiſſe diuerſos eſſe habitus ſcientiæ in anima Chriſti, ſecundùm quod oportuit in eius anima eſſe proprias ſpecies ſingularum rerum, id non oſtendit illum confudiſſe habitus cum ſpeciebus, ſed potiùs diſtinxiſſe, quandoquidem proportionem quandam requirit inter hos, & illos. Argumentum verò, quod Vaſques traxit ex ſua opinione ſingulari de viſione beatifica, inualidum eſt, cùm opinionem illam eius reiiciamus. Denique principium illud (quod ipſe ſubtiliter explicat, & nos admittimus) non debere quicquam addi ex parte cauſæ, quando in ea principium eſt ſufficiens ad omnes rationes, quæ ſunt in effectu, huic Authori non prodeſt. Nam in effectu, de quo tractamus, nempe in actu ſcientiæ Chriſto infuſæ (quemadmodum & in actu noſtræ fidei, in viſione beatifica, &c.) reperitur non ſolùm ratio cognitionis ſimpliciter (ad quam fatemur ſufficere facultatem naturalem intellectus) ſed etiam ratio ſupernaturalitatis, ad quam intellectus per ſe non valet, niſi confortetur ab habitu ſupernaturali, qui ſe teneat ex parte ipſius, non autem ex parte obiecti, eo modo quo ſpecies.

4. Oſtenſum eſt hactenus requiri ſimul cum ſpecie impreſſa habitum in ſcientiæ per ſe infuſæ actibus quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus. Nunc videndum reſtat, num debeat idem aſſeri de actibus quoad ſubſtantiam naturalibus, & pertinentibus ad ſcientiam infuſam tantùm per accidens. In his enim non apparet tam clarè neceſſitas habitum à ſpecie impreſſa diſtinguendi, vt in intellectionibus quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus. Imò Delugo *diſput.* 20. *num.* 53. putat non videri neceſſarium reſpectu actus naturalis habitum diuerſum à ſpeciebus; præſertim in Angelis, & anima ſeparata, quos Chriſtus in vſu ſcientiæ per accidens infuſæ imitatur. Et ſanè, cùm ad productionem actuum naturalium non abſolutè, quemadmodum ad productionem actuum ſupernaturalium, requiratur habitus, quandoquidem potentia naturalis ad illos producendos completam, ac ſufficientem vim habet, nec ei ad aliud dici poſſit vtilis habitus, quàm vt faciliùs illos eliciat; non videtur ad illam conciliandam facilitatem opus eſſe alia cauſa, quàm ſpecie ipſa infuſa. Certum enim eſt, quò vehementiùs, & quò crebriùs rem aliquam intelligimus, & de ea cogitamus, eò magis intendi, perficique rei illius ſpeciem; quò autem intenſior eſt, perfectiorque ſpecies, eò faciliùs intellectiuam potentiam operari. Quare ad facilitatem acquirendam ſuperuacaneus eſt habitus ab ſpecie diſtinctus. Nihilominus idem omninò dicendum eſt de actibus ſcientiæ naturalibus, quod aſſeruimus ſuprà de ſupernaturalibus quoad ſubſtantiam. Eadem enim ferè de vtiſque circa hoc poteſt afferri ratio. Quandoquidem ſemper verum eſt, ſpeciem ſe tenere ex parte ſolius obiecti; facilitas autem ſe tenet ex parte cauſæ, quæ operatur minore niſu, & delectatione maiore. Atque conſtat, quod ad augendam facilitatem, intereſt cauſam ipſam ex parte ſua iuuari per quippiam, quod ſe ipſi adiungat ad operandum, & quod non ſit pro ſolo obiecto, nec ad aliud valeat, quàm ad determinandum. Sicut quando obiectum per ſe ipſum præſens eſt, licèt quo minùs abeſt, ac meliùs exponitur, cernatur ab oculo clariùs, atque diſtinctiùs; non tamen ipſum ideò obiectum dicitur eſſe inſtar habitus, nec aliter iuuare potentiam intuitiuam, quàm meliùs eam determinando. Ita cùm ſpecies intenſior, atque perfectior illud quaſi propiùs admouet, atque meliùs ſiſtit, non debet cenſeri iuuare intellectum per modum habitus, nec alio modo,

Digitized by Google

quàm obiectum ipſum, ſi præſens, ac intimum eſſet, iuuaret.

5. Dubium eſt ſecundò, vtrum ſcientiæ Chriſto infuſæ vnicus ſit habitus ſimplex. Ad hoc dubium Suares *diſp.29.ſect. 3.* reſpondet affirmatiuè, propterea quod, cùm hic habitus debeat eſſe ſupernaturalis, non ſpecificatur ab obiectis particularibus: & præterea non magis repugnat dari ad omnia obiecta vnũ habitum, quàm vnum intellectum. Quomodo videmus habitum diuinæ fidei vnum eſſe ſimplicem, qui ad omnia reuelata, & credibilia tam latè pertineat, quàm intellectus. Contrarium tamen verius videtur. Quicquid enim ſit de habitus tam vniuerſalis poſſibilitate, non apparet ſufficiens ratio illius exiſtentiam aſſerendi. Quin potiùs videmus non vnum ſimplicem, ſed plures habitus cùm in intellectu, tum in voluntate Deum infudiſſe. Nam in intellectu habitus ſupernaturalis prudentiæ non idem omninò eſt cum habitu fidei; ſed nec habitus ſublimiſſimæ ſapientiæ, & ſcientiæ infuſæ, qualis multa fuit in Sancto Paulo, &c. In voluntate verò non vnus eſt ſpei, charitatiſque habitus, cùm has certum ſit virtutes poſſe ſeparari in Chriſtiano, qui per peccatum lethale charitatem, ſalua ſpe, amittit. Et virtutum moralium ſupernaturalium non magis vnus ſimplex datur habitus, quàm earumdem naturalium. Hinc patet quàm reiiciendum ſit quod aliqui affirmarunt (& de quo Suares dubitat *ſuprà*) habitum ſcientiæ infuſæ vnum & eundem eſſe in Chriſto cum habitu luminis gloriæ. Neque iuuat quod habitus ſupernaturales non ſpecificentur ab obiectis particularibus, quodque fidei non multiplex, ſed vnus ſimplex ſit habitus. Nam licèt tales habitus non ſpecificentur à particularibus obiectis materialibus; ſpecificantur tamen ab obiecto formali, quo multiplicato, multiplicantur, vt conſtat in ſpe, charitate, &c. Quando autem obiectum formale vniuerſalitatem aliquam habet, eandem participat habitus. Vnde mirum non eſt, ſi fides vnus ſit habitus tam latè patens. Eodemque modo conceſſerim habitus in ſcientia Chriſti aliquos reperiri, ad multa ſub vno formali obiecto ſe extendentes.

6. Dubium eſt tertiò, an eodem modo, quo dictum eſt de habitibus, multiplicentur ſpecies in Chriſti ſcientia quoad ſubſtantiam ſupernaturali. Reſpondeo affirmatiuè, quamvis Marſilius *in 3. q. 10.* cenſeat non niſi vnam ſpeciem conceſſam fuiſſe Chriſto vniuerſiſſimam, & ſufficientem ad omnia cognoſcenda, quæ cadunt ſub eius ſcientiam infuſam. Quoniam, cùm tam perfecta ſpecies non repugnet, videtur non debuiſſe Chriſto denegari. Sed hæc ſententia eſt ſingularis, & minùs ea in re cenſetur eſſe probabilis, eamque contra cæterorum Doctorum mentem nulla Sanctorum Patrum authoritas firmat. Quare cum Sancto Thoma, Scoto, Ricardo, Suare, &c. dicendum videtur, plures fuiſſe Chriſto ſpecies infuſas, quas tamen alij minùs, alij magis vniuerſales eſſe volunt. Scotus quidem ita contrahit, ſingulis vt obiectorum indiuiduis ſingulas dicat reſpondere ſpecies intelligibiles. Diuus Thom. *q.11.art.6.in corp.* illas paulò facit ampliores, aitque Chriſtum modo connaturali mentibus humanis diuerſas naturas ſpecificas per diuerſas ſpecies intelligibiles cognouiſſe. Quare quod poſteà ſubdit *ad 3.* in anima Chriſti eſſe proprias ſpecies ſingularum rerum, id Thomiſtæ de ſolis naturis ſpecificis intelligunt, non autem de illarum indiuiduis. Sed probabiliùs idem Sanctus Thom. *in 3. diſt.4. art. 3.* Suares, &c. putant eas eſſe valde vniuerſales, nec ad ſingulas naturas ſpecificas limitari. Adduntque Suares, quod ego verum puto, ſpecies Chriſto per ſe infuſas longè maiorem habere vniuerſalitatem, quàm ſpecies Angelicas. Ratio eſt clara. Nam quamvis, vt ait Sanctus Thom. *in illo art.6.* connaturale ſit naturæ humanæ vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate, quàm Angeli, & in perfectionibus naturæ Chriſtus ſuperetur ab Angelis; Tamen in ſcientia (de qua nos in præſenti loquimur) ſupernaturali quoad ſubſtantiam, non conſideramus Chriſtum ſecundùm perfectionem naturalem, ſed ſecundùm ſupernaturalem conditionem, & ſecundùm perfectiones gratiæ, quas nemo negare poteſt altiori modo fuiſſe datas ipſi, quàm Angelis. Et ſanè quis neget eſſe conſentaneum, vt Chriſtus poſſit vno actu comprehendere incomparabiliter plura, quàm Angeli? Cùm enim non habeat ſpecies numero infinitas, & certum ſit illum ſcire, ſaltem in actu primo, omnes hominum, Angelorumque actus in æternitate futuros infinitos, neceſſarium eſt ipſum aliquas habere ſpecies quæ ad infinita obiecta extendantur, quales nullas habent Angeli.

7. Cùm ea quæ hactenus dicta ſunt, intelligantur de ſpeciebus circa obiecta ſupernaturalia, petes quid ſentiendum ſit de ſpeciebus illis, quæ verſantur circa naturalia. Suares quidem ad hoc reſpondet, ſpecies circa obiecta etiam naturalia ſupernaturales eſſe quoad ſubſtantiam, atque adeò vniuerſaliſſimas. Negat Vaſqueſius, quia quemadmodum obiecta non ſupernaturalizantur; ſic neque ſpecies eorum vicariæ. Meliùs videtur, ſi aſſeramus iuxta dicta aliàs à nobis, primò quidem Chriſtum habere ſpecies in ſubſtantia ſupernaturales circa ea obiecta naturalia, quæ ſint nobis naturaliter incognita, qualia ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, necnon etiam materiales, naturaliumque eſſentiæ, ac formæ rerum, eaque omnia, quorum ſpecies connaturales ſunt Angelis, & conceduntur animabus ſeparatis. Secundò habere ipſum circa illa eadem obiecta ſpecies alias naturales, & ſimiles Angelis, ſed vniuerſaliores. Præterea certum eſt eas ſpecies in Chriſto eſſe quoad ſubſtantiam naturales, quæ repræſentant obiecta quocumque modo nobis naturaliter in hac vita cognoſcibilia, & obuia: has autem potuiſſe quidem ipſi Chriſto infundi in conceptionis inſtanti vniuerſaliores, quàm noſtræ ſint, ſed potuiſſe item ſimiles noſtris, nec ea de re ſtatui à nobis quicquam certi poteſt. Tantùm puto, ſi vniuerſaliores infuſæ ſunt, Chriſtum poſteà per ſcientiam experimentalem, quando in particularia, & ſingularia incurrebat obiecta, ſpecies acquiſiuiſſe nouas particulares, neque vllo modo vniuerſales ſuas intendiſſe: ſi autem initio particulares ei fuerunt infuſæ, non acquiſiuiſſe poſteà circa occurrentia obiecta nouas per ſcientiam experimentalem, ſed veteres intendiſſe, & perfeciſſe.

8. Quandoquidem hic de ſpeciebus ſupernaturalibus, & naturalibus Chriſto conceſſis agimus; quærendum occurrit, num habuerit quaſdam ſpecies merè naturales quoad ſubſtantiam, quibus poſſet cognoſcere obiecta quoad ſubſtantiam ſupernaturalia; gratiam v.c. & actus quos elicimus fidei, charitatis, &c. Videntur enim tales ſpecies eſſe poſſibiles. Nam fidelis qui elicit actum fidei, & diuinæ charitatis, poſteà quando labitur in hæreſim, habet talium actuum à ſe elicitorum ſpeciem impreſſam, cùm eorum meminerit. Quod patet etiam in dæmone, qui iam bene meminit quales actus

Digitized by Google

actus habuerit in inſtanti ſuæ creationis, cùm ſupernaturaliter Deum & amabat, & laudabat. Confirmatur. Nam ſi calor, licèt ens naturale, dum eſt intimus organo, concurrit ad ſenſationem animæ noſtræ ſpiritualem; cur ſpecies eius naturalis non poſſet idem? Et ſimiliter ſpecies naturalis cuiuſdam obiecti ſupernaturalis, cur nequeat concurrere ad illius intellectionem ſupernaturalem? Ad hanc quæſtionem dicendum videtur, ſpecies merè naturales non poſſe obiecta repræſentare quoad ſubſtantiam ſupernaturalia; quemadmodum ſpecies ſenſus externi non valent concurrere ad actus ſenſuum internorum, neque cognitiones naturales ad amorem ſupernaturalem. Quare hæreticus, & dæmon, qui meminerunt ſe alias credidiſſe, & amaſſe Deum, non habent ſpeciem ſuorum actuum prout ſupernaturalium, ſed prout erant actus vitales, & cadentes ſub experientiam. Ad id quod addebatur de calore concurrente ad ſui ſenſationem, dicendum eſt, omnia ſenſibilia obiecta poſſe vel per ſe, ſi intimè præſentia ſint, vel per ſpeciem, ſi remota, determinare animam noſtram, quatenus eſt forma ſenſitiui, & ita concurrere ad ſenſationem entitatiuè ſpiritualem. At non itidem obiecta ſupernaturalia poſſunt vim naturalem intellectus determinare, nec per ſe, quantumvis præſentia ſint, nec per conſequens per ſui ſpeciem. Multò autem minùs ſpecies eorum naturalis determinare poteſt ad intellectionem ſupernaturalem.

9. Contra id quod ſuprà dictum *num.6.* eſt, reiiciendam eſſe opinionem Marſilij, obiici poteſt, eandem ferè in noſtra ſententia manere difficultatem. Quamvis enim non ponamus, ſicut ille, vnicam in Chriſto ſpeciem ad omnia penitus cognoſcenda, vitare tamen non poſſumus, quin admittamus, in ipſo dari ſpeciem vnam, aut etiam plures, quæ ad infinita repræſentanda obiecta valeant. Probatur. Nam cùm iam anteà diximus Chriſtum habere ſcientiam eorum, quæ per totam æternitatem futura ſunt, oportet neceſſariò illum aut recepiſſe tot ſpecies, quot ſunt obiecta, hoc eſt, numero infinitas (quod nequit, cùm is habeat potentiam receptiuam finitam) aut ſi ſpecies non ſint infinitæ obiectorum infinitorum, neceſſarium eſt vt illarum ſpecierum finitarum ſiue plures, ſiue ſaltem vna valeat ad repræſentanda obiecta infinita. Explicatur magis. Nullus eſt ſiue Angelorum, ſiue hominum beatorum, qui ſecundùm ſe, & ſeorſim ab aliis, non ſit infinitos eliciturus per omnem æternitatem quà intellectus, quà voluntatis actus. Atque ita neceſſe eſt, vt Chriſtus pro Petro v. c. ſpeciem habeat, infinitas eius actiones repræſentantem; pro Paulo item, & Ioanne, &c. quorum ſcilicet actiones non decet à Chriſto ignorari, vtpotè pendentes ab eius meritis, & ad ipſius dominium ſpectantes. Ergo vt eas omnes actiones cognoſcat, non poteſt ſufficere ſpecierum numerus finitus, ſi nulla inter illas vim habeat infinita repræſentandi obiecta. Imò conſiderandum eſt, quòd Chriſtus intuens ſua ipſius merita, cognoſcit in ſuis illis meritis infinitos homines, & Angelos, qui per illa ſaluari poſſent; atque in eorum infinitorum hominum, & Angelorum vnoquoque videt infinitos actus, qui forent in æternitate. Reſpondeo hanc obiectionem videri difficilem, nec parum validam pro ſententia Marſilij. Verumtamen cùm & Diuus Thom. & omnes ferè Theologi agnoſcant multiplices in Chriſto ſpecies, dici neceſſariò debet inter illas ſpecies numero finitas diſtributa eſſe omnia obiecta futura, ita vt variis conſtitutis horum obiectorum cumulis infinitatem aliquam peculiarem continentibus, ſuus ad vnamquamque ſpeciem cumulus pertineat. Nec ſequitur ex eo quod concedamus dari ſpeciem, quæ minorem quandam, & particularem obiectorum infinitatem reſpiciat, debere eadem facilitate ſpeciem (qualem Marſilius voluit) concedi, quæ, cùm ſit tantùm vna, reſpiciat vniuerſalem, & totalem, vt ita loquar, obiectorum omnium infinitatem.

CAPVT X.

De ſcientia Chriſti acquiſita, ſeu experimentali.

1. ACQVISITAM ſcientiam hîc ſumimus, quatenùs contradiſtinguitur ab omni indita, ſeu infuſa, etiam per accidens, quatenus eam de facto Chriſtus per ſe ipſum quotidiano vſu, & ſucceſſiuo obiectorum occurſu acquiſiuit; ita vt ne quidem quoad modum ſit ſupernaturalis; eandemque intelligimus nomine ſcientiæ experimentalis, quæ iam ſupereſt explicanda: ſuperiùs enim explicuimus omnem Chriſti ſcientiam ſiue in ſubſtantia, ſiue in ſolo modo ſupernaturalem, & ſiue per ſe, ſiue per accidens infuſam. Vbi illos reiecimus, qui opinati ſunt Chriſtum in primo ſuæ creationis inſtanti nullam immediatè à Deo ſcientiam accepiſſe infuſam, quæ quoad ſubſtantiam naturalis eſſet. Qui quidem authores expeditè aſſignare poſſunt, quæ fuerit in Chriſto ſcientia experimentalis, facileque dicent eſſe cognitionem eam omnem inferiorem obiectorum naturalium, quam ipſe Chriſtus, cùm naturalem nullam habuerit in primo inſtanti inditam, debuit poſteà in vitæ decurſu variis experientiis, ſucceſſiuiſque incrementis acquirere. At verò nos, qui obiectorum omnium naturalium ſcientiam, quam cæteri homines longo vſu comparant, voluimus Chriſtum iam inde ab initio accepiſſe; per experimentalem ſcientiam in ipſo intelligere debemus aliquod aliud notitiæ genus, in cuius explicandis obiectis, habitibus, ſpeciebus, &c. non erit opus longa diſputatione.

2. Primò igitur experimentalis notitia poteſt vocari ſenſuum operatio actualis (hæc enim eſt quam experimur, & maximè ſentimus) cui ſe adiungit aliquo modo etiam intellectus, quatenus vnà cum ſenſibus cognitionem intuitiuam, & ſuper ipſos operantes ſenſus velut reflexam exercet. Atque ſic ſumptam experimentalem ſcientiam non eſt dubium, quin Chriſtus ſucceſſiuè habuerit in hac vita. Senſu enim & viſûs, & auditûs, & tactûs didicit hominum ineptias, Iudæorum contumelias, & atrocitatem, didicit ſuppliciorum dolores, cruciatuum acerbitatem. Quò pertinet illud Cyrilli *in libro poſteriori de recta fide ad Reginas*: *Vbi Verbum Dei noſtram indutum eſt carnem, tentatum eſt per omnia: nihilominus non dicimus quod ignorauerit, ſed quod præexiſtente diuina cognitione, etiam per ipſam experientiam voluerit diſcere.* Eodem etiam ſpectat quoad ait Bernardus *in libro de gradibus humilitatis*, Chriſtum diem iudicij ignoraſſe, *ignorantiâ illa, quæ opponitur ſcientiæ per ſenſûs experientiam accepta.* Aduerte, quamvis nullus ſenſus operaretur, potuiſſe Chriſtum in ſeipſo ſentire, & experiri ipſos ſuos actus internos, cùm intellectus, tum voluntatis. Et ita reflexiua illa, intuitiuaque talium actuum cognitio, per quam illorum velut ſentiebat exiſtentiam, vocari poteſt experientia quædam, ſeu experimentalis cognitio.

Digitized by Google

3. Secundò intelligere poſſumus nomine experimentalis notitiæ habitum aliquem, ſeu ſpeciem, quæ in intellectu generetur, & relinquatur per prædictos illos actus ſenſuum, ſeu intellectus, & voluntatis, quos in nobis ſentimus, & experimur; vi cuius habitus, ſeu ſpeciei non cognoſcatur ſimpliciter obiectum aliquod, ſed cognoſcatur vt aliàs cognitum, aut volitum; ſeu quod idem eſt, cognoſcatur per modum memoriæ ea præterita cognitio, ſeu volitio, quam circa illud habuimus. Quod eſt dicere, hanc habitualem experientiam eſſe repetitam memoriam earum rerum, quæ per ſenſum perceptæ ſunt, & provt perceptæ ſunt. Vnde ad hanc experientiam non eſt ſatis habere ſpecies obiectorum, quæ ſub experientiam cadere poſſunt, ſed oportet, vt ſpecies repræſentent illa obiecta, quatenus aliàs ſub ſenſum ceciderunt, ſiue vt repræſentent ipſa fuiſſe percepta ſenſu aliquo, aut intellectu.

4. His poſitis aſſerendum eſt, Chriſtum comparaſſe ſibi per actuales notitias, habitus quoſdam, ſeu ſpecies, & imagines ipſarum notitiarum, ſiue, quod idem eſt, obiectorum, vt prædictis actualibus notitiis ſubiacentium. Atque hi habitus ſunt ea ſcientia, in qua intelligi debet Chriſtus profeciſſe, iuxta illos Patres, qui ſic explicant ipſum apud Deum, & homines ſapientia creuiſſe, vt illud incrementum non eſſet tantùm externum, & apparens. Notandumque eſt, quòd per experimentalem ſcientiam non poterat acquirere ſpeciem ſuæ de aliqua re cognitionis, quin ſimul per adiunctionem illius acquiſitæ ſpeciei perficeret aliquo modo, ſaltem extrinſecè, ſpeciem quam habebat anteà de tali re; ipſam nimirum ſibi rem velut inculcando magis ac magis.

5. Obiicies, nequiuiſſe Chriſtum vllo modo proficere per ſcientiam experimentalem, ſi illam ipſam experimentalem, qualem deſcripſimus, habuit ab initio ſuæ creationis. Quod autem habuerit, redditur credibile ex eo, quòd Deus illam infundere ipſi potuerit. Non enim huius ſcientiæ ſpecies, aut habitus ita pendent in ſuo produci à ſenſibus, & eorum actibus, ſeu à cognitionibus, vt non potuerint à Deo ſolo fieri. Quæ enim erit contradictio, ſi dicamus Deum efficacitate ſua ſuppleuiſſe dependentiam, quam productio iſtarum experimentalium ſpecierum naturaliter habet à phantaſmatis, & ab actibus ſenſuum, aliarumve potentiarum? Hoc autem poſito, conſentaneum eſt dignitati, ac perſonæ Chriſti, vt ita factum fuiſſe non negemus. Reſpondeo. Si nihil aliud attendatur, quàm Dei omnipotentia, non apparet quidem repugnantia, quominus experimentales hæ ſpecies produci ab initio potuerint.

6. Verumtamen non decuit ſic fieri. Nam huiuſmodi ſpecies pertinent ad memoriam rei præteritæ, ſeu iam cognitæ vt ſic: quare vt verè repræſentent, non poſſunt eſſe infuſæ, ſed debent eſſe relictæ ex præcedenti cognitione. Si enim eſſent infuſæ, & productæ ſine præcedenti cognitione ducerent in falſam cognitionem, repræſentando, aliquid vt perceptum per ſenſum, aliamve potentiam, quod nunquam reuerà perceptum fuiſſet. Et quamvis dici hîc poſſet, non implicare, quominus eas Deus imprimat, abſque eo, quod connotent rem vt cognitam in tempore prætèrito determinatè quà tali; poſſunt enim imprimi vt repræſentantes rem quatenus cognitam in tempore vage ſumpto, atque generico, quod olim habebat rationem futuri, poſteà fit præſens, ac tandem præteritum, & quantum eſt de ſe, abſtrahit ab illis differentiis. Nihilominus quandoquidem Chriſtus per ſpecies tum ſupernaturales, tum naturales (vt aliàs dictum eſt) cognoſcere debuit entitates ipſas rerum omnium futurarum, & ſuos ipſius futuros actus, non fuit conueniens, vt Deus ipſi tempus indeterminatè tantùm, & abſtractè reuelaret, in quo rem quampiam experturus, ac per ſenſus cogniturus eſſet. Ad quid enim vtilis eſſe poterat huiuſmodi reuelatio? Adde quod ſcientia experimentalis cùm ſit per modum memoriæ, non poteſt abſtrahere à tempore vt præterito.

7. Circa experimentalem Chriſti ſcientiam ait Suares *diſp. 30. ſect. 2. ſub finem*, potuiſſe illum per hoc ſcientiæ genus acquirere ſpecies non tantum ſuorum actuum vitalium, ſed etiam ipſorum obiectorum ſingulorum. Quamvis enim ab initio Chriſtus infuſas habuerit ſpecies naturarum omnium productarum; non tamen fuit neceſſarium, inquit, vt infuſam acceperit habitualem notitiam omnium indiuiduorum, quia hoc nec ad perfectionem ſcientiæ, nec ad naturalem prudentiam requiritur. Potuit ergo acquirere ſpecies aliquorum ſingularium, & ita eorum experimentum capere. Hæc Suares. Qui non placet. Nam quamvis omnium poſſibilium indiuiduorum, vt putà infinitorum noticiam actu [illegible] habere Chriſtus nequiuerit per ſpecies ſibi initio infuſas, certum eſt tamen habuiſſe multorum, & vt puto, omnium cuiuſcumque ſpeciei productorum, & producendorum, vt certum eſt in indiuiduis hominum. Nam haud dubiè nos nouit omnes, & de ſingulis moriens cogitauit per ſpecies, quas ab initio infuſas habuit.

8. Prætereà verum non cenſeo quod ibi Suares ſupponit, poſſe naturaliter indiuiduarum differentiarum cognitionem, & ſpeciem à nobis acquiri. Eius enim tantùm formamus ſpeciem ad memoriam, quod ſentimus, & cuius experientiam habemus. Atqui non ſentimus differentias indiuiduales, vt conſtat in albedine niuis v. c. Si enim Deus niuem, aut albedinem A, dum ipſam intuemur, in inſtanti deſtruat, & in eodem inſtanti ſubſtituat albedinem B, ego, quamvis attendam, non id aduertam; ſed omnimoda albedinum ſibi ſuccedentium ſimilitudine deceptus oculus meus iudicabit eandem eſſe, vnamque albedinem; nec intellectus variationem ſuſpicabitur. Quod manifeſtum eſt ſignum, nos non habere experientiam ipſarum indiuidualitatum. Ergo præſcindit ab illis oculus, albedinemque videt in abſtracto.

9. Addam ſupradictis, non videri fortè inutilem hunc nouum inſuper modum ſcientiam Chriſti experimentalem explicandi, cùm enim cognitiones, & rerum ſpecies, quas habemus in hac vita, confuſæ ſint, obſcuræ, & alienæ; probabile eſt ex Leſſio, eas tales non reperiri in animabus hominum beatis, ſed in his alias perfectas, Angeliciſque ſimiles earum loco ſubſtitui. Hoc poſito videtur dici poſſe, quod Chriſto, in primo ſuæ conceptionis inſtanti, in quo Beatus, & comprehenſor fuit, non aliæ ſunt illi ſpecies infuſæ, quàm perfectæ, ac velut Angelicæ, & quales habent animæ in cœlo beatæ. Non videtur autem inſuper negandum, quin poſteà in decurſu vitæ, quando paſſim res illi coram occurrebant, illas res ipſe modo non tantùm angelico, ſed etiam humano noſtro, & ſicut alij ſolent viatores, cognoſceret, atque ex illis cognitionibus relinquerentur illi reſiduæ ſpecies, & habitus noſtris imperfectis ſimiles. Atque ita fortè non erit abſonum, eam dici ſcientiam illius experimentalem, & in dies ab ipſo acquiſitam. Fateor hunc modum explicandi

candi ſcientiam experimentalem, eſſe nouum, & contrarium illi, qui ſuprà explicatus eſt *num.* 4. Lectoris erit iudicium, vt ſequatur vtrum maluerit.

CAPVT XI.

Quàm craſſis ex ignorantiæ tenebris, & ex quanta, quámque inueterata morum corruptione mundum Chriſtus eripuerit cæleſtis ſcientiæ ſuæ luce. Moralis conſideratio.

1. CONVENIEBAT ſanè vt ab illo, qui per generationem æternam didicit quicquid Pater intelligentiâ comprehenſum habet, mundus, quem primus homo inſana ciendi cupiditate perdiderat, reſtitueretur, humanique generis craſſa circumfuſi ignorantiæ caligine, damna ſarcirentur. Nullum in hoc vniuerſo ſpectaculum poterat eſſe luctuoſius, quàm eos mortales qui fuerant à Deo conditi, vt ſapientiam colerent, ſic eſſe à mente deſertos, vt extra fines ratione præditæ naturæ digreſſi, in beſtiarum ordinem redacti cernerentur. Diuinum certè numen, quomodo hominis corpus in terreſtri Paradiſo, ſic eiuſdem animum in ſapientiæ, virtutiſque domicilio, velut in natali ſolo, cœleſtique Paradiſo collocarat. Sapiens enim ciuitatem, & domum propriam non aliam ſortitus eſt (inquit Philo *in 2. alleg. leg. ſacr.*) niſi ſapientiam. Ὁ Σπουδαῖος, καὶ πόλιν ἔχει, καὶ οἶκον Σοφίαν κεκλήρωκε. Nec peiore Adamus fuit multatus exilio, cùm ex aſpectabili Paradiſo eiectus, beatum illud ſolum coactus eſt vertere, & triſti cum belluis ſocietate coniungi, quàm cùm ſe à ſapientia, lucidoque rerum diuinarum aſpectu remouit, extorris patriâ, & Angelorum, Deique congreſſu ἄπολις, καὶ ἄοικος, καὶ φυγὰς ἀρετῆς, vt eſt apud eundem Philonem.

2. Quod ſi fabularibus temporibus de humano genere illi cenſentur optimè meriti, qui homines efferatos dicuntur primùm è ſolitudinibus ad ciuilem cultum perduxiſſe; quanti faciendum putabimus illud beneficium, cùm Deus in mundum inſipientiâ, & vitiis efferatum legauit ſedium ſuarum aſſeſtricem ſapientiam, & ſuam (vt loquitur Diuus Maximus Martyr) γνῶσιν ἀΐδιον, hoc eſt, notitiam, ac ſcientiam æternam ſubſtantiauit in hominem, vt vniuerſum genus humanum è tenebris & vmbra mortis eriperet. Eius quidem beneficij momentum, ac pondus ille intelliget, qui quanta rerum diuinarum inſcientiâ orbis terrarum, gentiumque omnium per ſingulas ætates à primis vſque conditi mundi temporibus laboraret, attenderit.

Quanta rerum diuinarum ignorantia, & contemptio fuerit ante diluuium.

3. AC primò quod ad eam ætatem attinet, quæ Noëmicam eluuionem anteceſſit, & Βαρβαρισμὸς ab Epiphanio vocatur, à Rabbinorum autem ſchola תהו, ſiue inanitas, quia ſine lege: quamuis dubiũ eſſe nõ poſſit, quin poſt ſuum reſipiſcens lapſum Adamus vniuerſos à ſe oriundos ad omne officij munus publicè, priuatimque inſtrueret; præſertim verò doceret, quibus cæremoniis, & quàm caſta religione Deus, iuſta in hominum gentem iracundiâ incitatus, placari voluerit, venturum olim Verbum diuinum humana carne veſtitum, vt per quod omnia facta ſunt, per illud idem reficerentur: quare ſuſtentari oportere omnes rerum expectatione meliorum; ea tamen ſalutaria monita, omnemque Dei cultum Caïnus, & ſpurca propugnatorum eius vitulamina deſpicatui habuerunt. Caïnitas omnes, patris fratricidæ ſequutos exemplum, teſtatur Ioſephus, *ſuperſtite etiamnum Adamo, ſceleratiſſimos euaſiſſe, dum poſterior fit deterior; nec à bellis, nec à cæde inter obſcœniſſima flagitia temperat.* Sethus quidem, illorum longe diſſimilis, ita ſe docilem ad ea præbuit, vt in eius progenie rerum ſcientia cœleſtium à primo parente tradita viguerit, ac per nouem aureæ illius (quæ filiorum Dei dicta eſt) proſapiæ gradus ad Noëmum vſque deſcenderit. Ab illiuſque fonte diſciplinæ manarunt quæ de rebus diuinis Henochus Adami trinepos, monumenta poſteritati tradidit, ſanctuſque Iudas Apoſtolus digna, quæ à ſe citarentur, iudicauit. Nihilominus magnam Sethus ipſe in ſuorum plurimis poſterorum peruerſitatem, rerumque diuinarum ignorantiam vidit exiſtere. Quando ſcilicet ij, contra quàm fas erat, cum impio Caïnitarum genere affinitate ſe deuinxerunt, & ductis inde vxoribus, in eius non magis familias tranſiere, quàm mores. Faces igitur illæ nuptiales tam fœdo cupiditatis igne ſuccenſæ domos ſcelere inflammarunt. Mariti enim deliniti vxorum blanditiis, in ſocerorum facilè veſtigia incurrerunt. Quare vt ex miſcello ſemine, & implicatis Caïni, Sethique affinitatibus Gigantea, monſtroſaque proles ſuſcepta eſt, ſic ex improborum conſuetudine facinora portentoſa conſcita ſunt. *Filij Sethi*, ait Theodoretus, *videntes filias cognationis Cain ſpecioſas, & illecti muſicis inſtrumentis ab eis excogitatis, permixti ſunt illis, & contaminauerunt ſuam nobilitatem.*

4. Vt enim Caïni trinepos Tubalcain fabricam inſtituit, in qua cuderentur ea quibus homines ad crudelitatem armarentur; ita frater illius Iubal muſicos iubilandi modos, qui mentem emollirent, introduxit. Hic primus fidicularia, hic hydraulica organa, hic tibiarum excogitauit tormenta. Vocis autem modulationem docuit illorum ſoror Noëma, quæ ex criſpantis, modulatæque vocis, ſiue non ex vultus ſuauitate nomen traxit. Fuit eadem omnis quà lanificij, quà textrinæ, quà ſutrinæ inuentrix, & vt Rabbini volunt, ſuarum, aliarumque cum Dei filiis nuptiarum pronubam egit. Atque ita dum excogitandis, colendiſque prophanis artibus homines mirificè addicti fuerunt, præceps fuit mundi deſcenſus (vnde Iaredo ſub hoc tempus nomen, à ירד, deſcendit) à cœleſtibus ad terreſtria: cùm præſertim in Giganteorum corporum mole caro id haberet pondus, quod non libraret tantùm, ſed abriperet mentem, & curuam in terras animam ad omnis nequitiæ ſtudia, & nominatim ad magicas artes, quibus nihil tunc vſitatius. Adeò vt in ipſa familia Noëmi dicatur Chamus magicam coluiſſe, atque in Ægypto ante diluuium fuiſſe, illoſque Gigantes, qui in ea tunc imperitabant, cognouiſſe, & ab iis deteſtabilem cum dæmonibus agendi ritum accepiſſe.

Quanta poſt diluuium fuerit rerum diuinarum inſcitia, & impietas.

5. SEd nec ſequentibus poſt orbis eluuionem temporibus res meliori loco fuerunt. Vidit enim Noëmus trecentis & quinquaginta annis, quibus illi eluuioni ſuperfuit, tam latè diffuſas erroris tenebras, vt in vna ſola Herberis familia permanſerit religionis

ligionis ſcintilla. Quæ tamen nec latè, nec diu fulſit, ſed breui fuiſſe reſtinctam diuino compertum eſt teſtimonio. Refert enim Scriptura Tharem atnepotem Heberis, eundemque Abrahami Patrem, à verâ Dei cognitione deſciuiſſe. Ita namque Ioſuë ad populum. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël : Trans fluuium habitauerunt Patres veſtri ab initio ; Thare pater Abraham, & Nachor, ſeruieruntque idolis.* Ex quo loco non pauci Abrahamum etiam ipſum tanti ſceleris affinem faciunt, & eiuſdem impietatis ſocietate coniungunt. Affirmatque Philo ipſum diu Chaldæorum deliro de ſanctorum diuinitate innutritum eſſe. Cumque Chaldæi diuinitatem igni tribuerent, iuſta ſuſpicio eſt quadam illum inde fuiſſe aſperſum fuligine, atque velut ambuſtum ab illo Chaldæorum igne aufugiſſe. Nam Vr Chaldæorum, vnde Abrahamus ſe proripuit, Iudæos ex veteri traditione ignem (qui אור Hebraicè dicitur) interpretari ait Hieronymus. Eidem Thare Sanctus Epiphanius *initio Panarij*, primum idolorum ex argillâ, figlinoque opere conficiendorum artificium aſſignat. Quamquam tanti criminis initium iam inde ab illius auo Sarugo Suidas repetit.

6. Quòd ſi in Heberis Patriarchæ ſanctiſſimi gente, ipſaque Abrahami domo tanta nox, verique Dei ignoratio locum habuit, quid in aliis cùm Semi, tum Iapheti, ac præcipuè Chami familiis nos exiſtimare conuenit? In iis ſanè omnibus nihil extitit magiâ, nihil idololatriâ celebrius. Et quidem quod ſpectat ad magiam, de omnium terrarum orbe poſt Zoroaſtris initia id ferè affirmare poſſumus, quod de Græcia Plinius pronunciauit; cunctos eius populos ad rabiem, non ad auiditatem modò magicæ artis actos fuiſſe. Quod attinet ad idololatriam, nihil eſt quod maiorem mouere admirationem debeat, quàm mortales omnes, effoſſo rationis oculo, diuinitatis opinionem, atque religionem in ſtipites, lapideſque tranſtuliſſe: vniuerſas vbique nationes, velut compactò, id genus impietatis per triginta ſæcula continuaſſe, veri Dei cognitione per obſtinatiſſimam inſipientiam reiecta, crocodilis, muribus, & ſtipitibus in numina conſecratis inſanæ paſſim ædium moles dedicabantur. Stabant ad memoriam æternitatis baſilicæ auri, gemmarumque fulgore collucentes; poſteris non tantùm monumenta, ſed etiam documenta, illecebræque impietatis auitæ.

7. Ad ſtabiliendum quotidie magis magiſque idololatriæ dominatum faciebat is, quo ſemper ea ſtipatur, vitiorum comitatus. Si enim vnde quid exortum eſt, & conſtat, indidem conſeruatur, ac nutritur; certum eſt, ſicut ex aquæ deſidentis ſitu, cloacæve fœtore animalia videmus naſci fœdiſſima, ſic idololatriam ex omnium vitiorum colluuie extitiſſe; atque eadem, quæ illam genuere vitia, ex ipſa deinde naſci. *Infandorum idolorum cultura* (inquit Sapiens) *omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis.* Quare cùm ſtipata eſſet omnibus vitiis, & flagitiorum ſibi cognatorum ſepta præſidiis; non, vt res cæteræ, decurſu temporis conſeneſcebat veri Dei ignoratio, atque fictorum numinum cultus, quò antiquior, eò fiebat in dies vegetior.

8. Quandoquidem vitiorum, quæ idololatriæ indiuiſim adhærent, mentionem fecimus, res ipſa petit, vt conſideremus quanta vitiorum immanitas, morumque corruptio in mundo, cui dæmones imperabant, fuerit, antequam Chriſtus ſcientiæ cœleſtis lucem aduexiſſet. Quod vt faciliùs intelligatur, iuuabit inſpicere quales illi ipſi extiterint, qui magnum inter antiquos ſapientiæ nomen habuerunt. Ij verò fuerunt imprimis cùm Philoſophi, tum legiſlatores. Vtrique enim illi viuendi normam, quam aliis præſcribebant, tenere præ omnibus debuerunt. Et tamen quod ad Philoſophos quidem ſpectat, certum eſt illos vitæ ſuæ rationem inſtituiſſe adeò inimicam verecundiæ, tot flagitiis præpeditam, vt ſcholis ſuis infamiam ſempiternam inculerint. Suis illos coloribus depingit Apoſtolus *cap. 1. ad Rom.* vbi habet inter alia, eos ob fœdiſſimam ſuam idololatriam, *fuiſſe à Deo traditos in immunditiam; vt contumeliis afficerent corpora ſua in ſemetipſis, in paſſiones ignominiæ, in reprobum ſenſum; vt facerent ea, quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, auaritiâ, nequitiâ; plenos inuidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate. Quæ qui agunt, digni ſunt morte.* Neque Gentiles ipſi authores tantam flagitiorum vim diſſimularunt. Diogenes Laërtius ex Ariſtippo refert Socratem Alcibiadis amore fuiſſe captum, Ἀλκιβιάδου ἐρασθῆναι, eoque damnatum nomine, quòd nefariè iuuenes corrumperet. Quo illum etiam crimine accuſat Philo *libro 2. de vita contempl.* Platonem verò, qui in ſua Republica vxores omnes promiſcuè, filioſque communes eſſe ſanxit, plures habuiſſe in amoribus maſculos. Teſtatur & Plutarchus *in libro*, quem de educandis liberis ſcripſit, Ariſtotelis, Zenonis, Epicuri obſcœnitates nefandas, alioſque Philoſophiæ laude præſtantes ſtupris ſe contaminaſſe, turpitudineſque pathicas ſuſcepiſſe. Charta erubeſcit ad hæc Galeni verba *lib. 6. de locis affectis: Planè conſtat modeſtos viros ſolitos indulgere libidini. Ita Diogenem Cynicum, virum alioqui mortalium omnium (*inquit*) quod ad libidinem attinet, conſtantiſſimum, narrant libidini tamen nauaſſe operam: cum namque meretrix adire pollicita, cùm diutius ceſſaret, ipſe .... ac venientem dein mulierculam remiſit inquiens, manus hymenæum celebrando præuenit te.* Hæc Galenus de viro quē modeſtum, & continentiſſimum indicat. Prouehere circa hæc vlteriùs ſermonem opus non eſt, nec graueolentem cloacam, opertumque cœnum detegere, explicando id quod vel nominare pudor eſt, & quod ideò Sanctus Epiphanius ἀῤῥητουργίαν nominauit.

9. Neque ab illa morum corruptione remotiores Philoſophis ij fuerunt, qui politica laude celebrati leges Rebuſpublicis dederunt. Si oculos ad Græciam, apud quam ſapientia nata cenſetur, conuertamus, Spartanam inueniemus Rempublicam ſic Lycurgi legibus temperatam, vt inter cæteras præcipuè commendetur. At quid propudioſius, quàm eius illud inſtitutum, vt mixtim pueri, puellæque nudis vtrique corporibus in γυμνοπαιδίαις, & ad Eurotæ ripas propalam luctarentur? In eadem Republica qui furaces manus rei alienæ admouiſſet, ſi minùs vafrè feciſſet, plectebatur; laudabatur, ſi callidè ſatis; vt reliqui peterent ab eo eruditæ furacitatis exemplum. Quo exemplo nullum prod. poterat ad puerorum depravationem pernicioſius. Minos in Cretenſium Republica (quod ad illuſtrandam Chriſtianæ ſapientiæ ex comparatione gloriam plurimùm valet) ab Ariſtotele laudatur, quòd ad nimiam prolis multiplicationem vitandam, introduxerit fœminarum, maſculorumque diſiunctionem, τὴν πρὸς ἄῤῥενας ποιήσας ὁμιλίαν. Athenis Solon, qui menda legum Draconis ſuſtulit, mendoſiſſimas & ipſe ſanciuit. In quibus legibus habetur iſta: *Maſculos in amore, & à venereis deliciis alij, quàm qui liberi, & ſpectabilis aliquo modo ſint, ne habento.* Quaſi nempe id flagitij genus, quod pœna ignis expiandum erat, non tantùm inter honeſta ſtudia reponeretur, ſed haberetur tam nobilis, vt nullus, qui liber non eſſet, mereretur eius eſſe mancipium. Deinique

nique, cæteris omiſſis, Ariſtoteles, qui aliarum ſigillatim Rerumpublicarum instituta reprehendit, nullius legiſlatoris placita redarguit, quæ multò fœdiora eſſent ſuis illis, quibus circa liberorum ſuſceptionem præſcripſit, ne quod mancum, debileque naſcitur, alatur; ἵνα τί μ... μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν. Et vt nimiæ, quàm pro cuiuſque facultate multitudini liberorum occurratur, præcipit vel natos exponi, abiicique, vel abortum fœtui inferri priuſquam ſenſus, & vita inſeratur. Nemo non videt, cùm ij qui vulgò habentur Philoſophorum, Legiſlatorumque lumina, tam caliginoſam Mephitim exhalarint, mundoque tam horrendam noctem offuderint, in quantis mortales cæteros neceſſarium ſit demerſos tenebris fuiſſe.

Tantam ignorantiæ caliginem, & morum corruptionem Chriſtus doctrinâ ſuâ ſuſtulit.

10. VT in prima rerum creatione, cùm horribiles tenebræ incumberent ſuper faciem abyſſi, miſit Deus Spiritum ſuum ſuper illius abyſſi aquas. Sic & in terras horrendis, compactiſque tenebris circumfuſas venire voluit Verbum ſuum, vt Principes tenebrarum harum ſpiculis ſuæ lucis in fugam converteret. Cùm igitur è ſinu Patris verum æternæ Sapientiæ lumen in homine corporaliter habitans apparuit, diſcuſſa eſt vitiorum omnium, ac præſertim impietatis in Deum, diabolicarumque præſtigiarum caligo. Cum magia ſimul depulſa eſt idololatria, iuxta illud Iſaiæ oraculum *cap. 2. Eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus conterentur, & introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria Maieſtatis eius. In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret veſpertiliones. Et ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum à facie formidinis Domini, & à gloria Maieſtatis eius.* Quandoquidem Chriſtus Verbum Patris, lumen de lumine, & ſplendor æternæ gloriæ, theſauros omnes paternæ ſapientiæ ſecundùm diuinitatem poſſidet, & in eo pariter ſecundùm humanitatem reſidet altitudo celſiſſima creatæ omnis ſapientiæ, ac ſcientiæ; non potuit ille mundo aliter in humana carne apparere, quàm velut Sol in lucida radiatus nube.

11. Te itaque Chriſte, exorto, clariſſima dies illuxit, & populi, qui ambulabant omnes in tenebris, viderunt lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Diſſipata eſt commentitiorum deorum turba, vt ſolent nocturnæ aues redeunte Sole. Atque ita videmus impletum quod ipſe enunciarat; *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſin autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa vaſa eius auferet, quibus confidebat.* Nam ſimul atque doctrinæ tuæ fulgor ſe prodidit, conciderunt omnia ſuperſtitionum ludibria. Nec poſt promulgatam ab Apoſtolis Euangelicam legem, mundum videmus effrænata illa, quâ priùs, colendorum dæmonum cupiditate flagrantem. Vbicumque Apoſtolorum aliquis pedem poſuiſſet, ſilebant illicò ſtupefacta oracula, & garruli dæmones, quæ priùs tanti fiebantur, ab iis protinus auolabant. Hic verò conſideranda duo ſe offerunt, quæ vim luminis illius, ac ſcientiæ, quam Chriſtiana religio terris intulit, oſtendant.

12. Primò quidem, quantam difficultatem habuerit tanta idolorum edita clades, lucifugorumque dæmonum diſſipatio, ille intelliget qui ſecum reputauerit, quanto ſtudio prouinciæ, regnaque omnia in idolorum cultum incumberent; quem cultum principes omnes edictis ſeueriſſimis, legibuſque ſanciebant. Adeò enim turbulentæ concitatæ fuerunt in Eccleſiam naſcentem, & iam adoleſcentem procellæ, vt Chriſtianorum, ne idola repudiarent, per tria ſæcula non modò peteretur caput, ſed atrociſſima in illos carnificina exquiſitis toto orbe ſuppliciis exerceretur. Numerat Sanctus Auguſtinus perſequutiones in Chriſtianum nomen præcipuas quatuordecim. Nempe decem ſub totidem Romanis ante Conſtantinum Imperatoribus conflatas. Sub Nerone ſcilicet, qui duos Apoſtolorum præcipuos ſuſtulit, & innumerabiles alios funalium inſtar igne lento ſuccenſos conſumpſit. Tum ſub Domitiano, cuius crudelitate Ioannes in feruentis olei dolio demerſus, & in inſulam poſtmodùm deportatus eſt. Tertiam Traianus Chriſti cultoribus vexationem intulit, quæ Sanctos Clementem, Polycarpum, Ignatium, &c. peremit. Quartam commouit Antoninus Verus. Quintam Seuerus. Sextam Maximinus. Septimam Decius Sancti Laurentij interemptor. Octauam Valerianus. Nonam Aurelianus. Decimam tandem omnium diriſſimam oppugnationem fecit Diocletianus. Qui hoc cum imperij conſorte Maximiano deliberatum habebat, vt Religionem Chriſtianam radicitùs ambo euellerent, quod coniunctis crudelitatis viribus aggreſſi ſunt. Non fuit vlla prouincia (inquit Baronius) non ciuitas, non vicus, rus, prædium, caſa, nec hortus, nec angulus, vbi de Chriſtianis, cuiuſcumque forent ordinis, ſexus, ætatis, non fuerit habita diligens inquiſitio, & crudelis animaduerſio. Quin & in actis Sanctæ Aniſiæ Martyris traditur, Imperatores licentiam omnibus conceſſiſſe, vt quos vellent Chriſtianos, occidere poſſent impunè. Poſt Conſtantini tempora perſequutionem Iulianus diriſſimam excitauit; quemadmodum extra Romanum Imperium Sapores in perſide, ac tandem in Gothia varij Reges. Eam quam Sanctus Auguſtinus addit excitatam authore Valente, prudens omiſi, quòd non ad idololatriæ contra omnes Chriſtianos, ſed ad hæreſeos contra orthodoxos cauſam pertineret. At quem impietatis fructum percepere tot perſequutionum authores? Nempe piorum conſtantiam, & in aſpernandis idolis fidem, contra atque animo intenderent, nobilitarunt.

13. Secundò conſideratione dignum eſt, cœleſtem Chriſti doctrinam tam efficacem fuiſſe, vt per eam non modò in aliquod breue tempus, ſed in perpetuum exterminata fuerit idolorum veneratio. Iudaïcus olim populus poſt reconciliatam ſæpè cum Deo gratiam, & frequentem idololatriæ eiurationem, eodem paſſim vnde emerſerat, reuoluebatur. Inauditum tamen eſt in toto orbe, poſt ſuſcepta ſemel Chriſtiana ſacra, non dico populum vllum integrum, ſed ne vel vnicum pagum ad idola rediiſſe. Ea ſcilicet virtus eſt eius Religionis, quæ in illa fundatur efficaciſſima ſcientia: cuius excellentiam, hoc quidem nos libro conati ſumus oſtendere. At nihil æquè oſtendit, ac totius mundi ex tanta ignorantiæ caligine, tamque inueterato veri Numinis contemptu emerſi, facta per ſolam Chriſtianæ diſciplinæ prædicationem immutatio.

LIBER

LIBER DECIMVS.

De humanæ in Chriſto naturæ perfectionibus quoad voluntatem, & potentiam externam.

POSTQVAM ſuperiori libro eas humanitatis Chriſti perfectiones proſequuti ſumus, quæ in gratia ſanctificante, virtutibuſque cum hac infuſis conſiſtunt, necnon eas quæ ad intelligentiam pertinent; de humana nunc ipſius Chriſti voluntate, deque illis, quæ eius libertatem ſpectant, conſequenter agendum eſt; necnon de iis, quæ ad exequutiuam, externamque potentiam pertinent.

CAPVT PRIMVM.

Non ſolùm diuinam, ſed & humanam reperiri ſimul in Chriſto voluntatem.

1. EVTYCHETEM, & alios cum illo Monophyſitas hæreticos mirum non eſt vnam tantùm in Chriſto voluntatem agnouiſſe. Id enim conſequens erat ad ipſorum errorem, quo niſi vnam in illo naturam admittebant. Neſtorius etiam licèt duas poſt incarnationem perſonas diuinam, & humanam adſtrueret, atque duas iis concederet voluntates; quia tamen intelligebat per hanc vocem, *Chriſtus*, perſonam dumtaxat humanam, cui perſona diuina phyſicè non eſſet vnita, ſed moraliter, & affectualiter; propterea debuit vnam ſolùm ponere voluntatem in ipſo Chriſto, nempe humanam. Apollinarem verò clarum eſt, diuinam tantùm voluntatem confiteri debuiſſe in Chriſto, à quo nimirum animam humanam excludebat, aſſerens Verbi diuinitatem locum animæ tenuiſſe. At Monothelitas, cùm in Chriſto duas inconfuſas, contra Eutychetem; verè, phyſiceque vnitas, contra Neſtorium; integras contra Apollinarem naturas admitterent, nec duos intellectus negarent; mirum eſt non duas tamen admiſiſſe voluntates, ſed ſolùm diuinam. Quos damnauerunt VI. Synodus, in eum finem congregata, Concilium Lateraneuſe ſub Martino I. *conſultat.* 1. *can.* 12. 13. & 14. Item VII. Synodus *actione 7. in confeſſione fidei*. Concilium Florentinum *ſeſſ. vltima, in decreto Eugenij*. Horum præcipui hæreticorum fuere Macarius imprimis omnium dux, Patriarcha Antiochenus, deinde hunc ſequuti Stephanus Cyprus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus. Cuius Pauli diſcipulum ait Vaſques fuiſſe quendam Typum, ex Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Verùm conſtat Typum, cuius in hoc Concilio fit mentio, non eſſe nomen proprium viri, ſed nomen appellatiuum, quod deſignat libellum, formulamve credendi concinnatam ab hæreticis, perſuaſione illius Pauli, & lectam, reprobatamque in prædicto Concilio, *conſult.* 4. iterumque reiectam *conſult.* 18. Typum illum, fallacemque fidei formulam ediderat Conſtans Imperator, Heraclij filius, eo fine, vt per ſpeciem conciliandæ pacis, in Eccleſia ſileretur nomen voluntatis, & operationis in Chriſto, ſiue vnius, ſiue duplicis. Quemadmodum paucis antè annis edita fuerat ab Heraclio ecthesis eodem argumento; quam tunc ectheſin Ioannes Papa damnauit, ſicut Conſtantis etiam Typum damnauit Martinus, qui propterea martyrium ſubiit.

2. Difficile porrò eſt præciſè, ac nitidè explicare in quonam conſiſteret iſtorum hæreticorum error. Cùm enim ij non ſolùm voluntatem in Chriſto dicerent vnam, ſed etiam aſſererent vnam operationem, putarunt multi Theologi cum Sancto Thoma *quæſt.* 18. *art.* 1. aliud apud illos eſſe voluntatem, aliud autem operationem: & per voluntatem quidem intellexiſſe potentiam appetitiuam rationalem; per operationem verò, quamlibet actionem, etiam externam, humanitatis: atque ita illos in Chriſto negaſſe potentiam appetitus rationalis creati, & operationes cunctas naturæ humanæ, ac ſolam diuinam operationem conceſſiſſe, quam θεανδρικὴν, hoc eſt, deiuirilem appellarent. Probabilius tamen eſt, quod poſt accuratum examen circa iſtam hæreſin docet Vaſqueſius *diſp.* 73. *cap.* 1. Monothelitas non negaſſe ipſam potentiam voluntatis in Chriſto (quomodo enim id poterant, qui veram in ipſo animam humanam, & verum intellectum admittebant?) non etiam operationes quaſdam, putà viſionem, auditionem, loquutionem, ambulationem, intellectionem, atque volitionem etiam aliquam, &c. quas & Scriptura diſertiſſimè teſtatur, & hominis natura ſecum vehit. Nihil igitur in Chriſto negauerunt, niſi ſupremum illud humanæ voluntatis exercitium, ſeu imperium, per quod efficaciter ipſa voluntas tum ſeipſam, tum alias ſibi ſubiectas potentias determinat, applicat,

ac

Digitized by Google

ac mouet. Quod exercitium, ſeu imperium, quia maximè efficax, quia præcipuum, quia ſummum eſt voluntatis opus, illi ſignificabant nomine voluntatis, & nomine operationis. Ita vt voluntas, & operatio in præſenti controuerſia idem eſſet apud ipſos.

3. Quo modo dicendum eſt illos cenſuiſſe voluntatem, ſeu operationem (hoc eſt determinationem huiuſmodi ſupremam voluntatis) non eſſe in Chriſto duplicem, diuinam vnam, alteram humanam, ſed vnicam ſolùm, ac ſimplicem, nempe diuinam, quam vocabant θεανδρικὴν, non eo ſenſu quo nos, qui volumus cum determinatione voluntatis increatæ coniungi determinationem voluntatis creatæ: ita vt ex vtraque operatione fiat vna quodammodo totalis, & compoſita, quæ ſit partim diuina, partim humana, & in hoc ſenſu appelletur theandrica. Illi enim theandricam aſſerebant operationem in Chriſto, quæ non cōpoſita ſit ex duabus determinationibus, ſeu operationibus voluntatum, ſed quæ ſit vna ſimplex determinatio voluntatis diuinæ, iunctas habens alias qualcumque humanas actiones, quæ ſubiaceant prædictæ determinationi diuinæ. Sic enim clarè Macarius Antiochenus in VI. Synodo, *actione* 8. confeſſionem fidei ſuæ faciens ait: *Salutarem Patrum doctrinam eſſe, quia nunquam Dei caro naturalem ſui feciſſet motionem, ſed quando, & quantum, & qualem idem Verbum volebat. Et vt clarius* (inquit) *dicatur, quemadmodum noſtrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectu, & rationali anima noſtra; ita & in Domino Chriſto tota hominis eius conſperſio ab eiuſdem Verbi diuinitate ſemper, & in omnibus mota, & Deo mobilis fuit.* Hæc ille, cuius ſenſum ita explicatum damnat Concilium Lateranenſe ſub Martino I. *conſult.* 5. *can.* 15. *Si quis*, inquit, *ſecundum ſceleroſos hæreticos Deivirilem operationem, quam Græci θεανδρικὴν, vnam operationem inſipienter ſuſcipit, non autem duplicem eſſe confitetur, &c. condemnatus ſit.*

4. Fundamentum iſtorum hæreticorum deſumere licet ex iis, quæ pro ſe adducunt Macarius, & Stephanus eorum principes in VI. Synodo, *actione* 8. *poſt medium*. Si enim vt diuina, ita & humana voluntas in Chriſto vim habere diceretur ſeipſam determinandi, & alias ſibi ſubiectas potentias excitandi, ac mouendi, exiſtimabant concedi debere in Chriſto pugnam cogitationum, & voluntatum. Quare ad pacem in ipſo conciliandam cenſuerunt omnia ad vnitatem reuocanda eſſe, & ſoli diuinæ voluntati permittendum imperium. Super quod fundamentum ſuam item Apollinaris hæreſim ſtruxerat; negans Chriſto animam, aut ſaltem mentem humanam. Verùm quis eorum ſtuporem non videat? Primò enim non aduerterunt diuinæ prouidentiæ facile fuiſſe, vt eas omnes, quas in Chriſto timebant, voluntatum rixas impediret. Secundò, ſi earum metu rixarum Macarius voluntatem humanam à Chriſto expungit, quare non potiùs ſuſtulit appetitum ſenſitiuum, qui multò faciliùs contra diuinam voluntatem rebellaturus videri poterat? Confutatur etiam hic error pluribus Scripturæ locis, inter quos afferri ſolent nonnulli, qui probant quidem in Chriſto humanam potentiam rationalis appetitus, non tamen videntur probare humanam voluntatem eo ſenſu, quo illam Monothelitas negâſſe iam diximus; nempe efficacem, & per ſummum imperium potentias exequutiuas determinantem. Tales loci ſunt, cùm verbi cauſa, Chriſtus dixit *Matth. cap.* 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et *Luc. cap.* 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Item *Ioan. cap.* 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* His enim locis Chriſtus loquitur de ſua ſimplici tantùm, & inefficaci voluntate, in qua non conſiſtit cardo difficultatis præſentis. Quamquam aduerto poſſe validos eſſe illos locos, ſi res, qua par eſt, ſubtilitate conſideretur. hoc enim ipſo, quod Chriſtus abſolutè, & efficaciter teſtetur, ſe omnino nolle, vt ſua voluntas (nempe illa quæ erat inefficax) circa aliquod obiectum, fiat: Hoc, inquam, ipſo, quod voluntatem eam, de qua loquitur, abneget, exercet in illa abnegatione actum efficacem determinatæ voluntatis. Præterea cùm ait nolle ſe, vt ea voluntas, qua abnegat, ſit efficax, ſignificat ſatis, imò ſupponit hanc ipſam, niſi per ſuperiorem voluntatem ſuam humanam abnegaretur, potuiſſe eſſe efficacem. Neque dicas abnegationem illam fuiſſe diuinæ, non autem humanæ voluntatis: nam ea abnegatio fuit maximè meritoria, & vt talis commendatur, nobiſque à Sanctis Patribus proponitur in exemplum. Non fuiſſet autem meritoria, niſi fuiſſet voluntatis humanæ.

5. Clariora ſunt contra hos hæreticos alia Scripturæ teſtimonia, vt cùm dicitur Chriſtus *Philip.* 2. *eſſe factus obediens vſque ad mortem.* Et *ad Hebr.* 5. *didiciſſe obedientiam ex iis quæ paſſus eſt.* Sanè ſi in Chriſto fuit obedientia, fuit in eo creata, Deoque ſubiecta voluntas, non quæcumque, ſed efficax, & habens ſupremam ſui motionem, ac determinationem. Si enim voluntas aliqua per determinationem, ac motionem aliam, quàm per ſuam propriam ſubiiciatur alicui, non dicitur illi obedire; quemadmodum neque ſi per motionem ſolùm inefficacem. Importat ſiquidem obedientia ſpontaneum obedientis affectum, per quem potentiæ exequutiuæ determinentur efficaciter ad id quod præcipitur.

6. Argumentum item ſumitur validum ex Chriſti meritis, quæ nulla concipi poſſunt, niſi voluntatem, & operationem in illo admittamus humanam, vt patet. Requiritur enim ad rationem meriti libertas, & voluntatis creatæ propria motio, ac determinatio circa obiectum meritorium. Denique non minùs abſurdum eſt ſecundùm Philoſophica principia, quàm ſecundùm Theologica prædictum Monothelitarum dogma. Quis enim, ſi Philoſophiam guſtauit, non videat, cùm audit in Chriſto animam humanam, integramque hominis naturam admitti; & tamen in eodem illos negati actus, qui maximè humani ſunt, & à quibus ſolis omnes alij habent vt humani dici poſſint? Ex dictis relinquitur, duas in Chriſto diſtinctas reperiri voluntates, quarum vnaquæque actu efficaciter tum ſeipſam mouet, tum potentias exequutiuas ſibi ſubordinatas. Vbi attendendum eſt, duas illas voluntates ita ſe habere, vt diuina non alio modo concurrat ad opera, & motus humanitatis, quàm ſi ei vnita non foret in eodem ſuppoſito. Nam vnio huiuſmodi eſt impertinens ad voluntatum illarum duarum actionem, & efficacitatem, nec in iis quicquam immutat. Concurrit igitur cum humanitate voluntas diuina in ſolo genere cauſæ primæ, ſiue vt facultas toti communis Trinitati.

Falſum eſſe Monothelitarum principium, & inter duas Chriſti voluntates ſummam potuiſſe concordiam reperiri.

7. QVod in duabus Chriſti voluntatibus nullum ſit, vt Monothelitæ fingebant, diſſenſionis, rixarumque periculum, definit ſexta Synodus, vbi in epiſtola Agathonis Papæ ſic habetur: *Prædicamus*

duas

Digitized by Google

duas naturales (pertinentes nimirum ad duas naturas) voluntates , non contrarias , iuxta id quod impij aſſerunt hæretici. Eam veritatem adſtruit Scriptura *Ioannis cap.* 8. vbi Chriſtus ait : *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Et ſanè tantùm abeſt vt hæc voluntatum diuerſitas quicquam turbet per diſſidium,ac tumultum inteſtinum , vt potius per ſubordinationem efficiat concentum quendam pulcherrimum , quem diſſoluere nequeat voluntas humana. Præuenitur enim illa tot Spiritus ſancti illi incubantis gratiis, & tanta prouidentia cuſtoditur , ac regitur; tam altis per intellectum cognitionibus illuſtratur , vt quamuis libertatem integram ſeruet , non poſſit tamen contra diuinam rebellare. Neque perfecta eius obedientia ex eo minuitur, quod inclinationes naturales,& inefficaces circa quædam vitanda moleſta repe riantur.

8. Abigenda hîc obiter difficultas, quæ præcox poteſt ex mox dictis oriri. Si enim ita cuſtoditur , & illuſtratur humana Chriſti voluntas , vt nullo modo à diuina diſcordare poſſit,per inobedientiam peccando, ſequitur expertes meriti fuiſſe , nec liberas maximam partem eius volitiones diuinæ voluntati conſentaneas. Cùm enim libertatem in acceptatione mortis explicemus per circumſtantias quaſdam, putà temporis, &c. non poteſt ſimilis modus transferri ad defendendos liberos actus , quos circa varia obiecta conformando ſe diuinæ voluntati Chriſtus habuit in tota vita ſua. Reſpondeo : Non eſt difficultas , quin libertatem Chriſtus exercere potuerit circa obiecta , quæ cùm non eſſent ſub præcepto , poterant omitti abſque oppoſitione cum voluntate diuina. Quæ autem præcepta erant, & ſine peccato non poterant omitti, libertas circa ea debet explicari , vt circa mortis acceptationem , vt dicetur infrà.

9. Contra id quod aſſerimus , nunquam voluntatem humanam de facto repugnaſſe voluntati diuinæ obiicitur id quod Chriſtus orans , vt à ſe calix paſſionis tranſiret , dixit ; *Non mea voluntas , ſed tua fiat.* Niſi enim voluntatem humanam diuinæ contrariam habuiſſet , nequaquam vſus fuiſſet terminis illis aduerſatiuis , *Non mea , ſed tua :* quibus duæ ſignificantur oppoſitæ , & incompatibiles voluntates. Huic obiectioni plures conati ſunt variis modis reſpondere non ſat idoneis. Primò non ſatisfit ſi dicatur , illas duas voluntates non fuiſſe contrarias, eo quod Chriſtus , vt homo, non ſit auerſatus mortem ſub eodem motiuo, ſub quo Deus illam intendebat. Auerſabatur ipſam Chriſtus vt malum naturæ, intendebat Deus vt ſalutarem generi humano. Id, inquam , non ſatisfacit. Diuerſitas enim ſola motiui non impediuiſſet, quin voluntatem diuinam voluntas humana fruſtraretur , exequutioque præceptæ mortis recuſaretur. Et ferè qui negat legibus, aut ſuis ſuperioribus obedientiam , ſpectat ſuum commodum , aut aliquod ſimile motiuum diuerſum à motiuo præcipientis : ſunt enim ad inobedientiam ſatis oppoſitæ hæ duæ voluntates ; Regis ex vna parte dicentis,Volo te Reipublicæ cauſa ire ad illam arcem tuendam ; & ſubditi ex alia parte dicentis,Volo mei commodi , ſeu vitandi laboris cauſa non ire ad illam arcem.

10. Non item ſatisfaciunt,qui dicunt Chriſtum habuiſſe voluntatem non moriendi , quæ contraria non eſſet Patris decreto , quoniam habuit ſolùm voluntatem ſub hac conditione , ſi Pater non illud haberet decretum , quod habet de mea morte. Id non valet. Nam ſub conditione explicata his terminis, *Si pater non haberet decretum* ; non potuit Chriſtus elicere volitionem qualem habuit veram , ac propriam non moriendi. Poſt illa enim verba ; *Si Pater non haberet quale habet decretum de mea morte* ; non potuit addere ; *Ego volo non mori :* ſed tantùm, *Ego vellem non mori.* Qui autem habet meram velleitatem , & dicit , *vellem :* non indicat voluntatem vllam quæ reipſa ſit , ſed eam ſolùm quæ foret , ſi, &c. Adde quod impoſſibile eſt, vt aliquis verè quid velit ſub conditione,quando certus eſt conditionem neque eſſe , neque fore. Atqui Chriſtus ſciebat certò Patris decretum de ſua morte & eſſe,& irreuocabile eſſe. Nullo igitur modo voluntatem habebat non moriendi. Quemadmodum enim cùm certum eſt conditionem fuiſſe purificatam , voluntas tranſit in abſolutam : ita cùm certum eſt non eſſe purificabilem, non aliud eſſe poteſt quàm mera, & abſoluta non voluntas. Vnde conſtat , nullatenus admittendum eſſe quod ait Delugo *diſput.* 25. *num.*17. Explicari poſſe affectum Chriſti , quo fugiebat mortem (ita vt eſſet affectus conditionatus explicitè) ſi diceret ; *Volo fugere mortem , ſi Deus cum indifferentia exoratus annuere voluerit.* Sanè ſciebat Chriſtus fore vt Deus nollet annuere , ſi id cum indifferentia ſibi ab ipſo Chriſto proponeretur. Eodem modo conſtat reiiciendum eſſe quod ait idem author *num.* 20. Chriſtum non ſe oppoſuiſſe voluntati Patris efficaci , & abſolutæ , de qua nempe dicitur , *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Eſther* 9. ſed tantùm voluntati inefficaci , nec abſolutæ, quam certum eſt non ſemper impleri , & de qua ſola intelligi poteſt ea orationis Dominicæ petitio , quæ alioqui foret inutilis, *Fiat voluntas tua.* Dico enim ſciuiſſe Chriſtum quàm efficax & abſolutum eſſet Patris de ſua morte decretum.

11. Non meliùs ſatisfaciunt quàm præcedentes obiectioni factæ, qui dicunt Chriſti refugientis mori voluntatem nequaquam fuiſſe Deo contrariam, propterea quod fuerit naturalis,& non libera. Contra illud eſt, quod Chriſtus non habuit motus indeliberatos, neque defectum attentionis. Quare attendens,licèt poſſet mortem non amare propter ipſam, debuit tamen illam velle ratione extrinſeci , nempe ratione præcepti. Non poteſt igitur per defectum libertatis explicari,quomodo contrariam Deo voluntatem non habuerit.

12. Vt præſens expediatur difficultas , & ſoluatur obiectio propoſita *num.*9. ſupponendum eſt fuiſſe reipſa in Chriſto refugiente mortem verum , ac formalem aliquem voluntatis actum,qui licèt ab ipſo abnegetur per alterum voluntatis actum ob conſiderationem voluntatis diuinæ,non tamen verè fuerit diuinæ voluntati contrarius. Omiſſis ergo prædictis,aliiſque reſpondendi modis, aſſero Chriſtum habuiſſe abſolutam quandam repugnantiam moriendi, & erga vitam complacentiam,inefficacem illam quidem, ſed nihilominus talem,vt inclinaret ad habendum alium abſolutum, & efficacem actum voluntatis , recuſandi mortem , niſi obſtitiſſet conſideratio præcepti diuini. Eo tamen conſiderato præcepto cohibita eſt illa inclinatio , ne ferretur vlteriùs , & ne ad producendam voluntatem efficacem , qua mors abſolutè recuſaretur, procederet. Quin potiùs moriendi voluntatem abſolutam Chriſtus habuit efficaciſſimam,quam ſignificauit,cùm dixit, *Baptiſmo habeo baptizari , & quomodo coarctor , donec perficiatur? Luc.*12. Et, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Habuit ergo Chriſtus duos voluntatis actus ; vnum quidem complacentiæ erga vitam , ſiue,quod in præſenti idem eſt, horrorem atrociſſimæ mortis imminentis cum inclinatione ad abſolutum,

&

Digitized by Google

& efficacem actum, illam, ſi id per voluntatem Dei licuiſſet, recuſandi. Alterum certi propoſiti, conſtantiæque animi ad ſubeundam ex Dei decreto mortem. Priorem actum (qui eſt bonus, nec inclinationem habet ad mortis fugam, niſi quatenus abſtrahit à diuino præcepto) ſignificauit his verbis; *Si fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte:* poſteriorem ſequentibus iſtis; *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat:* quo modo manifeſtè retunditur, & comprimitur naturalis inclinatio, diuinæ voluntatis obiectu.

CAPVT II.

An Chriſtus circa res etiam à Patre præceptas libertatem habuerit ſufficientem ad meritum.

1. NON poteſt hîc eſſe quæſtio de ea libertate, quæ opponitur ſeruituti: quo ſenſu omnes homines libertatem in Adamo perdiderunt venundati ſub peccato; cùm lex illa iuſta ſit, vt qui facit peccatum, ſeruus ſit peccati. Conſtat enim Chriſtum deſcendiſſe de cœlis, non modò vt ea liberum libertate, ſed vt illius in nobis aſſertorem, atque reſtauratorem. Qui ſolus inter mortales, mortuoſque liber dicere potuit *Ioan.* 14. *Princeps huius mundi in me non habet quicquam.* Quo principe foras eiecto, & in ſuam ditionem ſubacto, mundum vniuerſum, quem ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenebat, ab ea ſeruitute fecit immunem. Verùm agitur hîc de libertate ad voluntatis actus pertinente. Quæ duplex conſiderari poteſt: vna minùs propria, quæ non opponitur neceſſitati, ſed ſoli coactioni; quo modo Beati Deum amant liberè, hoc eſt, ſine vi, aut coactione (implicat enim vt vllus actus voluntatis eliciatur coactè, & inuoluntariè) licèt illud præſtent neceſſariò. Altera libertas eſt propriè ſumpta, & opponitur neceſſitati; cùm nempe voluntas ita ſe ad aliquem actum ſponte determinat, vt poſſit ſe non ad eum determinare, ſiue ceſſando ab omni poſitiuo actu, quo modo eſt libertas contradictionis; ſiue ſe applicando ad poſitiuum alium actum incompatibilem, quo modo eſt libertas contrarietatis. Atque de hoc ſecundo genere libertatis oppoſitæ neceſſitati præſens inſtituitur diſputatio.

2. Eſt enim circa Chriſtum non parua difficultas, an quoad illas operationes, quibus præceptum Patris implendo nos redemit, ipſi conueniat libertas propriiſſimè ſumpta, conſiſtens in plena eligendi facultate ad operandum, implendo quod iuſſum eſt; vel non operandum. Quidquid enim ſit de aliis hominibus præcepta Dei exequentibus, peculiaris eſſe ratio videtur de Chriſto propter ſtatum vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ, quem ſequitur impeccabilitas, & neceſſitas exequendi voluntatem diuinam. Quare non defuerunt, qui in Chriſto neceſſitatem operandi admittentes, contenti fuerint ſolam in eo ponere libertatem, quæ coactionem excludat: à quorum ſententia non ſatis abfuit Gabriel *in* 3. *diſtinct.* 19. *artic.* 3. Idemque ſatis conſequenter in eorum opinione aſſeri poſſet, qui negauerunt liberum arbitrium noſtrum ad meritum ſufficiens habere poteſtatem ad oppoſita. Quam opinionem aliqui hoc tempore pſeudotheologi in medium proponere non dubitauerunt, affirmantes non aliter nos operari liberè, quàm per ſpontaneitatem, ſiue dum peccamus, vtpote neceſſitatos, licèt non coactos vi concupiſcentiæ, quando abeſt efficax gratia: ſiue dum meremur, ac bene agimus, vtpote neceſſitatos item, nec coactos ab efficacitate medicinalis gratiæ. Ita nuper Ianſenius Iprenſis Epiſcopus, & alij quidam eiuſdem factionis.

3. Sed hic error damnatus eſt, & in Ianſenio nouiſſimè ab Vrbano VIII. Innocentio X. atque Alexandro VII. & olim à Pio V. necnon à Gregorio XIII. in Michaële Baio. Eſt & damnatus à Concilio Senonenſi in fidei decreto decimo quinto. Eum etiam pronunciauit eſſe manifeſtam hæreſim perceIebris Facultas Pariſienſis apud Collegium Sorbonæ, anno millesimo quingenteſimo ſexageſimo, die vigeſimaſeptima Iunij. Eundem item ſub anathemate damnauit Concilium Tridentinum contra Caluinum, aliosque eius temporis hæreticos *ſeſſione* 6. *can.* 5. his verbis; *Si quis liberum arbitrium hominis poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit.* Vbi notandum eſt, quod hæc Synodus Lutheranos, & Caluinianos non in alio ſenſu, quàm quo ipſi loquerentur, ſentireque profitebantur, damnatos voluit. Vt autem ſciamus quis fuerit eorum ille ſenſus, quem profitebantur, & in quo damnati ſunt, audiamus omnium nomine loquentem Mart. Bucerum *in lib. de concordia doctrinæ. Pax, inquit, Catholicos inter, & Lutheranos erit, ſi ſola coactio libertati repugnet.* Vnde patet illos hæreticos, qui damnantur à Concilio, non aliud negare in homine lapſo liberum arbitrium, quàm id cui neceſſitas, & non ſola coactio repugnet. Sed pro ſe ita loquitur Caluinus *libro* 3. *contra Pighium. Semper teſtatus ſum me de nomine pugnare nolle. ſi hoc ſemel conſtitueretur, libertatem non ad facultatem boni æquè ac mali eligendi, ſed ad ſpontaneum motum, & conſenſum referri debere.* Et *in antidoto ad can.* 5. *ſeſſ.* 6. ita ſcribit: *De verbo ne moueamus rixam. Sed quia liberum arbitrium intelligunt* (Tridentini) *eligendi facultatem, quæ ſit in vtramque partem libera, & ſoluta; titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent authorem.* Quare manifeſtum eſt eodem, quo Lutherum, & Caluinum afflari anathematis fulmine Ianſenium, & ſuos, vtpote idem cum illis quoad hoc ſapientes. Sed relictis hæreticis, & ſuppoſita Conciliorum, ac totius Eccleſiæ doctrina, quòd propriè ſumpta libertas, & qualis ad merendum requiritur, conſiſtat in indifferentia, & in gemina facultate, qua quis actionem, circa quam liber dicitur, ſic poſſit exercere, vt poſſit etiam omittere; de Chriſto difficultas nobis incumbit explicanda non leuis, an, & quomodo id genus libertatis circa illas etiam operationes, quibus ex Patris præcepto nos redemit, illi competat ſimul cum impeccabilitate.

4. Dicendum eſt Chriſtum habuiſſe veram libertatem, non ſolùm coactioni, ſed etiam neceſſitati oppoſitam, quæ includit & potentiam agendi, & ſimul potentiam non agendi: neque libertatem illam impediuit impeccabilitas in acceptanda morte ſibi à Patre iniuncta. Probatur hæc concluſio primò ex Scriptura. Iſaias enim *cap.* 7. his verbis, *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum,* tribuit Chriſto electionem: electio autem concipi non poteſt, quando voluntatem neceſſitas ad alterum contradictionis membrum determinat. Et quod ſpectat ad mortem à Patre præceptam, in qua acceptanda, & ſubeunda Chriſtus videri poſſet maximè neceſſitatem habuiſſe, dicitur *Ioan.* 10. *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam: nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à meipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: hoc*

Digitized by Google

mandatum habeo à Patre meo. Vbi manifeſtè Chriſtus teſtatur, quàm à neceſſitate patiendi remotus fuerit; licèt patiendi mandatum accepiſſet à Patre.

5. Secundò Concilia, quæ ſuperiùs contra Monothelitas produximus, hanc veritatem definiuiſſe intelligenda ſunt: duas enim in Chriſto voluntates, ſeu operationes reperiri ſanxerunt eo ſenſu, quo à prædictis hæreticis negabatur. Oſtendimus autem nos ſuprà, & fuſiùs oſtendit Vaſquez ibi citatus, eos hæreticos illum habuiſſe ſenſum, vt non quamcunque voluntatem, aut voluntatis operationem negarent in Chriſto vt homine, ſed eam ſolùm, quæ eſſet determinatio, & exercitium libertatis eligentis.

6. Tertiò videre potes multos in hanc rem Patres apud Suarem *diſp.* 37. *ſect.* 2. Quid expreſſius verbis Cypriani (ſiue illi æqualis authoris) *in ſermone de paſſione Domini? Voluntariè*, inquit, *obediſti Patri, & non te, vt patereris, coegit neceſſitas.* Vbi non tantùm coactionem quamcumque, ſed eam etiam, quæ impropriè dicta oritur à neceſſitate, atque ita omnem neceſſitatem amouet hic Author à Chriſto. Quid clarius Auguſtino *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 13. *Qui potuit non mori, ſi nollet, proculdubio, quia voluit, mortuus eſt.* Et *tract.* 119. *in Ioan. ſub finem*; *Quis ita dormit, quando voluerit, ſicut IESVS mortuus eſt, quando voluit*, &c. Audi Chryſoſtomum in *cap.* 12. *epiſt. ad Hebr. homil.* 28. exponens enim hæc Apoſtoli verba, *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Hoc eſt*, inquit, *licebat illi nihil pati, ſicut voluiſſet. Erat igitur arbitrij illius non venire ad crucem, ſi voluiſſet.*

7. Quartò. Niſi admittatur in Chriſto libertas oppoſita neceſſitati, tolletur ab illa omnis laus actionum, & meritum, ſeu ſatisfactio. Hæc enim fundantur in voluntatis indifferentia ſe per electionem dedeterminantis. Quam enim laudem, aut vituperationem promereri intelligitur is, qui ad aliquam actionem ita determinatur, vt habeat antecedentem impoſſibilitatem ad abſtinendum? Benè Iuſtinus Martyr *apologia* 1. *pro Chriſtianis: Nulla laude dignus homo eſſet, niſi eſſet flexibilis.* Et Sanctus Hieron. *lib.* 2. *contra Iouin. Vbi neceſſitas, ibi, nec corona: ideò liberi arbitrij nos condidit Deus.* Sed hæc latiùs in materia de merito. Hactenus oſtenſum eſt Chriſti naturam humanam habuiſſe voluntatem, non modò eam quæ ſpontaneè, ſed eam etiam quæ liberè poſſet operari, & de qua dubitari non poſſit, quin per veram Patri exhibitam obedientiam acceptauerit, ſubieritque mortem. Videndus iam modus, quo id liberæ voluntatis genus coniungi potuerit cum ſumma impeccabilitate, ob quam impoſſibile erat ipſum non obtemperare. Impeccabilitas enim Chriſti libertati circa res præceptas poteſt obſtare pluribus ex capitibus, quæ nos oportet deinceps explicare. Sed primò expedienda difficultas breuiter, quæ ſe offert circa ipſius libertatem circa omnes actus vniuerſim ſiue præceptos, ſiue non præceptos.

CAPVT III.

Proponitur, & ſoluitur prima difficultas duobus conſtans argumentis, contra Chriſti libertatem vniuerſam circa quoſcunque etiam non præceptos actus.

1. PRIMA hæc difficultas, quæ videtur vniuerſim probare cunctas Chriſti actiones (licèt non præceptas) fuiſſe neceſſarias, ſumitur cùm ex præuiſione, quam ille ſuarum actionum omnium habuit, ſiue in Verbo per lumen gloriæ, ſiue per cognitionem aliter infuſam; tum ex ſumma eiuſdem Chriſti ſanctitate, id ſemper quod melius occurrebat ſectante.

Prius ex præuiſione argumentum.

EX Præuiſione, quam Chriſtus habuit ſuarum actionum, ſequi videtur voluntatem ipſius neceſſariò determinatam fuiſſe, nec remanſiſſe ind fferentem. Non enim poterat operari contra præuiſionem infallibilem. Quòd ſi dicas potuiſſe antecedenter operari contra præuiſionem illam, quemadmodum poſſumus nos operari contra præuiſionem quam Deus habet noſtrorum operum, id non ſatisfacit. Nam alia eſt ratio de præuiſione, quam Deus habet noſtrorum operum, comparata ad noſtram voluntatem, & de præuiſione, quam Chriſtus habuit ſuarum ipſius actionum, comparata ad ſuam voluntatem. Præuiſio enim Dei, cùm ſit nobis extrinſeca, & à nobis ignorari poſſit, non determinat neceſſariò noſtram voluntatem. At verò præuiſio quam Chriſtus habuit, non potuit (vtpote intrinſeca) ipſius non determinare, ac neceſſitare voluntatem ad vnum membrum contradictionis. Quomodo enim potuiſſet voluntas eius, poſt cognitam ſuppoſitionem futuritionis certiſſimæ ſui alicuius actus, ſe determinare ad alterum contradictionis membrum, quod ipſe videbat factum iam impoſſibile, ſeu cui videbat nullum relictum eſſe locum exiſtentiæ, poſtquam totus locus exiſtentiæ occupatus iam erat ab altero illi contradictoriè oppoſito membro? Quomodo poterat illum elicere velle actum, quem videbat non eſſe futurum? Certè ad inſaniam pertinet, velle efficaciter actum producere ſine eius futuritione, aut cum eius non futuritione. Creſcit hìc difficultas, ſi conſideremus à Chriſto præuiſos fuiſſe ſuos actus, non quocumque modo, ſed vt in tali inſtanti, talibuſque circunſtantiis futuros.

2. Reſpondeo, ſuppoſitâ quidem præuiſione certa, quam Chriſtus dicto modo habuit de ſuis actibus, impoſſibile fuiſſe, vt actus aliter euenirent propter infallibilitatem obiectiuam talis præuiſionis. Qualis item infallibilitas impedit, quo minùs nos præuiſioni diuinæ poſſimus repugnare. Verumtamen illa impoſſibilitas orta ex præuiſione, conſequens tantùm eſt, & ex ſuppoſitione ipſorum actuum. Qui actus, cùm in priori ſuam habere naturam, & conditionem, liberique eſſe ſupponantur antequam circa illos præuiſio verſaretur, non potuerunt conditionem ſuam accipere, neceſſariique fieri ab ipſa præuiſione, quæ tardior in ipſos venit.

Nec-

Digitized by Google

3. Nec verum eſt quod opponebatur, præuiſionem, quam Chriſtus habet ſuorum actuum, cùm illi intrinſeca ſit, non poſſe non determinare voluntatem illius. Nam conſiderandum eſt, præuiſionem Chriſti circa ſuos actus, vel primò attendi poſſe circa actus ex ſe neceſſariò futuros, ita vt eorum futuritio præuideatur independens à futura libera ipſius Chriſti eos præuidentis determinatione. Et ſic fateor voluntatem pati ab illa præuiſione nouam neceſſitatem, & determinationem intrinſecam, ac formalem, quatenus talis præuiſio deterret, ac auertit voluntatem ab eo membro contradictionis, quod proponitur nec futurum, nec vllo modo ſibi poſſibile; cùm voluntas non poſſit ponere ſe in ſtatu antecedentis indifferentiæ: quandoquidem non ſupponitur vlla talis indifferentia, ſed antecedens ipſam voluntatem neceſſitas. Nihilominùs poteſt ſecundò præuiſio Chriſti eſſe circa ſuos actus, futuros non neceſſariò, ſed omninò liberè. Quare ante præuiſionem illam ſupponitur eſſe libertas actuum, cùm hi non præuideantur, niſi vt liberè futuri, ſicque neceſſitatem contrahere nequeunt, niſi conſequentem.

4. Obijci poteſt, neceſſitatem ex præuiſione horum actuum non eſſe conſequentem. Ad id enim oporteret, illorum præuiſionem ipſis ita poſteriorem eſſe, vt voluntatem quatenus conſideratam in actu primo ipſa præuiſio nullatenus afficeret. Sed non eſt ita. Nam vniuerſim certum eſt hominem, accepta reuelatione, infallibilique præuiſione futuri alicuius ſui actus (verbi cauſa, quòd ſit cum plena attentione conſenſurus vehementi tentationi, & quòd non ſit vſurus conatu neceſſario ad illam ſuperandam) certum, inquam, eſt hominem in eo caſu, quandiu præuiſio talis, & certa illi de fide viget, non poſſe erigi alacriter ad conatum reſiſtendi tentationi, & ad faciendum, vt reuelatio falſa inueniatur. Illa verò difficultas, & vt ita loquar, grauitas, ſeu tarditas languentis tunc arbitrij pertinet ad actum primum, vtpote faciens ægre procedere voluntatem ad actum ſecundum, & operationem. Ergo prædicta reuelatio, infallibilisque præuiſio, quemadmodum ſe tenens ex parte actus primi, & eatenus antecedens, facit vt cauſa ægre operetur; ita ſatis antecedens eſt, vt ipſam omninò, ne operetur, impedire poſſit. Atque ſic verè antecedens, & non tantùm conſequens eſt ſeu difficultas, ſeu neceſſitas, ſeu impoſſibilitas, quam inducit.

5. Ad hanc ſatis difficilem obiectionem reſpondeo. Cùm nemo neget, quin futuri effectus reuelatio, & per hanc data homini præuiſio, ſit ſecundùm naturæ ordinem poſterior futuritione ipſius reuelati effectus, non enim eſt futurus, quia reuelatus, ſed reuelatus, quia futurus; fatendum eſt ea omnia, quæ ſequuntur prædictam reuelationem, & præcognitionem homini conceſſam, poſteriora eſſe effectu reuelato. Quare tarditas, & difficultas, ſeu languor in operando (quatenus oritur ex reuelatione, & ex accepta præcognitione futuritionis) non poteſt non eſſe poſterior ipſius effectus futuritione reuelata. Igitur dicendum eſt, illam tarditatem, & grauitatem, quam homo tunc ſentit cum operaturus eſt, non ſe tenere ex parte actus primi, ex quo procedat effectus, qualis reuelatus fuit, & quatenus eum reuelatio præſupponebat, & prænunciabat. Itaque tarditas ea, & difficultas, quam prædictus homo ſentit, non poteſt eſſe prior naturâ ipſo effectu conſiderato præciſè cum iis circumſtantiis & adiunctis, cum quibus reuelatus eſt; neque poteſt facere quin ſit liber, & talis, qualis reuelatus eſt fore.

6. Quo poſito, in reuelatione, ſeu præcognitione futuri effectus debent diſtingui duo. Vnum eſt reuelationis obiectum, nempe ipſa effectus ſubſtantia, & id quod præciſè, ac formaliter enunciatur eſſe futurum. Alterum eſt id, quod præſupponit reuelationem, & in hominis mente oritur ex accepta præcognitione; neque vllo modo eſt obiectum illius reuelationis, ſed eſt circumſtantia, quæ adiungitur exequutioni eius, quod reuelatum eſt: verbi causâ, grauitas, & abiectio in operando, atque difficultas conandi vt id agatur, quod prædicitur infallibiliter non eſſe futurum; vel ex contrario alacritas, promptitudo, ſpes, & lætitia geſtiens ad efficiendum aliquid optabile, cuius futuritio ſit reuelata. Et quidem ipſius effectus ſubſtantia reuelata antecedit prioritate rationis tum præcognitionem, tum id omne, quod ex præcognitione oritur; neque variari poteſt per aliquid ſubſequens. At verò circunſtantia tarditatis, alacritatis, &c. quæ oritur in ipſa exequutione ob præcognitionem futuri, ea nec ſubeſt reuelationi factæ, nec vi eius reuelationis præcognoſcitur ab homine, ſed eſt quid, vt ſæpè iam diximus, ad præcognitionem conſequens, nec poteſt inducere neceſſitatem antecedentem in effectum reuelatum. Vrgebis. Circunſtantia tarditatis, &c. potuit reuelari. Reſpondeo. Eſt impoſſibile, vt id quod oritur ex aliqua reuelatione, reueletur per illam ipſam formaliter reuelationem. Sic enim ea reuelatio eſſet ratione prior, & poſterior ſeipſa. Quare ſi reuelatur, neceſſarium eſt nouam & reflexiuam aliquo modo dari eius reuelationem, quæ à priori diſtincta nequeat in eius quicquam mutare obiecto.

7. Quòd Chriſtus præuidens per lumen beatificum in Verbo, ſeu per reuelationem aliter infuſam, ſuos futuros actus, potuerit illos cum perfecta libertate operari, abſque eo quòd antecedens in eos neceſſitas per præuiſionem induceretur, probauit etiam, beneque explicuit Suares *diſp. 37. ſect. 5.* oſtendens quomodo præcognitio, vt eſt quædam intuitio futurorum, non influat in voluntatem, nec mutet modum operandi eius, vtpote ſimpliciter ſpeculatiuè ſe habens. *Et ita quoad hoc*, inquit, *eadem eſt ratio de illa ſcientia Chriſti comparata ad ipſius voluntatem, & de diuinâ ad voluntates noſtras comparatâ. Quia, licèt vtraque poſitâ infallibile ſit actum eſſe futurum, hoc non ideò eſt, quòd ſcientia determinet voluntatem, ſed potiùs, quòd ſupponat talem eſſe futuram voluntatis determinationem.* Hæc Suares *loco citato.* Quæ doctrina eſt quidem veriſſima & conformis noſtræ, ſed minùs conformis ei quam ipſe tradidit *in tractatu de Spe, diſp. 2. ſect. 2.* vbi diſcedens à ſua nunc explicata ſententia, ſecumque diſcrepans ait, quòd ſi aliquis reprobus præuideret infallibiliter ex reuelatione, ſe fore damnandum propter aliquem actum liberum, impoſſibile illi foret ſperare, & intendere in beatitudinem. *Cum illo iudicio* (non conſequar ſalutē) *nequaquam poteſt*, inquit, *eſſe ſpes: nam ſpes eſt de futuro bono. Ergo ſi bonum iudicatur ſimpliciter nunquam futurum, non poteſt ſperari. Item cum tali iudicio non poteſt eſſe efficax, & abſoluta intentio finis, ſeu boni conſequendi.* Et poſt pauca *num. 7.* aſſerit, *quòd homini cui abſolutè reuelata fuiſſet ſua futura damnatio, impoſſibile eſſet ſperare, ſeu intendere efficaciter conſequutionem beatitudinis. Nam voluntas ſequitur iudicium rationis. Ergo non poteſt efficaci actu tendere in id quod ſimpliciter iudicat non eſſe futurum.* Confirmationem hanc addit: *Quia ita ſe haberet homo ille ad ſuam beatitudinem, ſicut nos nunc ad reprobos in confuſo, quibus non poſſumus ſperare, vel deſiderare ſalutem.* Denique aſſerit, *Non ſufficere, quod homo ille poſſet ſimpliciter, & in ſenſu diuiſo ſaluari; quia non poteſt in ſenſu compoſito. Et quamuis*

indicet eſſe poſſibile, tamen indicat illud poſſibile nunquam eſſe futurum. Et hoc indicium repugnat ſpei. Hactenus Author citatus.

8. Qui dum ibi aſſerit, reprobum, cui reuelata fuiſſet ſua damnatio propter mortale aliquod facinus à ſe liberè committendum, & per reuelationem determinatè indicatum, non poſſe ſperare; debet neceſſariò fateri eum non poſſe abſtinere ab illo mortali facinore, atque adeò non poſſe reſiſtere tentationi ad illud inducenti. Qua in re hic Author repugnare, vt iam dixi, videtur ei doctrinæ, quam tradit nunc *in illa diſput. 37. ſect. 5. in tractatu de Incarnatione*; ac neceſſarium eſt, vt concedat præcognitionem, quam is reprobus haberet de ſuo futuro peccato, retardare, ac debilitare voluntatem, vt aliquid antecedens, nec ſe habere ſimpliciter ſpeculatiuè. Quod etiam conſtat ex eo quod ait, ſpem non poſſe eſſe ſimul cum iſto indicio certo, & infallibili, *Non conſequar ſalutem*: & ſpem ita eſſe de futuro bono, vt ſi bonum iudicetur ſimpliciter non futurum, nequeat ſperari, neque ſeriò intendi. Vnde manifeſtè conficitur, eum qui poſt reuelationem haberet iudicium illud fide certum (nullo modo futurum eſt vt talem vincam tentationem, ſiue vt abſtineam à tali actu) habere antecedentem impotentiam agendi contra ſuam præuiſionem. Illud ipſum ſimiliter conſtat ex eo quod idem Suares aſſerit, voluntatem neceſſariò ſequi iudicium rationis, nec poſſe actu efficaci tendere ad id, quod abſolutè non eſſe futurum indicat. Denique eodem pertinet quod docet, vt is qui haberet certam ſuę damnationis præcognitionem, poſſet ſperare, non ſatis ei fore, quod poſſet ſimpliciter, & in ſenſu diuiſo ſaluari, cùm non poſſet in ſenſu compoſito: neque ſufficere, quòd indicaret eſſe poſſibile, ſi iudicaret illud poſſibile nunquam eſſe futurum. Hæc, inquam, omnia, quæ Suares *in tract. de Spe* affert, ſi vera eſſent, probarent manifeſtè contra id quod ipſe pronunciat *in tract. de Incarn.* omnem cognitionem infallibilem, & fide diuina certam, quam aliquis haberet de futuro ſuo ad vehementem, exempli causâ, tentationem conſenſu, &c. adimere libertatem.

9. Quapropter quod attinet ad ſperandi poſſibilitatem, etſi res magnam videatur habere difficultatem, nunquam ea mihi ſententiâ placuit, quæ negat) poſito quod ſit poſſibilis, & reapſe facta cuipiam de ſua damnatione reuelatio) eum poſſe ſperare. Sanè præuiſio, quam haberet ille reprobus, eſſet omninò conſequens, & ſupponeret veritatem damnationis futuræ, atque adeò cauſam illius, nempe peccatum: quod (cùm ſit eſſentialiter liberum) vt tale præſupponeretur, neque illius naturam intuitio diuina, vtpote ſpeculatiuè ſe ad illius futuram exiſtentiam habens, mutare poſſet. Quod ſi intuitio diuina, quoniam foret ſecundùm ordinem poſterior, quàm exiſtentia peccati, non poſſet illud reddere neceſſarium; multò minùs poſſet eius, quæ deinde fieret, reuelatio; & multò adhuc minùs cognitio per ipſam reuelationem communicata reprobo. Libertas ergo peccandi relinqueretur integra. Atque adeò poſſet reprobus ab illo peccato abſtinere antecedenter, itaque cauſam tollere damnationis, beatitudinemque intendere, ſeu ſperare. Nec obeſt, quod nequiret indicare ſe abſtenturum à peccato, & beatitudinem aſſequuturum; nec etiam, quod neceſſe foret, eum indicare contrarium. Non enim ſpes conſiſtit in iſto indicio, *Conſequar beatitudinem reipſa, & abſtinebo à peccato*: cùm ſpes non ſit actus intellectus, ſed voluntatis. Quæ voluntas non fundatur in prædicto indicio de re vt futura, ſed tantùm in indicio de re vt poſſibili. Atque ita quiſquis habet hoc indicium, *Res eſt mihi poſſibilis, & de facto erit, ſi ego, vt poſſum, libertate mea* (quæ integra, & ſoluta, ac expedita eſt, atque vt talis ſuppoſita fuit) *vti velim.* Ille, inquam, per actum voluntatis & ſperare, & rem ſibi propoſitam intendere poteſt. Quamuis de infallibili eius non futuritione perinde doleat, ac doleret ſi iam expertus eſſet rem in præterito non contigiſſe: cum hoc tamen diſcrimine, quòd res, ſi actu contigiſſet, non foret ampliùs in eius poteſtate; at in eius poteſtate eſt, atque adhuc eſt integra antequam contigerit. Ex dictis habetur, reprobum de quo agimus, debere conari, & intendere: cùm non ſtet, niſi per ipſum, quo minùs res aliter, quàm euentura ſit, eueniat.

10. Confirmatur hoc totum. Nam Deus certiſſimè ſciens talem reprobum actu commiſſurum peccatum, propter quod infallibiliter ſit damnandus, non mouetur illo indicio, quod habet ab æterno; *Irreuocabiliter peccabit ille reprobus, nec ſalutem re conſequetur.* Sed non obſtante tali indicio pergit ſuis inſpirationibus ſæpe etiam vehementioribus illum iuuare, eique ſuadere ne peccet, ponatve cauſam damnationis: ſupponit ſcilicet integrum adhuc eſſe totum negotium, nec vllo modo eius ſupponit futurum euentum. Similiter ſe bonus gerit Angelus, ipſum iuuare pergit, ac ſedulus eſt in auferendis occaſionibus peccandi; quamuis ſupponamus reuelationem habere (qualem habebit haud dubiè bonus Angelus Antichriſti) talem reprobum ſuis non obtemperaturum conſiliis. Quamuis, inquam, talem reuelationem habeat de euentu, non eum talem euentum ſupponit, ſed rem antecedenter conſiderat: alioqui conſilia, & inſpirationes, quas ei ingerit, non aliò pertinere poſſent, quàm vt grauius peccaret, magiſque damnaretur. Addo præſtaturum eſſe idem cùm Deum, tum Angelum, etiamſi facta fuiſſet ipſi reprobo reuelatio de irreuocabili ſua damnatione. Iudicaret ergo Deus, & Angelus poſſibilem eſſe nihilominus huic reprobo abſtinentiam à peccato, nec ipſum liberatum eſſe à præcepto, & obligatione conandi, & aſſumendi media ad vitandum peccatum ſibi reuelatum.

Secundum argumentum ex ſumma Chriſti ſanctitate deſumptum.

11. Videtur prætereà reddi aliunde non parum difficilis vniuerſa Chriſti libertas circa omnes, etiam non præceptos actus. Non enim ſummè ſanctus videtur eſſe potuiſſe (qualis haud dubiè fuit conſequenter ad vnionem hypoſtaticam, & viſionem beatificam) quin ratione tantæ ſanctitatis determinaretur ſemper, ac neceſſitaretur hìc & nunc ad optimum operandi modum, qui occurrebat; ita vt non poſſet eligere actum minùs perfectum. Patet. Quia omnis imperfectio moralis repugnat ſummæ perfectioni, ac ſanctitati. Eſt autem quædam imperfectio moralis non operari perfectiſſimè, cùm poſſis, & Deus gratiam ad id paratam offerat. Conſtatque illum, qui vlteriori perfectionis gradui renunciat, ſupremæ renunciare perfectioni. Ergo cùm in omnibus fermè rebus occurrat vnum aliquid optimum, non poterat Chriſtus ab eo diſcedere, & occurrentem, ſeque ipſi offerentem maiorem perfectionem reſpuere, atque ita vix ei ſupereſſet ad quicquam electio, ſeu indifferentia. Quod ſi quæ illi electio fortè ſupereſſet inter duo, vel plura æquè perfecta, nullius erat momenti ad meritum, perfectionemque moralem talis electio. Quandoquidem in genere moris non videtur, nec cenſetur

laudabile, aut æſtimabile eligere vnum præ alio prorſus æquali. Atque huiuſmodi obiectio, vt conſideranti patebit, nonnullas deſtruit ex ſolutionibus, quæ præcipuè approbantur ad tuendam Chriſti libertatem, de quibus agemus infrà. Nam ſi hæc obiectio valet, ſequitur non potuiſſe Chriſtum habere indifferentiam, ſiue ad eligendas mortis, actuumque ſuorum circunſtantias, ſiue ad petendam diſpenſationem, &c. Neceſſarium enim illi fuerit mori, & operari eo tempore, modo, &c. in quo maxima ineſſet perfectio: neceſſarium item ſi mors eius ad maiorem Dei gloriam futura erat, non petere diſpenſationem, &c.

12. Vt huic difficultati ſatisfiat, primò quidem fatendum eſt, quod Chriſtus de facto ſectatus eſt eum modum, qui non ſolùm bonus ſemper, ac laudabilis, ſed qui optimus eſſet, ac perfectiſſimus. Nam ſi Beatiſſimam Virginem aſſerimus (probatque Suares *tom. 2. in 3. part. diſp. 18. ſect. 2. concl. 2.*) totis ſemper charitatis, gratiæque ſuæ viribus operatam eſſe, ac ſummo feruore ſemper ſectatam eſſe perfectius, quod poterat; quemadmodum & aliquos Sanctos legimus ita facere ſtuduiſſe, negari non poteſt, quin talis viuendi modus ſit laude digniſſimus, omnemque alium viuendi ſuperet modum. Cur eam igitur negabimus perfectionem Chriſto, cui nullam, quæ poſſibilis ſit, conſtat eſſe denegandam? Sed quæſtio reſtat, num quando Chriſtus quod perfectiſſimum eſſet, ſemper ſectabatur, id fecerit neceſſitate antecedenti determinatus ad eum operandi modum, ita vt non poſſet vnquam, aut remiſſiùs, aut infrequentiùs, aut tardiùs, aut ex minùs perfecto motiuo operari; ſiue ex duobus inæqualibus ſe offerentibus bonis id præ maiori eligere, quod minus, ac illi facilius eſſet.

13. Reſpondet ad hanc quæſtionem Delugo *diſp. 26. ſect. 10.* Chriſtum ad operationes minoris perfectionis eligendas habuiſſe quidem potentiam phyſicam, hoc eſt, quæ ratione difficultatis annexæ nunquam reducitur ad actum, ſed tamen ſufficit ad libertatem ſimpliciter, qualis nempe potentia datur in nobis ad vitanda omnia peccata venialia collectiuè: non tamen habuiſſe potentiam moralem, ſed potiùs habuiſſe moralem impotentiam, ob gratiæ ſcilicet, & cognitionis altiſſimæ abundantiam, ac ſummæ perfectionis ſtatum, qui in illo erat conſequenter ad vnionem hypoſtaticam, viſionemque beatificam. Alij tamen, vt Martinonus *diſp. 11. ſect. 5.* agnoſcunt in Chriſto ad actus remiſſos, minuſque perfectos potentiam non tantùm phyſicam, ſed etiam moralem, putantque poſſe tutò dici Chriſtum, ac Beatiſſimam Virginem non ſemper omni conatu, actuſque perfectione ſibi poſſibili operatos eſſe. Quod quidem dictum ego durius puto, præſertim de Chriſto. Quare.

14. In præſenti videtur diſtinguendum eſſe circa eos actus perfectiores, qui omitti poſſunt abſque peccato. Alij enim ſunt, ad quos nulla ſpecialis inſpiratio, nullumque actuale Dei conſilium inuitet; alij autem, ad quos detur ſpeciale, expreſſumque Dei per inſpirationem, aliterve conſilium. Et quidem, quod ad iſtos pertinet, exiſtimo Chriſtum eos omittendi habuiſſe poteſtatem ſolùm phyſicam, qualis nempe ſufficiat, ac neceſſaria ſit ad hoc vt tales actus dici queant eſſe meritorij: non autem poteſtatem moralem, talem ſcilicet, vt facilè Chriſto eſſet prædictos actus omittere; atque ita Dei inuitantis, & ſuaſione inſtantis repugnare conſilio, aut inclinationi. Id enim ſummæ, vt palam eſt, perfectioni repugnat. Quare nunquam ei placuit vſus potentiæ huiuſmodi. Quod verò attinet ad illos perfectiores actus, ad quos nullum eſt conſilium Dei ſpecialiter inuitantis, non dubito, quin Chriſtus ad eos omittendos potentiam & phyſicam, & ſimul moralem habuerit: ita vt ad eos non tam vehementem determinationem experiretur, quin facilè ad remiſſiores, atque minùs perfectos actus determinare ſe poſſet, ſi vellet. Ego tamen certum habeo (vtpote conuenientius) illum nunquam id voluiſſe, ſed operatum ſemper fuiſſe quod melius, Deoque gratius hic, & nunc ſe offerebat. Quomodo enim eum credamus ſic in exercitio virtutum operatum aliquando fuiſſe, vt ipſe non ſuaſiſſet alteri, & vt de facto (cùm omnes ad perfectiora hortetur) omnibus aliquo modo diſſuadet; atque vt illi ipſi non ſuadebat diuina charitas? Quomodo feruidos virtutis actus omiſiſſet, ad quos non omittendos gratiam ipſe nobis meritus eſt, & confert? Sanè ſi id ita fuiſſet, hoc noſtro Chriſto concipere poſſemus (vt quidem videtur) perfectiorem Chriſtum; eum nempe qui operaretur perfectiùs. Quod minùs pium, nec admittendum putarim.

15. Ergo quamuis abſolutè fatear non repugnaſſe, etiam moraliter, vt Chriſtus determinaret ſe ad minùs perfectos actus; non enim propterea minueretur ipſius Chriſti excellentia quoad meritum, cùm id petatur non ex perfectione virtutis & perfectiore exercitio, ſed ex dignitate perſonæ: quemadmodum non minuitur eius ſanctitas ex eo quod ſupra ſuos omnes charitatis, aut patientiæ actus (qui numero finiti fuerunt) non aliquem alium actum addiderit; nego tamen ita fuiſſe de facto, vt cùm duo inæqualia ſe offerrent, id reſpueret, quod perfectius, Patrique ſuo gratius eſſe iudicabat. Ex his liquet, quomodo plenè conſtiterit Chriſti libertas in electione variarum mortis iniunctæ circumſtantiarum, motiuorum, &c. ad quæ ille nullum præceptum, imò nec ordinariè conſilium à Patre habebat, ſuæ omninò libertati, determinationique relictus.

CAPVT IV.

Explicatur altera, & præcipua circa Chriſti libertatem in rebus ipſi præceptis difficultas, ſumpta ex impeccabilitate.

1. QVANDOQVIDEM certum eſt, & nos in loco oſtendemus, Chriſtum fuiſſe omninò impeccabilem, inde oritur præcipua contra eius libertatem difficultas in iis rebus, quæ ſic ei præceptæ fuerunt, vt omitti ſine peccato non poſſent, qualis nominatim cenſetur mors crucis. Quare videndum nobis eſt, an libertas circa talium rerum exequutionem, hoc eſt, poteſtas illas tam omittendi, quàm adimplendi ſit compatibilis cum perfecta impeccabilitate, quæ facultatem imperium detrectandi non relinquit. Impeccabilitatem autem Chriſti hîc intelligo perfectam. Duplex enim concipi poteſt impeccabilitas. Vna minùs perfecta, quæ incompatibilis quidem eſt cum peccato, non tamen cum peccandi potentia. Quæ duo ſunt valde diuerſa. Nec enim ex eo quòd vnio hypoſtatica, & peccatum ſint incompoſſibilia, ſequitur eandem eſſe incompoſſibilitatem cum ipſa vnione, & cum potentia peccandi. Quemadmodum non ſequitur ex eo quòd odium, & amor eiuſdem ſint incompoſſibilia, parem incompoſſibilitatem habere odium, & potentiam ad amorem. Nam qui odit Petrum, poteſt, & debet reconciliari,

Digitized by Google

eumque amare. At verò prædeterminatio phyſica, exempli cauſâ, non tantùm eſt incompatibilis cum actu libero, ſed etiam cum poteſtate ad actum liberum. Ratio diſcriminis eſt, quia ille qui odit, poteſt odium deponere, vtpotē liberum, eoque depoſito amare. Quare licèt odium impediat amorem, non impedit ad hunc poteſtatem; quia nempè non impedit poteſtatem ad ſui depoſitionem. At is qui prædeterminatur, non poteſt deponere prædeterminationem, vtpote ſibi non liberam. Patet autem quòd ſimiliter, cùm humanitas aſſumpta non poſſit abiicere vnionem hypoſtaticam incompoſſibilem cum peccato, impeccabilitas Chriſti eſt incompoſſibilis non tantùm cum peccato, ſed etiam cum potentia peccandi; atque adeò non eſt quæcunque impeccabilitas, ſed abſoluta, & perfectiſſima. Eſt verò magni momenti, nec paruæ diſputationis difficultas, quomodo perfecta illa impeccabilitas conciliari poſſit cum Chriſti circa res præceptas libertate, ad cuius difficultatis explicationem.

2. Aduertendum eſt, impeccabilitatem oriri poſſe ex variis capitibus. Poteſt enim primò oriri ex aliquo præſuppoſito, quod voluntati ſit extrinſecum, illamque per ſe immediatè, ac phyſicè non determinet; ſed tamen tale ſit, vt conſequenter ad illud Deus ſpecialem adhibere debeat prouidentiam ad peccatum impediendum. Ita in Chriſto cauſa impeccabilitatis eſt vnio hypoſtatica, quæ cùm non ſit data ad operandum, non ponit formaliter per ſeipſam vllum auxilium, vel quicquam intrinſecum in humanitatis aſſumptæ voluntate. Quare hanc relinquit eodem modo ſe habentem intrinſecè, quo ſe haberet ſine vnione ipſa. Ita etiam die Pentecoſtes Apoſtolis, quando confirmati ſunt in gratia, impeccabilitas data eſt, quæ non fundabatur in vlla re, quæ voluntatibus illorum eſſet intrinſeca, ſolùm enim fundabatur in extrinſeco decreto Dei nolentis deinceps permittere, vt in mortale peccatum laberentur. Certum autem eſt huiuſmodi genus impeccabilitatis nequaquam lædere libertatem, niſi medium quod prouidentia Dei poſteà in eius exequutione adhibet, eam lædat.

3. Secundò impeccabilitas oriri poteſt ex aliquo voluntatem intrinſecè determinante, ſiue illud ſit in intellectu, quomodo Beatos viſio Dei reddit impeccabiles; ſiue ſit in ipſa voluntate, quomodo diuinus amor efficax non poteſt non originare exequutionem eius, quod ſine peccato nequit omitti: atque hoc etiam modo patet Beatos eſſe impeccabiles. Eſſentialiter verò competit Deo talis impeccabilitas fundata in ſumma cùm intellectus, tum voluntatis perfectione intrinſeca, per quam phyſicè determinatiſſimus eſt ad bonum, & infinitè auerſus à malo. Quæ ad bonum eſſentialis determinatio, & auerſio à malo eſt diuina ſanctitas. Hoc poſito difficultas nunc explicanda, ſoluendaque ſe offert, quomodo vnio hypoſtatica, & quæ hanc ſequitur, viſio beatifica libertatem Chriſti in iis, quæ ſine peccato omitti non poſſunt, non auferat, quatenùs ex iis oritur impeccabilitas. Vbi attendere oportet ex vnione, & viſione prædictis impeccabilitatem non oriri proptereà præcisè, quòd in humanitate Chriſti reperiantur. Poſſunt enim concipi tam vnio hypoſtatica, quàm viſio beatifica in ſingulis temporis inſtantibus ſic exiſtere in aſſumpta humanitate, vt tamen non ſit cum iis ſimul impeccabilitas.

4. Fieri ſcilicet poteſt (Deo ita volente, & inſtituente) vt in quo inſtanti exiſtit vnio, & beatifica viſio, voluntas humanitatis præſupponatur ſecundùm prioritatem naturæ, ſeu rationis operari, & ſe determinare ad acceptandam verbi cauſâ mortem. Quod vt intelligas, aduerte non eſſe dubium, quin Deus in quolibet inſtanti potuerit velle Chriſti in hac vita mortali verſantis vnionem hypoſtaticam conſeruare, non abſolutè, ſed ſub ea conditione, vt eius voluntas humana præceptum acceptaret ſubeundæ mortis: quo modo vnio fuiſſet ratione poſterior, & pendens ex intuitu talis acceptationis. Sed & ſecundò fieri poterat, vt in eodem temporis inſtanti Deus Chriſto daret, ſeu conſeruaret vnionem hypoſtaticam priùs naturâ, quàm voluntas humana operaretur, ita vt talis operatio eſſet hominis Dei. Atque in primo quidem caſu clarum eſt, vnionem hypoſtaticam (vtpotè non conceſſam à Deo, niſi ex intuitu operantis priùs, & mortem acceptantis voluntatis) non potuiſſe adimere ipſi voluntati libertatem acceptandæ mortis, nec dare illi potuiſſe in tali determinatione impeccabilitatem. In ſecundo autem caſu eſt omninò contrarium; & patet vnionem, vt præſuppoſitam, neceſſitare ad acceptandum Patris præceptum. Eos autem duos caſus eſſe poſſibiles conſtat exemplo peccatoris, qui per contritionem iuſtificatur. In illo enim, licèt contritio ratione præſupponatur exiſtere ante gratiam, ſeu charitatem eodem inſtanti temporis infuſam, atque adeò non iuſtificet ex condigno; poſſet tamen Deus per ſuam extrinſecam voluntatem priùs naturâ infundere ipſam gratiam, ſeu charitatem, & in poſteriori naturæ concurrere cum charitate ad productionem contritionis. Nos autem in præſenti diſputatione, cùm loquimur de vnione hypoſtatica, ſeu viſione beatifica, conſideramus illam vt præſuppoſitam in Chriſto antequam ipſe operetur. Alioqui ſi operatio præcederet ratione vnionem hypoſtaticam, non eſſet operatio Chriſti, cùm Chriſtus non ſit in eo priori, in quo non eſt vnio hypoſtatica.

5. Poſito autem, quòd humanitas ſupponatur habere vnionem, & Chriſtus eſſe per eam conſtitutus, indubitatum eſt impeccabilitatem eſſe in Chriſto intrinſecam, & velut eſſentialem. Vnio enim hypoſtatica, quemadmodum & viſio beatifica, petit, vt ne quidem præparetur, offeraturque à Deo ipſi Chriſto concurſus ad recuſandum præceptum, & ad peccandum, ſi vellet. In hac enim præparatione, & oblatione concurſus foret ſumma contra Chriſti dignitatem indecentia. Vnde formatur ſic argumentum contra Chriſti circa res præceptas libertatem. Id quod aufert à Chriſto potentiam omittendi præceptum diuinum, aufert ab eo libertatem circa obſeruationem præcepti, & inducit neceſſitatem illius adimplendi. Atqui impeccabilitas orta ſeu ex vnione hypoſtatica, ſeu ex viſione beatifica, aufert à Chriſto potentiam omittendi præceptum diuinum: Ergo impeccabilitas orta ſeu ex vnione hypoſtatica, ſeu ex viſione beatifica aufert ab eo libertatem circa obſeruationem præcepti, & inducit neceſſitatem illius adimplendi. Maior eſt euidens, vt enim ſim liber, dum præcipienti obtempero, neceſſe eſt, vt poſſim non obtemperare. Minor negari non poteſt. Nam impeccabilitas aufert potentiam peccandi: Ergo aufert potentiam omittendi quod præceptum eſt, omittere enim præceptum, & peccare, idem ſunt.

6. Ad hoc argumentum reſpondet Sanctus Thomas *quæſt.* 28. *art.* 4. quamuis Chriſti voluntas ſit per impeccabilitatem determinata ad bonum in communi, non tamen eſſe determinatam ad bonum in particulari. Quemadmodum videmus in Deo, & Beatis, qui quamuis neceſſitentur quoad ſpecificationem, nec poſſint proſequi obiectum niſi honeſtum; tamen non neceſſitantur quoad exercitium,

Digitized by Google

exercitium, nec quoad hoc, vel illud honeſtum hic & nunc in particulari. Sed hæc reſponſio præſenti de Chriſto difficultati nec ſufficere, nec accommodari poteſt. Nam eo modo Chriſtus vi impeccabilitatis ſuæ neceſſitabatur ad honeſtum, quomodo honeſtum præcipiebatur ei à Patre: Atqui præcipiebatur ei honeſtum in particulari, v.g. actus acceptandi mortem. Quæruntur ergo à variis Theologis aliæ facti argumenti, præſentiſque difficultatis ſolutiones, quarum aliquas omninò inualidas proximo capite referemus, ac reiiciemus, probabiliores alias deinde ſequentibus capitibus relaturi, ac de iis noſtrum ſignificaturi iudicium.

CAPVT V.

Refelluntur quædam ſuperioris difficultatis ſolutiones ad conciliandam Chriſti libertatem cum impeccabilitate.

1. CIRCA actum amplectendi mortem præceptam (in quo actu maximè vrget ſuperius argumentum) primus modus qui ſe offert conciliandi libertatem Chriſti cum impeccabilitate, eſt eorum qui reſpondent ipſum non fuiſſe neceſſitatum abſolutè, & antecedenter; quia potuiſſet abſolutè, & antecedenter nullum ei dari de morte ſubeunda præceptum, in quo caſu Chriſtus deprehenderetur liber. Ergo Chriſtus à ſe, & antecedenter eſt liber. Si autem præcepto adueniente contrahit neceſſitatem, id tantùm eſt conſequenter, & ex ſuppoſitione. Notum verò eſt, neceſſitatem conſequentem, & ex ſuppoſitione non opponi libertati. Sed hæc ſolutio diuerſis explicata, propugnataque modis, licèt valdè trita ſit inter Thomiſtas, valere non poteſt. Cùm enim dicitur à Theologis, neceſſitatem conſequentem, & quæ ex ſuppoſitione ſit, non obeſſe libertati, id non intelligitur de neceſſitate quocumque modo conſequenti, nec de quacumque ſuppoſitione; ſed tantùm de illa, quæ potuit à nobis impediri, & quam impedire noluimus. Quidquid enim neceſſariò ſequitur ex aliquo per nos inimpedibili, non eſt nobis liberum, ſed neceſſarium: quod eſt dicere, neceſſitatem conſequentem, ſeu ſuppoſitionem, quæ libertatem non lædit, debere reſpicere ipſam determinationem actualem libertatis, vt antecedentem.

2. Etenim ſi res aliqua neceſſitatem inuehens, non ſequatur, ſed præcedat ipſius determinationem voluntatis, hanc afficit, & in ipſam determinationem influit, atque adeò reddit neceſſariam, quantumvis huiuſmodi neceſſitas dicatur conſequens reſpectu alterius rei. Exempli causâ, neceſſitas, qua neceſſarium eſt Petrum diligere Deum ex ſuppoſitione, quod hunc diligat, & quæ ſubſequitur dilectionem, non poteſt reddere dilectionem neceſſariam. Illa enim neceſſitas, quæ nondum aduenit, cùm ſit dilectio, non poteſt hanc, in ſuo fieri conſideratam afficere vlla denominatione. At verò neceſſitas, quæ concipitur voluntatem Petri informare in priori, quàm ſit dilectio (ita vt dilectio oriatur à potentia vt informata à tali neceſſitate) reddit omninò dilectionem neceſſariam, quamuis ea neceſſitas ſit ex eo, quod præſupponatur Deus infudiſſe Petro verbi causâ lumen gloriæ, & ſit conſequens reſpectu talis infuſionis: quomodo apparet in Beatis actum amoris diuini eſſe omninò neceſſarium, licèt ſit ex ſuppoſitione infuſionis luminis gloriæ prædicti.

3. Sic igitur in præſenti. Si conceditur eſſe in Chriſto neceſſitas obediendi Deo Patri, non quidem ex ſuppoſitione determinationis ad ipſum actum obedientiæ, ſed ex ſuppoſitione præcepti, quod ſit datum ante omnem ipſius Chriſti liberam determinationem; aſſerendum eſt, actum obedientiæ eſſe abſolutè neceſſarium. Dixi, ante Chriſti liberam determinationem, quia ſi præceptum aliquod, putà ſubeundi mortem, ſupponeretur datum fuiſſe à Patre ipſi Chriſto petenti tale ſibi præceptum imponi; aut ſi ſupponeretur obligationem ipſius præcepti iam impoſiti non perſeuerare, niſi ex voluntate Chriſti habentis in ſua poteſtate diſpenſationem, quam obtinere poſſet, cùm vellet; in eo caſu negari non poſſet, quin obedientia, & actualis exequutio præcepti foret libera in cauſa: tamen primò id non faceret, vt talis exequutio eſſet libera, & meritoria in ſeipſa immediatè. Et ſecundò non poſſet accommodari omnibus præceptis, & obligationibus, quas habebat Chriſtus: multa enim habebat à Patre præcepta naturalia, quæ & antecedenter ad omnem petitionem ipſius liberam (cùm naturam per ſe, & neceſſariò ſequantur) impoſita ei erant, & omnem diſpenſationis locum excludebant. Ex dictis manifeſtum eſt inualidam eſſe illam Thomiſtarum ſolutionem, quæ data eſt ſub terminis ſuperiùs allatis, quòd Chriſtus non fuerit neceſſitatus abſolutè, & antecedenter ad moriendum; ſed tantùm ex ſuppoſitione præcepti, ſeu conſequenter ad præceptum.

4. Nec minùs eadem ſolutio inualida eſt, dum mutatis, ſed æquiualentibus explicatur terminis: nimirum, quòd Chriſtus, licèt neceſſitatem moriendi habuerit in ſenſu compoſito, hoc eſt, poſito præcepto; potuerit tamen non mori in ſenſu diuiſo, hoc eſt, non poſito præcepto. Hic verò notandum eſt, iſtorum aliquos aſſerere quidem, quod in ſenſu etiam ipſo compoſito (dum neceſſitas per eum importatur) ſtat nihilominus potentia indifferens ad contrarium; ita vt Chriſtus, ſuppoſito etiam præcepto, quo neceſſitatur ad volendum mori, potentiam habeat ad non volendum mori. Sed cùm hoc dicunt, nihil aliud quàm fucum faciunt. Per potentiam enim ad non volendum mori, nequaquam intelligunt, vt cæteri, potentiam hic & nunc expeditam ad vtrumvis: ſed intelligunt ipſam appetitiuam facultatem, ſeu voluntatem, quatenus eſt proprietas omni naturæ intellectuali inſita, qua Chriſtus (habens nempe iudicium indifferens) poſſit vel mori velle, ſi ad id præcepto determinetur; vel mori non velle, ſi non determinetur præcepto: perſeuerat enim ſemper, nec deſtruitur quoad ſubſtantiam, vt ita loquar, appetitiua illa facultas, naturaliſque proprietas; atque ſub ipſa præcepti determinatione, cùm neceſſitatur velle mori, talis eſt, vt ceſſante determinatione poſſit non velle mori. Perſeuerante autem huiuſmodi potentia, ſeu intellectuali appetitu, dicunt Chriſtum concipi potentem ad vtrumlibet; ſiue, liberum eſſe in ſenſu diuiſo. Quod eſt (vt iidem aliter explicant) remanere cum præcepto in Chriſto ſimultatem potentiæ, ſed non remanere potentiam ſimultatis: ſiue (quod eodem redit) non poſſe manere ſimul præceptum moriendi, & actum inobedientiæ; non poſſe item ſimul manere actum non obediendi, licèt cum actu obediendi maneat potentia ad non obediendum.

5. Hæc, inquam, non aliud ſunt, quàm caua verba, quæ nihil ſolidum ſonant. Quid eſt hoc? Manere in Chriſto (poſtquam ſupponitur fuiſſe impoſitum ei præceptum) potentiam non mo-

Digitized by Google

riendi in ſenſu diuiſo; ſiue in ſenſu, quo non ſupponatur impoſitum ei præceptum? Poteſtne non ſupponi fuiſſe impoſitum præceptum, quamdiu ſupponitur impoſitum fuiſſe; & cùm de illo non aliter hîc loquimur, niſi facta, & manente ſuppoſitione prædicta? Sic dicere poſſes, Deum poſtquam ſupponitur feciſſe reuelationem, & promiſſionem de conſeruandis in æternum Beatis, habere nunc (manente tali ſuppoſitione) potentiam indifferentiæ, vt eligat Sancti verbi cauſâ Petri conſeruationem, vel deſtructionem; ſi nempe ſuppoſitionem quam manere ſtatuimus, auferamus. Perinde porrò inane eſt quod aliqui dicunt, voluntatem Chriſti, quamvis præceptum habeat, poſſe tamen à nobis conſiderari ſeorſim à præcepto; & eam ſic abſtractiuè conſideratam, non concipi neceſſitatam, ſed liberam. Id, inquam, nihil prodeſt: nam ſic voluntas Chriſti non eſſet in re, nec niſi per noſtram mentem, & per conceptum abſtrahentem, indifferens, ſeu libera; cùm in re non ſit talis abſtractio à præcepto.

6. Vides iſtos, dum Chriſti libertatem defendunt, eadem vti palæſtra, qua vtuntur in ſua defendenda prædeterminatione phyſica; & in eaſdem implicare ſe difficultates. Quemadmodum enim noſtram volunt non lædi libertatem, quamvis cum prædeterminatione coniungi non poſſit carentia operationis, cùm putent voluntatem, etiam prædeterminatam, poſſe in ſenſu diuiſo (hoc eſt, reuelata prædeterminatione) diſſentire, quia, inquiunt, cum ipſa prædeterminatione ſtat eadem volendi potentia, & iudicium indifferens de obiecti bonitate, & malitia, & conſequenter libertas. Similiter in præſenti materia dicunt, quamvis poſito præcepto moriendi, & poſita ſimul vnione hypoſtatica, nequeat eſſe carentia mortis, nihilominùs mortem in Chriſto eſſe liberam, quia in ſenſu diuiſo vnionis poteſt Chriſtus non mereri; & quia habet ſimul iudicium indifferens de bonitate, & malitia mortis. Sed quis primò non videat, quàm parum ſubtiliter, parumque circumſpectè dicatur, Chriſtum poſſe non velle mori in ſenſu diuiſo vnionis, hoc eſt, ſi auferatur ab eo vnio? Quid? ſi fiat vnionis diuiſio à Chriſto, poteſtne concipi abſque vnione exiſtere Chriſtus, & eligere non mori? quid aliud eſſe poteſt, quàm purus homo, ſiue ante poſitam, ſiue poſt ſublatam vnionem hypoſtaticam? Vnde patet non niſi incautè dici, Chriſtum in ſenſu diuiſo vnionis liberum eſſe. In eo enim ſenſu non Chriſtus liber eſſe poteſt, ſed humanitas. Secundò quàm abſurdè dicitur libertatem ad moriendum, vel non moriendum in Chriſto ſaluari per iudicium indifferens, quod is ſimul cum vnione hypoſtatica habeat de bonitate, & malitia mortis? Sanè iudicium illud non poteſt facere, vt detrectatio mortis præceptæ coniungi queat cum vnione hypoſtatica: quandoquidem ipſi affirmant detrectationem mortis vt præceptæ non poſſe eſſe niſi in ſenſu diuiſo vnionis, deſtructo ſcilicet Chriſto. Alioqui cogerentur fateri Chriſtum in ſenſu compoſito vnionis eſſe peccabilem, & cum vnione habere peccandi potentiam. Denique qui iudicium illud indifferens ponunt in Chriſto, debent aduertere, Chriſtum præter vnionem hypoſtaticam habere viſionem beatificam, quæ iudicium non habet indifferens, ſed determinatiſſimum circa ſummam Dei amabilitatem, alioqui dicere poſſemus, Beatos iam in cœlo habere libertatem ad peccandum in ſenſu diuiſo. Hactenus diſputatum ſit contra doctrinam illam, quæ nobis prima in præſenti ſe obtulit, & valde trita eſt inter Thomiſtas, conantes libertatem Chriſti cum eius impeccabilitate conciliare.

7. Secundò refutanda ſe offert præſentis difficultatis altera ſolutio deſumpta ex doctrina Scoti, Durandi, Gabrielis, Marſilij, & aliorum, qui apud Suarem *diſp. 33. ſect. 2.* & apud Vaſquem *diſp. 61. c. 2.* negant oriri in Chriſto impeccabilitatem ex vnione hypoſtatica; & per conſequens cenſent peccandi libertatem nullatenus lædi per vnionem hypoſtaticam in ſenſu etiam compoſito. Fundantur in eo, quòd vnio non mutet phyſicè naturam voluntatis, nec ad operandum iuuet: quare iſti non laborant, vt concilient libertatem Chriſti cum impeccabilitate vt orta ex vnione hypoſtatica, cùm talem impeccabilitatem nullam eſſe putent. In quo ſunt à nobis ſufficienter *cap.* 4. refutati.

8. Verumtamen, quoniam iidem aliundè non negant impeccabilitatem Chriſto conuenire, ob viſionem beatificam; hunc modum inierunt tuendi libertatem in Chriſto, & eam conciliandi cum prædicta impeccabilitate; vt nimirum dicant præceptum Patris verbi cauſa, de morte crucis ſubeunda, nihil ponere intrinſecum in beata Chriſti mente, aut voluntate. Quare cùm ſit merè extrinſecum, non poſſe per illud oſtendi libertatem. Eo nempe modo philoſophantur, quo Scotiſtæ communiter, qui dum phyſicas, & intrinſecas prædeterminationes, tanquam libertatis peſtem auerſentur, ponunt tamen determinationes extrinſecas, nimirùm Dei decreta efficacia, & talia, vt impliceet contradictionem ea non ſortiri effectum. Quia tamen huiuſmodi decreta, extrinſeca ſunt voluntati creatæ, aiunt hi Doctores per ea libertatem nullatenus lædi. Potuit ergo Chriſtus, iuxta hanc doctrinam, efficaciter obligari per præceptum Patris extrinſecum ad ſubeundam mortem, ita vt implicuerit contradictionem, eum non obtemperare, atque adeò impeccabilitatem habuerit, & tamen violata non fuerit eius libertas. Bene rem attendenti patebit ſolutionem hanc non valere: non enim ita cum impeccabilitate libertas Chriſti ſaluatur. Nam ſi Deus independenter à voluntate Chriſti præceptum tale ponit, vt illo poſito contradictionem implicet, Chriſtum non obtemperare, quomodo concipi poteſt (Deo non vtente ſcientia media) Chriſtum eſſe liberum ad obtemperandum, vel non obtemperandum? Nec obeſt quod præceptum illud ſit extrinſecum, quandoquidem Chriſtus æquè neceſſitatur per illud ſibi intimatum, & à ſe cognitum.

8. Tertiò reiiciendus eſt etiam modus, quo nonnulli, vt Gaſpar Hurtadus ab Ariaga relatus, ſoluunt difficultatem præſentem, aſſerentes Chriſtum, cùm impeccabilis eſſet, nec poſſet abſolutè omittere acceptationem præcepti ſubeundæ mortis, fuiſſe tamen liberum; quatenùs ex omnibus numero diſtinctis actibus, quibus poterat acceptare Patris imperium, potuit eligere pro arbitrio ſuo hunc potiùs actum in indiuiduo, quàm illum. Sed contra: nam cùm ea quæ ſolo numero, & indiuidualitate differunt, ſint eſſentialiter æqualia in perfectione, non poteſt ad laudem, & ad meritum pertinere illa libertas, quæ inter indiuidua vnum potiùs eligit, quàm aliud. Quemadmodum, ſi debeo tibi pro libri pretio ſoluere vnum aureum nummum, nullam cenſeor inire à te gratiam, quòd ex pluribus aureis, quos præſto habeo eiuſdem omnes valoris, tibi potiùs nummum A, depromam, quàm nummum B. Cùm igitur Chriſtus vi præcepti ſupponatur fuiſſe obligatus ad acceptandam mortem, non inde potuit nobis, aut ſibi quicquam mereri, quòd mortem acceptare

ceptare

Digitized by Google

ceptare maluerit per acceptationis actum A, quàm per actum B.

9. Quartò quorumdam refertur ad præſentem ſoluendam difficultatem, ſententia, quam nullo modo intelligere, nedum probare poſſunt. Hos Arriaga dicit Caietanum ſequutos, exiſtimare voluntatem cùm eſt in actu primo ad efficiendum, vel omittendum aliquem actum, exercere quidem libertatem, ſi actum efficiat; non exercere tamen, ſi actum omittat: quia omiſſio pura, inquiunt, cùm nihil ſit, non poteſt participare libertatem. Ex qua doctrina reſpondent ad hanc de libertate Chriſti difficultatem, impeccabilitatem Chriſti nullatenus obeſſe ipſius Chriſti libertati, quo minùs ſtante Patris præcepto concipiatur potuiſſe per puram actus omiſſionem non velle mori. Nam talis omiſſio non potuit pugnare cum impeccabilitate, quandoquidem, cùm non participet libertatem, non poteſt eſſe peccatum, quod eſſentialiter debet eſſe liberum. Atque ita concluditur Chriſtum quantumvis impeccabilem, potuiſſe non velle mori, quamvis non potuerit per poſitiuum actum nolle mori. Sed hac ſententia nihil cogitari poteſt abſurdius, nihil errori propinquius. In eoque contradictionem inuoluit, quòd & omiſſionem, quæ in poteſtate voluntatis eſt vt ſit, vel non ſit, neget liberè poni, & ſimul dicat exerceri tunc libertatem, quando actus, qui omitti poterat, ponetur, nec omittitur: nonne hoc ipſo aſſerere debet oppoſitam omiſſionem, quæ exiſtere poterat, libertati ſubiacere? Non enim poteſt eſſe libertas contradictionis, niſi vno extremo liberè poſito, poni æquè potuiſſet alterum, hoc eſt, niſi actus tam liberè poſſit omitti, quàm poni.

10. Omiſſis, reiectiſque ſolutionibus prædictis, & ſi quæ fortè aliæ à recentioribus (quæ eſt opinandi libertas) minùs ſolidè excogitatæ ſunt ad hanc expediendam de Chriſti libertate difficultatem; veniendum nobis eſt deinceps ad probabiliores ſententias. Et quidem, cùm impeccabilitas Chriſti, pro duplici ſuo fundamento, conſiderari poſſit dupliciter, prout nempe fundatur in vnione hypoſtatica, & prout fundatur item in viſione beatifica, ſolutiones quæſtionis præſentis afferemus iuxta duas illas conſiderationes impeccabilitatis: primò quidem ſumendo quamlibet ſeorſim, ſecundò ſumendo ambas communiter. Subdemus & deinde quaſdam aliàs nonnullorum ſolutiones, quæ nobis videantur non improbabiles.

CAPVT VI.

Impeccabilitas Chriſti, quatenus fundata præciſè in vnione hypoſtatica, conciliatur cum libertate.

1. QVAMVIS circa Chriſti libertatem, in iis quæ ipſi à Patre præcepta ſunt, multùm diſputent, ac inter ſe contendant Theologi, vt eam, ſalua ipſius Chriſti impeccabilitate, tueantur, nihilominùs res hæc non ita difficilis erit, ſi de impeccabilitate loquamur, quatenus orta præciſè ex vnione hypoſtatica, & vt abſtrahente à viſione beatifica: quomodo illam Suares *diſp.* 17. conſiderat, aſſerens *ſect.* 4. *circa medium*, Chriſtum vt viatorem habuiſſe amorem liberum, qui non vt amor beatificus ſequeretur ad ſcientiam beatam, ſed tantùm ad infuſam, & conſequenter cùm Patri obtemperauit liberè, vſum fuiſſe ſcientia infuſa, non autem ſcientia beata: quod eſt dicere impeccabilitatem, quæ ex beatitudine, Deique viſione oriebatur, fuiſſe impertinentem ad libertatem ipſius Chriſti viatoris, Patri obtemperantis, atque adeò non potuiſſe illam impedire.

2. Vt verò impeccabilitatem eam, quæ oritur ex vnione hypoſtatica oſtendamus nequaquam circa præceptos actus cum libertate, quam ſcientia infuſa dirigit, pugnare; ſupponendum eſt, totam hîc difficultatem in eo conſiſtere, quòd videatur nullum actum in Chriſto viatore potuiſſe eſſe liberum ex ſuppoſitione præcepti, admiſſis duabus his conditionibus, quæ in ipſius Chriſti viatoris obedientia negari non poſſunt. Nempe primò, vt poſtquam præceptum datum eſt, actus qui iubetur, ſit infallibiliter euenturus, implicetque contradictionem eum non euenire. Et ſecundò, vt præceptum illud in ſui exiſtentia, vel duratione ſit independens à libertate ipſius Chriſti. Verumtamen negari debet duas illas conditiones, quantumvis alicubi reperiantur, ſufficere vt actus præceptus reddatur omninò neceſſarius, & nullo modo liber: nam ſi diuinum præceptum, poſtquam poſitum eſt, non determinet voluntatem quodam phyſico modo, poteſt verè liber manere actus ille, quem implicat contradictioctionem non elici ex ſuppoſitione præcepti. Quamvis enim ſit impoſſibile poſitionem præcepti, & negationem actus ſimul componi; tamen ea impoſſibilitas per ſe loquendo, & niſi aliud ſit, non infert neceſſitatem antecedentem. Poteſt enim Deus, poſtquam præcepit abſolutè quippiam, voluntates creatas ad exequutionem illius liberam inducere per miniſterium ſcientiæ mediæ.

3. Dicendum igitur Chriſti Domini impeccabilitatem, quæ oritur ex vnione hypoſtatica nihil aliud eſſe, quàm exigentiam ſpecialis cuiuſdam prouidentiæ, per quam Deus voluntatem illius regat, & in eas ſemper circumſtantias, cogitationes, & occaſiones inducat, in quibus eam ſe, vt par eſt, determinaturam, & præceptis, quibus obligatur, parituram eſſe præuidet. In qua impeccabilitate conſiderandum primò eſt, vt illius aliquam quidem relinqui neceſſitatem, vt Chriſtus Patri obtemperet, adeò vt implicet non obtemperare. Verumtamen conſiderandum ſecundò, illam neceſſitatem non eſſe propriè antecedentem. Inuoluit enim vſum eius ſcientiæ, per quam Deus operationem libertatis humanæ, in qua præuidenda occupatur, præſupponit, & quaſi ſequitur, vt poſtquam præuidit voluntatem ſe taliter determinaturam, & liberè operaturam, ſi talis occaſio detur, talem illi occaſionem de facto procuret, ac deinde liberum operandi vſum ei permittat.

4. Quo explicandi modo euidens eſt libertatem Chriſti perfectè ſaluari cum impeccabilitate prout orta ex vnione hypoſtatica, quandoquidem ad totum negotium impeccabilitatis huiuſmodi, & velut exequutionem illius applicatur dumtaxat id medium, quod libertatem præſupponat integram, & in ea nihil intrinſecè operetur. Atque ita hæc duo extrema, nempe præceptum à Deo poſitum, & Chriſti obedientia actualis, eo quidem iunguntur infallibi nexu, quem rumpi contradictionem inuoluat. Sed tamen non habent coniunctionem intrinſecam in ipſorum extremorum natura fundatam. Solùm enim habent extrinſecam, & ortam ex ſcientia, prouidentiaque Dei, quæ libertati nocere non poteſt; cùm eius quaſi ſpeculetur, ſequaturque

determi

Google

determinationem. Hæc ſic per vſum ſcientiæ mediæ explicata reſponſio (quam Suares ſequitur , & Vaſques impugnat) eſt omninò ſufficiens , habita ratione ſolius vnionis hypoſtaticæ , & non viſionis beatificæ , nihilominus contra prædictam reſponſionem.

5. Obiici poteſt, impeccabilitatem , quam importat vnio hypoſtatica , talem videri , vt per vſum ſcientiæ mediæ non tollatur præſens difficultas , neque Chriſti libertas ſaluetur. Hæc ſiquidem impeccabilitas impedit ne Deus per ſcientiam mediam poſſit videre quampiam occaſionem , in qua Chriſtus ſit determinaturus ſe liberè , & citra neceſſitatem omnimodam , ad acceptationem mortis vrgente præcepto ; cùm impoſſibilis ei ſit non acceptatio. Vnde fit , vt non poſſit habere paratum concurſum geminum , quem ipſi offerat ad acceptationem , vel non acceptationem præcepti ſeriò obligantis. Atque ſic ad hoc negotium inutilis eſt vſus ſcientiæ mediæ. Reſpondeo , locum aliquem poſſet habere obiectio ſi vnio hypoſtatica naturam Chriſti humanam ſic afficeret , ac voluntatem eius intrinſecè ſic determinaret, vt facit viſio beatifica : ſi enim id eſſet, fieri nequiret , vt Chriſtus in vlla occaſione mortem recuſaret , atque adeò nullatenus eſſe poſſet liber ad illam acceptandam , vel non acceptandam ; ac per conſequens non poſſet Deus per ſcientiam mediam videre vllam circunſtantiam, ſeu occaſionem, quam ei procurare deberet , vt illam induceret ad liberè mortem acceptandum , quo tempore præceptum diuinum vrgeret. Nam etiam poſſet geminum eidem offerre concurſum : neque hic vtilis foret ſua ſcientia media. Verùm res non ita habet.

6. Quamvis enim vnio hypoſtatica Chriſtum reddat ab intrinſeco impeccabilem , id tamen non præſtat per vllam naturalem , aut ſupernaturalem perfectionis formam intrinſecam , quæ voluntatem determinet ; manet enim voluntas Chriſti quoad ſe ipſam intrinſecè cum eadem ad parendum , vel non parendum libertate , & ad vtrumque eodem modo flexibilis , ac ſi non eſſet vnio hypoſtatica : quare ſi per vſum ſcientiæ mediæ extrinſeca Dei prouidentia efficaciſſima, & ſapientiſſima non ſuſciperet ſpeciale regimen voluntatis Chriſti (quale Chriſtus , vt habens vnionem hypoſtaticam requirit neceſſariò, & velut eſſentialiter) non deforet humanæ illius libertati vis integra ad obediendum, vel non obediendum. Sed cùm abſolutè ſit impoſſibile , vt Deus ab illius prædicto ſpeciali regimine abſtineat , hinc fit, vt dicendum non ſit abſolutè , ac ſimpliciter voluntatem Chriſti (vt Chriſti , & vt coniunctam cum vnione hypoſtatica) potuiſſe non obedire Deo , ſeu peccare. Licèt id in ſenſu diuiſo poſſet , ſi abſque ſpeciali Dei prouidentia ſibi ſoli , & ſecundùm ea intrinſeca , quæ naturaliter habet , relinqueretur. Eo modo , quo dicendum eſt de beatiſſima Virgine, & aliis in gratia confirmatis : verùm cum hac differentia , quòd iſtis prouidentia Dei extrinſeca annectitur , infallibiliter quidem , ſed ex pura gratia, & ſine tam intrinſeca eorum exigentia ; Chriſto autem nullatenus ex gratia , ſed ex eius , vt vnione hypoſtatica conſtantis , velut eſſentiali conditione.

7. Ex dictis perſpicuum eſt , quomodo impeccabilitas provt orta præciſè ex vnione hypoſtatica, conciliari cum Chriſti libertate potuerit : illo nempe modo , quo Deus , ſi efficaciter prædefiniret futuritionem contritionis à Petro , verbi cauſa , liberè eliciendæ , iungeret infallibilitatem eius actus cum libertate ipſius Petri; præuidens enim per ſcientiam mediam , quando , quomodo , & in quibus circunſtantiis Chriſtus conſenſurus foret cogitationi de acceptanda morte ſibi præcepta , poterat congruam illi inſpirationem immittere , eumque in opportunas circunſtantias inducere : atque tunc geminum conſenſum ipſi offerre, vt aut acceptaret mortem , aut recuſaret , provt alterutrum mallet : ita tamen vt certiſſima eſſet præuiſio futuri in obediendo conſenſus.

8. Indidemque reſponſum patet ad eam , quæ vulgò fit, petitionem ; vtrum ſi Chriſtus (vt poterat ſine peccato) recuſaſſet omni tempore præcedenti acceptare mortem , diſtuliſſetque eam vſque ad extremum inſtans ſpatij illi à Deo conceſſi , cenſeri poſſet tunc acceptatio mortis libera ? Clarum ſcilicet eſt , liberam futuram fuiſſe , ſi aliud non obſtitiſſet , quàm impeccabilitas orta ex vnione hypoſtatica : tunc enim illi Deus duos concurſus ita congruè obtuliſſet, ſicut eum præcepto liberè pariturum præuidiſſet per ſcientiam mediam. Quare non tantum fuiſſet ipſi Chriſto liberum , quod in præcedenti tempore, in quo nulla neceſſitas erat acceptandi mortem , mortuus non fuiſſet ; verùm etiam in ipſomet vltimo inſtanti exiſtentia mortis eſſet in ſe ipſa formaliter libera.

9. Obiicitur denique, hunc modum , quem hoc capite ſequuti ſumus ad explicandam libertatem Chriſti per vſum ſcientiæ mediæ , idoneum non videri ; cùm in eum vniuerſa quorumdam religioſorum Patrum (quos non dixerim in hoc Thomiſtas) ſchola inſurgat , & illud ſcientiæ genus cenſeat impoſſibile. Neque inter illos deſint qui noſtræ Societatis de ſcientia media doctrinam dicere audeant hæreticam , & Pelagianiſmi fundamentum , vel (ſicut modeſtiùs loquuntur aliqui) humanæ Theologiæ inuentum , ſupremo Dei dominio iniurioſum , & à Sancto Auguſtino damnatum. Reſpondeo nihil euidentius nobis eſſe , quàm in Deo tale ſcientiæ genus reperiri , nec putamus , ſi qui fortè extra fines chriſtianæ modeſtiæ egreſſi, voces in doctrinam noſtram contumelioſas immittunt , eos ſatis attendere quantum ſcripturæ , quantum Sanctis Patribus , quantum rationi ſua ſententia repugnet. Quod licèt tanquam certum poſſent ex tractatu de Deo , vbi hoc diſputatur , ſupponere ; iudico tamen abs re non fore ſequens inſtituere caput ; breui vt [illegible] doctrina præſentis capitis roboretur.

CAPVT VII.

Soluitur obiectio facta contra doctrinam præcedentis capitis , in quo per vſum ſcientiæ mediæ Chriſti libertas cum impeccabilitate conciliatur.

1. TOTA vis obiectionis in eo ſolo eſt , quòd ſcientia media , qualem ſupponimus , ſit impoſſibilis. Hoc ergo ſolùm nobis incumbit , vt oſtendamus, quàm falsò illius ſcientiæ impoſſibilitas obtendatur. Supponendum ante omnia, ſumi hoc loco ſcientiam mediam pro infallibili cognitione , qua Deus perſpectum habet quid contingenter , & à creata libertate futurum eſſet , ſi poneretur talis , vel talis conditio , quæ vel nunquam ponetur , vel nondum ſupponitur vt ponenda. Nominatur verò media ſcientia , quia velut medium locum tenet inter

ſcientiam ,

ſcientiam, quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ, & eam quæ dicitur viſionis; cùm enim non habeat pro obiecto rem vt merè poſſibilem, ſed vt de facto extituram, ſi conditio non deforet; non poteſt ſimplicis dici intelligentiæ, ſed eſt hac poſterior. Cum non item feratur in realem, & abſolutam obiecti exiſtentiam, non poteſt vocari viſio; ſed viſionem omnem prioritate rationis antecedit, & prior eſt omni libero, abſolutoque Dei decreto exiſtente. Quare media eſt vtriuſque illius ſcientiæ; cùm & vnam ſequatur, & alteram ſecundùm ordinem rationis antecedat: & cùm prætereà ex vtraque aliquid participet. Quatenus enim rem conſiderat abſtrahendo ab eius abſoluta exiſtentia, accedit ad ſimplicem intelligentiam, & recedit à viſione: ad hanc rurſum accedit, & recedit ab illa, quatenus fertur in rei exiſtentiam conditionatam, & pluſquam meram eius poſſibilitatem.

2. Media item eſt inter naturalem, ſeu neceſſariam, & inter liberam, ſeu contingentem cognitionem diuinam, quandoquidem neutra illarum eſt, & aliquid habet ex vtraque: Nam primò fertur in obiectum eatenus reſpectu Dei neceſſarium, quatenus ab ipſius Dei non pendet voluntate; Deus enim non potuit carere ſcientia conditionata proditionis, verbi causâ, Iudæ; nec deſtruere eius obiectum, faciendo vt verum non eſſet Iudam (ſi crearetur, & poneretur ſuo relictus arbitrio, in talibus circunſtantiis, cum tali præcisè gratia, &c.) perfidum Chriſto fore: atque ita hæc ſcientia apparet Deo neceſſaria. Sed ſecundò contingens eſt, vtpotè libera, non quidem ipſi Deo, ſed creaturæ; ſolius enim Iudæ fuit illam perfidiæ veritatem conditionatam ponere, Deoque cognoſcendam exhibere.

3. Contra hoc genus ſcientiæ, abſque duce Diuo Thoma, inſurrexerunt ſuperiori ſæculo magna contentione Dominicani Patres, quòd viderent per illud explicari optimè infallibilitatem cùm gratiæ efficacis, tum quarumcunque prædefinitionum diuinarum; atque ad id minime neceſſariam prædeterminationem ſuam phyſicam; ſicque illam manere confixam, atque prorſus inutilem, quam nec Diuus Thomas agnouit, vt non pauci demonſtrant. Cum religioſiſſimis illis Patribus ſentiunt hæretici Caluiniſtæ, Lutheriani, Ianſeniſtæ, & quicquid ſimilium nugarum eſt, qui contra Eccleſiæ de arbitrij libertate doctrinam ſe commouerunt. Ex aduerſo ſcientiam mediam in Deo tuentur omnes Societatis noſtræ Doctores, & nunc maior, vt puto, pars Theologorum, poſt Auguſtinum *in lib. 1. ad Simplicianum, q. 2.* item *lib. 2. de bono perſeuerantiæ, c. 9.* Gregorium Nyſſenum *in lib. de iis qui præmaturè abripiuntur.* Ne longior ſim, idem omnes antiqui Patres ſentiunt, ac paſſim ſupponunt, vt cùm monent, ac explicant has quæſtiones, quare Deus Angelos, cùm eos ſciret, ſi crearentur, peccaturos, crearit: cur Adamum, quem ſi tentaretur, ſuccubiturum ſciebat, paſſus fuerit tentari, & ſimilia. In his quæſtionibus ſupponitur ſcientia media, quæ nempè præcedat decretum de Angelis creandis, &c. & quæ potuiſſet ipſum decretum retardare. Poſſumus verò duplicem diſtinguere ſcholam prædictorum Patrum, veterem & recentem, quemadmodum Tullius paſſim diſtinguit Academiam.

Veterum Patrum Dominicanorum ſententia abſolutè negans cognoſci à Deo niſi coniecturaliter futura libera conditionata.

4. VEtus quidem illorum ſchola primis temporibus, cùm hæc cœpta eſt agitari controuerſia, defendebat propoſitiones de futuris contingentibus liberis, & conditionatis, indeterminatæ ſic eſſe veritatis, vt à Deo cognoſci nequirent, niſi coniecturaliter, ſeu probabiliter; eatenuſque tantùm potuiſſe prophetari. Sed cùm probationes (quas nunc perſequi neceſſe non eſt) noſtri manifeſtas in contrarium protuliſſent, cum ex Scriptura in exemplis Ceilanorum Dauidem (Ceilæ ſi maneret) Sauli tradituorum; Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentiam, ſi Chriſti miracula vidiſſent, acturorum, &c. tum ex Sanctis Patribus, tum ex ratione; illius ſcholæ Theologos opinionis ſuæ, quâ Deo ſcientiam conditionatorum contingentium denegabant, tæduit, atque pœnituit. Quare manus dederunt tandem, & Deum habere ſcientiam mediam infallibilem conceſſerunt. Cum igitur cauſam illam deſeruerint, non eſt quòd eos circa illam controuerſiæ partem longiùs inſequamur.

5. Sed videndum nobis eſt quomodo, abiectis prioribus armis, inſtaurare prælia conati ſint. Decretum ſcilicet aliquod diuinum efficax comminiſcuntur, quod neceſſariò præcedere debeat, vt prædicta illa conditione nata, obiecta cognoſci certò queant, & ſint determinatè vera. Sine illo decreto poſſibilem eſſe ſcientiam mediam inficiari pergunt: decretum autem de Angelis verbi causâ, factum à Deo volunt in hunc modum: Ego in præſenti efficaciter, ac determinatè decerno, vt ſi crearem Angelos in his, & illis circumſtantiis, prædeterminarentur à me illorum multi ad ſeruandam mihi conſtanter fidem; multi item ad hos, & illos rebellionis actus, per quos exciderent à gratia mea, & damnarentur. In eoque decreto, & tali quocumque, vtpote efficaci, aiunt futura libera conditionata cognoſci infallibiliter.

Contra recentem aduerſariorum ſcholam oſtenditur nullum eſſe, quale fingunt, decretum antecedens.

6. IMmeritò queritur Ioannes à Sancto Thoma, quòd aſſeratur ſuos fuiſſe initio inficiatos, Deum habere ſcientiam infallibilem conditionatorum futurorum contingentium, & deinde vt eam tuerentur, mutata ſententiâ confugiſſe ad decreta conditionata. Sanè verum hoc eſſe, quod de illis aſſeritur, non debuit negare; cùm eos certiſſimè conſtet abſolutè, ac ſimpliciter negaſſe initio ſcientiam in Deo mediam, idque teſtetur Franciſcus Cumel, necnon Curſus Salmanticus, qui ait Ledeſmam, & alios ita ſenſiſſe. Quin & idem teſtatur ipſe Ioannes à Sancto Thoma, non conſtans ipſe ſecum. Qua de re videri poteſt Pater Annatus *diſp. contra Salmanticenſes, cap. 1.* Quoniam igitur aduerſariorum ſchola deiecta eſt de illa priore ſententia, totum pondus controuerſiæ eſt circa decretum illud, in quo ſolo cognoſci aſſeruntur libera futura conditionata. Supponendum verò eſt, quòd conſequenter ad horum Theologorum de phyſica prædeterminatione doctrinam, concipiendum erit illud decretum his ferè verbis; Ego efficaciter decerno, vt ſi, exempli causâ, prædeterminare vellem Petrum ad ſpectandos theatri ludos, vellem vlteriùs prædetermi-

nare

Digitized by Google

nare ipſum ad tales cogitationes, illicitoſque conſenſus: hanc autem de tali decreto doctrinam aſſero eſſe primò nouam, & Sanctis Patribus incognitam. Secundò incompatibilem cum libertate creaturarum. Tertiò indignam Deo. Quartò denique non ſatis repugnare hæreticis.

7. Primò decretum illud eſſe nouum inuentum, quod Sancti Patres ignorarint, patet, non tantùm quia hi nihil vnquam de eo dixerunt, quod argumentum negatiuum in hac materia optimum eſt: ſed etiam quoniam Auguſtinus, aliique Patres ſæpe dubitationem illam, vt ſuprà dixi, proponant, & ſoluant; cur Deus ſummè bonus creauit Angelos, & Adamum in eo ſtatu, in quo ſciebat illos, ſi crearentur, eſſe lapſuros. Ergo hi Patres & ſupponebant conditionatam ſcientiam, & prætereà non agnoſcebant decretum illud determinans efficaciter effectus conditionatè futuros: alioqui ſtultum fuiſſet quærere, cur non illos, ne peccarent, creare Deus deſiſteret, quos ipſe prædecreuerat eſſe peccaturos. Quæri enim potiùs debuiſſet, cur Deus ſummè bonus prædecreuiſſet, vt Angeli, & Adamus, ſi crearentur, eſſent peccaturi? Dices. Patres negarunt Semipelagianis Deum habere ſcientiam mediam eorum operum, quæ fierent ab infantibus, qui morte præueniuntur. Reſpondeo falſum id eſſe: negant enim tantùm, à Deo compenſari, vel puniri per Baptiſmi conceſſionem, vel negationem illa bona, vel mala infantium opera, quæ conditionatè futura cognoſci infallibiliter à Deo nequaquam dubitant. Addo non debuiſſe nobis id à Patribus Dominicanis obiici. Nam quomodo negare poſſunt (aut dicere quod Sancti Patres negarint) Deum habere ſcientiam mediam de futuris infantium operibus, ſi verum eſt, illum habere de iis decretum efficax?

8. Secundò, quòd hæc doctrina, quam impugnamus, ſit cum creaturarum libertate incompatibilis, conuincitur iiſdem argumentis, quibus de prædeterminatione phyſica id ipſum conuincitur: non enim decretum illud poteſt exequutioni mandari, niſi per prædeterminationem phyſicam, ſecundùm aduerſariorum principia: ſed de prædeterminatione phyſica quicquam diſputare mens non eſt. Dices, illud Dei decretum non prædefinit futura contingentia quocumque modo, ſed formaliter vt libera. Reſpondeo primò; ergo Deus eſt author peccati formaliter ſumpti, cum prædefinit, vt Angelus verbi causâ, eliciat actum rebellionis, aut actum odij Dei vt liberum: huiuſmodi enim actus, vt liberi, formaliter peccata ſunt. Prætereà dico impoſſibile eſſe, vt actus aliquis liber, quà talis, prædefiniatur efficaciter. Nam ſi liber eſt, poteſt omitti contra efficacitatem decreti. Ponere decretum antecedens, & efficax, vt producatur actus, qui ſit liber, eſt idem, ac ponere decretum antecedens, vt fiat actus ſine decreto tali antecedente.

9. Tertiò quòd illud decretum ſit indignum Deo, probatur ex duplici capite. Primò quia inutile eſt ad omnem prouidentiæ vſum, imò non poteſt niſi ridiculè concipi. Secundò, quia facit Deum authorem peccati: nam quod ad inutilitatem attinet, cui poteſt ad prouidentiam, & ad creaturarum ſeu productionem, ſeu conſeruationem, ſeu gubernationem vſui eſſe, quòd Deus firmiter ſic ſtatuat, verbi gratia; Si mundus alter, qui nunquam erit, produceretur, decerno vt talis aliquis homo, quem nunquam creabo, ſe inibi hoc, & illo modo, in his, & illis circunſtantiis, negotiiſque gereret; fixumque eſt mihi, ac ratum, quòd eum prædeterminarem ad bella concitanda, ad rapinas, ad cædes, ad ſaltandum, ad ludendum, ad nuptias, & alia ſimilia. Certè hæ forent otioſæ, nec Deo dignæ deliberationes. Notandum porrò eſt, quòd conſequenter ad horum Theologorum de phyſica prædeterminatione doctrinam concipere Deus illa ſua decreta deberet hac ferè ſpecie ridicula; Volo, vt ſi hanc rem (quam nolo) vellem, talis alia res ſequeretur: ſiue, Nolo vt ſit alter mundus, ſed ſi vellem vt eſſet, ſtatuo, ac volo vt in eo hic, & ille Princeps eſſet, tales mendici, tales amentes, tales conſpirationes, &c. Volo vt, ſi vellem ponere Petrum in occaſione furandi, vellem eum prædeterminare ad volendum furari, &c. Ex horum nugacitate decretorum patet quàm ea ſint indigna Deo; quod etiam ex altero, vt ante indicaui, capite conſtat, quia ſcilicet foret neceſſe propter illorum efficacitatem, Deum authorem eſſe peccati.

10. Quartò denique ſupereſt vt oſtendamus, totam hanc aduerſariorum doctrinam non videri ſat longè abeſſe ab hæreticis. Certè vt Ianſeniſtæ clamant, ſe in hac materia Thomiſtas eſſe, ita Caluiniſtæ, & Lutherani. Scio hæreticos eſſe mendaces, atque opto illos in re præſente mentiri, ſed tamen audiendum quid dicant. Omitto Ianſeniſtas, quos paſſim audimus, in verba Thomiſtarum iurare: nec dubito quin peierent, & piis, ac religioſis viris iniuriam faciant. At inter cæteros hæreticos Ameſius, Caluiniſta rigidus, contra Bellarminum diſputans (vt refert P. Petrus à Sancto Ioſeph *diſp.* 2. & videre eſt apud P. Annatum *diſp.* 4. *c.* 4. §. 1.) Aluarem Caluino coniungit his verbis: *Nunquamne hoc legit Bellarminus, niſi in Caluino? Aluares inter alios diſp.* 22. *n.* 22. *Deus (inquit) æterno ſuo decreto, atque abſoluta, & efficaci voluntate prædeterminat actus noſtros ante eorum præuiſionem, & independenter ab omni ſcientia media.* Idem Caluiniſta refert ex eodem Aluare hanc ſententiam; *Deus per auxilium efficax prædeterminat phyſicè liberum arbitrium, vt liberè, & infallibiliter conſentiat.* Poſteaque ſubdit; *Hæc ſententia ſic explicata, eſt noſtra.* Eiuſdem ſunt hæc verba: *Ieſuitæ ſcientiam fingunt, quam mediam appellant, qua Deum dicunt ante decretum ſuæ voluntatis certò cognouiſſe, quid Petrus ex innata ſua libertate facturus eſſet, ſi taliter, &c.* adiungi poteſt alter non minùs rigidus Caluiniſta Guillelmus Tuiſſius, qui contra ſcientiam mediam ſcribens ait *lib.* 2. *cap.* 3. *Intereà hoc nos recreat, quòd non modò proteſtantes huic commento, ſcientiæ mediæ reſiſtant, ſed & vniuerſa familia Dominicanorum.* Videri poteſt P. Annatus *in diſp.* qua illum hæreticum refutat. Ex his, & ſimilibus conſtat, quàm ſe non putent hæretici abeſſe à Thomiſtis.

11. Dubium non eſt, quin tam ſancti, religioſiſſimique Ordinis Patres ſuffragia hæreticorum magno conuitio reiiciant. Sed hoc vt euidentiùs præſtent, & ego rem intelligam meliùs, quæro ex illis per modum dubij; in quonam dicant conſiſtere rationem liberi actus? Non equidem eos dicere aliud inuenio, quàm illum eſſe liberum voluntatis actum, qui ex Dei prædefinitione, ſeu decreto infallibili oriatur, ſecluſa coactione, & ſuppoſita cognitione, quæ ſit cum indifferentia iudicij. Atqui (inquam ego) Caluiniſtæ cum Caluino illud aſſerunt. Reſpondet P. à Sancto Thoma cum Patre Lemos, errraſſe Caluinum, quòd non diſtinxerit (vt Thomiſtæ) neceſſitatem conſequentis, quæ tollit libertatem, à neceſſitate conſequentiæ libertatem non tollente. Caluinum iſti boni Patres non legerunt 2. *inſtit. c.* 16. vbi nominatim *diſtinguit illas duas neceſſitates conſequentis, & conſequentiæ eodem modo quo ipſi Patres diſtingunt, & priore tolli ait, poſteriore ſeruari libertatem.* In hoc ergo nondum diſſentiunt Caluiniſtæ. In quo igitur?

igitur? Reſpondet ex eodem Lemos Ioannes à Sancto Thoma, Caluinum non admiſiſſe efficaciam gratiæ niſi cogentem. Reſpondeo. Si quis legat Caluinum 2. *inſtit. c.* 2. inueniet, illum aſſerere, *hominem habere libertatem à coactione, & habere poſt efficax Dei decretum neceſſitatem ſolam conſequentiæ, non autem conſequentis.* Itaque hactenus non apparet in quo Caluinus differat. Vlteriùs addit Ioannes à Sancto Thoma in eo differre, quòd Thomiſtæ dicant Deum non prædefinire actiones quoad ſolam ſubſtantiam, ſed quoad modum etiam libertatis; Caluinus autem nolit prædefiniri vt liberas. Sed contra. Nam iuxta aduerſarios, illæ actiones liberæ ſunt, quæ non habent aliam neceſſitatem, quàm conſequentiæ, & procedunt ex cognitione quæ ſit cum indifferentia iudicij. Atqui Caluinus non vult alias prædefiniri actiones noſtras, quàm quæ habeant neceſſitatem ſolam conſequentiæ, & quæ oriantur ex indifferentia iudicij, hocque non obſtante euidens eſt, eum conſequenter tollere funditus hominis libertatem, vt nec ipſe diffitetur, nec aliter intellexit Synodus Tridentina, quæ illum damnauit. Cum hactenus nobis non appareat quid prædicti Patres religioſi vltra, citrane doctrinam Caluiniſtarum in hac materia cenſeant, intereſt ipſorum vt (quod à plurimis annis expectatur) doceant nos, quid præcisè ſit illud circa ſcientiam mediam & prædefinitarum libertatem actionum, in quo ab eis diſcrepent, cùm vtrique ſine decreto Dei abſoluto, & efficaci intelligi poſſe negent ſcientiam mediam.

Obſeruationes quædam circa ſcientiam mediam.

12. OBſeruandum primò, quòd ſcientia media, qua ſuperiori capite diximus libertatem Chriſti cum impeccabilitate conciliari, foret ad id inutilis, ſi decretum (quale volunt aduerſarij) haberet adiunctum. Tale enim decretum per ſuam efficacitatem libertati omninò obeſſet. Præterea poſito illo decreto, non eſſet propriè ſcientia media, ſed eſſet cognitio rei in illo decreto tanquam in ſua neceſſaria cauſa. Dices, eſſet ſcientia media, non enim eſſet ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia non ferretur in meram rei poſſibilitatem. Non etiam ſcientia viſionis, quia non ferretur in rem, quæ ſit futura, ſed tantùm in rem quæ foret ſi, &c. Reſpondeo. Inde ſequeretur quod eodem modo ſcientia media deberet dici ea, qua Deus noſſet effectum in potentia cauſæ eius neceſſariæ, quæ nunquam operabitur defectu applicationis, aut conditionis alicuius, qua noſſet, verbi cauſâ, fructus ex aliqua pomo non naſcituros, ſed qui naſcerentur, ſi arborator pomum illam non cæderet, ſed coleret. Illi enim fructus, nec cognoſcerentur merè poſſibiles, nec viderentur vt abſolutè futuri. Et tamen quis dicat ibi eſſe ſcientiam mediam, de qua eſt quæſtio?

13. Obſeruandum ſecundò, in omni ſcientia media, ſeu propoſitione conditionata debere quidem includi, aut ſubintelligi decretum aliquod diuinum. Sed vt intelligas, quodnam, & quomodo, attende omnem conditionatam propoſitionem habere duas partes: quarum prior continet conditionem, poſterior effectum ſub ea conditione futurum: vt exempli cauſâ videre eſt in hac propoſitione: Si Petrus talem concionem audiret, conuerteretur. Dico autem quod in priori parte, ſeu in ipſa ſubſtantia conditionis decretum diuinum includitur, non qualecumque, ſed quale Deus in ſua ſcientia media exprimere poſſet hoc modo: & ſi Petrus talem concionem audiret, egoque tunc decernerem meum offerre ad conuerſionem auxilium, ille omninò vellet conuerti, & ego abſolutè cum eo concurrerem determinatus ab ipſo, atque ita ille conuerteretur.

14. Obſeruandum tertiò, difficultatem obiici poſſe, quid Deus per hanc ſcientiam intelligat, cùm illius obiectum ſub conditionibus non abſolutè futuris conſideratum, nullam habeat, nec habiturum ſit exiſtentiam, aut veritatem? Reſpondendum eſt, cognoſci per hanc ſcientiam exiſtentiam rerum, non quæ ſit, aut quæ futura ſit, ſed quæ futura eſſet, ſi conditio poneretur. Inſtabis, exiſtentia quæ nec eſt, nec fuit, nec futura eſt, nullam habet veritatem, nec poteſt dici habere veritatem ſub conditione. Nam habere veritatem ſub conditione, quæ nunquam purificanda ſit, eſt nullam habere veritatem. Adde quod veritas alicuius exiſtentiæ ſequitur ipſam exiſtentiam: Ergo vt in præſenti dicitur, quòd exiſtentia non eſt, ſed foret, ſic dicendum videtur, quòd veritas non eſt, ſed foret: Atqui Deus non cognoſcit veritatem, quæ futura eſſet, ſed veritatem quæ ſit præſens. Dicendum eſt ad has inſtantias. Quemadmodum dubitari non poteſt, quin ſit verum, & cognoſcibile nunc, quòd exiſtentia AntiChriſti, quæ iam præſens non eſt, erit; ſic etiam verum eſt, quòd conuerſio alicuius reprobi, quæ præſens non eſt, nec erit; foret tamen de facto, ſi talis, & talis conditio adeſſet: atque illa veritas eſt præſens, non prout dicit conuerſionem reprobi præſentem, ſed prout dicit conuerſionem quæ futura eſſet. Sufficit autem ad hoc vt talis conuerſio poſſit eſſe præſens obiectiuè, & ſit nunc cognoſcibilis, atque ſine mendacio enunciabilis, illam (ſi conditio, cui annexa eſt, non deeſſet) habituram futuritionem. Habet igitur nunc veritatem præſentem, & cognoſcibilitatem.

15. Sed tandem petes, quomodo poteſt exiſtere veritas præſens, cùm nulla eius appareat cauſa. Reſpondeo. Sicut quòd res aliqua quondam fuerit, nihil eſt aliud nunc, quàm denominatio extrinſeca, ſic & quòd res aliqua futura ſit, aut futura eſſet. Sumitur autem illa nunc denominatio ab illa rei actuali exiſtentia, quæ ſuo tempore vel fuit, vel erit, vel eſſet. Exempli gratia, Iulium Cæſarem fuiſſe, eſt nunc denominatio ab illa exiſtentia, quam habuit Cæſar: & Antichriſtum fore, eſt denominatio ab illa exiſtentia, quam is habebit, &c. Cùm autem denominationes extrinſecæ non aliam habeant cauſam, quàm formas ipſas, à quibus ſumuntur; hinc fit, denominationes prædictas non alias debere nunc habere cauſas, quàm eas, quas exiſtentia & Iulij habuit, & Antichriſti habebit. Eodem modo futuritio eius, quod non abſolutè futurum eſt, ſed quod foret, ſi certa conditio poneretur, non habet aliam cauſam præter eam, quam haberet exiſtentia rei, ſi conditio purificaretur. Cùm ergo dicimus, ſi Petrus audiret talem concionem, conuerteretur, cauſa futuritionis conuerſionis eſt voluntas ipſius Petri cum auxilio Dei concurrentis. Porrò eadem quæ futuritionis, eſt etiam cauſa veritatis, quam habet futuritio.

16. Obſeruandum eſt quartò quàm ſit admirabile, Deoque dignum iſtud ſcientiæ genus, quo diuinæ mentis vis mentes omnes creatas ita comprehenſione ſua tenet vndecumque circumcluſas, vt non tantùm quò vergant, aut ſe inclinent,

Digitized by Google

inclinent, ſed quò ſe cumque in quibuſvis, etiam nunquam futuris, occaſionibus inclinaturæ eſſent, intueatur coràm immediatè, nulloque iudicio, ex arce ſuæ æternitaris. Nullum ſcilicet reſpectu Dei receſſum quò ſe condat, habet creata libertas, cui is propterà ita dominatur, vt eam illæſam, inuiolatamque flectere infallibiliter quocumque voluerit, poſſit. Quæ ipſum præcipuè vſum fuiſſe poteſtate conuenit, vt ſuperiori capite diximus, in Chriſti regenda voluntate.

CAPVT VIII.

Impeccabilitas quatenus fundata in viſione beatifica conciliatur cum libertate Chriſti.

1. QVANDOQVIDEM *cap. 6.* impeccabilitatem in Chriſto viatore ex vnione hypoſtatica ortam conciliauimus cum libertate per vſum ſcientiæ mediæ, quam ſcientiam, eiuſque vſum eſſe poſſibilem, & in Deo ante omne decretum efficax reperiri, probauimus capite præcedenti; reſtat vt conciliare item cum libertate debeamus eam impeccabilitatem, quam ſecum trahit beatitudo, voluntatem per intrinſecam determinationem neceſſitans, tum ratione amoris Dei clarè viſi, tum etiam ratione viſionis vt abſtrahentis ab amore. Nam ſi ſupponeretur aliquis videre quidem clarè Deum, ſed ſubtracto diuino concurſu non elicere actum amoris beatifici, ea viſio conſtitueret illum in tali ſtatu, vt connaturaliter amor beatificus ſequi ſtatim deberet. Quod ſi hic amor defectu diuini concurſus non exiret in actum, voluntas tamen vi prædictæ viſionis maneret ſic ad illum determinata in actu primo, vt impoſſibile foret ipſam determinari ad vllum actum ipſi repugnantem. Nec enim voluntas poteſt ſe mouere contra vim determinationis, quam accipit à viſione clara ſummi boni. Cùm igitur Chriſtus non ſolùm viator, ſed etiam comprehenſor eſſet, Deique eſſentiam clarè videret, ac ſummè amaret; non poterat non eſſe abſolutè determinatus ad id omne exequendum, quod neceſſarium eſſet ad non diſplicendum Deo.

2. Ad huius ſolutionem argumenti ſunt imprimis reiiciendi Nominales, qui admiſſa in Chriſti actibus neceſſitate antecedenti, eam ſolùm in iis adſtruunt libertatem, quæ coactioni oppoſita ſit. Qui error à nobis ſupra refutatus eſt *cap. 2.* Non magis item audiendi ſunt illi, qui vt ait Leſſius *lib. 2. de ſummo bono, cap. 23.* aſſerunt voluntatem eius, qui videt clarè Deum, poſſe ita corroborari, vt non neceſſariò trahatur à ſummo bono clarè viſo; ſed poſſit & reſiſtere, atque ab amore iam ſuſcepto ceſſare, & conſequenter ad peccatum ſe flectere. Atque volunt hanc corroborationem fuiſſe reipſa in Chriſto, vt non obſtante viſione beatifica, liber eſſet ad acceptandam, vel non acceptandam mortem. Verùm illa corroboratio tam inintelligibilis eſt, quàm abſurda. Nec enim intelligi poteſt quo modo ea fiat, vel per infuſionem alicuius auxilij eo modo, quo noſtræ voluntates corroborantur per charitatem, ſeu gratiam actualem; vel per aſſiſtentiam Dei parati iuuare voluntatem modo extraordinario, vt poſſet peccare. Nam conſtat, quàm id ſit indignum Deo. Et præterea talis corroboratio foret potiùs debilitatio voluntatis; ad cuius nempe robur pertinet, ſicut ad boni finiti amorem non neceſſitari, ſic & ab infinito bono clarè viſo abripi ad ipſum amandum. Quò enim voluntas aliqua robuſtior eſt, eò trahitur fortiùs à tali bono, eique minùs reſiſtere poteſt

3. Vt ergo quæſtionem præſentem ſolidiùs expediamus, conſiderandum eſt id, quod valde placet, ac probatur aliquibus; nempe amorem beatificum in Chriſto viatore debuiſſe per diuinam, miraculoſamque diſpenſationem ita cohiberi, atque coërceri intra ſupremam velut regionem voluntatis, vt in inferiorem partem eiuſdem voluntatis nullo modo extenderetur, aut influeret; neque perfectionem ſuam cum illa, vel eius actibus communicaret. Cùm enim hæc extenſio fit per modum cuiuſdam efficientiæ, poterat impediri. Quod probari videtur exemplo ſummæ, beatificæque lætitiæ eiuſdem Chriſti, qua ſuperior voluntatis pars fruebatur. Nam torrens ille voluptatis ſuperiorem ita partem irrigabat, vt nullatenus deriuaretur in partem inferiorem; in qua ſub paſſionis tempus inexplicabilis mœror, pauor, trepidatio, tædium, &c. reſidebat. Quod ſignificare intendit Ambroſius *lib. 10. in Lucam, cap. de triſtitia, & timore Chriſti*; his verbis: *Sequeſtrata* (hoc eſt ſuſpenſà, & in ſupremo mentis vertice retentá) *delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis Chriſtus afficitur.* (nec enim audiendus eſt Canus *lib. 12. de locis, cap. 14.* vbi vult Chriſtum tempore paſſionis caruiſſe penitùs fruitione, & delectatione de Deo clarè viſo; quaſi aliter pro nobis triſtari, patique non poſſet.) Similiter igitur dici poteſt amorem beatificum ſe continuiſſe in ſumma regione, & velut in æthere mentis; nec ſe extendiſſe ad actus, quos Chriſtus, vt viator exercebat; ac per conſequens nequiuiſſe horum impedire libertatem. Atque hæc eſt haud dubiè ſententia Suaris, cùm ait *diſp. 37. ſect. 4. circa medium* §. propter hæc, Chriſtum, dum Patris præceptum liberè implevit, non vſum fuiſſe ſcientia beata, ſed alia inferiore, nimirum ſcientia infuſá, quæ voluntatem non determinabat, neque neceſſitabat. Vbi Suares omninò ſupponit duas illas, quas diximus in Chriſti mente velut portiones, quarum ſuperior contineat ſcientiam beatam, inferior infuſam. Ita vt illæ duæ ſcientiæ ſe habeant quaſi in diuerſis ſubiectis, & vna ſe habeat ad alteram impertinenter.

4. Nihilominus hæc via conciliandi cum viſione beatifica libertatem Chriſti circa res præceptas, videtur ob duo difficilis. Primò enim, quamvis intelligamus ob Chriſti viatoris ſimul, atque comprehenſoris conditionem, duas in illo virtuales regiones mentis, ſeu voluntatis; tamen non ſatis apparet, quod amor beatificus, & clara Dei viſio exiſtens in ſuperiori parte, nihil influat in partem inferiorem, nec ipſam determinet. Imò contrarium inde apparet, quòd Dei viſione mentem illuſtrante, ſi ſupponamus Deum nolle concurrere cum ſublimiore parte voluntatis ad amorem beatificum, negari non debeat, quin voluntas ſecundùm partem ſui inferiorem determinetur vi claræ Dei viſionis neceſſariò ad actum aliquem amoris diuini. Hæc tamen difficultas valere ſolùm poteſt iuxta rerum naturam: non autem in ordine ad Dei potentiam. Atque ſic ſoluta manet.

5. Alterum, quod hanc viam conciliandæ Chriſti libertatis cum viſione beatifica reddit difficilem, eſt quia non benè intelligitur, quomodo fuerint in voluntate Chriſti creata duo ſimul actus amoris diuini, ex eodem charitatis habitu ſupernaturali. Ii enim

enim & fictum videtur, & eſt contra Diuum Thomam, qui vt teſtatur Vaſques *diſp.74.cap.2.* non ponit in voluntate Chriſti duos amores Dei, ſed vnum, qui ſequitur viſionem beatam. Confirmatur. Nam quamuis poſſit aliquis ſibi perſuadere amoris actum, quem in viatoribus charitatis habitus elicit, eſſe diuerſæ ſpeciei ab eo amoris habitu, quem idem habitus elicit in Beatis; amatur enim Deus per actum beatificum, vt diſtinctè cognoſcitur habere multos abſtruſos amabilitatis titulos, ſecundùm quos diſtinctè à viatoribus non cognoſcitur amabilis: tamen plurimorum ſententia eſt, eamque ſequitur Suares cum aliis quos citat *tractatu de charitate, diſputat.* 3. *ſectione* 3. eundem eſſe ſpecie actum amoris beatificum, & actum amoris, qui elicitur à viatoribus, ſequens cognitionem Dei infuſam. Quo poſito videtur inconueniens admittere in eodem ſubiecto duos amores ſupernaturales numero ſolo differentes. Reſpondet Suares *tractatu de Incarnatione, diſputatione* 39. *ſectione* 2. *ante ſecundam concluſionem*, contingere naturaliter poſſe, vt duo accidentia ſolo numero differentia in eodem ſubiecto ſimul reperiantur, quando (quod in his charitatis actibus accidit) tendunt in idem obiectum diuerſis viis applicatum; & quando in ſeipſis habent diuerſos modos, quales de facto habent hi actus. Nam beatificus amor eſt neceſſarius, amor autem à viatore elicitus, liber eſt, non per accidens, ſed per ſe, ex intrinſeca, connaturalique ratione voluntatis.

6. Sed huic Suaris reſponſo aduerſatur adhuc, quod idem Summus Doctor aſſerit *in tract. de charitate, loco cit.* non opus eſſe vt actus amoris, qui elicitur in patria, diſtinguatur numero ab eo, qui elicitur in via; eſſeque omninò eundem, ſi quis cum actuali amore Dei moriatur, & per mortem actum ſuum non interrumpat. Vnde ait probabiliſſimum eſſe, quod de facto Beatiſſima Virgo eundem numero actum, quem eliciebat in via liberè, continuarit in patria (quamuis neceſſariò, & maiori quadam perfectione. Quare poſſumus contra Suarem ſic argumentari. Amor beatificus, & amor in via elicitus poteſt non diſtingui numero, & re idem fuit in Beatiſſima Virgine. Ergo à fortiori non extiterunt in Chriſto duo ſimul amores diuini, vnus beatificus, qui ſequeretur viſionem Dei, & alter qui ſequeretur cognitionem infuſam, & eſſet liber; ex quo operaretur, & abſtineret à peccato; ſed fatendum eſt, quod abſtinuit à peccato per amorem, quem ſolum habuit, beatificum; per quem redderetur illi peccatum impoſſibile, & per conſequens redderetur neceſſaria obſeruatio præceptorum. Huic contra Suarem doctrinæ ſubſcribit Vaſq. *diſp.* 74. *cap.* 3. negans duos reperiri actus diuini amoris in Chriſto.

7. Ego tamen non ita ei contra Suarem doctrinæ ſubſcribo, vt actum quem Chriſtus habuit amoris diuini negem potuiſſe eſſe duplicem; ita vt Chriſtus non operatus ſit in acceptanda morte ſecundùm lumen beatificum, ſed ſecundùm lumen infuſum; ſicut vult ipſe Suares *loco iam ſuprà citato*: facilè enim id puto intelligi, defendique poſſe. Veruntamen quod attinet ad præſens negotium conciliandi impeccabilitatem Chriſti vt comprehenſoris cum libertate acceptandi mortem iniunctam; quamuis non alius concederetur eſſe in Chriſto amor Dei, quàm beatificus, nequaquam puto hunc eſſe inconciliabilem cum huiuſmodi libertate: dummodo aliqua inueniatur ratio, qua mors à Chriſto, quatenus habente amorem beatificum, vt acceptari, ſic & potuerit non acceptari. Atqui poteſt facilè illa inueniri ratio. Nominatim verò expedita ratio eſt, quæ capite proximè ſequenti explicatur. Vt nimirum ſupponatur Deum non præſcripſiſſe Chriſto tempus, quo tempore præcisè deberet mortem ſubire: hoc enim ſuppoſito, antequam veniatur ad vltimum inſtans, vltra quem non poſſet differri exequutio præcepti, habuit Chriſtus, etiam vt eliciens amoris beatifici actum, libertatem acceptandi pro tunc præceptum, vel non acceptandi; & ſine vllo peccati periculo reiiciendi pro illo tempore exequutionem præcepti.

8. Sed eſt prætereà altera ratio, quæ ſumitur ex eo, quod potuit Deus in primo, verbi cauſâ, inſtanti velle dare beatificam ſui viſionem non aliter, quàm ea conditione, vt priùs naturâ Chriſtus acceptaſſet moriendi præceptum (quemadmodum in peccatore contrito non infundit habitum charitatis, niſi ex intuitu contritionis) quod omninò potuiſſe fieri fateantur illi neceſſe eſt, qui apud Suarem *diſputat.* 40. *ſect.* 1. *&* 2. putant Chriſtum viſionem beatificam meruiſſe, quorum ſententiam probabilem aſſerit ipſe Suares ibi, & Ariaga *diſput.* 43. *num.* 29. Hoc ſuppoſito clara Dei viſio, vtpote non exiſtens niſi poſteriùs, nec infuſa niſi ex intuitu acceptationis diuini præcepti, non potuit acceptationem reddere neceſſariam.

9. Conſentit Ariaga, qui *diſput.* 43. vult, ſi in Chriſto ſcientia infuſa prius naturâ ſupponatur, quàm viſio beatifica, potuiſſe ipſum Chriſtum amare liberè Deum, licèt in poſteriori naturæ deberet eſſe neceſſitas amandi per amorem beatificum: atque idem Author non eſſe inconueniens, quod Chriſtus toto vitæ tempore habens ſcientiam infuſam, & viſionem beatam, concipiatur habere à qualibet ea ſcientia profectum amorem Dei. Ita vt illi duo amores, quamuis ſingulis inſtantibus ſimul conſeruentur, & continuatiuè producantur, poſſint eo modo produci, vt pro arbitrio Dei hic, vel ille producatur naturâ prior, prout nempe Deo ipſi placuerit vel conferre viſionem beatificam intuitu amoris præſuppoſiti, vel è contra dare viſionem beatificam priùs naturâ, quàm producatur ipſius Dei amor: ita vt totum hoc negotium pendeat ab extrinſeca voluntate Dei, vnum alteri, vt præſuppoſito ſubordinantis. Vt clarum eſt in contritione peccatoris, quæ cùm ſit in eodem inſtanti cum habitu charitatis infuſo, non poteſt oriri ab hoc, vtpote producto ex intuitu ipſius contritionis præſuppoſitæ: poteſt tamen oriri ab ipſo charitatis habitu, ſi Deus vellet hunc naturâ priùs, & independenter à contritione infundere. Atque ex dictis intelligitur, quomodo & Angeli potuerint in primo, quo creati ſunt, inſtanti Deum liberè priùs naturâ diligere, & in eodem ipſo temporis inſtanti accipere poſteriùs naturâ viſionem beatificam, & ex hac ortum amoris actum beatificum non liberum. Item quomodo facilè explicari, & defendi poſſit Chriſtum eſſe meritum in primo ſuæ creationis inſtanti beatitudinem, claramque Dei viſionem, vt aliqui cenſent, probabileque putat Suares *loco iam cit.*

10. Aduerte libertatem Chriſti in acceptanda morte, vel in amando Deum non poſſe ita conciliari cum impeccabilitate orta ex vnione hypoſtatica, vt iam dicebamus, poſſe conciliari cum impeccabilitate orta ex viſione beatifica: non enim concipi poteſt Chriſtus operari priùs naturâ, quàm vnio hypoſtatica exiſtat, inducatque neceſſitatem ſeruandi præceptum acceptandæ mortis, & cætera. Ratio eſt, quia in illo priori non exiſteret Chriſtus (qui nempe conſtituitur per vnionem hypoſtaticam) atque adeò actus ille liber procederet à pura creatura,

non à Chriſto. Quæ ratio non valet in viſione beatifica; ante hanc enim Chriſtus (cùm per eam non conſtituatur) & eſſe, & operari poteſt.

CAPVT IX.

Exponitur celebris, & latiùs patens ratio, impeccabilitatem Chriſti vtrocumque modo ſpectatam (hoc eſt ſiue in vnione hypoſtatica, ſiue in viſione beata fundatam) conciliandi cum libertate.

1. CONSIDERAMVS hîc impeccabilitatem Chriſti tum prout fundatur in vnione hypoſtaticâ, tum prout oritur ex viſione beatifica; & viam indagamus quæ illam vtrocumque modo ſpectatam cum libertate conciliet. Ad quod primò ſupponendum eſt, mortem Chriſto non fuiſſe præceptam ſecundùm omnes circunſtantias, & modos, quibus de facto acceptanda, ſubeundaque foret. Nec enim præcepta erat pro determinato quodam, certoque temporis inſtanti: quare liberum ipſi fuit tempus pro arbitrio ſuo eligere, quo mortis ſubeundæ præceptum exequeretur. Non etiam præceptæ illi fuerant cæteræ circunſtantiæ, verbi causâ, vt mors acceptaretur ex hoc, vel illo affectu, & motiuo. Quare poterat illam acceptare ex motiuo religionis, iuſtitiæ aduersùs Deum, miſericordiæ erga genus humanum, &c. prout ipſi placitum eſſet eligere. Poterat item velle mortem ſubire ſine iis adiunctis, quæ de facto contigerunt, ſine tanta ignominia, ſine tanto dolore, &c. Poterat & actu magis, vel minùs intenſo præceptum acceptare, &c.

2. Quamvis enim Suares *diſp. 37. ſect. 3.* dicat non eſſe improbabile, diuinam iuſſionem præſcripſiſſe Chriſto mortis omnes adamuſſim circunſtantias, prout re contigerunt; atque ita intelligendum videri hunc locum *Ioan. 14. ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio:* quia videtur decentius, vt Deus non præcipiat aliquid in abſtracto; & quia, cùm præceptum regula ſit operationis, tunc perfectiſſimè proponitur, quando totus actus, prout reipſa exequendus eſt, per illud regulatur, atque præſcribitur; eo modo, quo Deus *Exodi 25.* exactiſſimam iniunxit Moyſi operis deſcriptionem, ac delineationem; *Inſpice*, inquit, *& fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Quomodo & Dauid *c. 28. Paralip.* de Templi ædificatione loquens; *Omnia*, inquit, *venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.* Videturque Scriptura ſignificare definita fuiſſe in paſſione Chriſti ſingula eo modo, quo exequutioni mandata ſunt. Dicitur enim *Act. 4. Quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Et *Luc. 22. Filius hominis vadit, ſecundùm quod definitum eſt de illo.* Nihilominùs, vt idem ipſe Suares *ſub finem ſect. 4.* fatetur, nihil cogit, vt prædictum modum præcipiendi tam extraordinarium, nec ſatis moralem, aſſeramus fuiſſe vſurpatum à Deo reſpectu Chriſti; neque id ex ſcriptura, vel aliunde colligitur. Manifeſtumque eſt Deum non ſic erga reliquos homines ſe geſſiſſe, quibus nullum propoſuit præceptum affirmatiuum, quod in tali gradu intenſionis, tali præciſè inſtanti, ex tali motiuo, &c. obſeruare teneantur.

3. His poſitis dico certum quidem eſſe, Chriſtum ex duplici capite ſuprà ſæpiùs explicato, nempe ex vnione hypoſtatica, & viſione beatifica, incapacem fuiſſe eius libertatis, non tantùm moralis, ſed etiam phyſicæ, qua peccare poſſet; atque tantam habuiſſe neceſſitatem exequendi omne Patris præceptum, quantam nec Beatiſſima Virgo, nec Apoſtoli, aliique qui in gratia confirmati fuerunt, habuere: his enim Deus paratum ſemper habuit concurſum ad peccandum, ſi vellent; quamvis per viſum ſcientiæ mediæ peccaturis antecedenter poſſibile, impedire debuit ſemper. Verumtamen aſſero, non obſtante prædicta neceſſitate non peccandi, ſeu priuatione libertatis ad peccandum, fuiſſe in illo ſufficientem libertatem, vt præceptum diuinum ſeruaret, ac per ſuam obedientiam mereretur. Benè enim ſe compatiuntur neceſſitas non peccandi, ſeu non omittendi per inobedientiam præceptum, & libertas in ſeruando præcepto, quando is, qui ad non omittendum per inobedientiam præceptum neceſſitatur, multos modos à ſe eligibiles habet ſeruandi præceptum, petitos ex indifferentia temporis, &c. Tunc enim, quamvis neceſſitetur in genere ad aliquem diſiunctim illorum modorum, non tamen neceſſitatur ad vllum determinatè, & quemcunque modum elegerit obediendi, habebit ſimul hæc duo; nempe, vt & neceſſitati antecedenti, ob quam non poteſt non obedire, ſatisfaciat; & veram in ſatisfaciendo tali antecedenti neceſſitati, libertatem exerceat. Poteſt hoc facilè ſic explicari. Chriſtus vi præcepti mortis obeundæ neceſſitatur antecedente neceſſitate ad eliciendum ex omnibus acceptationis actibus aliquem indeterminatè, & hoc, vel illo indeterminato tempore, &c. Eo modo, quo is qui ſupponitur habere voluntatem efficacem finis, neceſſitatem habet omnimodam ad eligendum ex omnibus mediis aliquod indeterminatè. Et ſicut hic, dum ei pro arbitrio placet eligere ex omnibus certum aliquod medium, libertatem ita exercet in ea electione, vt ſimul ſatisfaciat neceſſitati antecedenti quam habebat eligendi ex omnibus aliquod. Similiter Chriſtus, quando neceſſitatem habens ad eliciendum tempore indeterminato ex omnibus acceptationis actibus aliquem, ſe determinat hîc & nunc ad certum acceptationis actum; dubitari non poteſt, quin & libertatem exerceat circa electionem talis actus, qui ei præ cæteris placet, & ſimul ſatisfaciat illi obligationi, ſeu neceſſitati præcepti, quam habebat, ac per conſequens obediat liberè Patri.

4. Res hæc non erit difficilis, ſi clarè obiectionem expedierim, quæ ſola hîc ſtatim occurrit. Nam videtur ex iam dictis ſequi, non habuiſſe Chriſtum vllam libertatem in ſubſtantia ſuæ obedientiæ, & obſeruationis præcepti, ſed ſolùm in modo, in circunſtantiis, & adiunctis, putà in differentia temporis, &c. Vnde vlteriùs ſequitur, cùm actus eo ſolo modo ſint meritorij, quo liberi, ipſum Chriſtum non meruiſſe quicquam per ſubſtantiam ſuæ obedientiæ, & per eum actum in ſua ſpecie, & eſſentia conſideratum, quo acceptauit, & ſubiit mortem. Id autem falſiſſimũ eſt: Nam per mortem Chriſtus nos redemit, & per illum actum qui præceptus formaliter erat. Prima conſequentia, in qua ſola conſiſtit difficultas, probatur: Nam Chriſtus habebat impotentiam non obediendi quoad ſubſtantiam, vt dictum eſt: Ergo indifferentia ſolùm circa obedientiæ modum illi reſtabat. Quod explicatur exemplo. Ponamus debere Petrum ex iuſtitia tibi mille nummos, quos non niſi poſt annum ſoluere teneatur: ſi accidat, vt ratione vrgentis negotij ad illum recurrere cogaris, & ipſum ores vt anteuertere præfixum tempus ſolutionis velit, aut vt tibi ſoluat auro, vel tritico, &c. In eo caſu dum ſummam numerabit tali tempore, & aurũ, vel triticum dabit, motuſque charitate petitionis tuæ

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim annuet; clarum eſt quòd illa ſolutio erit quidem charitatis, & libertatis, atque adeò reſpectu tui meritoria quoad anticipationem, & circunſtantiam temporis, vel modi; at non quoad ſubſtantiam, ſeu quoad ipſam ſummam: nec tu gratias illi ages propter mille nummos liberaliter, & ex charitate abſolutè conceſſos, ſed propter ſolam temporis anticipationem, aut ſolutionis modum.

5. Ad hanc obiectionem reſpondeo, me negare primam eius conſequentiam: cùm enim Chriſtus liberè ſe determinabat tali tempore, ex tali motiuo, &c. non ſe determinabat ad ſolam actus circunſtantiam, ad ſolum tempus, ad ſolum motiuum, &c. ſed determinabat ſe ad ipſam actus ſui ſubſtantiam tali tempore, tali motiuo. Et in ea determinatione inſeparabiliter ſe habebat ſubſtantia actus cum ſuis circunſtantiis. Nec concipi poteſt, quòd aliqua pars determinationis reſpexerit tempus, aut motiuum, quæ non reſpexerit obiectum per ſe, & ſubſtantialiter, quatenus præceptum; ita vt poſſet dici ea determinatio eſſe producta liberè ſecundùm id quod pertinebat ad circunſtantias; & neceſſariò ſecundùm id quod pertinebat ab ſubſtantiam præcepti. Non, inquam, ita: Nam licèt eæ conſiderationes poſſint metaphyſica contemplatione diſiungi, impoſſibile tamen eſt vt iſto tempore liberè electo exerceatur aliqua actio, quæ tamen neceſſariò exerceatur tunc, & non ſit libera ſecundùm ſeipſam. Quemadmodum eſt impoſſibile me velle in hoc tempore rem aliquam, ita vt non velim rem ipſam, ſed tantùm velim differentiam temporis.

6. Idque valet in eo ipſo exemplo allato de nummorum ſolutione anticipata. Certum enim eſt totam ipſam ſubſtantiam ſolutionis tunc factæ, & non ſolam anticipationis circunſtantiam fuiſſe liberam; atque adeò meretur ille debitor tuus, qui ſolutionem anticipauit, vt illi gratias agas ob ipſam ſubſtantiam tunc factæ ſolutionis, quales illi nullæ gratiæ deberentur pro ſolutione facta poſt annum; quando nempè ſolutio abſolutè fuiſſet debita, & nullo modo gratuita. Vbi nota, quod licèt ſolutio quoad ſubſtantiam non ſit tunc debita cùm anticipatur; tamen tunc per eam ſatisfit plenè debito; ſic vt poſt annum, quando foret in rigore debita, nullo modo ad quicquam debitor teneatur, & ſatisfeciſſe inueniatur ipſi ſolutionis ſubſtantiæ, cùm liberè anteà ſoluit à creditore rogatus. Cùm autem dixi, quòd gratiæ forent agendæ pro ſolutione, ſeu præbitione ipſa ſubſtantiali anticipata, non dixi agendas pro donatione liberali; nec enim ſolutio, ſeu præbitio, cùm anticipatur, eſt donatio. Quare abſolutè non forent agendæ gratiæ pro mille nummis; id enim ſonaret non fuiſſe vllo modo debitos, ſed liberaliter donatos. Ipſa tamen, quæ tunc facta fuiſſet ſolutio, & præbitio, dicenda foret abſolutè, & quoad ſubſtantiam libera. Non enim poteſt eſſe volita liberè anticipatio, ſeu circunſtantia temporis, quin ſit ſimul, & indiuiſibiliter volita, liberè pro tunc ſubſtantia ſolutionis. Et ſanè vt ipſa circunſtantia temporis, & anticipatio non erat tibi debita, ſic nec debita erat ſubſtantia ſolutionis prout factæ tali tempore.

7. Poteſt hic replicari, quòd quamvis prædictæ conſiderationes temporis, & ſubſtantiæ actionis reipſa ſint vnum quid, & cauſalitatem voluntatis terminent indiuiſibilem; tamen id non impedit quominùs ad eas voluntas (quæ non minùs eſt ſubtilis in præſcindendo, quàm ſit intellectus, cùm huius cognitiones, ac præciſos conceptus ipſa ſequatur, & per ſuos actus diſtinctè attingat) diuerſimodè ſe habeat. Quemadmodum licèt in quolibet actu voluntatis nulla ſit diſtinctio inter indiuidualem, & ſpecificam differentiam; tamen libertas cadere poteſt in hanc, non autem in illam. Pari igitur modo, cur non in actu, quo Chriſtus mortem ex motiuo religionis, verbi gratia, & in inſtanti A, in quo operari non præcipiebatur, acceptabat, concipi poterit libertatem cecidiſſe in motiuum, ſeu in rationem temporis, non autem in ſubſtantiam ipſius acceptationis reſpicientis mortem præceptam? Atque hic vrgeri poteſt illud allatum iam exemplum de anticipata ſolutione nummorum. Reſpondeo hanc replicam non bene concludere: nam ad hoc vt prædicta mortis acceptatio, quæ (vt ſupponitur) eſt actus liber circa motiuum, & circunſtantiam temporis, dici poſſet eſſe neceſſaria circa ſubſtantiam ſuam, oporteret vt ad illam ſubſtantialiter conſideratam voluntas Chriſti antecedenter determinaretur, vel ab auxilio phyſicè præmouente propter vnionem hypoſtaticam, vel ab amore beatifico. Atqui pro eo inſtanti A, quo talis acceptatio fit, non determinatur phyſicè voluntas. Quare enim? cùm pro eo inſtanti non vrgebat vllum præceptum, & Chriſtus non teneatur, vt ſupponimus, operari; & per conſequens nulla ratio ſit, cur ob impeccabilitatem ortam ex vnione, vel ex beatifico amore determinetur phyſicè, ac neceſſitetur ad operandum.

8. In quo apparet magnum eſſe diſcrimen circa id, quod in hac replica obiiciebatur de differentia indiuiduali, & ſpecifica. Nam differentiam indiuidualem fateor non eſſe liberam, nec volitam prout præcisè ſpectatam, quamvis differentia ſpecifica ſit liberè volita: quia nempe tunc cùm aliquis operatur, Deus ſolus voluntatem illius determinat phyſicè ad hunc indiuidualiter actum, vt ſuppono ex Philoſophia: ipſe enim operans non cognoſcit illam differentiam, nec de ea cogitat; quare ad eam ſe liberè determinare non poteſt, quemadmodum ad ſpecificam. At verò in præſenti negotio, quando Chriſtus in inſtanti A, in quo non tenetur operari, operatur, cognoſcit, vtramque diſtinctè ſubſtantiam ſui actus, neque ad hunc patitur ob impeccabilitatem, vel amorem beatificum, determinationem vllam phyſicam. Si enim vllam pateretur, propterea pateretur, ne ſcilicet peccaret per omiſſionem operationis. Atqui hoc non. Nam omiſſio operationis non eſt peccatum pro eo inſtanti, in quo operatio non eſt præcepta. Quod dixi de differentia temporis, idem dici poteſt de quibuſdam aliis circunſtantiis, verbi gratiâ, de motiuo. Nam ſi motiuum religionis, ex quo Chriſtus ex ſuppoſitione operatur acceptando mortem præceptam, ſit liberum: Ergo ad illud non eſt phyſica determinatio: Ergo nec ad ſubſtantiam acceptationis mortis. Nam Chriſtus, quamdiu ſubſtantiam acceptationis mortis ſibi proponit cum motiuo religionis confuſam, ita vt vnum ſine alio non intelligat, aut ſibi proponat, non poteſt in illo actu circa vnum phyſicè determinari antecedenter, & ad alterum liber relinqui.

9. Ex ſuperioribus igitur certum maneat, libertatem in Chriſto relinqui circa quaſdam circunſtantias actuum præceptorum, ita vt ea libertas in ipſam actuum ſubſtantiam redundet; quandoquidem ad ſubſtantiam actuum, vt vidimus, non datur phyſica determinatio, quamdiu libertas circa prædictas circunſtantias exercetur. Sed interrogabis: quomodo fieri potuit, vt Chriſti voluntas vi ſuæ impeccabilitatis, & amoris beatifici neceſſitaretur

Digitized by Google

ceſſitaretur ad non omittendam ſubſtantiam actus, & tamen circa illam ſubſtantiam ponendam libera eſſet? Aut ſi libera fuit, & actum potuit hic & nunc omittere, videtur non potuiſſe per illum actum omiſſibilem obedire. Si enim omiſſibilis, & ei liber erat, non erat ei præceptus: obediri autem quî poteſt per actum non præceptum? Reſpondeo ex dictis: etſi neceſſitabatur ad non omittendam ſubſtantiam actus, non tamen neceſſitabatur ad ponendam in hoc inſtanti, vel ex hoc motiuo: ſicut omnes homines, licèt ex mortalitatis conditione mortem quoad ſubſtantiam euadere tandem nequeant, poſſunt tamen libere mori hodie, martyrium v. c. ſubeundo, quod vitare poſſent, ſi vellent. Itaque Chriſtus dum ponebat ſubſtantiam actus, potuiſſet impunè illam eo tempore, vel eo modo omittere. Quod eſt dicere, voluntatem Chriſti, quæ neceſſitabatur ex vna parte ad non omittendum abſolutè actum præceptum, & nihilominus manebat libera circa tempus, vel circa modum, paſſam fuiſſe ſolam neceſſitatem ſub ea diſiunctione, vt alterutrum non omitteret, nempe vt operaretur vel præſenti, vel alio tempore: item iſto, vel illo motiuo. Conſtat autem hoc genus neceſſitatis, etiam antecedentis, per quod duo extrema ſic proponuntur, vt diſiunctim vel hoc, vel illud ſit neceſſarium, non obeſſe libertati; qua poſſit obtemperari diuino præcepto.

10. Nam in omni actu libero id contingit, vt alterutrum membrorum contradictionis eligi ſit antecedenter neceſſarium: non enim poſſum ita me habere, vt nec loquar, nec non loquar; alterutrum ergo eſt mihi neceſſarium. Et contingere poteſt, vt in libertate etiam contrarietatis, duo, aut plura membra poſitiua ſic proponantur, vt vnum aliquod ex omnibus indeterminatè debeat neceſſariò eligi. Exempli cauſâ, neceſſarium eſt me habere vel hanc, vel aliquam aliam poſitiuam vbicationem; non enim poſſum eſſe nullibi: & tamen vbicatio, quam mihi Deus dare voluerit, libera ipſi Deo perfectè erit. Item liberè moritur, qui ſeipſum interficit hodie, quamuis hoc, vel illo genere mortis iam, vel aliàs eſſet illi neceſſariò occumbendum. Neque dubium eſt, quin mors Martyribus libera ſit quoad ipſam ſubſtantiam, cùm tantam mereatur laudem: ſolidaque non eſt Patris Delugo *diſp.26.ſect.7.num.90.* in contrarium ſubtilitas. Ex dictis porrò colligitur, poſſe optimè præceptum aliquod impleri per eum actum, qui determinatè non ſit præceptus: ſatis enim eſt, quod ſit præceptus ſub diſiunctione, vel hic nimirum, vel ille; ita vt liberum ſit obedienti ſe determinare ad quemcunque voluerit. Quemadmodum licèt obliger tibi ad pendendum vnum aureum nummum, non obligor determinatè ad hunc potiùs, quàm ad illum; ſed ex centum, quos habeo, poſſum offerre quemcunque voluero. Sic Chriſtus præcepto ſatisfaciebat per ſibi liberos, nec determinatè præceptos actus, quos hîc & nunc eligebat.

Conſiderationes quædam circa prædicta.

11. CONſiderandum hic occurrit (iuxta ſententiam Ariagæ *diſput.42. ſect.2. ſubſect.7.*) inter illas circumſtantias, quæ iuuant ad conciliandam Chriſti libertatem cum impeccabilitate, circumſtantiam temporis videri expeditiſſimam, per quam explicari præcipuè poſſit Chriſti in ſubeunda morte libertas. In ea enim clariùs, quàm in aliis apparet inuolui ſubſtantiam operis; nec poteſt quis intelligi velle hodie liberè operis alicuius exequutionem, quin liberè velit ipſius operis anticipati ſubſtantiam hic & nunc poni, eamque reddat eatenus meritoriam: quod in aliis circumſtantiis, vt vult prædictus Author, non ita planè reperitur. Nam verbi gratiâ, contra eos qui fundarent libertatem, & meritum acceptaræ à Chriſto mortis in ſola electione huius potiùs motiui, quàm alius, occurrit hæc obiectio; quòd fieri poſſit, vt libertas fundata in motiui electione ſit nullius momenti, & impertinens ad reddendam meritoriam ſubſtantiam ipſius actus liberi. Illud enim libertatis genus reperiretur, ſi ex variis quæ ſe offerunt motiuis eligeretur omnium aliorum infimum, minimamque habens perfectionem. In quo ſuppoſito caſu non apparet, quomodo poſſet dici Deo; Ille actus obedientiæ poterat elici ex alio perfectiore motiuo. Quare cùm electio quoad hoc infimum motiuum, ſit libera, talem obedientiæ actum reddidit meritorium. At (inquit Ariaga) poſſet iure Deus reſpondere; quid ex electione quam feciſti, meritus es? magis mihi placuiſſes ſi non illud elegiſſes motiuum: non mihi placere poteſt electio, per quam minùs mihi placere voluiſti. Adde quod ſi circumſtantia motiui, aliæque circumſtantiæ liberam redduut ſubſtantiam actus præcepti, id non videatur facere, niſi quia ſupponitur occurrere circūſtantia temporis alicuius notabilis, in quo non vigeat præceptum. Quis enim dicat eum, qui ad ſuppliciū, impoſita ſibi neceſſitate, ductus fuit ad ſubſtantiam mortis, ad quam cogitur, reddere totum ſibi liberā, ſi in ipſo ineuitabilis ſupplicij veſtigio diceret ſe velle ceruicem ſecuri ſubiicere ex motiuo fortitudinis, aut quouis alio à ſe liberè electo. Verumtamen circa totam hanc conſiderationem, obſeruationemque Ariagæ, attendendum eſt quod dicemus capite ſequenti, non ita eius dictis conſonum.

Conſiderandum eſt ſecundò, totam difficultatem, quæ in præſenti exorta eſt circa libertatem Chriſti ex eius impeccabilitate, ob vnionem hypoſtaticam, vel ob amorem beatificum, verſari circa actus præceptos. Nam ad eos, qui ei non erant præcepti, quantumvis aſſerantur aliunde prædefiniti diuino decreto, ratio nulla eſt cur videantur Chriſto fuiſſe neceſſarij. Non enim neceſſe eſt, vt qui impeccabilis eſt, aut beatus, impoſſibilitatem habeat omittendi aliquod bonum, quod ei proponitur abſque vlla *obligatione* agendum. Multi enim omitti poſſunt *abſolutè* virtutum variarum actus ab ipſis Beatis. Et quando duo actus virtutum ſe offerunt alicui Beato, qui ſint incompoſſibiles hîc & nunc; clarum eſt, poſſe vno eorum liberè electo alterum omitti liberè. Prædefinitio etiam diuina ſiue ſit cum præcepto, ſiue ſine præcepto, neceſſitatem imponit, quando accedit ſcientiæ mediæ vſus.

13. Conſiderandum eſt tertiò, quæcumque in hac tota tractatione diximus de libertate Chriſti circa obſeruationem præceptorum, intelligenda etiam eſſe aliquo modo de præceptis negatiuis, & non ſolùm de affirmatiuis. Quamquam enim ſit minor neceſſitas, vt conemur ſaluare libertatem Chriſti circa obſeruationem negatiuorum præceptorum, quia ſcilicet non eſt opus vt Chriſtus nos redemerit, aut nobis meruerit per eorum obſeruationem: poſſunt enim hæc nullo merito, aut libertatis exercitio obſeruari per meram negationem actus, coniunctam etiam cum incogitantia; quandoquidem præcepta negatiua non obligant nos ad cogitandum de ſe, aut de ſui obſeruatione, nec ad quicquam operandum, vt ſuppono *ex prima ſecunda*. Iraque facilè aliqui Theologi concedunt Chriſtum in præceptorum negatiuorum obſeruatione nihil nobis meruiſſe, nec vllam libertatem habuiſſe, propterea quod nec habuit paratum concurſum Dei ad faciendum opus vllum

vllum vetitum præcepto negatiuo; nec etiam potuit eius in horum præceptorũ negatiuorum obſeruatione ſaluari libertas quoad circunſtantiam temporis, vel motiui, vel quoad aliquam ſimilem: nam quod ſpectat ad temporis circunſtantiam, in omni inſtanti, & pro ſemper obligant hæc præcepta; nec poteſt vnquam differri eorum obſeruatio, cùm ſemper vigere debeat. Quod verò ſpectat ad motiua, aliaſque circunſtantias, ea locum habere non poſſunt in actus negatione materiali, & merè phyſica, qualis ſola ſufficit in obſeruatione iſtorum præceptorum; nihilominùs dico Chriſtum, qui ſatisfacere potuiſſet præceptis negatiuis per ſolam materialem actuum vetitorum negationem ſine vllo exercitio libertatis, quemadmodum nos vt plurimùm facimus, ſatisfeciſſe huiuſmodi præceptis (quando cogitare de iis voluit) per veræ exercitium libertatis, ſiue eliciendo actum poſitiuum, ac reflexiuum, quo nollet operari actum vetitum; ſiue ſimpliciter habendo carentiam actus vetiti liberam, & quæ eſſet cum plena aduertentia, ex motiuo (cognito quidem per phyſicum, formalemque actum intellectus, ſed per voluntatis actum dumtaxat virtualem volito) vel obedientiæ, vel charitatis, &c. Ratione cuius aduertentiæ, ſeu motiui, libera erat carentia actus. Quamuis enim non haberet potentiam phyſicam, nec paratum Dei concurſum, ac per conſequens nec libertatem ad eliciendum actum vetitum; poterat tamen liberam eius habere carentiam variam, hoc eſt, ex vario motiuo. Porrò licèt varietas motiuorum non variaret phyſicè prædictam carentiam actus, moraliter tamen dici poſſet hanc aliquo modo variare quoad ſubſtantiam, & conſtituere in diuerſis ſpeciebus virtutum.

14. Conſiderandum eſt quartò, viam illam ſumptam ex actionum præceptarum circunſtantiis, quam iniuimus ad explicandam Chriſti libertatem, ſupponere (vt ſæpe indicauimus) quòd Deus non præceperit Chriſto cum operis iniuncti ſubſtantia omnes circunſtantias temporis, motiui, &c. Si enim Deus illas omnes præcepiſſet, non per eas magis, quàm per ſubſtantiam operis explicari poſſet ipſius Chriſti libertas, attendendo impeccabilitatem, vt ortam ex viſione beatifica: nam per vnionem hypoſtaticam Chriſtus non determinaretur tunc neceſſariò, niſi conſequenter, & per interuentionem ſcientiæ mediæ, vt dictum eſt *cap. 6.* Hic autem attendendo impeccabilitatem ex viſione beatifica ortam videtur naſci quædam difficultas, quam Suares *diſp. 37. ſect. 3.* obiicit, & eandem in hac materia ſæpiùs mouet. Nam in noſtra ſententia ſequitur ſaltem hanc conditionatam admittendam eſſe: Si præceptum volendi mortem impoſitum eſt Chriſto cum omnibus circunſtantiis determinatè (verbi gratiâ, vt in primo inſtanti ſuæ conceptionis cum toto affectu & intenſione ſibi poſſibili ex motiuo charitatis, vel obedientiæ, &c. mori tali morte, tali tempore, &c. pro hominibus vellet) acceptatio mortis non potuit eſſe libera, nec per conſequens meritoria. Quod ſi admittatur illa conſequentia, interrogat vlteriùs Suares, vnde conſtat, non fuiſſe impoſitum Chriſto præceptum hoc modo. Certè, inquit, nulla vel probabili ratione, vel authoritate probari poteſt. Vt huic obiectioni ſatisfiat, notandum eſt ſermonem hîc eſſe de eo actu præcepto, qui in eo temporis inſtanti, in quo elici debet, ſupponat in priori naturæ exiſtere in humanitate Chriſti vnionem hypoſtaticam, ſeu viſionem beatificam; ſi enim naturæ ordine is actus præſupponeretur ante prædictam vnionem, ſeu viſionem, nulla eſt difficultas, quin liber foret omninò: Verùm ante vnionem non foret elicitus à Chriſto, de quo hîc loquimur, ſed à pura humanitate, de qua non agimus. Hoc prænotato, respondeo ad propoſitam obiectionem, debere omninò admitti conſequentiam illam, ſeu conditionatam propoſitionem ſuperiùs factam; actus enim qui neceſſitatem habet antecedentem, etſi ſpontaneus, non poteſt eſſe liber, & meritorius.

15. Poſt admiſſam verò illam conſequentiam, ſeu propoſitionem conditionalem, reſpondeo vlteriùs ad interrogationem Suaris, per ea quæ ipſe (ſatis hac in re varians) pronunciauit *ſub finem ſectionis quartæ*; hunc modum præcipiendi cum omnium circunſtantiarum determinatione eſſe nimis extraordinarium, & à Deo inuſitatum, vt nunquam Deus quicquam vlli ſic præcepiſſe comperiatur. Non debet ergo aſſeri fuiſſe Chriſto impoſita hoc modo præcepta. Sanè Chriſtus ipſe videtur ſignificare potuiſſe, ſe non eo mori tempore, quo de facto mortuus eſt: quod eſt dicere, non præceptam ei, redditamque neceſſariam talem præciſè circunſtantiam, differentiamque temporis. Sic enim ait ipſe *Matt. 26. An putas, quia poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum.* Et alibi dicitur mortuus, & oblatus, quia ipſe voluit, *Iſaiæ cap. 53.* poteſtatem habuiſſe ponendi, & non ponendi animam ſuam, *Ioan. 10.* Vbi aduerte circunſtantiam temporis, quæ Chriſto libera paſſionem ipſam reddidit meritoriam, intelligi præcipuè reſpectu temporis alicuius notabilis. Si enim, exempli causâ, alicui reo, dum ad mortem ducitur, liberum relinquatur, vt per non longam viam, in qua foret pluribus oſtentui, ſed per breuiſſimam, vitandæ ignominiæ gratiâ ducatur, & ita contingat, vt moriatur ſemiquadrante citiùs; mors illa quatenùs eo modo accelerata, ei quidem libera erit, ſed non in genere moris propter talem accelerationem conſideranda. Quamquam fieri poſſit aliquando, vt breuiſſima acceleratio ſit, cùm liberè fit, magni ad laudem, aut vituperium momenti: vt ſi ſupponamus eum, qui extremo morbo decumbens animam eſt breui efflaturus, ſollicitari ad negandam fidem, & cùm id recuſat, pugione confodi. Item ad demeritum imputaretur, ſi quis à carnifice mox occidendus manus ipſe ſibi violentas inferret. Propter quædam enim concurrentia fieri poteſt vt libertas circa paruam alioqui circunſtantiam reddat opus conſiderabiliter liberum, & in vtramvis partem imputabile.

16. Animaduertit *in illa ſect. 4. diſp. 37.* Suares, quòd quamuis Deus Chriſto præceptum de morte amplectenda impoſuiſſet cum omnibus vndecumque circunſtantiis, ita vt nulla circa hoc illi remanſiſſet libertas, ſupponendo efficacitatem amoris beatifici; nihilominùs potuiſſet voluntas ipſius Chriſti habere alios actus liberos, quaſi reflexos ſupra illum actum præceptum: potuit enim illum præciſè velle propter honeſtatem ipſius, quaſi ſub hac conditione, vel affectu (ſcilicèt, etiamſi cum illo non eſſet coniuncta neceſſitas præcepti; vel etiamſi ſimpliciter neceſſarius ad diuinum amorem non eſſet.) Et hic modus reflexus exercendi libertatem, tam intrinſecus eſt voluntati, tamque honeſtus, vt ea libertas non poſſit rationabili præcepto impediri, ſiue reddendo neceſſarios actus huiuſmodi reflexos, per eorum iuſſionem; ſiue per prohibitionem ipſos reddendo illicitos. Nullum enim rationabile præceptum dari poteſt, per quod voluntas impeccabilis, & beata obligetur ad omnẽ, & quocumque modo poſſibilem reflexionem ſuprà ſuos actus: reflexiones enim poſſibiles habent infinitatem. Non etiam dari poteſt rationabile præceptum, per quod omnis reflexio

ſupra actus præceptos vetetur: poſſunt enim fieri reflexſones ex motiuo charitatis erga Deum; charitatis autem exercitium non poteſt vetari. Hæc animaduerſio Suaris bona eſt, & vera, ſed in materia, quam hîc tractamus, inutilis. Nam oportet in præſenti oſtendere, quomodo Chriſtus potuerit exercere libertatem, non ſuprà ſuum actum præceptum, ſed intra ipſam ſubſtantiam actus præcepti, ſeu directè ſupra huius obiectum. Nos autem id ſatis oſtendimus.

17. Conſiderandum eſt quintò, ſi Chriſtus non non habuit alium actum amoris diuini ſupernaturalem, niſi beatificum (vt tenet Vaſquez *diſp. 74. cap. 5.*) non habuiſſe ipſum vllam libertatem in exercitio charitatis, & ex hoc nihil meruiſſe, ſed tantùm ex actibus aliarum virtutum, præcipuè ex obedientia, qua præceptam mortem acceptauit. Si autem præter amorem beatificum dicatur eſſe in portione voluntatis Chriſti inferiore alius actus amoris, qui ſequatur ad cognitionem infuſam; is amor vel eſt neceſſarius ex vi cognitionis infuſæ nimis claræ, atque ita eodem modo philoſophandum eſt de illo, quo de amore beatifico: vel (quod probabiliùs dicetur) non eſt neceſſarius præciſè vi cognitionis infuſæ. Et de hoc ita ſumpto iudicandum eſt quemadmodum de aliarum virtutum actibus. Si enim ille actus amoris in inferiori voluntatis parte reſidens nullo diuino præcepto iubetur (quemadmodum dici poſſe explicat Suares, quandoquidem non ſolet Deus iubere actum inferiorem, quando circa idem obiectum habetur actus ſuperior; ſic in nobis, quandiu habemus actum charitatis Dei ſupernaturalem, ceſſat præceptum charitatis naturalis) cenſendus erit omninò liber Chriſto, vt alij actus non præcepti. Si verò dicatur talis actus eſſe præceptus, libertas circa eum explicanda erit per circunſtantias, &c. vt ſuprà dictum eſt de actu acceptandi mortem præceptam, vel per ea quæ in ſequentibus dicentur.

CAPVT X.

Excitatur quædam recens difficultas contra modum explicandi libertatem Chriſti per temporis circunſtantiam.

1. INTER varias, quas ſuperiùs propoſuimus, vias, libertatem cum impeccabilitate conciliandi in eo actu, quo Chriſtus mortem propter homines acceptans rigido Patris obtemperauit præcepto; illa imprimis via celebris eſt, & communiter à plurimis defenditur, ac nominatim ab Ariaga *diſp. 42. num. 39.* tanquam ſuo iudicio facillima, clariſſimaque præ cæteris laudatur, nempe vt dicamus Chriſtum eo tempore mortem obire voluiſſe, quo tempore poterat illam liberè abſque peccati periculo recuſare, & in aliud tempus reiicere. Quomodo ſupponitur Deum Patrem non ei præciſe tempus, quo moreretur, præſcripſiſſe, neque ipſum Chriſtum expectaſſe vſque ad vltimum inſtans, ſeu tempus extremum ſibi à prouidentia diuina, vt obedire poſſet, conceſſum. In neutro enim illo caſu libertas per circunſtantiam temporis ſaluari poſſet, vt per ſe conſtat, & fatentur omnes. Quod ſi in neutro illo caſu: Ergo abſolutè dicendum videtur, non poſſe, vt Chriſti libertas ſaluetur, recurri ad conſiderationem circunſtantiæ temporis: nullum enim in tota Chriſti vita inueniri poteſt tempus, in quo non eadem difficultas reperiatur; nullum inſtans in quo libertas magis, quàm in vtroque illo prædicto caſu conciliari poſſit cum impeccabilitate. Hæc obiectio, qualis qualis tandem ſit, cùm nullus eam tetigerit, viſa eſt mihi proponenda breuiter per hoc vnicum

Argumentum quo tota difficultas continetur.

2. RAtio cur Chriſtus intelligi nequeat eſſe liber ad acceptandam, vel non acceptandam mortem, ſi ſupponatur, aut ei præciſè definitum à Patre fuiſſe tempus moriendi, aut alioquin eam mortem diſtuliſſe vſque ad vltimam partem eius temporis, intra quod iuſſus eſſet obedire, non alia eſt, quàm quia ipſe Chriſtus non tunc poſſet aliud tempus eligere, nec vlteriùs mortem differre; quandoquidem nullum tempus poſteà ſupereſſet, quo præceptum poſſet implere: quare præciſè illo tempore non acceptare mortem, eſſet peccare, & nolle obedire Patri. Atqui omne tempus, quo Chriſtus vixit, tale fuit, eoque modo ſe habuit, vt niſi tunc Patris præceptum impleretur, non poſſet impleri poſteà; nec vllum deinceps ſe offerret tempus, in quo eſſet poſſibile acceptare mortem, qualem Pater illi præceperat, ſcilicet meritoriam, & ſatisfactoriam, atque adeò liberam. Ergo tempus omne, quo Chriſtus vixit, tale eſt, vt ipſe nequeat in illo intelligi fuiſſe liber ad acceptandam, vel non acceptandam mortem. Atque ita non poteſt libertas Chriſti defendi, & explicari per circunſtantiam temporis. Maior ab Authoribus paſſim admittitur, atque aſſeritur.

3. Minor probatur per ſingulas differentias temporis, retrocedendo ab vltimo eo tempore, in quo, ſi ad illud ſupponatur Chriſtus perueniſſe, non intelligitur differre poſſe mortem vlteriùs. Et quidem apparet, quod in tempore præcedente immediatè illud vltimum, non magis poteſt concipi liber, quàm in ipſo vltimo: quandoquidem non magis poteſt in eo præcedente, ſeu penultimo tempore omittere, differreque in ſequens tempus acceptationem mortis, quàm poſſet omittere, differreque in ipſo planè vltimo. Patet: nam eſt eadem in vtroque ratio. Vt enim in vltimo tempore non eſt liber, quia poſt vltimum inſtans non eſt tempus in quod poſſit differre exequutionem præcepti, ſeu quia non eſt poſteà tempus, quo poſſit obedire: ſic, inquam, planè eſt in ipſo penultimo tempore: quandoquidem in illo etiam non poteſt differre exequutionem præcepti. Nam ſi diſtulerit, incidet in vltimum tempus, in quo (vt vidimus) neceſſitabitur ad acceptandam mortem actu non libero, ac per conſequens non idoneo ad obediendum, & ad ſubeundam mortem meritoriam, & ſatisfactoriam, qualis præcipiebatur. Hoc poſito habemus quod neque in penultimo inſtanti mortis acceptatio poteſt differri, ſed neceſſaria eſt, nec libera.

4. At ſi id verum eſt de penultimo, verum item erit de antepenultimo, & de omnibus citerioribus vſque ad primum. Erit, inquam, in antepenultimo eadem neceſſitas acceptandæ mortis, & impoſſibilitas differendæ exequutionis præcepti, vt per ſe conſtat. Si enim in eo recuſetur, & differatur mors, incidetur in penultimum illud inſtans, in quo iam vidimus, mortem item non eſſe liberam, nec poſſe differri: Atque ita ceſſim reliqua omnia inſtantia percurrendo, inueniemus ſingula, donec ad primum perueniatur, ita ſe habere, vt acceptatio mortis ſit in illis neceſſariò, nec liberè acceptanda, cùm non poſſit in tempus ſequens reiici, & ſemper in quibuſcumque

Digitized by Google

cumque proximis inſtantibus inueniatur eadem ratio, quæ eſt in omnium inſtantium vltimo, ad quod, ſi Chriſtus mortem differendo perueniſſet, non poſſet eam vltra differre.

5. Forte obiiciet aliquis, non eandem eſſe rationem vltimi inſtantis, & citeriorum aliorum in Chriſti vita inſtantium, quòd in vltimo quidem clarum ſit non poſſe differri exequutionem præcepti, cùm nullum poſteà ſupersit tempus, poſt vltimum enim, nihil eſt: at verò poſt cætera omnia præcedentia inſtantia datur ſequens tempus, in quod exequutio præcepti differri poſſit. Contra. Nam exequutio præcepti non conſiſtit in eo quòd Chriſtus ſubeat mortem ſimpliciter, & quocumque modo; ſed vt eam ſubeat quæ ſit ſatisfactoria, atque meritoria redemptionis humanæ. Talis autem mors debet eſſe libera, qualem ex dictis conſtat non minùs impoſſibilem eſſe in quocumque Chriſti vitæ tempore, quàm in omnium vltimo inſtanti.

Dices. Mors non erat præcepta Chriſto vt libera formaliter, hoc eſt, non erat ei præceptum, vt actus ille, quo mortem acceptaret, eſſet liber: Quamuis enim non poſſit fieri præceptum, niſi ei perſonæ, quæ ſit libera, & quæ liberè obtemperet; tamen ipſe libertatis modus, qui in obtemperatione reperitur (& ſine quo non eſſet obtemperatio præcepti) non ſolet præcipi, ſeu eſſe directum præcepti obiectum. Reſpondetur; quidquid ſit de cæteris communiter præceptis, in hoc tamen præcepto, quod Chriſtus accepit, modus libertatis in exequutione præcepti exercendus iubebatur directè, vtpotè incluſus in directo præcepti obiecto. Impoſitum enim erat mandatum mortis, quæ ſatisfaceret pro peccatis hominum, & quæ gratiarum ad ſalutem noſtram conducentium meritoria eſſet: atqui libertas in omni actu propriè ſatisfactorio, & in omni meritorio includitur.

6. Replicabis. Acceptatio mortis dilata vſque ad vltimum inſtans, non debet cenſeri expers libertatis; atque ita non poteſt ob defectum libertatis negari eſſe ſatisfactoria, & meritoria. Si enim Chriſtus ſupponatur diſtuliſſe liberè vſque ad vltimum inſtans acceptationem mortis, clarum eſt ab illius electione, & libertate pendere, quòd in eo inſtanti mortem acceptet; non enim tunc eſt acceptatio mortis, niſi quia non placuit ipſi anteà illam acceptare; voluit autem fieri acceptationem ſolùm in prædicto inſtanti extremo. Reſpondetur, fuiſſe quidem in eo caſu liberum Chriſto, quod in præcedenti tempore non acceptaret mortem: non fuiſſe tamen liberum, poſtquam ad extremum inſtans peruenit, vt eam acceptaret, vel non; cùm, niſi ſaltem tunc exequeretur Patris mandatum, peccaturus eſſet; cúmque prætereà non haberet oblatum à Deo concurſum ad volendum recuſare tunc mortem. At, inquies, liberè in priori tempore voluit venire ad vltimum inſtans, & in illo acceptare mortem, & mori? Reſpondeo; ita eſt, ſed hoc nihil eſt aliud, quàm liberè voluiſſe acceptationem mortis non liberam, hoc eſt, illam voluiſſe eo tempore, quo non poterat eſſe libera. Stet igitur certum ex dictis (niſi aliquod aliud reſponſum inueniatur) non poſſe concipi libertatem Chriſti ad mortem acceptandam in prædicto inſtanti vltimo. Quod ſi ſemel conceditur, valet omninò, nec videtur ſolui poſſe argumentum factum, concludens, non poſſe pariter concipi libertatem in inſtanti, ſeu tempore penultimo, ſed nec in antepenultimo, nec in vllo præcedenti per ſingulas temporis partes retrorſum incedendo, vt ſuprà oſtenſum eſt *num. 3. & 4.* Quale enim intelligetur eſſe vltimum, talia neceſſe eſt reliqua inſtantia intelligi.

Reſpondetur difficultati, & ſoluitur obiectio.

7. VT huic difficultati reſpondeatur, & propoſitum ſuperiùs argumentum ſolui poſſit, dico manifeſtam apparere in illo argumento fallaciam. Si enim id valeret, ſequeretur nullum in tota Chriſti vita repertum fuiſſe inſtans, in quo ille non habuiſſet neceſſitatem moriendi, & vltra quod licuiſſet illi mortem differre; cùm tamen ipſe mortem licitè diſtulerit vſque ad 34. ætatis annum. Indidemque concluderetur, non potuiſſe eſſe liberam, atque adeò nec meritoriam illam ipſam Chriſti mortem, quæ contigit. Aſſerendum eſt igitur, falſum eſſe quod in omnibus vitæ inſtantibus, quæ vltimum præceſſerunt, fuerit in Chriſto mortem pro tunc acceptandi neceſſitas. Atque ita, quia (vt oſtenſum eſt ſuprà) id neceſſariò ſequitur, ſi verum eſt, quòd in vltimo inſtanti, poſt quod differri mors non poſſet, Chriſtus non habeat perfectam libertatem acceptandi mortem; ideò nobis neceſſariò incumbit, vt rationem inueniamus, quâ ſufficiens in prædicto vltimo inſtanti libertas ſtabiliatur: id enim ſi fiat, ruit fundamentum, & tota vis argumenti facti. Nam ſi neceſſitas impediens omnimode libertatem acceptandæ mortis, non in vltimo illo inſtanti reperiatur, nulla ratio erit cur in aliis retrorſum inſtantibus aſſeratur; atque ita rectè poterit per circunſtantiam temporis cum impeccabilitate libertas Chriſti conciliari.

8. Dicendum igitur eſt, quòd Chriſtus, ſi ſupponeretur voluiſſe expectare vſque ad vltimum tempus, quo diuina prouidentia ei præſcripſiſſet ad obediendum, liber quidem non fuiſſet ad non acceptandam mortem pro illo inſtanti, ac per conſequens non potuiſſet concipi mors eius eſſe meritoria propter eam libertatem, quæ ſumatur ex circunſtantia temporis: nec enim tunc haberet oblatum à Deo concurſum ad recuſandam mortem. Quid ergo? Libertas in eo caſu concipi, & peti debet ex quadam alia, quàm temporis circunſtantia. Nimirum ex diuerſitate motiui, quemadmodum ſuprà explicuimus *cap. 9.* Illa enim circunſtantia, ſeu diuerſitas motiui eligibilis ex libertate, ſufficit ad reddendam mortis acceptationem omninò liberam, vt fatetur, & benè exponit Suares, Vaſques autem, & quidam cum eo alij, abſolutè reiecta opinione, quæ recurrit ad circunſtantiam temporis, non putant meliùs explicari libertatem Chriſti, quàm per hanc motiui circunſtantiam.

9. Ergo negandum eſt illud, quod erat vnicum eius, quæ hic propoſita eſt, difficultatis fundamentum, nempè quòd mors non foret Chriſto libera, ſi ſupponeremus fuiſſe ipſi præcisè aſſignatum moriendi tempus, aut ſi ſupponeremus voluiſſe illum expectare vſque ad vltimum inſtans temporis ſibi conceſſi. Aſſerendumque eſt in illo ipſo inſtanti plurima Chriſto ſe efferre poſſe motiua moriendi, & ad eligendum liberè aliquod illorum, non defuturum Dei concurſum. Atque ita cùm Chriſtus eligeret motiuum vnum hoc, vel illud, ſiue etiam motiua ſimul plura hæc, vel illa; talis electio motiuorum, & acceptatio mortis, actus eſſet vnus ſimplex, & indiuiſibilis, deberetque cenſeri non tantùm circa motiua, ſed ſimul circa ipſam mortem liber, ſatisfactorius, ac meritorius.

10. Atque ita diſſoluitur omnis ſuperior obiectio facta contra modum explicandi libertatem Chriſti

Digitized by Google

Chriſti per temporis circunſtantiam. Et nulla eſt difficultas, quin ſine peccato potuiſſet ipſe Chriſtus expectare vſque ad vltimum inſtans temporis ſibi à Patre ad exequendum præceptum conceſſi. Indeque elucet quomodo nulla fuerit in moriendi neceſſitas, nec in penultimo, nec in antepenultimo, nec in vllo alio citeriore inſtanti. Nihil enim illi obſtabat, quo minùs in quocunque inſtanti reijci mors poſſet in proximè ſequens inſtans, & ab hoc in aliud proximè ſequens, atque ita tota negotij executio protrudi vſque ad inſtans vltimum, cùm in hoc nulla timeri poſſet libertatis peremptio.

11. Ex dictis intelligere potes, duos illos modos explicandi libertatem in Chriſto, ſiue per circunſtantiam temporis, ſiue per circunſtantiam motiuorum, ita comparari inter ſe, vt prior ille pendeat ab hoc altero. Nam niſi ad libertatem ſaluandam ſufficeret circunſtantia motiuorum liberè eligibilium, nullo modo poſſet ad id ſufficere circunſtantia temporis. Quandoquidem in omni tempore præcedente vltimum inſtans, non poſſet Chriſtus expers eſſe neceſſitatis moriendi, niſi foret tandem ſpes, quòd in vltimo inſtanti reperiretur adhuc poteſtas obediendi cum ſufficiente libertate: non foret verò talis ſpes, niſi ſubueniret circunſtantia motiuorum. Hac tamen ſubueniente, & præſuppoſita, benè explicatur Chriſti libertas per circunſtantiam temporis.

CAPVT XI.

Proponuntur alij modi, quibus nonnulli cum aliqua probabilitate defendunt Chriſti libertatem in acceptanda, ſubeundaque morte.

1: OMITTENDI non ſunt quidam alij modi haud omninò improbabiles, quibus Chriſti circa mortem acceptandam libertas ex nonnullorum ſententia intelligi, ſancirique poſſit. Ac prima quidem hic eorum occurrit opinio, qui Deum non dediſſe Chriſto abſolutum moriendi præceptum putant; ſed ſub ea tantùm conditione, ſi ipſe acceptare vellet. Cùm igitur accidit, vt Chriſtus præceptum liberè, quod recuſare poterat, acceptaret, factum conſequenter eſſe aiunt, vt neceſſitatem quidem moriendi ſuſceperit, ſed quæ dicenda non ſit ſimpliciter neceſſitas antecedens, cùm aliquam ipſius Chriſti liberam determinationem ſupponat. Verùm hic modus rem explicandi non videtur plenè ſatisfacere: quamuis enim non dubitem, quin Chriſtus (cuius exiſtentia decreta, præuiſaque erat ante peccatum Adami) ſe Patri ſponte obtulerit (quemadmodum libri ſecundi capite octauo oſtendi) in eum finem, vt ipſe collapſi generis humani conſtitueretur Redemptor, iuxta illud *Pſalmi* 39. & *ad Hebr.* 10. *Sacrificium, & oblationem* (vtpotè peccatis hominum imparem) *noluiſti. Tunc dixi, ecce venio, vt facerem voluntatem tuam*: hoc eſt, vt obedire poſſem tuo præcepto, non quidem iam dato, ſed conſequenter ad meam petitionem dando. Quemadmodum aliquis dicitur ingredi Religionem, inquit Ribera, vt obediat, non præcepto vlli quod iam acceperit, ſed illis præceptis, quæ Religionem ingreſſus à Superiore accipiet. Ad probabiliorem etiam huius ſententiæ, quòd Chriſtus non fuerit conſtitutus Redemptor niſi quia priùs id voluit, & petiit, alia quædam *illo cap.*8. *lib.* 2. retulimus. Nominatim illud Anſelmi *lib.* 2. *cur Deus homo*; *Dominus Ieſus cùm mortem ſuſtinere voluit, quoniam ſuum erat pati, & non pati, debuit facere quod fecit; quia quod vult, facere debet; & non debuit facere, quia ex non debito.* Quamuis, inquam, id ita ſit, non tamen probo vt dicatur Chriſtum, poſtquam ſe in Redemptorem hominum obtulit, non accepiſſe moriendi præceptum abſolutum, ſed tantùm conditionatum, ſi acceptare vellet. Id enim voluntaria diuinatio eſt, nec conforme ſcripturæ, quæ verum præceptum paſſim innuit, nullaque conditione ſuſpenſum.

2. Præterea licèt concedamus præceptum fuiſſe impoſitum ſub ea tantùm conditione, ſi Chriſtus vellet acceptare; nihilominus intelligere non poſſemus, per illud conſeruatam fuiſſe libertatem Chriſti, in obſeruatione, & exequutione illius præcepti; non enim alia poteſt intelligi ſecundùm hanc opinionem libertas Chriſti, quàm in actuali acceptatione. Poſt acceptationem verò obligationis, impoſitionemque præcepti non poteſt, ſuppoſita impeccabilitate, exequutio eſſe libera, niſi in cauſa, ſeu in prædicta acceptatione. Atque ita Chriſtus per nullum actum formaliter liberum obediuiſſet; Ille enim actus acceptationis, in quo ſita eſſe tota Chriſti morientis libertas affirmatur, non potuit eſſe actus obedientiæ, vtpotè non præceptus. Nam Chriſto Pater nequaquam præcepit illam acceptationem (alioquin fuiſſet & ipſa Chriſto impeccabili neceſſaria:) ſed mortem ipſam, eiuſque exequutionem. Atque ita Chriſtus nec noſtram redemptionem, nec ſuam exaltationem meritus fuiſſet per obedientiæ actum, ſed per actum ſibi à ſeipſo quaſi iniunctum per liberam acceptationem, contra illud *Philipp.* 2. *Factus obediens vſque ad mortem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, &c.*

3. Altera in præſenti diſputatione occurrit ad ſanciendam Chriſti libertatem opinio, quam tuetur Medina *in* 3. *p. q.* 47. & apud hunc victoria, Velaſques *in cap.* 2. *epiſtolæ ad Philip. num.* 9. Lorca *de incarnatione q.* 19. *diſp.* 63. & nonnulli alij. Qui ſuperati difficultatibus aſſerunt Chriſto datum non fuiſſe moriendi præceptum rigidè, propriéque dictum, & obligans ſub peccato; ſed tantùm quandam velut ordinationem, directionem, ac regulam ſuperioris, potentis quidem obligare ſub peccato, non tamen obligantis. Quales nimirum ſunt multæ cùm Prælatorum iniunctiones, tum etiam leges inter aliquos Religioſos, qui dum mandata exequuntur, dicuntur verè obedientes eſſe, ac operari meritoriè ex motiuo obedientiæ; cùm tamen omittere ſine peccato poſſint mandatorum huiuſmodi exequutionem; imò docet Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. & 5. tunc eſſe materiam perfectioris obedientiæ, cùm obeditur abſque obligatione. Hoc igitur modo exiſtimant prædicti Authores bellè conciliari impeccabilitatem Chriſti cum eiuſdem ad moriendum, vel non moriendum libertate.

5. Sed falſa mihi videtur omninò illorum ſententia, eſtque contra communem Theologorum ſenſum, qui certum habent, Chriſtum rigido fuiſſe obligatum præcepto moriendi, vt videre eſt apud Suar. *diſp.* 43. *ſect.* 3. Vaſquem *diſp.* 74. *c.* 4. Valentiam *diſp.* 1. *q.* 19. *puncto* 2. Tolet. *in c.* 10. *Ioan.* &c. nam ſcriptura, cuius verba debent ſemper propriè, quantum fieri poteſt, intelligi, ait ſimpliciter datum fuiſſe Chriſto à Patre mandatum moriendi, *Ioan.* 10. 14. & 15. *Philip.* 2. ipſa etiam ſcriptura

præceptum,

præceptum, quod habuit Chriſtus, poſuit in eodem ordine cum aliis præceptis diuinis, quibus nos obligamur. Nec alio modo loquitur de ipſius Chriſti obedientia, quàm de noſtra: vt apud Ioannem citatum; *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* Vbi nemo non videt hanc vocem, *præcepta*, bis repetitam ſumi eodem modo vtrobique. Sic & Paulus *Rom.* 5. opponit obedientiam Chriſti inobedientiæ Adami; quaſi nempe eodem modo Chriſtus præceptum habuerit, quo habuerat Adamus, & eodem modo ille obediens fuerit, quo iſte inobediens.

6. Addo præterea contra ſupradictos Authores, quòd licèt eis concederemus Chriſtum non habuiſſe moriendi præceptum ſub peccato obligans; non tamen ideò poſſent planè libertatem Chriſti explicare, ſed in eodem ferè ſalo manerent: quando enim Superior, qui ſub peccato obligare te poteſt (præſertim verò ſi ſit ipſe Deus) præcipit tibi quippiam magni momenti, ſignificatque ſeriò poſt maturam hinc, & inde conſiderationem placere ſibi, & ſua multùm intereſſe, vt id à te fiat, quod petit; quanquam ita ſuaui vtatur imperio, vt nolit tibi vim inferre, aut conſcientiam tuam vllo peccati illaqueare periculo. Quis non videt, quin magna in te futura ſit imperfectio, & illiberalitas, ſi fortè nolis tali ſuperiori morem gerere, nec difficultates eas vincas, quibus à ſe bene perpenſis non fuerat ille à præcipiendo retardatus. Quod ſatis apparet exemplo Religioſi, quem omnes imperfectum in re exiſtimant, quando regulas, ac Superiorum iuſſiones ad peccatum non obligantes negligit obſeruare. Nam tantò videtur obedientia perfectior (inquit Sanctus Thomas *quæſtione illa* 104. *art.* 2.) quantò expreſſum præceptum obediendo præuenit, voluntate Superioris intellecta. Pro certo igitur habendum eſt, quod cùm non ſola peccata, ſed ipſæ etiam imperfectiones minime, ac defectus quicunque vituperabiles Chriſtum dedecuerint abſolutè, nulloque modo cadere in eum potuerint, neceſſarium fuit obſeruari ab ipſo quodcumque Patris præceptum non obligans ſub peccato; & per conſequens niſi aliam iſti Authores ſolutionem afferant, & ad noſtros reſpondendi modos recurrant, non oſtendent quomodo mors Chriſti, & eiuſdem moriendi voluntas potuerit eſſe libera, & meritoria, noſque redimere.

7. Ad hanc prædictorum Authorum opinionem referri poteſt Anſelmi doctrina, qui pariter (quamuis modo non parum diuerſo) negat fuiſſe datum à Patre verum moriendi præceptũ. Ait enim *libro* 1. *cur Deus homo*, *cap.* 10. debere eatenus intelligi Patrem dediſſe Filio mandatum, & calicem paſſionis, quatenus illi voluntatem inſpirauit moriendi pro ſalute mundi. Non enim illam voluntatem, inquit, habere potuit Chriſtus, niſi à Patre luminum, à quo eſt omne datum optimum. Si ergo hoc modo nequit denegari Patrem, voluntatem illam dando, Filium ſuum ad mortem traxiſſe, vel impuliſſe, quis non videat eadem ratione, mandatum illi, vt mortem ſuſtineret ſponte, & calicem, quem non inuitus biberet, dediſſe? Et ſi Filius ſibi non pepercisſe dicitur, quis negct rectè dici, quia Pater à quo talem habuit voluntatem, illi non pepercit; ſed pro nobis tradidit illum, & mortem eius voluit. Et hoc modo Filius, ſponte ſeruando voluntatem acceptam à Patre, factus eſt illi obediens vſque ad mortem. Subdit poſt hæc idem Anſelmus, alio etiam modo poſſe intelligi Patrem voluiſſe Filij mortem, nempe ſicut velle dicimus eum, qui facit, vt alius velit; ita etiam dicimus eum velle, qui non facit vt alius velit, ſed approbat, quia vult. Illum quoque qui prohibere poteſt, & non prohibet, ſolemus dicere, quia vult quod non prohibet. Quoniam ergo Patri voluntas Filij placuit, nec prohibuit eum velle quod volebat, rectè affirmatur voluiſſe vt Filius mortem tam pie, & tam viriliter ſuſtineret: non autem potuiſſe calicem tranſire, niſi biberet illum, dixit; non quia non poſſet mortem vitare, ſi vellet; ſed quia mundum erat impoſſibile aliter ſaluari, & ipſe indeclinabiliter volebat potiùs mortem pati, quàm vt mundus non ſaluaretur, &c. Hactenus Sanctus ille Pater.

8. Verùm quamuis in hac eius ſententia mihi valde probetur, quod ait Chriſtum habuiſſe ſponte ſua voluntatem moriendi pro ſalute mundi eo modo, quo ſupra explicatum, & probatum eſt *libro* 2. *cap.* 8. quamuis item hæc ſententia libertatem Chriſti omninò conciliet cum impeccabilitate, quatenus Chriſtum eximit ab omni graui obligatione præcepti, atque per conſequens ab omni peccandi occaſione, atque periculo; nihilominus mihi probari non poteſt quod ait, ipſum Chriſtum, poſtquàm vltrò ſe deuouit pro mundi redemptione, nullum aliud inſuper accepiſſe à Patre præceptum, quo rigidè obligaretur ad mortem ſubeundam: id enim, vt iam ſupra oſtenſum eſt *num.* 5. nec Scripturæ, nec Sanctis Patribus, atque adeò nec Theologorum communi ſenſui conforme eſt. Præterea nimis improprium eſt, nec vllo modo admittendum, quòd voluntas, quam Chriſtus ſponte ſua habuit vt homo, præuentus inſpiratione, gratiaque Patris, nullo modo illum ſub peccato obligantis, vocetur præceptum, ſeu mandatum. Sic enim quoties Deus gratia ſua, præſertim efficaci, aliquem præuenit ad extraordinariæ perfectionis actus, verbi causâ, quoties inſpirat voluntatem ingrediendæ religionis, dandi bona ſua pauperibus, &c. dici rectè poſſet dare mandatum, atque præceptum: quod abhorret à communi ſenſu.

9. Tertio loco reſtat alia non expers probabilitatis circa hanc de Chriſti in ſubeunda morte libertate diſputationem ſententia, quam ſequitur, & diligenter explicat Cardinalis Delugo *diſp.* 26. vbi poſteaquam *ſect.* 7. retulit, & infirmare conatus eſt opinionem à nobis ſuperiori capite explicatam, atque defenſam (quæ vt tueatur Chriſti libertatem, recurrit ad circunſtantias, &c.) affert *ſect.* 8. ſolutionem aliam, quam in præſenti difficultate putat eſſe probabiliorem: nempe, quòd Chriſtus, licèt habuerit à Patre verum, ac rigidum præceptum acceptandi mortem, atque in ſenſu compoſito talis præcepti non potuerit eam non acceptare, nihilominùs potuit petere diſpenſationem, atque ita liberare ſe ab obligatione moriendi. Vnde ſequitur in illo fuiſſe libertatem non tantùm quoad circunſtantias, ſed etiam quoad ipſam mortis ſubſtantiam. Quod ita hic Author explicat. Nam ſi primò Chriſtus non habebat, vt nos ſuppoſuimus, neceſſitatem phyſicam acceptandi, ſubeundique mortem eo præciſè tempore, quo acceptauit, ac ſubiuit: ſi item ſecundò non habebat neceſſitatem phyſicam patiendi poſteà vllo tempore ſequenti, clarum eſt mortem abſolutè, ac ſecundùm ſubſtantiam, & non tantùm ratione huius, vel illius temporis, fuiſſe ipſi liberam. Quòd verò non habuerit Chriſtus neceſſitatem Phyſicam eo tempore præciſè, quo mortem acceptauit, conſtat; quia Patris præceptum ex noſtra ſuppoſitione pro tunc non obligabat. Quòd verò nec vllo poſteà tempore habuerit neceſſitatem phyſicam patiendi, non minùs conſtat, quia per diſpenſationem infallibiliter,

Digitized by Google

infallibiliter, ſi eam peteret, obtinendam; poterat tollere à ſe præceptum, ſeu obligationem patiendi, atque deſtruere ſenſum compoſitum, & ſuppoſitionem præcepti, durantiſque obligationis; in qua ſola ſuppoſitione neceſſitabatur ad moriendum, vel ad peccandum.

10. Potuiſſe porrò Chriſtum diſpenſationem petere, & obtinere à Patre, & deſtruere prædictum ſenſum compoſitum, atque ſuppoſitionem præcepti de ſubeunda morte, probat idem Author *ex Matth. 26. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Vbi cùm Chriſtus ait ſe poſſe impetrare Angelos ſuam mortem impedituros, non loquitur de impeditione, qua violaretur Dei perſeuerans præceptum, ſed de ea, quæ ſupponeret ſublatum illud eſſe, neque ampliùs obligare. Quomodo verum manet quod *Ioan.* 10. Chriſtus ipſe dixerat. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vbi coniungitur mandatum moriendi cum poteſtate non moriendi, iuxta illud etiam *Iſaia* 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Nec petitioni, obtentionique diſpenſationis putandum eſt obeſſe, quòd Deus Pater Filio præceptum dederit abſolutum, & efficax, atque ita videatur non poſſe cum præcepto reperiri diſpenſabilitas: facile enim eſt reſpondere, præceptum abſolutum, & efficax non requirere neceſſariò, vt res præcepta exequutioni mandetur indiſpenſabiliter; ſed tantùm id habere, vt efficaciter, & ineuitabiliter obligationem (eſto diſpenſatione poſteà auferibilem) exequutionis inducat.

11. His benè perpenſis non videtur mihi bene impugnari huius Authoris opinio ab iis, qui illam aſſerunt cum præcedentibus duabus ſententiis negantibus verum in Chriſto præceptum, aut cum earum alterutra coincidere, & negare in Chriſto abſolutum, & verum, proprieque obligans præceptum: quandoquidem, inquiunt, non is rigide obligat, qui dum ſubdito aliquid iubet, ſignificat ſe paratum eſſe ad tollendum præceptum, quandocunque ſubditus ipſe voluerit; id enim eſt relinquere illi rem abſolutè liberam. Sed hæc ratio parum valet: Nam quando Chriſtus voluit tali anno mori, nec petere diſpenſationem, clarum eſt, quòd præceptum tunc & ſufficienter viguit, & ſeruatum eſt per veram obedientiam. Quod Delugo explicat exemplo Religioſi, qui iuſſus fuerit ab immediato ſuo Superiore ieiunare aliquo intra hunc menſem indeterminato die. Is enim & poteſt à mediato Superiore petere diſpenſationem, omittereque ſine peccato ieiunium; & tamen ſi ieiunat prima, verbi cauſâ, hebdomade, nolens diſpenſationem, ſatisfacit rigido præcepto, & exercet actum veræ, propriiſſimæque obedientiæ. In illo enim caſu immediatus Superior iubens ieiunium intra menſem, præceptum dedit abſolutum, neque conditionatum; quamvis non intenderit, nec potuerit impedire, quin ad mediatum recurri poſſet, diſpenſationis obtinendæ gratiâ. Atqui non minùs abſolutè, ac ſine conditione cenſendus eſſet iubere ipſe mediatus, quamvis relinquens ſubdito ius obtinendi diſpenſationem, & in hunc effectum ad ſe recurrendi. Vnde patet hanc Patris Delugo ſententiam nequaquam cum duabus præcedentibus negantibus in Chriſto abſolutum, rigidumve præceptum, aut cum earum alterutra coincidere. Et falſum eſt, quòd præceptum à quo poſſit haberi certò, & infallibiliter, ſi petatur, diſpenſatio, nequeat eſſe abſolutum, & habeat minùs de rigore obligationis formali (quamdiu viget) quàm illud à quo non poſſet eſſe diſpenſatio.

12. Itaque hunc ego quidem, quem Delugo profert modum explicandi libertatem in Chriſto, & ſoluendi, quæ in hac materia occurrunt, difficultates, dignum puto conſideratione. Verumtamen non video quomodo planum faciat iſte Author, & tanquam indubitatum aſſumere poſſit, quòd Pater mandatum cum quadam ad diſpenſandum inclinatione, ſeu præparatione dederit Filio. Nam loca quæ afferuntur *ex Matth.* 26. *Ioan.* 10. *Iſaiæ* 53. optimè intelligi poſſunt de libertate, ac poteſtate, quam independenter ab omni diſpenſatione Chriſtus haberet impediendi mortem non pro eo præcisè tempore præceptam, quo eam illi inferre ſtudebant Iudæi; quamvis ipſam abſolutè, & pro omni tempore vitare non poſſet. Suam verò opinionem non aliter probat iſte author, quàm per prædicta loca; & quòd non putet poſſe aliter explicari libertatem Chriſti circa mortis, actuumque præceptorum ſubſtantiam. Sed & loca illa, vt dixi, firma non ſunt, & nos oſtendimus præcedenti capite, Chriſtum, cùm liberè ſe determinabat ad circunſtantiam temporis, eadem ſe libertate determinaſſe ad ſubſtantiam ſuorum actuũ. Præterea, poſtquàm Chriſtus firmiter, & efficaciter apud ſe ſtatuit non petere à Patre diſpenſationem, negare non poteſt Delugo, cum lapſum fuiſſe vi impeccabilitatis in neceſſitatem moriendi; atque in ea ſemper neceſſitate fuiſſe, quamdiu ſtetit in eo efficax illa voluntas non petendi diſpenſationem. Ergo ſecundùm hunc Authorem libertas Chriſti, vt habentis efficacem illam voluntatem, non cecidit formaliter, & immediatè in ſubſtantiam ipſam mortis, ſed in prædictam illam voluntatem non petendi diſpenſationem, aut in ipſam non petitionem diſpenſationis. Vnde Chriſtus, quando de facto cum illa diſpenſationis actuali, & abſoluta in omne futurum tempus repudiatione mortuus eſt, nequaquam meruit formaliter per voluntatem, qua mors volita eſſet; ſed per voluntatem, qua diſpenſationis repudiatio libera eſſet: neque ſubſtantia mortis aliam libertatem habuit, quàm eam, quæ ex prædicta diſpenſationis repudiatione in illam redundauit. Atque adeò non redemit nos per formalem actum obedientiæ. Nec enim repudiatio diſpenſationis fuit obedientiæ obiectum, aut exercitium; quandoquidem Pater non præcipiebat Chriſto vt diſpenſationem negligeret; ſed vt actualiter mortem acceptaret, atque ſubiret.

CAPVT XII.

De Chriſti merito.

1. POSTQVAM de Chriſti libertate hoc toto libro diſputauimus, non videtur abs re vt hanc de merito diſputationem ſubiungamus: quandoquidem libertas eſt meriti fundamentum, atque de illa in eum præcipuè finem à Theologis tractatur, vt meritum acceptatæ mortis, qua redempti ſumus, ſtabiliatur. Porrò cùm fusè libro ſecundo egerimus de Chriſti ſatisfactione, quæ magnam habet cum merito coniunctionem, pauca nobis iam ſuperſunt: nihil enim dicere ampliùs neceſſarium eſt de valore operum Chriſti infinito, æquali, ſuperabundanti; nihil de rigore iuſtitiæ. Hoc igitur loco diſcutiemus tantùm quibus actionibus, quando, & quid meruit Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus Angelis,nobis,ſibi. Dico primò,non omnes Chriſti actus meritorij fuerunt. Ratio peti debet ex conditionibus requiſitis ad actum meritorium, quæ ſunt omninò ſex; nimirum primò vt actus ſit honeſtus, ſecundò vt ſit verè liber, tertiò vt habeat valorem de ſe condignum,& aliquo modo æqualem præmio, quartò vt perſona ſit Deo grata, quintò vt ſit viator,ſextò vt intercedat pactum,ſeu promiſſio Dei: quas conditiones iam ſigillatim non proſequor, ſed ſuppono: & ſatis conſtat,ſi earum aliqua deſit operi, non poſſe concipi in eo verum ius ad mercedem, quale importatur per nomen meriti. Illas verò dico non omnes reperiri in omnibus Chriſti operibus: quoſdam enim Chriſtus habuit actus, in quibus ſecunda, quinta, & per conſequens ſexta defuerunt, vt apparet in Dei viſione,& amore beatifico,&c.

2. Dico ſecundò. Chriſtus habuit actus verè, & propriè meritorios. Eſt de fide: nam Concilium Tridentinum *ſeſſione 6. capite 7.* diſertè docet, *Cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis eſſe Chriſtum, qui ſua*, inquit, *ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis ſanctificationem meruit, & pro nobis Patri ſatisfecit.* Ratio pro concluſione eſt clara: nam actus multos habuit Chriſtus, in quibus omnes iam enumeratæ conditiones reperiuntur, vt apparet ex ſingularum applicatione. Dubium hîc mouetur celebre, ac difficile de actibus obedientiæ, & de actibus charitatis,videtur enim Chriſtus in neutris actibus habuiſſe libertatem ſufficientem ad meritum, non quidem in actibus obedientiæ, propter impeccabilitatem: non etiam in actibus charitatis,quia conſequenter ad viſionem beatificã non potuit non amare Deum.Quod ſi non habuit libertatem,rationemque meriti in actibus charitatis,non videtur in vllis habuiſſe; quandoquidem omnis ratio meriti oritur ex charitate, & quidem actuali: non enim tenetur Deus vllum compenſare actum, quàm vel charitatis, vel eum quem charitas actualis imperauit.Non poteſt autem charitas actualis per ſuum influxum rationem meriti alicui actui tribuere, niſi & ipſa talem in ſe rationem habeat. Reſpondeo, quod attinet ad actus obedientiæ, ſatis oſtendimus in hoc libro, de libertate Chriſti differentes, ſufficientem in obſeruatione præcepti diuini Chriſtum habuiſſe libertatem, nec addere quicquam neceſſarium eſt.

3. Quod attinet ad charitatis actus, præter illa, quę ſuprà diximus,primò nego vim omnem meritoriam deriuari ad alios humanos actus ex charitatis actibus,qui & ipſi meritorij ſint: nam ſufficit,quemadmodum ſuppono, gratia,ſeu charitas habitualis, vt perſona libera honeſtè operans poſſit mereri: & à fortiori ſufficiunt charitas actualis iugiter elicita, quamuis ſine libertate.In Chriſto autem etiam ſufficiebat excellentiùs vnio hypoſtatica,ad omnia libera quarumcunque virtutum exercitia reddenda meritoria. Atque ita licèt concedatur Chriſtum nullos habuiſſe charitatis in Deum actus liberos, & per eos quos habuit,nihil meruiſſe (quemadmodum Vaſques *diſput.*74. defendit cum aliis pluribus, & facilè defendi poſſe concedit Suar. *diſp.* 39. *ſect.*2. multos alios variarum virtutum habuit actus, putà charitatis erga proximum, &c. perfectè liberos, quibus potuit mereri.Secundò reſponderi poteſt,Chriſtum per ipſoſmet etiam charitatis in Deum actus meruiſſe; quod quidem variè explicatur. Omiſſis enim Nominalibus, qui ex erroneo ſuo conceptu libertatis dicerent, ipſos etiam neceſſarios charitatis actus, quatenus ſpontanei erant, fuiſſe proptiè liberos, ac meritorios in Chriſto; aſſerit cum aliis non paucis Suares,præter charitatis actum beatificum, ac omnimodè neceſſarium, extitiſſe alium in Chriſto reſpondentem cognitioni infuſæ, huncque fuiſſe liberum, ac meritorium: quia tamen contra iſtam doctrinam opponi poſſunt quæ (licèt parum eis deferentes) attulimus *capite* 7. huius libri, *num.*5. & 6. dici prætereà poteſt in Beatis omnibus reperiri aliquos actus charitatis in Deum ſecundarios, qui liberi ſint.Non enim viſio Dei neceſſitat Beatum vt actualiter; & quoad exercitium amet ipſum Deum omni modo, qui poſſibilis eſt charitati. Verbi gratiâ, non eſt neceſſe vt ſemper actu Beatus velit honorem, & gloriam Deo, vt prouenientem ex conuerſione huius, vel illius hominis, inquit Suares *diſput.* 37. *ſect.* 4. *versùs fin.* idque manifeſtum eſt exemplo ipſius Dei, qui non ita ſe amat, vt ſibi debeat neceſſariò velle omne bonum ſecundarium, & minoris momenti, quemadmodum ſibi de facto non vult procurare bonum illud laudis, gloriæque, quod ſibi proueniret, ſi efficaciter eos qui damnantur, vocaret. Ergo non eſt inconueniens, ſi aſſeramus Beatum ferri ex mera libertate versùs obiecta charitatis ſecundaria. Hoc autem poſito affirmandum erit, Chriſtum viatorem, licèt tunc etiam Beatus eſſet, exercuiſſe liberè actus ſecundarios prædictos charitatis erga Deum (cùm præſertim poſſent eorum multi non pendere à lumine gloriæ, ſed à lumine ſcientiæ infuſæ) ac per illos meruiſſe. Ex eadem item charitate libera potuit obſeruando præcepta (v.c. acceptando mortem) præſtantia quædam eligere motiua virtutum: aut etiam potuit multa, vel omnia ſimul accumulare,& ex illis à charitate imperatis operari ſtudio placendi Deo ſummè amato.

4. Sed & aduertendum hîc eſt, poſſibile fuiſſe, vt Deus ſcientiam infuſam daret Chriſto ratione,ſeu naturâ priùs, quàm ipſi largiretur viſionem beatificam; ſicque potuiſſe Chriſtum amare liberè Deum in eo priori naturæ, licèt in poſteriori neceſſitaretur illum amare per alium amorem beatificum. Qua de re videri poteſt Ariaga *diſputatione* 43. *ſectione* 4. qui ait, non eſſe inconueniens, quòd Chriſtus toto vitæ tempore habens ſcientiam infuſam, & viſionem beatam, haberet ab harum qualibet amorem Dei. Qui duo amores, licèt ſingulis inſtantibus ſimul conſeruatiuè producerentur, poterant tamen ita produci, vt pro arbitrio Dei hic, vel ille produceretur ratione priùs; prout nimirum Deus intenderet vel non conferrre viſionem beatificam, niſi ex intuitu amoris liberi procedentis ex ſcientiâ ante ipſam beatificam viſionem infuſa: vel è contra non dare ſcientiam infuſam, niſi ipſa viſionis exiſtentiâ præcognita. Et quidem ſi amor ex ſcientia infuſa ortus præcederet viſionem beatificam, dubium non eſt, quin foret liber. Atque hic ferè idem eſt, quod de contritione peccatoris comparata cum gratia iuſtificante: hæc enim, quæ pendet ab illa, vt à diſpoſitione, meritoque congruo, poſſet ab illa non pendere, ſed ex aduerſo eſſe ipſius cauſa efficiens, ſi Dei (aliter illas ſubordinantis) ita ferret intentio.

5. Dico tertiò. Opera Chriſti omnia ſigillatim, & per ſe ſumpta, licèt honeſtatem ex diuerſa ratione ſuorum obiectorum diuerſam, & inter ſe inæqualem habuerint; fuerunt tamen inter ſe æqualia in eo valore, quem ex dignitate ſuppoſiti infinitum habuerunt; atque adeò nullum inter illa fuit, quod non fuerit ad noſtram redemptionem ſufficientiſſimum, ac ſuperabundans: nihilominus non ſunt plenum ius conſequuta, niſi per mortem, & crucem, in qua conſummationem habuerunt. Concluſio quoad inæqualitatem operum Chriſti fun-

datam in honeſtate morali, & obiectis ipſorum, & quoad valoris æqualitatem, infinitatemque fundatam in diuino ſuppoſito, clara manet ex aliàs dictis *libro* 2. præſertim *cap.* 7. Quod attinet ad conſummationem, quam Chriſti opera in cruce habuerunt, eius probatio peti debet ex diuina ordinatione, ſecundùm quam omnia opera Chriſti meritoria, quæ per totam eius vitam exercuerunt, erant velut in ſolo fieri, & non expiabant humanum genus, niſi cum onere, vt ita dicam, futuræ mortis, & in ordine ad paſſionem, ſeu mortem, vt habetur ex tota Epiſtola ad Hebræos, præſertim *cap.* 10. Non enim Deus vnamquamque Chriſti actionem, licèt alioquin æquiualentem, acceptauit per ſe ſolam, nec ei, vt à morte ſeparatæ promiſſionem vllam fecit; ſed potiùs peculiares quodammodo promiſſiones leguntur factæ eſſe ipſi morti, ſeu cruci: & ad hanc refert ſcriptura totum, quod Chriſto propoſitum fuit, præmium; vt *Iſai.* 53. *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum. Lucæ* 24. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intraire in gloriam ſuam?* ſic & *Philipp.* 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum.* Quomodo, & *Hebr.* 9. Chriſtus dicitur introiſſe ſemel in ſancta poſt paſſionem ſuam, qua ſe Deo in ſacrificium obtulit, & adinueniſſe hoc modo æternam redemptionem noſtram.

6. Dico quartò. Chriſtus per totam vitam continuè, & ſine interruptione meritus eſt à primo inſtanti conceptionis incluſiuè, vſque ad inſtans mortis excluſiuè. Concluſio eſt indubitata. Nam quod ad primam eius attinet partem, clarum eſt, continuitatem meriti, quæ fuerit per varios actus, ita vt vno ceſſante, alius ſtatim diuerſus oriretur, non eſſe negandam Chriſto; cùm Ipſi ea conuenientiſſima ſit, & aliunde nullam ſecum inuehat difficultatem. Nulla enim eſt ratio, cur negemus eum ad aliquod ſemper obiectum, etiam in ſomno, per ſcientiã infuſam, independenter à phantaſia attendiſſe, circa quod voluntas actum virtutis internum exerceret, hunc, vel illum. Ita bene Vaſq. & Suar. poſt Alex. &c.

7. Aſſerit ſecundò concluſio, Chriſtum in ipſo primo conceptionis inſtanti meruiſſe, quia ſcilicet nihil obſtare potuit, cùm habuerit in primo illo inſtanti cognitionem ſcientiæ infuſæ, & conditiones omnes ad merendum requiſitas. Et malè Durandus cum Paludano *in* 3. *diſt.* 18. in dubium hanc veritatem reuocauit, quaſi Chriſtus liberum actum exercere nequiuerit antequam poſſet ſe ad phantaſmata conuertere, ac ſenſuum organa ſuam haberent perfectionem. Exiſtimant Alexander, & Bonauentura, Chriſtum ab inſtanti conceptionis non incluſiuè, ſeu intrinſecè, ſed excluſiuè, & extrinſecè incepiſſe mereri. Idque aſſerere debent Hugo Victor. Magiſter, Holcot, &c. cùm putent non poſſe in primo inſtanti eſſe libertatem, quia cenſent indifferentiam ad opus reſpicere futurum tempus, non autem præſens inſtans. Sed ex principiis philoſophicis ſuppono nihil repugnare, quo minùs voluntas in quo primo inſtanti creatur, operetur: ſufficit enim cauſis ad operandum naturæ prioritas. Quomodo tenent vulgò Theologi, Angelos in ipſo creationis inſtanti liberè ſe ad Deum conuertiſſe: quod multò magis de Chriſto aſſeri debet. Cùm præſertim, ſi vera eſt opinio Diui Thomæ, obligatio ſit grauis; & certè negari non poteſt, quin magna ſit ſaltem decentia, vt voluntas ſe ad Deum, tanquam ad finem vltimum conuertat, in quo primùm inſtanti poteſt.

8. Aſſerit tertiò concluſio, Chriſtum nec in mortis inſtanti, nec in toto tempore poſt mortem quicquam meruiſſe. Quod ſpectat ad ipſum inſtans mortis, res clara eſt: nam in eo inſtanti eſt primum non eſſe vitæ, atque adeò homo non eſt viator ampliùs, nec in ſtatu merendi. Neque valet ſubtilitas Caietani 1. *p.q.*62. *art.*6. aſſerentis in inſtanti mortis eſſe meritum tanquam in termino viæ. Dico enim illud inſtans eſſe terminum extrinſecum, atque vt in illo non eſt via, ita nec meritum. Cùm autem Diuus Thomas *q.*50. *art.*6. *ad* 1. ait Chriſtum nos redemiſſe per mortem, vt erat in fieri, non autem vt in facto eſſe, nihil vult aliud, quàm illum meruiſſe toto tempore, quo paſſus eſt: in ipſa autem conſummatione, & in præſentia mortis deſiiſſe cum vita meritum. Deus enim cum natura rationali (vtpotè habente potentiam liberam, & aptam ad operandum cum merito, & velut ad negotiandum) ita ſe gerit, vt ei deſignet certum aliquod ſpatium, in quo poſſit negotiari, & operari antequam feratur iudicium vltimum de eius merito. Illud autem ſpatium vocatur via; quale Angelis ſpatium deſignauit breuiſſimum, quod fortè duobus tantùm inſtantibus continebatur; hominibus autem longius, aut breuius pro ſua prouidentia conſtituit, & voluit cum vita terminari. Cùm igitur in inſtanti mortis Chriſtus eſſet in primo non eſſe vitæ, ſic & erat in primo non eſſe viæ, ſeu facultatis merendi.

9. Atque ex dictis ſequitur à fortiori, non fuiſſe vllum Chriſti meritum eo tempore, quod mortem ſubſequutum eſt: vnde Chriſtus de ſe ait *Ioan.* 9. *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* Vbi per diem Patres intelligunt tempus id quod præcedit mortem; per noctem id quod mortem ſubſequitur. Ita Auguſtinus, Hieronymus Chryſoſtomus, Origenes, &c. Quod ſi Diuus Thomas, & alij quidam Theologi nonnunquam dicant Beatos in cœlo mereri de congruo res quas petunt, intelligendi ſunt de merito improprio, quatenus extenditur ad quamcunque impetrationem. Confirmatur, quod attinet ad Chriſtum. Nam de fide eſt nos per Chriſti vitam, & paſſionem fuiſſe plenè redemptos: Ergo is non ampliùs ſatisfacit. Ergo nec nobis per ſuas orationes meretur. Eſt enim eadem ratio ſatisfactionis, & meriti, nec aliter pro nobis ſatisfecit, quàm merendo: & orationes, quando ſunt verè meritoriæ, ſunt etiam ſatisfactoriæ. Vtrum autem Chriſtus, & quomodo pro nobis iam oret, videbimus ſuo loco. Dices: meruit nobis poſt mortem Chriſtus per ſui apertionem lateri, ex cuius vulnere nobis profluxere ſacramenta, iuxta ſanctos Patres. Reſpondeo, vulnus lateris non fuit niſi obiectiuè meritorium, quatenus illud Chriſtus antequam mereretur, acceptauit per meritorium actum. Sacramenta verò à Patribus dicuntur ex aperto latere profluxiſſe, non formaliter, ſed repræſentatiuè: quia profluxit aqua baptiſmum, & ſanguis Euchariſtiam repræſentans. In eundem repræſẽtationis ſenſum debet explicari quod *Rom.* 4. dicitur, Chriſtum reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram; quia nempe reſurrectio eius repræſentabat noſtram reſurrectionem ſpiritualem ad vitam gratiæ.

10. Dico quintò. Chriſtus non meruit de facto primam exiſtentiam vnionis hypoſtaticæ, eam tamen abſolutè potuiſſet mereri, non quidem ſecundùm prædeſtinationem, ſed ſecundùm actualem exhibitionem, & exequutionem. Suppoſita verò prima vnionis exiſtentia, meritus eſt eiuſdem conſeruationem, & continuam nouæ materiæ hypoſtaticam eam aſſumptionem, quæ in ipſo fiebat per nutritionem. Potuiſſet etiam per minimum ſuorum actuum mereri aliarum naturarum infinitarum aſſumptiones

nes

Digitized by Google

nes hypoſtaticas, & omnia excogitabilia, ac poſſibilia quantacumque præmia, ſi Dei promiſſio, & acceptatio non defuiſſet. Huius nihilominùs defectu non ea meritus eſt omnia, nec ius ad ea actuale acquiſiuit. Concluſionis huius partes omnes, quibus difficultates aliquæ graues continentur, probatæ manent ex iis quæ alibi tradidimus. Videndum eſt caput ſeptimum libri tertij, concluſione tertia, vbi agitur de merito circa primam exiſtentiam vnionis. Videndum item caput ſeptimum libri ſecundi, vbi de valore meriti fundati in vnione hypoſtatica.

11. Dico ſextò. Non repugnauit abſolutè Chriſtum ſibi mereri tum gratiam ſanctificantem, tum gloriam animæ in eo ipſo inſtanti, quo illam primùm accepit. Eſtque valde probabile, illum de facto fuiſſe meritum prædictam gratiam, & gloriam. Concluſio duas habet partes, quarum prior ex eo probatur, quòd voluntas Chriſti potuerit operari meritoriè in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ: quòd autem in illo inſtanti Chriſtus gratiam, & gloriam habuerit, non officit merito. Nam ratio meriti bene compatitur ſimul tempore ſuum præmium, vt accidit quotidie in homine iuſto merente ſimul, & accipiente augmentum gratiæ. Potuit ergo Deus in priori naturæ ante infuſionem habitualis gratiæ ſupplere defectum habituum ſupernaturalium, & eleuare Chriſti voluntatem ad actum liberum, ex cuius intuitu gratiam infunderet, & gloriam; eo modo, quo peccatorem ad contritionem eleuat, ſimulque iuſtificat. Huiuſmodi verò actus, qui prodiret à voluntate Chriſti ſic eleuata, eſſet verè meritorius, quoniam nec libertas ei deforet, vt mox oſtendemus; & ipſius Chriſti perſona (licèt nondum in illo priori accepiſſet gratiam habitualem) præſupponeretur per ſeipſam Deo gratiſſima, vtpotè diuina. Aduertis hanc difficultatem eſſe ſimilem illi, quæ explicatur *in tractatu de Angelis*, dum quæritur num eos poſſibile fuerit beatitudinem eodem temporis inſtanti & mereri, & ſimul obtinere; quanquam ſit aliquid diſcriminis Chriſtum inter, & Angelos. Nam Angeli debuerunt mereri per fidem, quæ cùm ſit obſcura, repugnat ſpecialiter beatitudini: Chriſtus autem per ſublimiorem cognitionem euidentem, non repugnantem beatitudini operabatur. Prætereà Angelorum meritum debuit neceſſariò præſupponere gratiam habitualem, vt eſſet à perſona grata Deo; meritum autem Chriſti fundari multò perfectiùs potuit in vnione hypoſtatica præſuppoſita infuſioni gratiæ.

12. Secunda concluſionis pars, quòd valde probabile ſit, Chriſtum de facto meritum fuiſſe in primo inſtanti gratiam habitualem, & beatitudinem, ſeu lumen gloriæ, accipit probationem ex prioris partis facta iam probatione. Si enim poſſibile fuit, vt Chriſtus gratiam ſanctificantem, & cum hac gloriam mereretur, negandum non eſt, quin illam acceperit non ſolùm titulo hæreditatis, ſeu filiationis naturalis, ſed etiam titulo meriti. Idque Vaſques, qui nobis in vtraque concluſionis parte aduerſatur, non potuit diffiteri, aſſeruitque priorem partem veram eſſe non poſſe, quin etiam ſecunda vera ſit. Imò ſuppoſitâ poſſibilitate, cenſet dicendum non modò quod ſit probabile, vt nos dicimus, ſed etiam, quod ſit certum, gratiam habitualem, & viſionem Dei, quam habuit Chriſtus, cecidiſſe ſub ipſius meritum; cùm id non parum faciat ad Chriſti commendationem. Quare omninò abſolutè ipſum non tantùm gloriam corporis, exaltationemque nominis, ſed etiam beatitudinem, gloriamque animæ promeritum teipſa fuiſſe tenent multi, Antiſiodorenſis, Albertus, Gulielmus Rubio, Maironis, Baſſolis, &c. quorum opinionem pronuntiat Suares cum ſecunda concluſionis noſtræ parte, eſſe valde probabilem: quamuis putet probabilius eſſe contrarium, cùm ob authoritatem Doctorum, quos citat, tum quia videtur conueniens, vt Chriſtus habuerit in priori naturæ gratiam, & gloriam antequam vllum actum meritorium eliceret: gratia enim habitualis, & lumen gloriæ videntur eſſe proprietates immediatè vnionem hypoſtaticam ſequentes. Videtur item conuenientius, vt Chriſti anima dicatur operata ſemper eſſe connaturali modo, hoc eſt, vt habens potentiam ſibi inhærentem, & vt habitibus ſupernaturalibus inſtructa. Decuit prætereà, vt primus actus, quem Chriſtus ordine naturæ elicuit, fuerit beatificus, atque ita inchoarit ab optimo, & perfectiſſimo actu. Denique cùm neceſſum ſit aliquem actum cognitionis ſupernaturalem datum eſſe animæ Chriſti abſque vllo priori merito (non enim procedi poteſt in infinitum, vt ante omnem actum cognitionis præceſſerit actus meritorius voluntatis, ac per conſequens actus aliquis cognitionis) id videtur maximè dicendum de actu viſionis beatæ, qui maximè debitus eſt hypoſtaticæ vnioni. Hæ rationes, quamuis non tollant probabilitatem contrariæ ſententiæ, ſunt valde probabiles. Quare licèt, vt fert prior huius concluſionis pars, certum mihi ſit poſſibile fuiſſe, vt Chriſtus primo ſuæ creationis inſtanti beatitudinem meritus ſit, & ſimul acceperit; atque probabile ſit, vt habet ſecunda concluſionis pars, ita de facto fuiſſe, eſt tamen etiam valde probabilis (quæ videtur eſſe communior) ea ſententia, quæ Chriſtum aſſerit accepiſſe de facto beatitudinem, & lumen gloriæ ante omne meritum.

13. Contra priorem concluſionis partem opponit Vaſques *diſp.* 78. *cap.* 3. duas rationes. Prior eſt, quòd bona opera Beatorum ex natura ſua ſunt aliud nihil, quàm fructus beatitudinis, atque adeò nequeunt reputari meritoria ipſius beatitudinis. Sed negatur antecedens: quamuis enim ſecundùm viam ordinariam actus Beatorum habeant potiùs rationem præmij, quàm meriti ad beatitudinem ordinati; non apparet tamen implicantia, quominus aliqui eorum actus præcedant ordine naturæ: quo modo tales actus non propriè ſunt beatorum, vt talium.

14. Altera Vaſqueſij ratio hæc eſt, quia nullum opus virtutis, quod eſt ſimul tempore cum beatitudine, poteſt præcedere ordine naturæ ipſam beatitudinem, ſed neceſſariò debet eam ſequi, vt eius effectus. Nam actus huiuſmodi vel eſt, inquit, actus charitatis in Deum, & ita patet eum originari à viſione beatifica, cùm Beati nullum habeant erga Deum charitatis actum, quàm eum qui eſt à viſione Dei; vel eſt virtutis alterius, & ita eſt ex apprehenſione obiecti proprij talis virtutis, non quacumque, ſed præſupponente viſionem ipſam, tanquam ſuum aliquo modo principium. Quis enim neget viſionem claram Dei maximè iuuare, vt illud omne quod Deo placet, conſideretur; atque inde fieri, vt longè perfectior ſequatur in voluntate affectus. Sed nec hæc Vaſqueſij ratio concludit. Reſpondeo enim Deum bene poſſe ad actum ſiue charitatis, ſiue cuiuſcumque virtutis determinare voluntatem Beati in priori naturæ, quàm beatitudinem habeat: quo modo ille actus à beatitudine independens poterit ipſius eſſe cauſa beatitudinis in eodem temporis inſtanti acceptæ. Neque inconueniens eſt, quòd Deo voluntatem ad charitatis actum ſic determinante, & ſimul beatitudinem infundente, duo futuri ſint actus

Digitized by Google

charitatis erga Deum : vnus quidem, qui beatitudinem præcedat; alter, qui ſequatur. Licèt enim duo charitatis actus ſupernaturales erga Deum, non poſſint ex natura ſua in eodem ſubiecto exiſtere, poſſunt tamen abſolutè, & per extraordinariam potentiam, vt extiterunt ex multorum ſententia in Chriſto viatore.

15. Sed vrgeri maiore difficultate poteſt; quoniam ad hoc vt Chriſtus in eodem inſtanti,quo beatitudinem poſſedit, concipiatur illam per charitatis actum primarium,& omnimodam ad Deum conuerſionem mereri; neceſſarium eſt, vt in huiuſmodi inſtanti concipiatur eſſe liber ad prædictum actum exercendum, vel omittendum.Libertas enim fundamentum eſt meriti. Atqui non poteſt concipi eſſe liber, cùm in eodem ipſo inſtanti dicatur habere beatitudinem, quæ neceſſitat ad primarium illum prædictum amorem Dei actualem. Nec valet ſi dicas, diſtinguenda eſſe in illo inſtanti temporis duo inſtantia rationis, in quorum priore nondum intelligatur beatitudo, ſed libertas expedita, nec adhuc ligata; in poſteriore autem inducatur beatitudo,& ad amandum Deum neceſſitas. Non valet, inquam: neque enim libertas videtur poſſe exiſtere,& operari ſecundùm prioritatem naturæ in illo ipſo inſtanti temporis, in quo ea ligatur, & ceſſat exiſtentia indifferentiæ. Id manifeſtè aduerteres, ſi quis tibi diceret, v.c. hominem aliquem peccare per liberum actum, & ſimul in eodem inſtanti, ſed naturâ poſteriùs, affici inſania, vel annihilari à Deo in pœnam peccati: aut quempiam, in quo inſtanti habet illicitum intuitum, puniri cæcitate. Idem enim videtur eſſe in præſenti negotio: nam beatitudo non minùs libertatem ad amandum Deum tollit, quàm inſania, hominiſve annihilatio facultatem peccandi, aut cæcitas facultatem intuendi. Hæc obiectio eſt difficilis,& in tractatu de Angelis à me explicatur.

16. Reſpondendum eſt, quod quemadmodum quoties aliquis amat liberè,debet pro eodem temporis inſtanti concipi ſimul eſſe antecedenter ſecundùm prioritatem naturæ indifferens ad amandum, vel non amandum;& ſimul eſſe conſequenter ſecundùm poſterioritatem naturæ (ex ſuppoſitione quod amet) neceſſitatus ad mandum, abſque eo quod tollatur libertas: ita ſi accidat quod per actualem illum amorem, per quem non neceſſitatur niſi conſequenter, acquirat aliquid, quod aliunde habeat vim ligandi voluntatem, per illud de facto non ligabitur in ordine ad illum amoris actum, qui iam prioritate naturę præceſſit liber. Nec par eſt ratio de inſania,vel hominis morte, ſiue de pœna cæcitatis: libertas enim, & inſania, quæ nihil aliud eſt, quàm annihilatio libertatis, opponuntur contradictoriè,quemadmodum hominis mors, & homo peccans; quemadmodum item cæcitas, & intuitus illicitus. At verò in præſenti materia non ſunt termini contradictorij: beatitudo enim cognitionem illam, quæ in priori voluntatem indifferentem dirigit, relinquit integram, neque corrumpit lumen illud inferius, quod libertatem fundat; neque voluntatis, aut hominis exiſtentiam in priori naturę operante deſtruit,quamuis cognitionem quandam ſuperiorem, ac beatificam, lumenque gloriæ ſuperaddat, ita vt duo ſint lumina, cognitionumque genera poſitiua, quorum vnum non ſit negatio alterius.

17. Quòd actus amoris liber tanquam meritum, & beatitudo tanquam præmium comparientur ſe in eodem inſtanti temporis ſecundùm prioritatem, & poſterioritatem naturæ, conſtare poteſt hoc exemplo. Dubium enim non eſt, quin fieri poſſit, vt Angelus aliquis primò cognoſcat,quod ipſe (quantum eſt de ſe, & ex ſeipſo) nequaquam poteſt habere certam aliquam perfectionem, putà cognitionem altioris,ſecretique obiecti; & quod tamen habere poteſt, ſi illam à Deo petat. Secundò vt concipiat deſiderium illius obtinendæ: tertiò vt ipſam à Deo petat: quartò ſtatim, & in eodem inſtanti obtineat: quintò hac obtenta videat in eodem ipſo articulo eam ſibi eſſe conceſſam,de eiuſque poſſeſſione lętetur. Dico autem quod non eſt difficilius, vt ſecundùm diuerſa inſtantia naturæ priùs exiſtat actus meritorius beatitudinis, & amor Dei liber; & poſteriùs obtineatur beatitudo, atque amor Dei neceſſarius intra idem inſtans temporis, quàm vt Angelus habeat illa ſimul omnia quæ ſunt enumerata, & eodem inſtanti concipiat deſiderium perfectionis alicuius, quam pro illo naturæ priori non in ſe videat, & deinde illam à Deo petat, mereaturque quodammodo de congruo, ac tandem naturâ poſteriùs obtentam videat,de eiuſque poſſeſſione lætetur, & actus voluntatis alioquin oppoſitos ſimul eliciat iuxta diuerſas, quas ſimul habet,cognitiones.

18. Dico ſeptimò. Chriſtus meritus eſt gloriam corporis,& exaltationem nominis ſui.Concluſio abſque temeritate negari non poteſt: ſic enim omnes Theologi cum SS. Patribus, licèt Caluinus cum ſuis id negauit, tum quia corporis gloria, & nominis exaltatio vnioni hypoſtaticæ debeatur; tum quia Chriſtus quaſi ſui oblitus totum ſuum meritum ad nos tranſtulit, dicens *Ioan.* 17. *Pro illis ſanctifico meipſum.* Et frigeret,inquit Caluinus,confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, quòd pro nobis mortem ſubierit. Sed totum id inane eſt: nam certum eſt poſſe pluribus titulis aliquid poſſideri, neque titulum hæreditatis repugnare titulo meriti. Teſtatur porrò ſcriptura, gloriam corporis, exaltationemque nominis conceſſam fuiſſe Chriſto ex intuitu paſſionis. *Luc. vlt. Hæc oportuit pati Chriſtum,& ita intrare in gloriam ſuam. Philip.* 2. *Humiliauit ſemetipſum,&c.propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Hebr.* 2. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum. Apoc.* 5. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius,quoniam occiſus es* , &c. Vbi notandæ ſunt particulæ cauſales, ſeu denotantes cauſam; non autem poteſt hic aliud genus cauſæ interuenire, quàm meritoriæ.

19. Ratio etiam afferri poteſt pro concluſione: nam cùm Chriſtus corporis, nominiſque gloriam non habuerit ab initio, interimque multa opera Deo gratiſſima fecerit, decuit huiuſmodi opera ad prædictam gloriam ordinari, cùm ex natura ſua eſſent laudabilia,& exaltari eum conueniat,qui ſe ob Dei cauſam humiliat. Porrò ad gloriam corporis pertinet animæ impaſſibilitas, reſurrectio, aſcenſio in cœlum, & ad Dei dexteram ſeſſio: ad exaltationem nominis omnia præclara de Chriſto teſtimonia, vel hominum (putà Prophetarum,& aliorum) vel Angelorum, vel ipſius etiam Patris in Baptiſmo, & Transfiguratione hæc verba intonantis; *Hic eſt Filius meus dilectus,&c.* Ad eandem exaltationem nominis pertinet cultus,quem omnes gentes exhibent,& quo omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Ad eandem item pertinet Iudicis poteſtas, quam cum maieſtate exercebit in fine ſæculi. Denique eodem referenda ſunt quæcumque ad externam gloriam (quæ eſt clara cum laude notitia) Chriſto tributa ſunt. *Chriſtus in hoc mortuus eſt, & reſurrexit*, inquit Paulus *Rom.* 14. *vt viuorum, & mortuorum dominetur.*

20. Dico octauò.Chriſtus meruit Angelis iuſtificationem

Digitized by Google

cationem,& omnia ſupernaturalia dona,quæ tum in via, tum in gloria fuerunt illis collata. Iſtam concluſionem licèt parum conſequenter ad ſua principia amplectantur eorum etiam nonnulli, qui cenſent Chriſtum, ſi Adam non peccaſſet, venturum non fuiſſe, Deique de illo mittendo decretum ſupponere præuaricationem ipſius Adami, atque adeò Angelorum creationem, & iuſtificationem. Inter eos eſt D. Thomas, & Caietanus, vt videre potes apud Suarem *diſp.* 42. *ſect.* 1. fuit & inter eos ex recentioribus Ariaga *diſp.* 14. *ſect.* 3. Non audent ſcilicet fateri Angelos fuiſſe in ſui iuſtificatione, & prædeſtinatione independentes à Chriſto vt homine, contra manifeſtam Apoſtoli doctrinam, qui ait *Coloſſ.* 1. *Illum eſſe primogenitum omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, vt ſit in omnibus principatum tenens.* Vbi clarè aſſeritur Chriſtum fuiſſe cauſam creationis, prædeſtinationis, & ſanctificationis Angelorum. Nec dici debet Apoſtolum ibi non loqui de Chriſto vt homine: nam Chriſtus vt Deus non eſt in ordine creaturarum, nec vocari poteſt earum primogenitus. Neque ſecundùm diuinitatem eſt primogenitus, ſed vnigenitus. Et præterea conſtat, eum propriè vt hominem eſſe Caput Eccleſiæ: vt Deus enim non eſt magis Eccleſiæ Caput, quàm Pater, & Spiritus Sanctus. Quare locum illum Apoſtoli de Chriſto vt homine intellexit Concilium Sardicenſe, Anſelmus, & commentarius Hieronymo adſcriptus, &c. Neque qui contrarium cenſent, in alio fundantur, quàm quòd in prædicto loco dicantur in ipſo condita vniuerſa, Angeli, &c. idque nequeat conuenire Chriſto ſupponenti peccatum Adæ. Nec aliam aſſerunt rationem, quàm id quod eſt in quæſtione: nos enim volumus exiſtentiam Chriſti prædeſtinatam fuiſſe antequam exiſtentia prædeſtinaretur Angelorum, & illam ab hac ſupponi. Quare non poteſt in noſtris principiis vlla eſſe circa concluſionem iſtam difficultas: quam concluſionem vt contra ſua etiam principia tueantur Ariaga, & Delugo, ſummas ad difficultates, & ad ſubtilitates adiguntur mirabiles,quas nos attulimus, & refutauimus *lib.* 5. *cap.* 2. & 3.

21. Dico nonò. Chriſtus meritus eſt nobis hominibus non ſolùm iuſtificationem, & ea dona ſupernaturalia, ac præmia gloriæ, quæ illam ſequuntur, ſed etiam omnes diſpoſitiones, quibus præparamur ad ipſam iuſtificationem, cuiuſmodi ſunt motus fidei, ſpei, contritionis, ſeu dilectionis. Prima pars quoad iuſtificationem, & dona, ſeu præmia illam conſequentia, nullum habet repugnantem inter Catholicos, & traditur à ſcriptura *Rom.* 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Epheſ.* 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto* Et paulò poſt; *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.* Ac denique *Rom.* 6. *Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu.*

22. Secunda pars quoad diſpoſitiones ad iuſtificationem, licèt negetur à Capreolo, & aliis, quos citat Vaſques *diſp.* 77. *cap.* 1. aſſerentibus Chriſtum meruiſſe quidem, vt & pueri, poſtquam baptizati ſunt, & adulti, poſtquam ſufficienter ſunt diſpoſiti, conſequantur gratiam iuſtificantem; ſed non eum meruiſſe vel pueris applicationem Baptiſmi, vel adultis motus fidei, ſpei, dilectionis, &c. quibus diſponuntur ad iuſtificationem: traditur tamen ab eodem Vaſque, necnon à Suare *diſput.* 41. *ſect.* 2. & ab aliis, quos ipſi citant, ac probatur. Nam 2. *Tim.* 1. gratia, qua vocamur ad iuſtificationem (& per conſequens ea, per quam diſponimur, cùm ſit eadem vtriuſque ratio, imò maior iſtius, quàm illius) tribuitur Chriſti meritis: *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt in Chriſto Ieſu.* Docetur item hæc ſententia noſtra à Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *Declaratur prætereà* inquit, *ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe,* hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.

23. Ratio autem eſt manifeſta: nam Chriſto, vt ait S.Thomas *q.* 7. *art.* 9. data eſt gratia tanquam cuidam principio vniuerſali, cuius virtus ſe extendit ad omnes gratiæ effectus, & operationes: atque prouidentia diuina perfectior erit, cedetque ad maiorem dignitatem Chriſti, ſi omnes huiuſmodi gratiæ præuenientes, ac diſponentes referantur ad Chriſtum, vt ad ſuam cauſam. Confirmatur: nam alioqui noſtra per Chriſtum redemptio non eſſet perfectiſſima, nec Chriſtus meruiſſet perfectè iuſtificationem noſtram; magiſque nobis Adam nocuiſſet, quàm Chriſtus profuiſſet. Ille enim quantum eſt in ſe meruit nobis carentiam omnis vocationis, & diſpoſitionis ad gratiam. Denique cuius agentis eſt introducere formam, eiuſdem eſt introducere diſpoſitiones.

24. Fundamenta contrariæ ſententiæ ſunt, quod alioqui non poſſet explicari, quomodo iuſtificatio noſtra fiat gratis: ſi enim tum ipſa, tum vocatio, & diſpoſitiones ad ipſam ſint ex meritis Chriſti, omnia pertinebunt ad iuſtam Chriſti remunerationem, & non ad gratiam, contra Diuum Paulum, qui ſæpe docet, noſtram ſalutem, & iuſtificationem eſſe ex mera gratia. Quod cùm non intelligi poſſit quoad formalem iuſtificationem, quam certum eſt eſſe ex meritis Chriſti, imò & ex noſtris, debebit ſaltem intelligi quoad vocationem, & diſpoſitionem. Præterà conſtat Chriſtum non meruiſſe, vt Petrus potiùs, quàm Iudas ad pœnitentiam vocaretur, ac diſponeretur ad iuſtificationem; neque quod duorum infantium moribundorum hic potiùs baptizaretur, quàm ille. Ad primum reſpondetur iuſtificationem noſtram eſſe gratuitam reſpectu noſtri, at reſpectu Chriſti nunquam dixit Paulus, iuſtificationem noſtram pertinere ad ſolam gratiam. Ad ſecundum, cùm dicitur hunc potiùs vocari, ſeu baptizari, quàm alium, in ea comparatione includuntur duo membra: vnum quidem affirmatiuum, quòd hic vocetur, ſeu baptizetur; alterum negatiuum, quòd alius non vocetur, aut non baptizetur. Aſſero autem, quòd priùs Chriſtus meritus eſt: nam vt ait Diuus Paulus *Hebr.* 5. factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Alterum autem membrum, nempe quod aliquis non vocetur, aut non baptizetur, fateor Chriſtum non meruiſſe: id enim non ad gratiam pertinet, ſed ad occultum Dei iudicium.

25. Dico decimò. Chriſtus meritus eſt nobis primam electionem, & prædeſtinationem ad gloriam. Ita Catherinus de eximia Chriſti prædeſtinatione, Vega *lib.* 4. *in Concil. Trident. cap.* 5. Pighius *lib.* 8. *de libero arbitrio,* quos ſequitur Suares *diſp.* 41. *ſect.* 4. vbi hanc ſententiam eſſe ait his temporibus receptiſſimam, piam, & probabilem: quam autem neceſſariò tenere debent ij, qui electionem, ſeu prædeſtinationem ad gloriam defendunt fuiſſe factam ex meritis eorum, qui eliguntur: ſi enim electio præſupponit merita creaturæ: ergo

Digitized by Google

& merita Chriſti, in quibus illa fundantur. Apud eos autem, qui electionem ad gloriam volunt fuiſſe ante præuiſa merita ipſius creaturæ, quæ eligitur, nullæ difficultates ſe obiiciunt, quo minùs conclusionem hanc noſtram tenere poſſint, ſiue ante, ſiue poſt præuiſum Adami peccatum factam eſſe velint Chriſti prædeſtinationem.

CAPVT XIII.

De externa Chriſti potentia.

1. CVM intellectum omnem, & voluntatem comitetur quædam illis ſubordinata potentia externa, & exequutiua, dubium non eſt, quin aliquam talem Chriſtus acceperit, de qua ſupereſt diſputandum, poſtquam de intellectu, & voluntate egimus. Verumtamen non de quacumque Chriſti potentia externa debet hæc inſtitui tractatio: diſputationis enim aliquid theologicæ illa ſolùm potentia ſupernaturalis habet, per quam is patrabat miracula, & gratiam in animabus hominum producebat, quam prout eſt aliquid intrinſecè inhærens humanitati, ſuppono eſſe nequiuiſſe omnipotentiam ipſam increatam. Clarum enim eſt, humanitatem, vtpote non confuſam cum diuinitate, incapacem eſſe increatæ potentiæ; & omnipotentiam diuinam ex alia parte non potuiſſe intellectui, voluntatique humanæ ita ſubordinari, vt ab illis per naturalem ſympathiam penderet, eorumque motum, ſeu applicationem neceſſitate phyſica ſequeretur. Hoc ſuppoſito.

2. Quæritur primò, vtrum potentia quædam ſupernaturalis in humanitate Chriſti verè extiterit ad mirabilia patranda? Reſpondeo affirmatiuam partem eſſe de fide, vt ex euangelicæ hiſtoriæ ſerie conſtat, & ſpecialiter *Matth.* 9. dum Chriſtus ait; *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet in terra poteſtatem remittendi peccata, dicit paralytico, ſurge, &c.* vbi per poteſtatem ſanandi paralyticum, quæ ſtatim effectum habuit euidentem, probauit occultam aliam maiorem poteſtatem remittendi peccata. Miraculorum item in Chriſto poteſtas elucet paſſim alibi apud Euangeliſtas, vt *Matth.* 11. *Ite, & renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant.* Sic & *Ioan.* 5. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Quibus ex locis intelligi poteſt item finis, propter quem illam mirabilem poteſtatem Chriſtus & à Patre acceperit, & tam frequenter exerceret; vt nempe legem, quam nouam inducebat, confirmaret, & ſe Deum, qualis innoteſcere volebat, probaret. Adeò autem eius miracula cauſas omnes naturales ſuperarunt, tam frequentia, tam diuturna fuerunt, tam per ipſam experientiam comperta, innocentiæ, ſanctitatique tantæ coniuncta, vt ea vera, & diuina eſſe Iudæi negare ſine affectata malitia non potuerint.

3. Fuit autem hæc poteſtas miraculorum patrandi conſtans, & permanens in Chriſto per modum habitus, quo poſſet pro arbitrio, & ad nutum ſemper, ac vbique vti: qua in re Prophetas alios, qui hanc poteſtatem non per modum habitus, ſed per modum cuiuſdam tranſeuntis actionis acceperunt, ſuperauit, vt Diuus Gregorius docet *lib.* 2. *dialog. cap.* 31. & D. Thom. 2. 2. *q.* 178. *art.* 1. Non conſtat fuerit, necne hac poteſtate vſus Chriſtus antequam conuerteret aquam in vinum, quam conuerſionem Euangeliſta vocat initium ſignorum eius, publicorum ſcilicet, ac manifeſtorum. Vtebatur autem conceſſa ſibi huiuſmodi poteſtate, nonnunquam quidem orando Patrem, quemadmodum fecit in ſuſcitatione Lazari, *Ioannis capite* 11. vbi ſignificatur decreuiſſe Patrem audire ſemper illum, & operari prout ab illo rogaretur. *Sciebam quia ſemper me audit, &c.* Ita & *Matth.* 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Sæpe etiam abſque oratione, ſed ſimpliciter pro ſua voluntate operabatur miracula.

4. Ne quidem iam in cœlis poteſtas hæc miros effectus edendi putanda eſt ceſſaſſe: per eam enim Chriſtus ſupernaturales gratias mittit Eccleſiæ, ſiue internas, & occultas, ſiue externas tam per ſeipſum immediatè, quàm per ſuos miniſtros, & per Sacramenta. Ipſe eſt, qui per miniſtros baptizat, ipſe qui abſoluit, qui conſecrat ſuum corpus, &c. Verba enim Sacramentorum cenſeri debent quaſi ab ipſo prolata. Nec minùs ipſe per ea ſuum, exempli causâ corpus quotidie conſecrat, quàm per ea ſuo ore prolata illud olim conſecrauit in vltima cœna. Quare ſi effectus per verba ore miniſtri prolata ſignificatus non ſequeretur, nequaquam miniſter, ſed Chriſtus, qui per hunc illa protulit, falſum dixiſſet. Quo modo bene intelligimus Chriſtum exercere officium Capitis. Aduerte tamen verba ſacramenti matrimonij, *Volo te in meam coniugem, volo te in meum*: pertinere ad Chriſtum, non quaſi ab eo prolata, ſed ſolùm quaſi ab ipſo ad vim ſacramentalem inſtituta.

5. Quæritur ſecundò, vtrum ea potentia miraculorum effectrix ſit qualitas phyſica, per quam Chriſti humanitas conſtituatur in actu primo potens. Reſpondent affirmatiuè quidam Thomiſtæ. Paludan. Capreol. Ferrar. &c. Sed ea opinio reiicitur ex communibus principiis de potentia obedientiali, quam nihil eſſe diſtinctum ab ipſa naturali rerum entitate docent vulgò Philoſophi, quos conſule: quare ad propoſitam quæſtionem reſpondendum eſt negatiuè cum Suare *diſput.* 31. *ſect.* 5. & cum recentioribus ferè iam omnibus, aſſerentibus illam potentiam nihil eſſe in Chriſto phyſicum ſuper entitatem ipſius humanitatis; ſed eſſe ipſammet humanitatem prout habet paratum Dei concurſum, vel motionem neceſſariam ad miracula efficienda, quotieſcunque voluerit. Quemadmodum inter nos dicitur Sacerdos habere poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti permanentem, & per modum habitus; quamuis neceſſe non ſit eam facultatem eſſe phyſicum habitum inhærentem, qui ſit proprium principium conſecrationis; ſufficit enim quòd Sacerdos omnipotentiam Dei paratam, & ſibi velut addictam habeat, vt eam quando voluerit, applicet.

6. Quæritur tertiò, vtrum potentia obedientialis prædicta, quam diximus eſſe ab humanitate indiſtinctam, concurrerit ad opera miraculoſa tanquam inſtrumentum phyſicum; non verò ſolùm velut inſtrumentum morale. Affirmat Caietanus, Capreol. Paludanus, Soto, Vega, & alij, quos ſequuntur, ac citant Suares *diſput.* 31 *ſect.* 3. Valentia *diſput.* 1. *quæſt.* 13. *puncto* 2. & alij. Adduciturque pro hac ſententia Diuus Thomas, quia *quæſt.* 13. *art.* 2. concedit humanitatem Chriſti eſſe inſtrumentum diuinitatis ad immutationem cuiuſvis creaturæ, præterquam ad creationem, & annihilationem. Nam ſi loqueretur de inſtrumento morali, concederet eodem modo eſſe inſtrumentum ad creandum, & annihilandum, ſicut ad quodvis aliud genus immutationis. Fundamentum ipſius ſententiæ eſt, quia ſcripturæ aſſerunt abſolutè, & ſimpliciter Chriſtum ſanaſſe infirmos, & alia patraſſe miracula, habuiſſeque ad id virtutem,

ſeu

Digitized by Google

ſeu potentiam, vt *Luc. 6. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: & *cap.8. Ego ſenſi virtutem ex me exiſſe.* Item *Ioan. 1. Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Debent autem hæc omnia cum proprietate explicari, ac per conſequens intelligi de phyſica actione, quæ meretur abſolutè nomen actionis; cùm præſertim nihil ſit, quod cum ea explicare proprietate impediat. Non enim repugnat creaturam eleuari diuinitus ad faciendum phyſicè aliquid ſupra naturam ſuam, vt apparet in noſtro intellectu, & voluntate eliciente per eleuationem ſupernaturales actus: immò nulla eſt ratio, cur negetur poſſe quamlibet creaturam ad quidlibet producendum eleuari per imperium diuinum, in ordine ad quod potentiæ obedientiales cenſeri debent eſſe illimitatæ. Hocque eſt conueniens ſummo in creaturarum efficientias dominio: ſunt enim creaturæ participationes quædam ſummi entis. Sic videmus vnum corpus duo loca replere poſſe, & vnum locum à duobus corporibus occupari, &c. poſito autem quòd creaturarum potentiæ omnes obedientiales actiuæ ad quidlibet agendum poſſint eleuari, aiunt prædicti Doctores videri per ſe certum, humanitatem Chriſti non eo caruiſſe priuilegio, cùm illam conſtet ſupernaturalia multa patrauiſſe. Confirmaturque exemplo Sacramentorum, à quibus item ſupponunt produci phyſicè gratiam, & propterea baptiſmum à Tridentino *ſeſſ.6.cap.7.* vocari cauſam inſtrumentalem gratiæ. Adducunt & varia ex Conciliis, & Patribus loca, in quibus humanitas Chriſti dicitur organum, ſeu inſtrumentum diuinitatis, fuiſſe viuificatrix, &c. Adducunt denique vim ignis inferni, quæ damnatos ſpiritus phyſica torquet actione.

7. Multò meliùs cenſuerunt Diuus Thomas *in 3.diſt.16.q.1.art.6.* Alenſis *3.p.q.13.* Altiſiodor. *3.p.tract.1.cap.4.* Sanctus Bonau. *in 3. diſt. 13. art.2.* Ricard. atque Gabriel *ibidem*, Dur. *in 3. diſt. 14 q.5.* & *in diſt.1.q.4.* Scotus variis locis, aliique multi, quibus adhæret Vaſques *diſp. 57. cap. 5.* Becanus *tract. de incarnatione, cap. 10.* & plurimi cum his recentiores, cum quibus dicendum eſt, humanitatem Chriſti non potuiſſe ad quælibet opera ſupernaturalia phyſico influxu patranda eleuari. Nam vt omittam aliqua ſupernaturalium huiuſmodi operum fuiſſe quid tantùm morale, & incapax phyſicæ productionis, vt remiſſio peccatorum; ad quædam item non applicatam phyſicè humanitatem, vtpotè abſentem, verbi gratià *Ioan. 4.* cùm Chriſtus dixit Regulo. *Vade filius tuus viuit.* Et *Matth. 8.* cùm dixit Centurioni. *Vade, fiat tibi ſicut vis, & ſanatus eſt puer in illa hora.* Conſiderandum eſt, quòd vt cauſam creatam Deus eleuare poſſit ad aliquid phyſicè producendum, prærequiritur in ea virtus, & potentia, quæ eleuetur; quemadmodum de facto reperitur in intellectu, & voluntate vis inchoata ad actus ſupernaturales ad Deum: habet enim ex ſe intellectus vim naturalem intelligendi aliquo modo Deum, vt & voluntas amandi. Quod ſi nullam in creaturis Deus inueniat potentiam, ſed meram impotentiam, quomodo illarum potentiam eleuabit? niſi fortè velimus ad commendandam Dei omnipotentiam aſſerere, illum poſſe chimæram eleuare ad veras producendas entitates. Dico igitur, quod quemadmodum nequit Deus chimæram, vel id quod non eſt, eleuare ad phyſicè producendum miraculum; ita nec illud cuius, de reliquo exiſtentis, potentia eſt verè nulla, & tantùm chimærica, hoc igitur ſemper ante omnia, cùm de rerum eleuabilitate agitur, conſiderandum eſt; num in iis ſit quædam proportionata potentia.

8. Directè ad rem Suares *diſp. illa 31. ſect. 3.* aſſerit virtutem quamdam inchoatam non abeſſe ab humanitate Chriſti: habet enim hæc potentiam producendi aliquam qualitatem, atque adeò attingendi rationem qualitatis vt ſic; quare poterit eleuari ad producendam ſuperiorem qualitatem, putà Gratiam; quemadmodum intellectus eleuatur ad ſuperiorem intellectionem, hoc eſt, viſionem beatificam. Tangit in hoc Suares iugulum difficultatis, ſed innoxiè, nec eam perimit: Quia non adæquatè ſumit totum, quod nos dicimus deeſſe humanitati Chriſti. Nam volumus nos prærequiri in creatura ad hoc, vt à Deo eleuari poſſit, non ſimpliciter quamcunque potentiam conſideratam quaſi genericè; ſed potentiam proportionatam ad effectum quem Deus intendit. Negamus autem illam in humanitate reperiri reſpectu quarumcunque qualitatum, & effectuum. Quod verò nos iure in potentia eleuabili proportionem aliquam requiramus, patet. Nam Deus non poteſt eleuare oculum corporeum ad videndam ſubſtantiam ſpiritualem: non poteſt eleuare appetitum materialem ad amorem beatificum: non poteſt facere vt potentia viſiua audiat: non item vt ſenſus appetat, vel appetitus cognoſcat, &c. quid ita? Quia nempe licèt illæ potentiæ inferiores habeant vim producendi qualitates, & actus vitales in genere, necnon etiam attingendi in genere rationem cognitionis, & appetitionis; non habent tamen proportionem ad eas determinatè cognitiones, & appetitiones ſublimiores attingendas, quæ circa Deum verſantur; ſed nec ad eas operationes, quæ ſunt diuerſarum potentiarum vitalium. Confirmatur: nam defectu item proportionis fieri non poteſt, vt potentia materiæ primæ eleuetur ad hoc, vt ex ea educatur lumen gloriæ, &c.

9. Ex dictis ſolutum manet præcipuum aduerſariorum argumentum; negamuſque illis poſſe Deum eleuare quamlibet cauſam ad quidlibet; ac nominatim humanitatem Chriſti ad gratiam infundendam, vel ad quæcumque miracula patranda phyſicè. Vnde & apparet, quàm ſit infirmum aliud ipſorum fundamentum ex Scripturæ cæmentis malè coagmentatum. Cùm enim phyſicus humanitatis influxus ſit impoſſibilis, neceſſariò interpretanda erunt adducta Euangelij loca de influxu ſolum morali. Nec verò propterea ſacri textus loquutiones minùs propriæ fuiſſe intelligentur. Moralis enim efficientia eſt propriiſſima actio; & aliquando eſt magis præcipua, quàm phyſica, vt apparet in iudice, qui magis propriè latronem iuſſu, quàm carnifex reſti interficit. Negandum item cauſalitatem phyſicam inſtrumentalem magis facere ad commendationem Chriſti, quàm moralem: qui enim ſuo iuſſu, ſuo merito quicquam moraliter facit, nobilius ſæpè facit, quàm qui phyſicè. Ad ſacramentorum, quæ hîc obiicitur, efficaciam, nego illam eſſe pluſquam moralem. Ad Concilia, & Patres dico eorum loquutiones intelligendas eſſe de influxu morali; nec enim vllibi ſe de influxu phyſico loqui ſignificant. Denique quod ad infernorum ignem attinet, is non cruciat ſpiritus per productionem vllam ſuam phyſicam in ipſos ſpiritus; ſed verè ſentitur per vitalem doloris actum, quem ea quæ in ſpiritibus eſt vis, & facultas (noſtræ ſenſitiuæ cum aliqua proportione reſpondens) elicit, ac in ipſa ſubſtantia ſpirituali producit vitaliter: quo doloris actu verè ignem ſpiritus ſentiunt, & experiuntur damnati, tanquam phyſicum, & eſſentiale talis doloris obiectum. Eodemque modo vſtionis cruciatum patiuntur, quo ſi haberent organa, Deo determinante vim

Digitized by Google

illorum prædictam ſenſitiuam ad eliciendum vitalem eum actum, qui vocatur dolor, qualis elicitur ab anima noſtra coniuncta corpori, quando ignis ardore ſuo penetrat organa: hunc enim actum cùm ſit ſpiritualis, nec ignis, nec organa producunt, ſed anima ſola, quando ignis eſt ei applicatus per applicationem factam in organis, quorum defectum Deus omninò poteſt ſupplere, ignemque applicare ſufficienter, vt ſentiatur.

10. Quæritur quartò, an Chriſtus ſemper eorum, quæ fieri efficaci volebat voluntate, obtinuerit exequutionem externam? Ad hanc quæſtionem Caietanus, Vaſques, & quidam alij diſtinguunt inter illa, quæ Chriſtus voluit per ſemetipſum fieri, & ea quæ fieri voluit per alios; aſſeruntque licèt in illis fuerit impleta voluntas eius efficax, non tamen ſemper impletam fuiſſe in iſtis. Quod probant ex *Marci 7. Ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere. Eodem cap. Reſtitutis ſenſibus ſurdo & muto, præcepit Chriſtus ne homines cuiquam dicerent; quantò autem eis præcipiebat, tantò magis prædicabant.* In quibus locis Chriſtus ſignificatur adhibuiſſe quæ poterat media, vt id fieret, quod volebat. Nam abſolutè dicitur non potuiſſe obtinere, vt quemadmodum volebat, lateret, &c. Quod verum non eſſet, niſi media quæ poterat, adhibuiſſet ex efficaci voluntate: quis enim dicat Medicum, qui noluit ægroto adhibere, quæ poterat remedia, non potuiſſe illum ſanare?

11. Nihilominus aſſerendum eſt adimpleta ſemper fuiſſe quæcumque Chriſtus, vel per ſemetipſum, vel per alios fieri voluit efficaciter. Hoc reſponſum ait Suares *diſp. 38. ſect. 5.* eſſe certum ex Concilijs & Patribus. Ratio eſt, quia poteſtas Chriſti moralis non magis eludi, & ſuo effectu carere potuit, cùm per voluntatem efficacem fuit applicata, quàm ipſa omnipotentia Dei: in hoc enim poteſtas illa conſiſtit, quòd ſibi quodammodo addictam habeat omnipotentiam diuinam. Euangelij verò loca in contrarium obiecta poſſunt facilè expediri, ſi attendamus poſſe nos (quod & in ipſo Deo certum eſt) aliquid ita velle ſeriò ac ſyncerè, vt tamen parati ſimus eius oppoſitum non impedire. Atque talis voluntas, licèt quoad aliquam mediorum conuenientium applicationem efficacitatem habeat, dici tamen non debet omnimodè efficax, nec abſoluta. Dico igitur Chriſtum in illis locis euangelicis non habuiſſe voluntatem abſolutam, & vſquequaque efficacem; nec adhibuiſſe omnia media, quæ abſolutè poterat per applicationem omnipotentiæ diuinæ: quamuis adhibuerit (vt ex epiſtola, de qua mox dicam, Agathonis Papæ colligitur) potentiam, quam habebat ſubordinatam naturaliter voluntati humanæ. Cùm igitur Scriptura ait; *Et non potuit latere*, ſignificatur ad ſummum impotentia eius in ordine ad vires naturales, & per humanam voluntatem naturaliter applicabiles: vel ſignificatur impoſſibilitas tantùm conſequens, ſiue negatio euentus; quaſi diceret: *Non obtinuit re vt lateret*; quo ſtante non potuit.

12. Oppones. Agatho Papa *in epiſtola ad Imperatores*, approbata in VI. Synodo, *actione* 8. probat fuiſſe in Chriſto humanam voluntatem à diuina diſtinctam: quia volens latere, id non potuit obtinere. Si autem valet noſtra ſententia, & Euangelij explicatio iam allata, eneruatur illa ratiocinatio Agathonis: nam etiam voluntas diuina, quæ inefficax, aut non abſoluta eſt, poteſt carere effectu, neque obtinet quicquid vult; vult enim omnes homines ſaluos fieri, non committi ab hominibus flagitia, &c. Præterea dicitur bene voluntatem diuinam non potuiſſe fieri, quando ſupponitur priùs contigiſſe, vt re non fieret. Atque ſic, admiſſa noſtra explicatione, non benè concluderet Agatho, voluntatem prædictam Chriſti, quæ effectu caruit, non eſſe diuinam, ſed humanam, itàque duas fuiſſe in ipſo Chriſto voluntates.

13. Reſpondeo primò nec Agathonem, nec ſextam Synodum quicquam decidiſſe vt fide certum circa illam ratiocinationem. Secundò neruoſam eſſe in noſtra explicatione ſupradictam Agathonis ratiocinationem: fuit enim omninò neceſſarium, voluntatem non fuiſſe diuinam, quæ poſtquam ad aliquid obtinendum applicuit ſibi connaturaliter ſubordinatas potentias, id tamen obtinere nequaquam potuit. Vt hoc meliùs intelligatur aduerti debet, duplex eſſe poſſe genus voluntatis efficacis: vnum ſimpliciter abſolutum, quale ſi Chriſtus habuiſſet, moraliſuiſſet vſus potentiâ, quam vt homo acceperat, applicandi pro arbitrio ſuo omnipotentiam Patris ipſum audire ſemper parati; & ſic haud dubiè obtinuiſſet quod vellet. Alterum imperfectè efficax, nec ſimpliciter abſolutum; & tamen pluſquàm ſimpliciter permiſſiuum, & aliquò modo permiſſioni obſiſtens, vtpotè conſiſtens velut in magno quodam, & affectiuè accenſo deſiderio; tali, vt quamuis qui ita vult, nolit apponere omnia ſibi poſſibilia media, diſplicentiam tamen habeat, & moleſtiam quandam cùm res non euenit ex animi ſententia: tale genus voluntatis efficacis, & applicantis omnem ſibi connaturaliter ſubordinatam potentiam, potuit Chriſtus vt homo habere, *Marci 7.* atque illud in ipſo agnoſcens Agatho, non malè concluſit ipſum humanam voluntatem habuiſſe.

CAPVT XIV.

Pia conſideratio. De humana Chriſti libertate, vt reparatrice corruptæ voluntatis noſtræ, & cauſa bonorum omnium, quà hominibus, quà Angelis collatorum.

1. SICVT Verbum in æternitate per primariam intelligentiæ perfectionem eſt imago, & figura ſubſtantiæ Patris. Ita in tempore cùm naturam humanam aſſumpſit, debuit illam primariam voluntatis perfectionem accipere, qua omnis homo factus eſt ad imaginem Dei. Ea verò perfectio ex Sanctorum Patrum ſententia non aliud eſt, quàm τὸ αὐτεξούσιον, ſeu liberum voluntatis arbitrium. Nec dubium eſt quin Chriſtus ipſo ſuæ creationis inſtanti, cùm primùm perfectionem illam humanæ libertatis accepit, eiuſdem primitias Patri ſuo conſecrarit perfectiſſima ad eum per ſummam charitatem conuerſione.

2. At nec à nobis ignorari debet liberam ipſius Chriſti voluntatem eodem illo primo inſtanti, quo ſe ad Patrem conuertit, ſua in nos beneficia cœpiſſe conferre, atque iam inde felicitatis noſtræ procurationem ſuſcepiſſe: nec enim diſtulit ſe Angelorum, hominumque caput profiteri. Ex quo fit, vt illa Chriſti in hanc vitam primùm introeuntis bona erga nos voluntas cenſeri debeat cauſa, & origo bonorum omnium, quæ nobis, tum in tempore, tum in omni æternitate contingent. Eiuſdemque libertati, atque vltroneæ in genus humanum charitati accepta referri ſpeciatim debet ſpes, quæ nobis

reſidua

Digitized by Google

reſidua eſt ſalutis poſt Adami lapſum. Poſtquam enim Chriſtus primi parentis deprauatam fuiſſe cognouit voluntatem, & mortales omnes, prophanata libertate proprij arbitrij, pulchram illam, ad quam facti erant, ſpeciem, imaginemque diuinitatis deformaſſe; non putauit humani generis voluntatem in primo Adamo vitiatam, conuenientiùs curari poſſe, quàm per quendam melioris voluntatis vſum, hoc eſt, per ſummæ charitatis exercitium, quod à ſecundi Adami libero proficiſceretur arbitrio; atque ita cùm Deum ob graues offenſiones humano generi videret infenſiſſimum, libratis apud ſe hinc, & inde iuſtitiæ, miſericordiæque ponderibus, cardinem ſuæ libertatis ad hominum cum ipſo Deo reconciliationem, & ad totius mundi redemptionem, incolumitatemque flexit, quod ni feciſſet, certiſſimum omnis humani generis futurum erat exitium.

3. Nos itaque non tantùm deteſtari oportet eorum hæreticorum impietatem, qui humanam extitiſſe in Chriſto voluntatem negauerunt; ſed & neceſſe eſt agnoſcere, quantum ipſius Chriſti libertati humanæ, in qua vna mortalium ſpes omnes poſitæ erant, debeamus. Pœna mortis, & damnatione obſtrictum humanum genus trahebatur originali peccato per errores, criminumque formas omnes ad extremum cum deſertoribus Angelis, poſſeſſoribus, atque conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium. Ruebat torrentis inſtar, & præcipitabatur per diuerſos miſeriarum gradus vniuerſa Adami damnata poſteritas ad infernum; quem nos omnes, ſi Chriſtus ſuſpenſam in æquilibrio ſuæ libertatis lancem, ſalute noſtra neglecta, in alteram partem depreſſiſſet, impleturi eramus.

4. Perpendat hîc anima pia, quantum, quantoque ſuo periculo negotium in illo præciſo articulo, & humanæ Chriſti libertatis æquilibrio ageretur, cùm de noſtra ſalute ille, deſerendane, an à ſe apud Patrem procuranda eſſet, deliberaret. Quanto timore vnuſquiſque noſtrûm, quàm ſuſpenſo, pauidoque animo rei exitum expectaſſet, ſi conſcius quid ageretur, præſens tunc adfuiſſet? Quantis votis, atque ſuſpiriis, vt res hæc bene ſibi verteret, optaſſet? Quid apud Chriſtum, ſi precibus locus daretur non egiſſemus, vt ei quod noſtra intereſſet, perſuaderemus? & tamen cùm nemo cauſam noſtram ageret, nec vllum qui nobis apud ipſum patrocinaretur, haberemus; Chriſtus ipſe ſolus, nullo ſuaſore, nullo impulſore, immeritis, & omni gratiâ indignis patrocinatus eſt. Is apud ſeipſum cauſam noſtram egit, & ſponte ſua eò voluntatem ſuam inclinauit, quò ſperare nullo modo poſſe videbamur: atque ita nulli alij, quàm ſoli humanæ Chriſti voluntati debemus, quòd non ſimus conſumpti, & in inferos, pœnaſque diabolo conſtitutas immerſi. Non enim Deus Pater nobis, qui omni redemptionis ope carere merebamur, ſed ſoli Chriſto, vt redemptorem haberemus condonauit; offerenti ſe vltro, & illam cauſam omnem in ſe ſuſcipienti, criminibuſque omnibus pro humano genere ſe reum ſupponenti.

5. Sed quis oratione complecti poſſit modum quo Chriſtus nobis opitulari, tamque inſigne beneficium conferre voluit? vt enim liberaliorem gratificandi voluntatem oſtenderet, non minoris, quàm atrociſſima morte, totiuſque ſui ſanguinis effuſione vitam, ſalutemque noſtram redimere conſtituit: cùm tamen nullo labore, nulloque ſuo impendio, ſed vnica ad Patrem voce, ſolove nutu rem totam conficere potuiſſet. Voluit nempe oſtendere nullam eſſe poſſe charitatem æqualem ſuæ, quâ ipſe animam ponebat non pro amicis, pro quibus vix vllus moritur; ſed pro inimicis, pro quibus qui mortuus ſit, nullum aliud habemus exemplum. Quis enim tantæ beneuolentiæ fingi poteſt exceſſus, vt ſummus aliquis Princeps vadem ſe vltrò ad mortem exquiſitiſſimis quibuſcumque ſubeundam tormentis pro improbo, ſceleratoque inimico dare vnquam voluerit?

6. Cùm Chriſtus (cuius exiſtentia in Dei præuiſione prior fuerat, non ſolùm peccato, ſed & exiſtentia Adami) ſe ſponte poſt cognitam humani generis ruinam futurum obtuliſſet mundi cum Deo reconciliatorem, cenſet Rupertus cum aliis non paucis Doctoribus, permiſiſſe illi Deum, vt modum optaret, quo mallet ad procurandam hominum redemptionem accedere, ſiue cum immortalis corporis gloriâ, & gaudio, debitaque ſui nominis claritate; ſiue cum ſummo dedecore, atrociſſimum mortis ſubeundo in cruce ſupplicium: illum autem præ gaudio ſibi propoſito, crucem, & mortem optaſſe, vt & Deo, qui offenſus erat, iuſta, perfectaque ſatisfactio, & homini, qui offenderat, integra condonatio, & copioſa redemptio concederetur. Quam in ſententiam inſignes quidam Patres, vt Chryſoſtomus, ac Theodoretus, referunt dictum illud Apoſtoli *ad Hebræos cap.* 12. *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*; vbi propterea legendum ſic putat Ribera; qui pro propoſito ſibi gaudio (hoc eſt vice propoſiti ſibi, & oblati, à ſe que recuſati gaudij) ſuſtinuit crucem. Eamque videtur latinam lectionem Græcus textus requirere: *ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρόν.*

7. Ex his, Chriſte, conſtat & eminet, quantis beneficiis, tali, ac tantæ iſti tuæ voluntati obligatas cenſere ſe debeant cunctæ humani generis voluntates. Quid enim poſſit eſſe magis conſentaneum; quàm vt voluntates omnes noſtræ voluntatem illam ſuſpiciant, & adorent, quam ſolam felicitatis ſuæ cauſam agnoſcunt? eique voluntati, quæ bonarum omnium voluntatum exemplar eſt, ac parens, ita ſe probent, atque conſecrent, vt ab eius ſolius nutu pendeant. Hæc eſt cauſa cur ſancti omnes, ac pij ſuam ſemper coram te voluntatem abnegarint, nec vlla in re aliam, quàm tuam fieri optarint. Quot ſunt etiam, qui velut gratiſſimam tibi, ſuauiſſimamque victimam, ſolemni profeſſionis religioſæ ſacrificio libertatem immolarint, & eam Euangelico holocauſti ritu conſumptam, deſtructamque eſſe voluerint vſurpato illo tuo ad Patrem dicto, *non mea, ſed tua voluntas fiat.*

8. Per tuam iſtam in nos voluntatem, charitatemque ſummam omnia traxiſti ad te ipſum, atque amore erga te incredibili voluntates omnes noſtras ſic accendiſti, & habes ex tua ſuſpenſas, vt nimirum non ſit nationes vniuerſas tibi ſummam vndecumque beneuolentiam nauare. Quis aliquando Princeps tot ſubditos numerauit, tanta voluntatum in ſe inclinatione deuinctos? Nam primò ſi ad Apoſtolicos viros mentis aciem conuertamus, ij nullis parcentes laboribus, & quibuſcumque mortis, ſuppliciorumque contemptis periculis illud Diui Pauli in ſe ſinguli comprobarunt, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*? atque vniuerſum orbem charitatis tuæ incendiis inflammarunt, ac vbique dum tua in mortales beneficia prædicarent, aureos, vt ita dixerim, hamos, & aduncitates amoris ſparſerunt, quibus omnes ad te nationes attraherent. Nulla eſt ora, nulla pars terrarum, nulla inſula, nullum mare, quod non hodieque ab Apoſtolorum prædicatione ardeat, & vnius amore Chriſti inflammatum colluceat. Vbique Chriſto cordium arulæ ſacros

charitatis

Digitized by Google

charitatis odores accendunt : inde tot myriades martyrum. Conſtatque nullam extitiſſe regnorum, ſeu Rerumpublicarum ab orbe condito cauſam, pro qua tot hominum ſtudia pari contentione decertarint : pluſque fuiſſe ſanguinis pro Chriſti nomine, ac dignitate, quam pro vllius Imperij defenſione, propagationeque profuſum. Eſtque illa chriſtianæ religionis ſumma, vt quicumque illi nomen dederunt, ſint ſemper Chriſti cauſâ expediti ad mortem, & parati ad extrema.

9. Quod ſi reperitur in terris tam perfecta tui dilectio, quàm excellentem illam eſſe oportet in cœlis, & in ea Beatorum celebritate, vbi ſola charitas regnat, & ipſa eſt regnum æternum, vt ait Sanctus Chryſoſtomus! Beatorum omnes, & Angelorum, & hominum in cœlo voluntates in eo felicitatem ſuam conſtituunt, vt illam venerentur in Chriſto voluntatem, per quam, vt beatæ eſſe poſſent, obtinuerunt. Quare in æternâ erga Chriſtum charitate poſitam ait eſſe Diuus idem Chryſoſtomus Sanctorum beatitudinem, nec eam quidem ſimplicem, ſed quam idem vocat μυριομακαριότητα, hoc eſt, quæ decies ſit multiplicata millies. *Amemus Chriſtum*, inquit, *in eius enim amore* ἡ βασιλεία ἐςὶ, ϗ δόξα, καὶ τιμὴ, ϗ μυριομακαριότης. Cùm pro humani cordis anguſtiis te vt par eſt diligere, Chriſte, in hac vita nequeant mortales, conuenientius nihil offerre tibi poſſumus, quàm eas ipſas Beatorum mentium voluntates, quæ amorem ſuum beatificum voluntati tuæ, à qua id omne quo beatæ ſunt, accepere, proſternunt; & quæ per omnem æternitatem in ſolo amore amoris tui quieſcunt. Donec verò in earum me felicitatem recipias, peto à te interim, vt meam voluntatem tuæ ſemper adiungas ea, qua polles humanorum cordium quocumque volueris inclinandorum omnipotentiſſima poteſtate, & ſecreta, victriceque gratia, qua voluntas tua noſtris voluntatibus dominatur.

LIBER VNDECIMVS.

De humanitatis defectibus à Verbo aſſumptis.

CVM actum ſit in ſuperioribus de humanitatis Chriſti perfectionibus, reſtat, vt diſputare debeamus de iis omnibus, quos Verbum cenſeri poſſet aſſumpſiſſe, defectibus. Horum autem aliqui ad corpus pertinent, aliqui ad animam, hoc eſt, ſiue ad intellectum, ſiue ad voluntatem. Aliqui totalitatem humanitatis ſupponunt, & ſequuntur, velut quædam totalis hominis imperfectiones, vt eſſe ſeruum, eſſe morti obnoxium, &c. Quærique poteſt conſequenter de eo, quod eſt eſſe Filium adoptiuum.

CAPVT PRIMVM.

De defectibus humanitatis Chriſti quoad corpus.

1. NOTANDVM eſt, eos defectus, qui cadere in corpus humanum poſſunt, duplicis eſſe differentiæ; ſunt enim aliqui communes omnibus hominibus poſt peccatum, vt fames, ſitis, laſſitudo, ſomnus, ſenecta, & in vniuerſum paſſibilitas à quibuſcumque noxiis. Aliqui autem ſunt particulares, orti ex priuatis, & vnicuique propriis cauſis, vt lepra, podagra, morbus comitialis, deformitas, & ſimilia, quibus aliqui peculiariter cernuntur obnoxij. Quod attinet ad priorem differentiam.

2. Dico primò, Chriſtum aſſumpſiſſe illos omnes defectus, qui ſunt communes toti naturæ humanæ; ita vt non poſſet, niſi per aliquod velut miraculum, non pati frigus, dolorem, &c. Quando talium pœnalitatum obiecta occurrebant. Concluſio iſta pertinet ad fidem catholicam, quæ Chriſtum affirmat, non tantùm fuiſſe paſſibilem, ſed etiam paſſum communes nobis incommoditates, atque defectus, famem, fatigationem, dolorem ex ictibus, &c. vt apparet ex tribus fidei Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſij. Item ex Conciliis Epheſino, Toletano I. Lateranenſi ſub Martino I. & ex VI. Synodo citatis à Vaſquezio *diſp. 59. cap. 2.* Expreſſa ſunt in eam rem multa ſcripturæ teſtimonia, vt *Iſaiæ 53. Verè languores noſtros ipſe tulit. Matth. 4. Cùm ieiunaſſet eſuriit. Ioan. 4. Fatigatus ex itinere ſedebat*, ſic & aliis ſexcentis locis. Rationem, cur hos defectus aſſumpſerit, triplicem affert Diuus Thomas *articulo 1. in corpore.* Primam, vt pro nobis patiendo ſatisfaceret; ſecundam, vt oſtenderet ſe eſſe verum hominem; tertiam ad exemplum patientiæ.

3. Contra hanc veritatem errauit Imperator Iuſtinianus, licèt alioqui catholicus; ſed mirum eſt errauiſſe Hilarium, virum ſanctiſſimum, iuxtà ac doctiſſimum, qui *in Pſalmum* 68. negauit Chriſtum ſenſiſſe vnquam famem, aut dolorem. *Afferrent*, inquit, *hæc quidem impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent; vt telum aliquod, aut*

aquam

aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans. Multa alia in eundem modum habet, vt *libro* 10. *de Trinitate*, ſic de corpore Chriſti ſcribit: *Et virtus corporis ſine ſenſu pœnæ vim pœna in ſe ſæuientis excepit.* Varij variè conantur ipſum excuſare, ſed fruſtrà, vt habes apud Vaſqueſium *diſp.* 59. *cap.* 1. Imò Bonauentura, Ricardus, Albertus, & alij dicunt, Hilarium *in libello*, qui iam non extat, & quem Guillelmus Pariſienſis teſtatus eſt ſe vidiſſe, retractaſſe hunc errorem. Non item audiendi ſunt quidam Theologi noſtri temporis, aſſerentes Chriſtum ea fuiſſe corporis habitudine, vt non fuerit obnoxius neceſſitati vllum in morbum incidendi, atque ſi non fuiſſet occiſus, nullo morbo potuiſſet, ſed ſola ſenectute mortem obire. Aſſerendum tamen eſt, quod ad factum attinet, Chriſtum, nec ægra, infirmave fuiſſe valetudine, nec vllo vnquam morbo fuiſſe tentatum; neque fuiſſe conueniens, vt vi alicuius morbi conſumptus moreretur. *Ille enim* (inquit Athanaſius *lib. de incarnatione Verbi, & corporali eius aduentu*) *corpus ſuum, vt vita, & potentia corroborabat.* Quatenus autem mors debebatur (in redemptionem hominum) eatenus non ex ſe, ſed aliunde rationem immolandi mutuatus eſt. Ita vulgò cum Sanctis Patribus Doctores.

4. Porrò notandum eſt, vt optimè admonet S. Thomas *art.* 1. licèt Chriſtus ſupradictos defectus naturæ toti humanæ poſt peccatum communes aſſumpſerit; non tamen propriè dici illos contraxiſſe. Nam Verbum contrahendi, ſonat ordinem effectus ad ſuam cauſam, vt ſcilicet illud dicatur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſſitate trahitur. Atqui cauſa mortis, & aliorum defectuum corporis eſt peccatum, *Romanorum* 5. Ergo qui non trahit ex Adamo peccatum, non contrahit defectus prædictos. Etſi enim eos habiturus non fuiſſet Chriſtus, ſi Adamus non peccaſſet, quia ſcilicet natura humana illos non ſecum traheret: non tamen ipſos ex Adamo contraxit, ſed tantùm quia naturam liberè voluit cum omnibus (excepto peccato, & ignorantia) quæ in illa inuenit, aſſumere. Vnde hæ pœnalitates non fuerunt veræ pœnæ in Chriſto, vt in nobis, qui peccatum, hoc eſt earum cauſam, ſimul cum illis contraximus. Eodem modo, cùm apud me videatur certum Beatiſſimam Virginem, non tantum non conceptam fuiſſe cum peccato; ſed ne quidem in Adamo peccaſſe, vtpote non contentam in pacto, quod Deus cum ipſo Adamo fecit poſteriùs, quàm illam digniſſimam Dei Matrem deſtinarat; dico per conſequens illam non habuiſſe prædictos corporis defectus ſub ratione pœnæ, ſeu cum aliquo ordine ad peccatum, vt ad ſe ſpectans: atque ſub ea ratione, & in ea ſignificatione eam non debere dici illos contraxiſſe; ſed nec tamen debet dici aſſumpſiſſe, quia non ex electione ſua illos habuit. Qui tamen prædictam immaculatam Virginem volunt fuiſſe contentam in pacto Adami, & habuiſſe debitum, vt conciperetur in peccato, debent dicere ipſam defectus huiuſmodi contraxiſſe in pœnam; ita vt Deus exemerit in conceptione ipſam à peccato contrahendo, non autem à contrahenda peccati pœna.

5. Dico ſecundò, quod ſpectat ad particulares defectus, ortos ex priuatis, & propriis aliquorum cauſis, Chriſtum nequaquam eos aſſumpſiſſe. Concluſio hæc docetur à Diuo Thoma *quæſt.* 14. *art.* 4. & clara eſt. Nam hi defectus oriuntur vel ex intemperantia hominum, vel ex defectu virtutis formatiuæ. Atqui Chriſtus temperantiſſimus fuit, & corpus eius non virtute naturali, quæ poteſt deficere, ſed virtute Spiritus Sancti formatum eſt ex virgineo, puriſſimoque ſanguine. Quamuis enim Deus liber ſit circa ea, quæ extra ſe operatur, & faciat omnia cum menſura, qua elegerit, tamen ea, quæ ipſe ſingulariter agit, ſolent eſſe perfectiſſima in ſua ſpecie. Et ſanè quemadmodum ſub veteri lege Sacerdotes, & hoſtiæ debebant eſſe ſine labe, ac macula etiam exteriori; ſic multò magis Chriſtus æterni teſtamenti mediator, Sacerdos, & hoſtia, non debuit habere defectus derogantes ſuæ maieſtati. Idcircò multis rebus quoad corpus omnes mortales ſuperauit, proportione membrorum, figura, ſanitate, temperie qualitatum ad rectos affectus maximè accommodata, &c.

6. Vnde conſequenter dicendum eſt, illum pulchritudinem virilem quandam habuiſſe ſummam, quæ ex tribus naſcitur; ex integritate membrorum, ex proportione eorumdem, ex colore, qui temperamentum ſequitur. Quod ratione non ſatis conſiderata negauit Michaël Medina *lib.* 2. *de rectà in Deum fide, cap.* 7. Multumque diſplicet Clemens Alexandrinus, dum ait Chriſtum αἰχρον τ ὄψιν γεγονέναι. Cui fauet Cyrillus ἐν γλαφυροῖς, aſſerens, neminem Chriſto tribuiſſe σαρκὸς καυχήματι, ſeu gloriandam carnis excellentiam. Fauet & Tertullianus *libro de carne Chriſti*, dum ait; *Tacentibus Prophetis, de ignobili aſpectu eius contumelia loquuntur; paſſiones quidem humanam carnem inhoneſtam probauere.* Sanè verum quidem eſt, cruentam in paſſione deformationem eius ſummam extitiſſe. Quò pertinet illud *Iſaiæ* 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor.* Et *vidimus eum, & non erat aſpectus.* Et *quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus.* Et *nos putauimus eum quaſi leproſum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* At verò extra tempus paſſionis, quamuis ſuppreſſa fuerit ſumma illa diuinitatis pulchritudo, quæ ſi (vt in Transfiguratione) vel tantillum affulſiſſet, Iudæos ab eius atrociſſima vexatione auertiſſet, eaque ſola cæleſtis, & ſupra humanam, pulchritudo fortè à Cyrillo, & Tertulliano denegatur externæ ſpeciei Chriſti. Nihilominus dubium eſſe non debet, quin (vt narrat Nicephorus *libro* 1. *hiſtoriæ, cap.* 4.) fuerit Chriſtus ſpecioſæ, & pulcherrimæ formæ cum grauitate, & honeſtate coniunctæ. Vnde Chryſoſtomus *homilia* 28. *in Matthæum*, ait illum, *vt in patrandis miraculis erat mirabilis, ſic viſu gratioſum fuiſſe, iuxta illud Pſalmi* 44. *Specioſus forma præ Filiis hominum.* Idem aſſerit Hieron. *epiſtola* 160. *ad Principiam. Vniuerſis pulchrior eſt virgo de virgine, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo natus eſt.* Atque ait illum *habuiſſe in vultu, oculiſque quiddam ſydereum.* Vbi tangit ſanctus hic Pater euidentem ſummæ in Chriſti corpore perfectionis, pulchritudiniſque cauſam, quòd non ex ſanguinibus, ſed ex Deo, & Virgo de Virgne natus ſit. Nec enim ex tali materia, talique cauſa efficiente potuit niſi pulcherrimum opus exiſtere. Huc referri poteſt, quod habetur *lib.* 4. *Eſdræ*, cuius poſt ſcripturam canonicam non exigua debet eſſe authoritas. *Ego Eſdras vidi, & in medio eorum erat iuuenis ſtatura celſus, eminentior omnibus, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas: & dixi Angelo, ille iuuenis qui eſt, qui eis coronas imponit? Et reſpondens dixit mihi, ipſe eſt Filius Dei, quem in ſæculo confeſſi ſunt.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Num veros aliquos defectus humanitas Chriſti habuerit in intellectu.

1. EX iis quæ toto octauo libro diſputata ſunt, intelligitur, quantam intellectus Chriſti habuerit ſcientiæ, ſapientiæque perfectionem: hic breuiter inueſtigandum eſt, num aliqua illarum imperfectionum, quæ humanum aliorum intellectum comitantur, illi adhæſerit. Dubium primò eſſe poteſt, an per ſenſuum errores, ſiue ludibria, quæ paſſim contingunt, potuerit Chriſti intellectus in quandam deceptionem, iudiciique falſitatem induci. Secundò vtrum aliquod genus ignorantiæ propriæ, qualem nos ob diſcurſus infirmitatem in noſtris intellectibus experimur, habere potuerit per diuinam ſaltem potentiam. Quod ad primum attinet, quamuis propriè hîc ſit quæſtio de intellectu, de eoque tantùm agat ſanctus Thomas *quæſt.* 15. *artic.* 3. nihilominus extendunt aliqui diſputationem præſentem etiam ad ſenſus: nec defuit, qui diceret contigiſſe Chriſto, vt eum ſenſus aliquando perinde ac alios deciperet. Verumtamen licèt dubitari non poſſit, quin ſenſus humani fuerint eiuſdem in Chriſto rationis, cuius in nobis; vt nempe dubia luce non poſſet eius oculus hominem verbi gratiâ, quem procul ſpectaret, certò diſtinguere ab arbore, ſolem item non videret pedali maiorem, nec ſtellas pluſquam puncti inſtar obtinentes; baculus, cuius pars in aquam eſſet immerſa, fractus ei appareret, &c. Nihilominus nequaquam dici debet Chriſtus erraſſe deceptus à ſenſibus, in quo aſſerendo refertur erraſſe, deceptus ipſe in ſuo ſenſu Franciſcus Victoria. Cùm enim obiecta per ſenſus externos eodem modo videret, quo alij homines; tamen quæ obiecta in errorem nos poſſunt inducere, non poterant ipſum Chriſtum, qui ſumma ſua ſapientia, & intellectuali luce valebat facilè corrigere, ſi quæ forent ſenſuum illuſiones. Neque in iride, ſimilibuſque luminis refractionibus inducebatur ad iudicandum ſe colorum (qualem in aliqua tabella, vel aulæi texto) videre pictutam: ſed iudicabat (quod res eſt) in nube lumen videri cum tali refractione, quæ veros quidem efficeret colores, quamuis radioſæ, hoc eſt, alterius ſubſtantiæ, quàm ſint hi noſtri ex craſſa materia diluti, colliquefactique.

2. Eſt verò pluſquàm probabile, Chriſtum illa ipſa, quæ ſenſibus occurrebant obiecta vidiſſe præterea per intellectum immediatè eo modo, quo vident Angeli, & animæ ſeparatæ; quemadmodum enim animabus ſeparatis loco ſpecierum, quas in hac vita experimento ſenſuum comparabant, dantur ſpecies eorundem obiectorum perfectiores, & ſimiles eis, quas habent naturaliter Angeli, ſicut meritò cenſet probabile Leſſius *libro* 2. *de ſummo bono, cap.* 19. *num.* 157. ita poſſumus opinari Chriſto, vtpotè beato, infuſas fuiſſe ab inſtanti conceptionis proprias rerum omnium naturalium, angeliciſque ſimiles ſpecies, quibus ſingula ſibi occurrentia, licèt procul diſtarent, talia eſſe coràm videbat per intellectum, qualia in ſe reuerà eſſent. Quamuis præter ſpecies illas velut angelicas, dici poſſit cum probabilitate, ex communi ſenſuum externorum operandi modo, & eorum experientiis conſequenter acquiſitas ipſi fuiſſe ſpecies in ſenſu interno, atque in intellectu ſimiles illis, quæ nobis poſt externorum ſenſuum operationes relinquuntur. Atque in talium acquiſitione ſpecierum, videtur poſſe non abſurdè dici conſiſtere ſcientiam experimentalem, & acquiſitam, in qua, iuxta Lucam *cap.* 2. aſſeritur Chriſtus profeciſſe.

3. Quod attinet ad errores, quales nos in intellectu noſtro ex rerum difficultate, & ex diſcurſus infirmitate, rationumque fallentium ludibriis experimur; eodem negandum eſt modo eos locum in Chriſti intellectu habuiſſe, quo peccatum capite ſequenti in eius voluntate negabimus. Si verò loquamur de ignorantia puræ negationis, & quæ non ſit prauæ diſpoſitionis, neque cum errore, videnda ſunt, quæ de Chriſti ſcientia diximus *lib.* 8. ex quibus patet Chriſtum nihil eorum, quæ citra infinitatem vel futura vnquam, vel etiam poſſibilia ſunt, ignoraſſe, quantum accipere potuit intellectus humani capacitas, quod ſpectat ad quæſtionem de facto. Si autem quæſtio ſit de poſſibili, dubium non eſt, quin potuerit Chriſtus ignorantiam, quæ ſit puræ negationis habere, ſi Deus voluiſſet illi denegare verbi gratiâ, ſpecies rerum contingentium, aut rerum futurarum, neque dare cognitionem aliquarum poſſibilium. At verò ignorantiam prauæ diſpoſitionis, ſiue errorem non poteſt Deus cauſare in cuiuſquam intellectu directè, nec vllo modo etiam indirectè, aut permiſſiuè in intellectu Chriſti, vt iam dixi.

4. Quod intelligo etiamſi ignorantia illa prauæ diſpoſitionis, ſeu error nullatenus foret imputabilis ad culpam. Errorem enim qualemcunque in humanitate aſſumpta repetiri, abſurdiſſimum eſt. Ita enim poſſet dici, Verbum diuinum errauit ex ignorantia inuincibili, & inculpabiliter deceptum eſt: & vt paſſum eſt humanitatem aſſumptam decipi, ſic poteſt conſequenter per eam nos decipere. Sanè cùm Deus non poſſit falſum affirmare per alium, multò minùs poteſt ipſe affirmare per ſeſe. Poſſet autem falſum ipſe affirmare, ſi humanitatem ſuam erroneè ſentientem pateretur affirmare quod ipſa ſentiret. Atque ita Verbum vt homo non haberet infallibilem in loquendo authoritatem; nec ea, quæ reuelaſſet, poſſent indubitatè credi, vt de fide. Reiiciendum verò quod ad hoc ait Vaſques, Deum poſſe naturam aſſumere, quæ non authoritate polleat. Quamuis enim ſi naturam aliquam bruti, aut inanimem aſſumeret, nihil foret indecens in eo, quòd talis natura careret authoritate, cuius nempe eſt incapax: magna tamen foret indecentia in natura intellectuali. Neque audiendus Delugo, qui *diſput.* 21. *ſect.* 3. conſentiens Vaſqui, addit, non implicare quod Deus ratione naturæ aſſumptæ, haberet fallibilitatem in ſentiendo; & eatenus tantùm infallibilitatem in docendo, quatenùs poſſet impedire, ne priuatus illius naturæ error proderetur. Quod ſi non impediret, nullum etiam putat prædictus Author eſſe inconueniens, quòd Deus per communicationem idiomatum diceretur homines decipere materialiter, & non formaliter: decipere enim formaliter, eſt ſcienter dicere falſum. Deus autem in illo caſu non loqueretur ſecundùm naturam diuinam, ſed ſecundùm naturam humanam errantem, & ignorantem falſum eſſe, quod diceret; atque ita per illam naturam non dici poſſet ſcienter nos decipere. Verùm huiuſmodi ſubtilitates horum Authorum probare non poſſum, foret enim magna ipſius Dei imperfectio, quicquid foret imperfectio, & probrum eius naturæ, quam aſſumpſiſſet. Si naturam exempli cauſâ, aſſumpſiſſet talpæ, vel aſini, non foret

Digitized by Google

Deo indecens cæcitas, & aſinina ſtoliditas; cùm hæ imperfectiones non dedeceant tales naturas: foret tamen & cæcitas, & ſtoliditas tanta imperfectio Dei hominis, quanta humanitatis, cui & cæcitas, & ſtoliditas ſine probro conuenire non poteſt.

5. Stet igitur ex dictis, axioma illud, quo aſſeritur vulgò, Verbum aſſumpſiſſe omnia, quæ ſunt humanitatis noſtræ, præter ignorantiam, & peccatum, debere vniuerſaliſſimè intelligi de omni genere ignorantiæ, quæ ſit cum errore, quemadmodum de omni peccati moralis genere. Sanè omne genus erroris in quacumque materia etiam leuiſſima, & quamuis etiam eſſet vtile, talis eſt imperfectio naturæ rationalis, vt non poſſit admitti voluntariè ſine peccato, & voluntas teneatur illam euitare, non minùs, quàm teneatur cohibere motus inordinatos inferioris appetitus, ne inſurgant. Confirmatur: quamuis amentia non habeat de ſe malitiam moralem, quis tamen dicat hominem poſſe illam ſine peccato admittere, ſi impedire poſſet? Quis dicat humanitatem Chriſti potuiſſe licitè amentiam à ſe non arcere? atque adeò non fore imperfectionem indignam, ſi Verbum (cui incumbit humanitatem aſſumptam gubernare) in hac illam eſſe pateretur? Falſum igitur eſt, quod ait Delugo, nec amentiam, nec errorem habere in natura intellectuali malitiam moralem obiectiuam.

6. Neque concedo Vaſquezio, poſſe Deum eſſe Authorem erroris, qui ſit peccatum in nobis, ſecundùm expreſſam ſui, propriamque rationem; ita vt expreſsè velit illud, quod habet rationem formalem erroris, quatenus eſt malum pœnæ. Dico enim Deum permiſſiuè tantùm ſe habere ad errorem, quo vult aliquem hominem implicari, atque teneri in commiſſorum ſcelerum pœnam. Non concedo item potuiſſe Deum velle, vt aſſumpta natura eodem modo, quo cæteri homines erraret, ad hoc vt ita probaretur, eam eſſe verè humanam, noſtræque ſimilem naturam. Id enim medium ad eam rem cenſeri debet indignum Deo. Affirmo prætereà contra eundem Vaſquem implicare non tantùm, vt Deus ſit author erroris tanquam teſtificans per ſe, vel per alium; ſed etiam vt ſit eo modo ad errorem cooperans, vt illum velit expreſsè.

7. Cætera, quæ ad imperfectiones intellectus pertinent, & à quibuſdam hîc tractantur, expedita ſunt à nobis *lib.* 8. nec opus eſt in iis nunc immorari. Verbi gratiâ, vtrùm potuerit eſſe in Chriſto probabilis opinio, vtrum cognitio obſcura, an formalis diſcurſus; an euidentia, quam Chriſti aſſenſus habuerunt, potuerit aliquando non eſſe metaphyſica, ſed tantùm phyſica, hoc eſt, talis, vt abſolutè, licèt nonniſi ſupernaturaliter, poſſet eſſe cum falſitate, quale genus euidentiæ eſt, cùm iudico ſtupam, quæ in ignem iniecta comburitur, non ab alia cauſa, quàm ab igne inflammari, cùm tamen abſolutè poſſet à ſolo Deo actionem ignis ſuſpendente. Horum omnium reſolutio peti poteſt cùm ex dictis in hoc iam capite, tum ex iis, quæ diſputata ſunt *libro* 8.

CAPVT III.

Vtrum humanitas Chriſti habuerit in voluntate defectum aliquem peccabilitatis.

1. CVM antea *lib.* 9. impeccabilitatem in Chriſto reperiri, tanquam indubitatum ſuppoſuerimus, quando illam eiuſdem Chriſti perfectæ libertati, qua præcepto Patris obtemperauit, nequaquam repugnare oſtendimus, contentaneum eſt, vt nunc tandem ipſam ſtabiliamus, & quàm procul à Chriſto fuerit omnis peccandi poſſibilitas (quo maior in aſſumptæ humanitatis voluntate defectus eſſe non poteſt) demonſtremus. Agitandum igitur hîc occurrit, vtrum Chriſtus habuerit, aut habere potuerit aliquod peccatum. In qua quæſtione varij poſſunt eſſe ſenſus. Primò, vt quæratur, num Chriſtus commiſerit, aut committere potuerit aliquem actum peccati, perſeuerans in ſua diuina ſubſiſtentia, nec amittens propterea vnionem hypoſtaticam. Secundò vtrum ita peccare potuerit, vt illicò hypoſtaticam perderet vnionem. Tertiò vtrùm potuerit habere peccati, ſi non actualis, ſaltem habitualis maculam relictam in natura, quæ ante aſſumptionem peccaſſet, ſiue perſonaliter, ſiue originaliter. Quartò vtrum aſſumere potuerit naturam peccatricem, ita tamen, vt peccati maculam per aſſumptionem hypoſtaticam elueret.

2. Dico igitur primò. Chriſtus peccatum actuale neque commiſit, neque per potentiam abſolutam ita committere potuit; vt poſt peccatum vnio hypoſtatica perſeueraret. Prima pars indubitata eſt apud omnes catholicos, eamque clarè docet ſcriptura, *Ioann.* 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & *Hebræorum* 4. *Tentatum per omnia abſque peccato.* Item 1. *Petri* 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, & alibi ſæpiùs: quæ loca intelligi etiam debent de excluſione peccati originalis, de eaque manifeſtè ſumendum eſt quod Angelus dixit *Luc.* 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*, cùm ibi ſermo ſit de conceptione in vtero. Quare dubium non eſt, quin hæc prima concluſionis pars ſit de fide, ac totius fundamentum fidei. Fuitque quorundam hæreticorum horrenda blaſphemia, auſorum aſſerere, quòd Chriſtus in cruce lapſus ſit in quoſdam impatientiæ actus, imò & deſperationis, vt cenſuit nominatim Caluinus, &c.

3. Secunda pars concluſionis, quod vt non de facto, ſic nec quidem per potentiam abſolutam peccatum componi potuerit cum vnione hypoſtatica in ſummo gradu, ita certa eſt, vt ſine quadam impietatis ſpecie negari non poſſit; doceturque ab omnibus Theologis, præter Durandum *in* 3. *diſt.* 12. *q.* 2. & Scotum *eadem diſtinct. q.* 1. & Gabrielem *diſt.* 2. *&* 12. *q.* 1. Probatur primò authoritate Sanctorum Patrum, Auguſtini *lib.* 2. *de peccatorum meritis & remiſſione, cap.* 11. *Iob æſtimauit ſe terram, & cinerem*, inquit, *mente conſpiciens Chriſti iuſtitiam; in cuius non tantùm diuinitate, ſed neque in anima, neque in carne vllum potuit eſſe peccatum.* Cyrillus Alexandrin. *lib. de recta fide ad Theodoſium*, ſic habet: *An non apertiſſimum eſt, vnigenitum Dei filium factum eſſe hominem, quò nimirum animam humanam, poſtquam illam propriam ſibi reddidiſſet, ſuaque natura firmitate, & immutabilitate, perinde ac vellus colore, imbuiſſet, peccato ſuperiorem declararet?* Breuiter, atque dilucidè Nazianzenus *oratione* 36. *quæ eſt* 3. *de Theolog. Chriſti*

voluntas, cum tota deificata ſit, Deo proculdubio non aduerſatur. Hanc veritatem elegantiſſimè declarat ſic Origenes *lib.2. περὶ ἀρχῶν, cap.6. Anima Christi, quæ quaſi ferrum in igne, ſic ſemper in Verbo, ſemper in ſapientia, ſemper in Deo poſita eſt; omne quod agit, omne quod ſentit, quod intelligit, Deus eſt: & ideò nec conuertibilis, nec mutabilis dici poteſt, quæ inconuertibilitatem ex Verbi Dei vnitate indeſinenter ignita poſſedit: ad omnes denique Sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus eſt perueniſſe: in hac autem anima* (Chriſti) *ipſe ignis diuinus ſubſtantialiter requieuiſſe credendus eſt, ex quo ad cæteros calor aliquis venerit.* Hilarius *lib.1. de Trinitate* inter alia dicit, *ita repugnare Christo peccatum, ſicut repugnat Christum non eſſe Christum.* Egregiè in Anchorat. Epiphanius; *Si Christus supernè genitus eſt* (inquit) *à Patre, etiam natus eſt ex Maria, & supernè verax eſt, & infernè; & ſi ſupernè imperfectus eſt, & infrà imperfectus eſt; ſi verò ſupernè perfectus eſt, & infrà perfectus eſt: & non in alio perfecto habitauit, ſed in ſeipſum omnia perfecit.* Quibus vltimis huius loci verbis vult perfectionem diuinam, quam Chriſtus habuit ſupernè à Patre, non habitaſſe (vt in reliquis Sanctis) in humanitate, tanquam in alio, diſtinctoque perfecto; ſed Verbum humanitatem in ſeipſum perfeciſſe, hoc eſt, omnem, quam ei dabat perfectionem, ſic in ſeipſum reciprocaſſe, vt non eſſent duo perfecta ſuppoſita, ſed eadem eſſet hominis, Deique perfectio. Ex quibus Patrum teſtimoniis habetur, non modò nunquam peccaſſe humanitatem Verbo vnitam, ſed nequidem abſolutè fieri potuiſſe, vt peccaret.

4. Ratione item probare manifeſte poſſumus eandem veritatem. Primò quidem ex natura beatitudinis, & luminis gloriæ. Nam (quicquid in contrarium dicat Scotus *in 1. diſt. 1. quæſt. 4.* & *in 4. diſt. 49. quæſt. 6.*) beati, & videntes Deum ſunt impeccabiles. Atqui Chriſtus à primo conceptionis inſtanti fuit beatus. Hæc ratio conuincit, & omnibus eſt in promptu: neque illi obeſt, quod poſſet Deus in eo, qui beatus eſt, viſionem beatificam nolle conſeruare (hoc verbi cauſâ inſtanti) niſi ex intuitu charitatis actualiter elicitæ, ad quam ſcilicet eliciendam, ipſum ſub peccato obligaſſet: ſic nempe, vt cùm in eodem inſtanti temporis forent & viſio beatifica, & actus charitatis, ipſa tamen viſio eſſet charitatis actu poſterior, atque adeò non illum poſſet impedire, quominus liber eſſet, poſſetque cum peccato omitti: id, inquam, nobis non obeſt. Ad hanc enim obiectionem reſpondeo, poſſe quidem Deum cum Beato perſonam creatam habente ita ſe gerere, vt is liber eſſet ad eliciendum actum charitatis antequam infunderetur ei viſio beatifica, atque adeò poſſet in illo priori ſigno peccare. Sed nego huiuſmodi ſuppoſitionem locum habere poſſe in Chriſto: Non enim is pro illo priori, quod viſionis beatificæ infuſionem præcederet, peccare poſſet omittendo præſcriptum charitatis actum; quandoquidem in illo ipſo priori conciperetur eſſe perſona increata, & habere vnionem hypoſtaticam incompoſſibilem cum peccato, vt mox numero ſequenti dicam. Errant verò nonnulli, qui (vt refert Leſſius *lib.2. de ſummo bono, cap.23.*) putant Chriſti Deum videntis voluntatem fuiſſe ita diuinitus corroboratam, vt poſſet ſummo bono viſo, & ſe trahenti reſiſtere, & ab eius amore ceſſare, ac peccare. Hanc corroborationem, ſeu potiùs debilitationem voluntatis ideò inuentam, vt poſſet explicari libertas Chriſti mortem acceptantis, refutat fusè prædictus Leſſius; & nos ſuperiori libro reiecimus.

5. Secunda ratio, cur nullo modo poſſibile ſit in Chriſto peccatum reperiri, ſumitur ex vnione hypoſtatica per ſe ſumpta, & vt abſtrahente à beatifica viſione; per eam enim vnionem Chriſtus eſt naturalis filius Dei, ac per conſequens Deus; ergo quàm impoſſibile eſt Deum peccare, tam Chriſtus à peccandi poſſibilitate abeſt vi vnionis hypoſtaticæ. Dico autem non tantùm eſſe impoſſibile vt peccet per ſuam diuinam naturam, ſed nequidem fieri poſſe, vt peccet per naturam aſſumptam. Eſt enim etiam vt homo, & non tantùm vt Deus, naturalis filius Dei, cùm nequeat eſſe adoptiuus. Addo nec fieri poſſe, vt per communicationem idiomatum denominetur peccator; nam eam denominationem in Deo piæ aures ferre non poſſunt, ſed nec etiam doctæ; quandoquidem ea natura, quæ aſſumpta eſt hypoſtaticè, ita diuinizatur, & diuinitatis numine, ceu igne ferrum, penetratur, iuxta Sanctos Patres, quos ſupra retulimus, vt peccato coniungi non poſſit, & perdere ius ad gloriam, acquirereque reatum æternæ pœnæ. Quis non videat Chriſti humanitatem in eum ſtatum labi non poſſe abſque opprobrio Verbi illam moderantis? poſt vnionem enim hypoſtaticam, humanitas ita pertinet ad Verbum, vt ad Petrum verbi gratiâ, lingua ſua, oculus, manus, &c. Ergo ſicut Petrus debet impedire, ne lingua ſua, vel oculus laſciuè loquatur, aut intueatur, alioquin non lingua, nec oculus, ſed Petrus per linguam, aut oculum dici debet peccare: eodem modo ſi Chriſtus peccaret, non humanitas peccaret, ſed Verbum humanitate verè, & quodammodo pluſquam per communicationem idiomatum peccaret. Vt enim Petrus linguam ſuam, ſic & Verbum humanitatem ſuam debet moderari, ac regere.

6. Hanc conſiderationem, quod Verbum ita debeat humanitatem moderari, vt hac peccante, ipſum officio moderatoris non fungens peccaret, impugnat immeritò Vaſques. Aliunde quidem in eius principiis (exiſtimantis vnionem hypoſtaticam expellere formaliter peccatum eo modo, quo forma expellit negationem, & quo ſecundùm Thomiſtas gratia peccatum) bene probaretur non poſſe abſolutè peccatum conſiſtere cum vnione hypoſtatica, nec vllam requiri Verbi moderationem. Sed ea probatio cùm nitatur falſo principio, non poteſt eſſe bona. Eandem hanc conſiderationem non probabiliùs quàm Vaſques, impugnat Cardinalis Delugo, aſſerens voluntatem quidem hominis debere impedire ne appetitus ſenſitiuus operetur indecorè, quia eſt naturalis ſubordinatio inter illa duo; ſed ea non eſt inter aſſumens, & aſſumptum hypoſtaticè. Vt ſi per impoſſibile (inquit) homo, vel Angelus vniretur hypoſtaticè fluuio, aut leoni, is homo vel Angelus non teneretur impedire, ne fluuius inundatione, aut leo furore noceret populis. Hæc, inquam, ratio non valet: nam primò nec inundatio fluuij, nec furor leonis eſt peccatum; & nocumenta quæ inferrentur, non forent leoni, vel fluuio turpia, & reprehenſibilia: peccatum autem humanitatis aſſumptæ, eſt ipſi humanitati, atque adeò homini huic ſubſiſtenti per ſubſiſtentiam diuinam turpe, & reprehenſibile. Secundò aſſeri debet, aſſeritque Delugo, hominem vnitum fluuio, vel leoni habiturum obligationem impediendi, ſi poſſet, nocumenta: quæ ratio dictaret non debere fieri.

7. Tertia ratio ad probandam in Chriſto abſolutam, & omnimodam peccandi impoſſibilitatem, ſumi poteſt ex eo, quod, vt aliàs *lib.3. cap.7.* diximus, per vnionem hypoſtaticam diuinitas transfundat in humanitatem dignitatem infinitam; vnde à nobis *capite illo* 7. oſtenſum eſt manare valorem ſatisfactionis, & meriti infinitum; qui valor non poteſt ſeparari ab vnione hypoſtatica in natura aſſumpta intellectuali, quemadmodum in natura aſſumpta irrationali

Digitized by Google

irrationali non poteſt impediri genus aliquod ſplendoris, ac decoris infiniti: ea verò in humanitate ſublimitas ſacratæ, ſanctæque dignitatis (ob quã humani omnes actus Chriſti ſunt theandrici) non poteſt coniungi cum peccato, per diuinam etiam potentiam. Vnde apparet humanitatem vt affectam prædicta dignitate morali, & vt abſtrahentem ab omni phyſicæ perfectionis infuſione, eſſe impeccabilem ab intrinſeco. Quamuis enim voluntas Dei extrinſeca debeat peccatum impedire; illam tamen voluntatem, prouidentiamque Dei extrinſecam petit intrinſeca dignitas prædicta humanitatis. Neque dicas ex Concilio Chalcedonenſi contra Eutychetem, humanam naturam in Chriſto manſiſſe cum ſuis omnibus proprietatibus; Ergo cum peccabilitate. Reſpondeo enim peccabilitatem, quam habet ex ſe humanitas, eſſe vt poſſit peccare, quandiu non erit impedimentum peccati, & non ſuperabitur illa infirmitas, ſiue per corroborantem aliquam formam phyſicam, qualis eſt viſio beata, ſiue per extrinſecam Dei prouidentiam, volentis impedire, ne talis humanitas peccet, illam ſpeciali cura gubernando.

8. Contra ſuperiorem doctrinam Durandus *in 3. diſt.* 12. Scotus, & Marſilius *ibidem*, Gabriel *in 2. diſt.* 12. docuerunt non importari ratione vnionis hypoſtaticæ (quamuis ratione beatitudinis importari putarint) impoſſibilitatem, quominus Chriſtus abſolutè loquendo poſſet peccare. Primò quia Chriſti humanitas per vnionem (ſecluſis aliis donis ſupernaturalibus, quæ certum eſt poſſe per diuinam potentiam ſecludi) non eſt reddita ſapientior, aut minùs fragilis, quàm foret, ſi non haberet huiuſmodi vnionem. Ergo poterit cum vnione eodem modo peccare, quo ſi non haberet vnionem. Secundò ſi Chriſtus per humanitatem aſſumptam non poſſet peccare, hoc ideò eſſet, quia ſequeretur Deum peccare, at hoc non impedit, quia quemadmodum Deus per communicationem idiomatum dicitur mori, ita non foret abſurdum, quòd diceretur peccare, eſt enim par ratio: nam nec magis peccatum repugnat diuinæ bonitati, quàm mors repugnet diuinæ vitæ: nec Deus magis eſſentialiter eſt ipſa bonitas, quàm ſit ipſa vita, ſiue, vt ait Dionyſius *αὐτοζωή*.

9. Veruntamen hæc ſententia eſt pluſquam falſa. Atque ad primum argumentum reſpondeo: quamuis vnio hypoſtatica per ſe, ac formaliter, ſecluſis aliis donis ſupernaturalibus non reddat ſapientiorem, aut potentiorem humanitatem; tamen aſſero, quod conſequenter ad ipſam vnionem humanitas accipit primò eam dignitatem moralem, ſeu conſecrationem, quæ per diuinam potentiam nequeat coniunctionẽ habere cum peccato, & quidem per ſeipſam ſumpta & in caſu, quo per impoſſibile fingeremus illam ſublata vnione hypoſtatica perſeuerare in ipſa humanitate eo modo, quo in vaſe perſeuerat odor balſamo remoto. Impoſſibile fuit (ait Auguſtinus *libro de incarnatione Verbi*) vt anima Chriſti velut vas in quo ineſſet ſubſtantia vnguenti, contrarium reciperet odorem. Secundò, vnio hypoſtatica inuehit in humanitatem multa ſupernaturalia dona, per quæ redditur ſapientior, ac potentior, & inter alia dat ei ius (quo abſolutè carere non poteſt) ad prouidentiam ſpecialem, qua protegatur, & iuuetur efficaciter, vt nunquam peccet. Quæ prouidentia ſi aliquando ceſſaret, turpe foret Verbo diuino. Quemadmodum enim mea ratio tenetur appetitum meum ſenſitiuum moderari; quemadmodum item auriga debet equos, quorum curſui præfectus eſt, auertere à præcipitio; ita Verbum ex intrinſeca rectitudine naturæ ſuæ tenetur ad humanitatis quaſi manuductionem. Fundatur autem hæc obligatio (quam dico eſſe in voluntate diuina, vt ſpecialiter ad ſecundam perſonam pertinente; conſequenter tamen extenditur ad totam Trinitatem) in nexu hypoſtatico, qui tam arctus eſt, vt cùm phyſicè faciat vnum in duabus naturis verè diſtinctis perſonam, faciat etiam conſequenter, vt humanitas ſit moraliter velut aliquid diuinitatis, eo modo, quo paruus filius non facit aliquid à Patre diuerſum, & eo modo, quo inſtrumentum eſt aliquid cauſæ principalis.

10. Ad ſecundum argumentum Durandi, reſpondeo primò, non præcipuè propter inconueniens communicationis idiomatum repugnare quòd Chriſtus peccet: repugnat enim præcipue, ſicut dictum eſt, quia humanitas ſanctitatem habet diuini generis; & quia Verbum quodammodo formaliter, & velut citra communicationem idiomatum peccaret, turpiterque faceret, ſi humanitatem labi pateretur. Præterea dico inconueniens ipſum communicationis idiomatum (quę ſine dubio, quicquid in contrarium hallucinetur Marſilius, concedenda hîc foret) eſſe ſatis magnum, vt inficiemur poſſe Chriſtum peccare. Nec eadem eſt ratio de morte, & aliis malis pœnæ; hæc enim omnia, quamuis humanitatem phyſicè deſtruant, ac malè affliciant, non tamen illam reddunt abominandam, & damnabilem. Quare Deum per aſſumptam naturam mori, illudi, torqueri non repugnat: nec Verbum per ſeipſum peccare, aut ſuo muneri deeſſe cenſetur, ſi id per prouidentiam ſuam non impediat. Deum autem per aſſumptam naturam peccatorem conſtitui repugnat, idque perſona incarnata impedire tenetur. Quare ſi humanitas Chriſti peccaret (verbi gratia exardeſcens nimium iracundiâ) Verbum bis peccaret, nimirum & iracundiâ per ſuam humanitatem, communicationemque idiomatum; & negligentiâ per ſeipſum, quatenus officio regendi humanitatem deeſſet.

11. Quod vnioni hypoſtaticæ perſeueranti repugnet abſolutè humanitatem peccare, quibuſdam aliis probant nonnulli rationibus, quæ omninò ſint inualidæ. Sunt enim qui repugnantiâ in eo ponant, quòd peccatum non poſſit abſque miraculo ſimul exiſtere cum vnione hypoſtatica. Eſt autem impoſſibile vt Deus miraculum edat circa productionem peccati, & eius cum vnione hypoſtatica conſeruationem. Malè iſti ratiocinantur: nam ſi vnio hypoſtatica cum peccato eſſet, non foret miraculum in eo, quod peccatum cum vnione poneretur, ſeu quod peccatum introduceretur. Sed in eo dumtaxat miraculum à Deo eſſet, quòd vnio perſeueraret veniente, ſeu exiſtente peccato; non autem miraculum foret ex parte exiſtentis peccati, neque caderet in peccatum, ad cuius exiſtentiam Deus nihil ſupernaturale conferre poteſt. Hoc eſt, peccatum non eſſet miraculoſum, ſed miraculoſa eſſet vnionis hypoſtaticæ conſeruatio; quemadmodũ ſi Petro mortaliter peccante, Deus nollet in eo deſtruere gratiam habitualem, ab ipſo Deo non foret peccati exiſtentia, ſed ſola gratiæ extraordinaria conſeruatio. Non item bene probant Chriſtum eſſe impeccabilem Alexander, & Henricus. Alexander quidem, cùm aſſerit aſſumi non poſſe hypoſtaticè naturam humanam, niſi diſpoſitam à gratia iuſtificante, qualis nobis iuſtificandis infunditur, quam ille putat repugnare abſolutè peccato. Henricus verò cum ait non poſſe aſſumi naturam niſi habeat viſionem beatificam, quæ cum peccato ſociari non poteſt. Sed quod ad Alexandrum attinet, is & in eo decipitur, quòd opinetur Deum non potuiſſe aſſumere naturam, niſi affectam gratiâ iuſtificante; potuit enim irrationalem & inanimam: & in eo reiiciendus eſt, quòd velit gratiam abſolutè, formaliterque peccatum expellere. Henricus ſimiliter nec in eo eſt audiendus,

quod naturam cenſeat aſſumi hypoſtaticè non poſſe abſque viſione beatifica.

12. Dico ſecundò. Impoſſibile etiam fuit Chriſti humanitatem ita peccare, vt ſupponatur non manſuram fuiſſe vnionem hypoſtaticam ſimul cum peccato, ſed per peccatum in eodem ipſo inſtanti fuiſſe deſtinendam; quemadmodum de facto in aliis hominibus gratia habitualis in eodem inſtanti deſinit, in quo incipit peccatum mortale. Non exiguum eſt præcedentem inter conclusionem, iſtamque diſcrimen. In illa enim priore agebatur de Chriſti humanitate, quæ in ipſo actu peccandi vnionem hypoſtaticam haberet, atque ita non ipſa, ſed homo peccare diceretur, qui & Deus eſſet, poſteaque perſeuerante vnione, idem ille homo Deus perſeuerarer eſſe peccator, & culpæ reus, ac pœnæ. Qua in re maior quidem apparet abſurditas, quàm dum in præſenti concluſione peccare ſola concipitur humanitas, vnionem dum peccat non habens. Quare non videtur iſta concluſio tam certa eſſe, ac præcedens; eam nihilominus aſſero eſſe veriſſimam; quam Suares quidem hoc probat argumento, quia nempe cùm omnis operatio præſupponat aliquod ſuppoſitum, oporteret in præſenti caſu, vt Chriſti humanitas haberet ſuppoſitum in eo inſtanti, in quo peccaret. Quærit ergo prædictus Author, vtrum pro eo inſtanti humanitas habitura eſſet ſuppoſitum increatum, an creatum? Si increatum, ergo contra ſuppoſitionem habet tunc vnionem hypoſtaticam, nec cum primo eſſe peccati eſt primum non eſſe vnionis. Si creatum, ergo vnio hypoſtatica non deſinit vi peccati: nam in priori ante peccatum humanitas terminabatur creata hypoſtaſi, ergo impoſſibile eſt humanitatem Chriſti ſic peccare, vt in eodem inſtanti perdat vnionem hypoſtaticam. Hæc Suares *diſp.* 33. *ſect.* 2. circa quæ tamen eſt aliqua difficultas.

13. Nam iuxta meliorem ſententiam, quam probauimus, & explicuimus *lib.* 7. *cap.* 1. & 2. ratio ſuppoſiti creati conſiſtit in totalitate naturæ alicuius, hoc eſt, in eo ſtatu, in quo natura exiſtat ſeorſim, ac per ſe ſola, & velut ſui iuris, ac nominis; ita vt non pertineat ad aliquod aliud totum: quam totalitatem naturalem humanitas non poteſt perdere niſi per vnionem hypoſtaticam, per quam incipit velut aliquid incompletum pertinere ad Verbum, quod eam trahit ad ſe, velut partem ad totum. Vnde euidens eſt, quod ſi Chriſti humanitas ſupponeretur peccare, ita vt eodem temporis inſtanti (ſed ratione poſteriùs) perderet propter peccatum commiſſum vnionem hypoſtaticam; non poſſet intra illud temporis inſtans in priori, quàm peccaret, nec habere vnionem hypoſtaticam (cum ſupponamus hanc in eo inſtanti deſinere) nec item ipſam ſic amiſiſſe, vt ſuam totalitatem naturalem habere inciperet, cùm ſupponatur vnionem ab ea non amitti niſi propter peccatū, ſiue in poſteriori poſt commiſſioné peccati. Ergo (vt ei ſatisfiat, quod Suares in ſuo argumento aſſumebat, & quærebat) humanitas pro illo priori ita ſe haberet, vt neque increatum, neque creatum haberet ſuppoſitum, Deo ſcilicet ſuſpendente in illo priori ſigno conſeruationem, vel deſtructionem ipſius vnionis, donec ſe ad peccandum, vel non peccandum determinaret voluntas humana. Fateor quidem, ſi ageretur de inſtantibus temporis, non de ſignis, aut inſtantibus rationis, humanitatem non valituram operari, niſi habeat vel vnionem hypoſtaticam, vel ſuam totalitatem, naturalemque ſubſiſtentiam. In nullo enim inſtanti temporis dari poteſt ab vtraque ſuſpenſio; poteſt tamen in inſtantibus rationis. Atque hæc omninò clara ſunt, ac Suaris argumentum omninò diſſoluunt, & eneruant in ea ſententia, quæ naturalem humanitatis ſubſiſtentiam ponit in totalitate quæ ex vnionis defectu per ſeipſam reſultat.

14. Addo, quod æquè inualidum eſt Suaris argumentum in illa etiam ſententia, quam ipſe defendit, ponens rationem ſubſiſtentiæ creatæ in modo ex natura rei diſtincto. Siquidem ipſe in Metaphyſicis *diſp.* 23. *ſect.* 7. *n.* 15. aſſerit naturam (putà humanitatem) poſſe per diuinam potentiam conſeruari abſque modo illo, ſeu ſubſiſtentiæ entitatula; & in illo ſtatu poſſe operari perinde ac ſi haberet verè ſubſiſtentiã: neque tunc opus eſſe vllo Dei extraordinario concurſu ad operandum, quia in tali operatione nihil eſt, inquit, ſupernaturale, cùm ſemper maneat in natura vt carente ſubſiſtentia principium per ſe neceſſarium, ac ſufficiens ad agendum. Dico autem, quod hac poſita ipſius Suaris doctrina, ſtare non poteſt argumentum, quo in præſenti negat poſſe Chriſti humanitatem etiam per diuinam potentiam ſic permitti peccare, vt per peccatum amittat in eodem inſtanti vnionem hypoſtaticam. Patet enim ex iam dictis, falſum eſſe id, quo nititur principium, nempe omnem operationem præſupponere abſolutè aliquod ſuppoſitum, atque oportere in caſu præſenti, vt humanitas, ſi peccaret, præhaberet vel increatum, vel creatum ſuppoſitum.

14. Ratio qua vtitur Vaſques *diſp.* 61. *cap* 7. ad probandum, quod nequeat humanitas Chriſti ſic peccare, vt per ipſius peccatum vnio hypoſtatica ſtatim diſſoluatur, non mihi magis placet, quã illa Suaris reiecta. Illo enim capite ſeptimo (vbi prædictam Suaris doctrinam impugnat) affert ipſe rationem hanc ſuam: quoniam, inquit, non ita ſe habet gratia vnionis in Chriſto, quemadmodum gratia adoptionis in nobis; hæc enim ſubiecta eſt noſtrorum exercitationi operum, cùm per bona opera poſſit & acquiri, & augeri; vnde mirum non eſt, ſi per mala itidem opera poſſit amitti. At verò gratia vnionis eſt talis, vt ex ſua natura, & non tantum ex inſtitutione libera Dei ſit omninò independens ab exercitatione operum, ita vt quamuis homo creſcat operũ exercitatione, tamen in eo genere ſanctitatis, quæ prouenit ex vnione nihil creſcat, ideoque gratia vnionis, quæ eſt deificatio, meritò dicatur gratia, & ſanctitas naturalis. Quamobrem illa ſe habet reſpectu potentiæ peccandi eo modo, quo Dei viſio clara. Huic argumento Vaſquis, quod deſumptũ eſt ex Dionyſij Alexandrini epiſtola quadam contra Paulum Samoſatenum, facilè reſponderi poteſt, vnionem hypoſtaticam non ſubiici quidẽ ex natura ſua operibus humanis, vt per ea vel acquiratur, vel deſtruatur; nihilominus fieri poteſt, vt diuina potẽtia pro ſuo arbitrio ſubordinet ipſam vnionem (itemque viſionem beatificam) operibus, ita vt per bona in priori elicita acquiratur, per mala verò, niſi aliud vetet, amittatur, ſi nollet eam in hoc verbi causâ, inſtanti concedere, vel conſeruare, niſi ſub conditione, quòd in priori naturæ non peccaret. Et ſanè clarum eſt, quod ſi humanitas ſupponeretur peccare mortaliter, Deus non pati deberet in ea perſeuerare cum peccato vnionem, qua illa deificaretur. Itaque conſtat, nequaquã hoc Vaſquis argumento benè probari, quòd humanitas Chriſti (niſi alia ratio validior afferatur) nequeat eo modo peccare, vt vnio hypoſtatica (Deo nec volente, nec debente ipſam conſeruare) ſtatim deſinat, nec perſeueret cum peccato.

16. Cùm, vt vidimus, duorum huiuſmodi ſummorũ Theologorũ vti nequeamus argumentis ad ſecundã hanc noſtrã probandã concluſioné, neceſſe eſt vt illius aliunde probationé quæramus. Ac primò petendum eſt argumentum ex eo quod *n.* 5. ſuperiùs diximus, humanitatem poſt vnioné ita pertinere ad Verbum, ſicut ad quemlibet hominem pertinent ſua membra: quare

Digitized by Google

quare vt vnuſquiſque homo tenetur impedire ne membrum vllum ſuum turpiter operetur, ne laſciuè exempli causâ vel intueatur oculus, vel loquatur lingua, &c. ſic Verbum regere debet humanitatem, quam ſuam hypoſtatica fecit vnione; cùm enim eam, vt ad eſſendum haberet, poſſidendam accepit, eandem ſimul neceſſariò vt ad operandum dirigeret, gubernandam ſuſcepit. Ex quo fit, vt ſuo deforet officio, ſi eam, quam plenitudo diuinitatis inſidet, ita peccare pateretur, vt eam ſtatim cogeretur abs ſe per deſitio nem vnionis amandare, ac de tantæ dignitatis gradu deiicere. Sanè ſi humanitas ſupponeretur peccaſſe, & ſuo peccato vnionem hypoſtaticam extinxiſſe, dubium non eſt, quin id in Verbi tale verteret opprobrium, quale à ſe diuina ipſius Verbi prouidentia debuiſſet auertere.

17. Neque dicas, in quo inſtanti humanitas peccaret, ipſam non ampliùs ad Verbum pertinere, vtpote vnione hypoſtatica in eodem inſtanti diſſoluta. Reſpondeo enim, quod intra illud inſtans temporis eſt inſtans rationis, in quo humanitas, priuſquam peccare intelligatur, intelligitur eſſe in actu primo; in illo autem ſigno, nondum eſt diſſoluta vnio, ſed tantùm eſt ſuſpenſa, cùm non diſſoluta intelligatur, niſi poſtquam intelligitur commiſſum eſſe peccatum. Igitur humanitas in eo rationis ſigno concipi non poteſt Verbi exempta dominio. Prætereà non conſiderari debet hîc Verbum in eo dumtaxat inſtanti, in quo peccaret humanitas; quaſi tantùm tunc deberet illam dirigere. Debuit enim ante illud inſtans ipſi etiam conſulere, atque prouidere, ne ad peccandum deſcenderet, ac peccato ſuo vnionem hypoſtaticam perditum iret.

18. Argumentum item iſtud, quod addam, quamuis nouum videatur, non tamen videtur parum efficax: nempe quòd humanitatem Chriſti non modò conſeruata, ſed etiam diſſoluta vnione hypoſtatica peccare, poſſibile non ſit, quin illud peccatum, quod illa committeret, poſſit veriſſimè dici remanere habitualiter vt macula, ſeu reatus, & fundamentum diuini odij in illo ipſo individualiter homine, qui erat Deus, ſeu Verbum diuinum. Etenim quando vnione hypoſtatica deſinente, humanitas Chriſti inciperet habere creatam ſubſiſtentiam, negari non poteſt, quin variata ſubſiſtentiâ, idem perſeueraret homo qui exiſtebat ante, & qui Deus erat, ſeu Verbum diuinum. Et patet: nam quemadmodum intra Trinitatem variata hypoſtaſi, diuinitas, quia vna eſt, facit vt tres perſonæ ſint tantùm vnus individualiter Deus; ſic humanitas, de qua eſt ſermo, in duabus conſiderata ſucceſſiuè hypoſtaſibus, non poſſet niſi vnum individualiter hominem facere, vt faceret in duabus ſimultaneis hypoſtaſibus. Quo poſito clarum eſt, quod poſſet dici hic homo, qui iam eſt purus homo, & pura creatura, & peccator inuiſus Deo, æternæque damnationis reus, ille ipſe eſt homo, qui erat Verbum diuinum, & Deus. Quod quis non iudicabit indignum dictu, & quandam habens auram blaſphemiæ? Idque conſtat ex eo, quod ſi ſupponeremus incarnationem eſſe peccatum aliquod Verbi, negari non poſſet, quin Verbum incarnari foret magnum dedecus non tantùm ipſius perſonæ ſecundæ, ſed etiam primæ, & tertiæ: quatenus verum foret peccante Verbo eundem individualiter Deum, qui eſt ipſe Pater, & Spiritus ſanctus, peccare.

19. Nec quicquam obeſt, quòd in præſenti noſtra quæſtione ille idem homo Deus & homo peccator ſubſiſtentias duas non habeat niſi ſucceſſiuè; neque dicere poſſimus, ille idem ipſe homo, qui eſt Deus, peccat; ſed tantùm, ille idem ipſe homo, qui erat anteà Deus, & iam Deus non eſt, peccat. Dico enim quod id non impedit, quin homo iam peccator, & homo anteà Deus ſit idem individualiter homo. Quod per ſe patet, quantum cedat in dedecus Dei, quantaque ſit in Chriſtum contumelia. Confirmatur ex eo quod vulgò dicitur, cùm diſputatur de impeccabilitate Beatæ Virginis: dicimus enim eſſe indecens, & contumelioſum in Chriſtum, ſi aſſeratur eam ſubſtantiam carnis, & ſanguinis, quæ iam Chriſti eſt, & immediatè antè fuit Virginis ipſius, fuiſſe deteſtabilem carnem, & ſanguinem peccatricis. Quanquam enim ea ſubſtantia carnis, & ſanguinis per incarnationem mutauerit ſubſiſtentiam; tamen vel auribus pietas chriſtiana reſpuit, quòd poſtquam ea caro, quæ anteà erat Virginis, per mutationem ſubſiſtentiæ, conuerſa eſt in Deum (omnes enim veræ conuerſionis conditiones in ea mutatione reperiuntur) dicere poſſimus, hæc caro, quæ Chriſti eſt, & quam Dei numen habentem adoramus, illa eadem individualiter eſt, quæ infecta priùs erat peccato, & execranda Deo, ac deteſtabilis. Atqui non minus eſt inconueniens, ſi idem individualiter homo, qui fuit anteà Deus, peccato ſit nunc infectus, execrandus Deo, ac deteſtabilis.

20. Dico tertiò. Chriſtus non potuit in ſe maculam ſeruare habitualem peccati, quod ante humanitatis aſſumptionem ſupponeretur fuiſſe commiſſum ab ipſa humanitate, ſeu per propriam, ſeu per alienam (putà Adami) voluntatem. Concluſio eſt euidens. Primò quoad maculam peccati propria voluntate commiſſi: nam Chriſti humanitas per hypoſtaticam vnionem diuinizatur modo ſæpe à nobis explicato. Ergo poſt talem vnionem non poteſt diuina prouidentia permittere, vt verè ſit, & dicatur ob peccati habitualis maculam peccatrix, exoſa Deo, &c. imò & Chriſtum conſtituat verè peccatorem, exoſum Deo, &c. Quod attinet ad maculam peccati per alienam voluntatem admiſſi, hoc eſt, peccati originalis, valere etiam poteſt idem argumentum. Nam per peccatum originale Chriſtus redderetur verè peccator, exoſus Deo, & (quod horrendum dictu) membrum diaboli. Prætereà negatur à ſcriptura hoc genus peccati in Chriſto tanquam omninò ei diſconueniens, *Luc.* 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

21. Petes vtrum potuiſſet Chriſtus ſaltem ſeruare reatum pœnæ relictum à peccato, quod commiſſum fuiſſet à ſua humanitate, antequam ſibi eam vniret. Ad hoc reſpondet Suares affirmatiuè: ſed ego ita non auſim. Nam valde indignum eſſet Deo vt diceretur eſſe dignus vera pœna propter peccatum à ſua humanitate commiſſum. Quamuis enim Chriſtus poſſit habere debitum pœnæ pro peccatis aliorum, quando illud debitum ex charitate ſuſceptum eſt; non tamen ſequitur, quod poſſit habere illud tanquam effectum ſuæ humanitatis, & ab huius peccatis relictum, ac velut habens rationem proprij, innatique reatus. Quare ſi ſupponeretur humanitas in ſua propria ſubſiſtentia peccaſſe, deberet cùm aſſumeretur, ei condonari & culpa, & pœna ſui peccati, neque poſſet Chriſtus pro ea ſatisfacere, vt ſatisfecit pro noſtris debitis; ſic enim foret ſui ipſius redemptor. Petes item, vtrum in ſe poſſet Chriſtus ſuſcipere, aut relinquere in humanitate peccatrice à ſe aſſumpta malos habitus, & vitia ex peccatis per condonationem deletis reſidua. Reſpondeo non videri poſſibile, cùm enim teneamur omnes vitare quantum poſſumus vitia, non apparet cur Chriſtus ea vitare, à ſeque reiicere non debuerit: & quidem multò magis, quàm errorem in cognitione, quem tamen

Digitized by Google

ſupra negauimus poſſe ipſi Chriſto ſiue actualem, ſiue habitualem conuenire.

22. Dico quartò non videri poſſibile per abſolutam Dei potentiam, vt humanitas ſ, quæ in proprio ſuppoſito peccarit, aſſumatur à Verbo; etiamſi per aductum Verbi macula omnis habitualis eluatur per condonationem, & omnimodam deſtructionem eius. Huic aſſertioni aduerſatur Suares, qui licèt fateatur eſſe indecens, & ſecundùm ordinariam potentiam repugnans, non putat tamen abſolutè contradictionem inuoluere, vt Deus humanitatem iis aſſumat infectam peccatis, quæ in ipſo aſſumptionis inſtanti ſic deleat, vt nihil omninò culpæ relinquatur. Quin potiùs ait poſſe ad miſericordiam pertinere, quatenus bonitatis eſt diuinæ hominum peccatorum miſereri, eoſque à peccatis mundando, ſpiritualibus bonis cumulare: quod autem ſumma, & inſuperabilis non ſit hîc indecentia, poteſt inde ſuaderi, quia naturam aliquam fuiſſe olim peccatricem, nihil in illa poſt peccati perfectam remiſſionem relinquit præter denominationem extrinſecam.

23. Nihilominus ſufficiens ratio aſſertionis huius noſtræ ſumitur ex iis quæ ſuprà diximus *num.* 18. in probationem concluſionis ſecundæ. Cùm enim conſtet humanitatem, quæ ſit omninò vna, & eadem in duobus ſucceſſiuè ſuppoſitis, non facere duos homines, ſed indiuidualiter vnicum; atque ideò nos dixerimus *loco iam indicato*, eſſe impoſſibile, vt humanitas Chriſti peccet, ita vt per peccatum eius diſſoluatur hypoſtatica vnio; quia homo, qui diſſoluta vnione reſtaret purus, & ex diuino faſtigio depoſitus, & qui eſſet verè peccator, ac reus damnationis æternæ, non diſtingueretur ab illo homine, qui paulò ante fuiſſet Deus, & Verbum æternum, ac per conſequens vera foret hæc blaſphema propoſitio, quam Chriſtianæ aures ferre non poſſunt: Idem indiuidualiter homo, qui immediatè ante erat Deus, & æternum Dei Verbum, nunc factus eſt peccator exoſus Deo, & reus damnationis æternæ. Similiter cenſendum eſt in hac præſenti quæſtione eſſe perinde impoſſibile, vt humanitas, quæ in naturali ſuppoſito peccaſſet, aſſumeretur à Verbo, atque ita vnicus indiuidualiter homo eſſet ille, qui peccaſſet, fuiſſetque Deo exoſus; & ille, qui iam eſſet verè Deus: nec enim minùs offendit pias aures hæc propoſitio; Ille idem in indiuiduo homo, qui erat paulò ante peccator peſſimus, membrum diaboli, &c. conuerſus eſt in Deum, & nunc eſt Verbum æternum; quàm ſi dicamus inuerſis temporibus; Ille idem in indiuiduo homo, qui iam eſt Deus, & Verbum æternum, conuertetur paulò poſt in peſſimum peccatorem, & erit membrum diaboli, &c. Atqui iuxta ſecundam noſtram ſuperiorem concluſionem ferri non poteſt iſta poſterior propoſitio: ergo neque debet ferri illa prior, quam in hac tertia concluſione damnamus.

24. Non probamus concluſionem hanc noſtram argumento ſumpto ex abſurditate communicationis idiomatum, quam non nemo putare poſſet in contraria opinione reperiri; quaſi ex ea ſequeretur poſſe eodem modo dici, Deum eſſe peccatorem, quo poteſt dici eſſe paſſibilem, paſſum, mortuum, &c. Non inquam periculum foret veræ communicationis idiomatum, licet vnus, & idem homo, qui primùm peccaſſet, eſſet poſteà Deus. Neque valeret contra aduerſarios iſte ſyllogiſmus: Hic homo peccauit paulò ante: Sed hic homo eſt Deus: Ergo Deus peccauit paulò ante. Nulla enim eſſe poteſt vnquam communicatio idiomatum, quando non eſt multiplicitas naturarum in vnitate ſuppoſiti. Hîc autem è contra eſt vnitas naturæ in multiplicitate ſuppoſiti. Dico igitur quòd in ſyllogiſmo allato, medius terminus (*hic homo*) non diſtribuitur, & eodem modo ſe habet, quo (*hic Deus*) cùm ita dicimus; Hic Deus generat, hic Deus eſt filius; Ergo filius generat. Mutatur enim ratio ſuppoſiti, ſeu perſonalitas, quod non fit in communicatione idiomatum, vt conſtabit ex iis, quæ dicentur ſequenti libro, *capit.* 2.

CAPVT IV.

Vtrum Chriſtus ſuſceperit aliquem in appetitu ſenſitiuo defectum.

1. CIRCA ſenſitiuum appetitum, duo conſideranda occurrunt hîc Theologis. Prius eſt, num appetitus ille debeat in Chriſto dici fomes peccati. Alterum, quæ fuerint in eodem Chriſto paſſiones. Et quidem obſeruandum eſt primò quod ad fomitem attinet, non aliud eum eſſe phyſicè, entitatiueque ſpectatum, quàm ſubſtantiam ipſius appetitus ſenſibilis: hanc tamen per ſe, & ſimpliciter ſumptam non debere (quicquid Durandus aliter ſentiat) appellari fomitem. Nomen ſiquidem fomitis ſupra ſenſibilem appetitum ſonat aliquid aliud, non phyſicum quidem, neque noxiam aliquam qualitatem, vt nonnulli voluerunt, quâ ipſe vitietur appetitus; eam enim (quandoquidem in pueris infantibus fomes repetitur) à ſolo Deo in iis productam eſſe oporteret, quod repugnat. Et aliunde fictitia eſt illa qualitas, & ad miſeriam humani generis minimè neceſſaria. Fomitem igitur dicamus, ſi actualis quidem ſit, nihil aliud eſſe, quàm ipſos ab appetitu ſenſitiuo elicitos actus, provt rationem anteuertunt, & occupatam ad peccati conſenſum inuitant; ſi autem habitualis, nihil aliud, quàm ipſummet appetitum ſenſitiuum, provt ad prædictos actus paratum.

2. Obſeruandum eſt ſecundò, quod attinet ad paſſiones, quæ in appetitu ſiue concupiſcibili, ſiue iraſcibili reperiuntur, dubium eſſe poſſe, num omnes illæ, vel ſaltem earum aliquæ locum in Chriſto habeant: & num quæ in eo locum habent, pugnam talem internam excitent, qualem nos experimur, & qualem D. Paulus in ſe confitetur. Eſt verò nominatim apud Sanctum Thomam, alioſque Theologos diſputatio de quatuor iſtis, de dolore (ſeu triſtitiâ) de timore, de admiratione, & irâ, de quibus ſingulis breuiter dicemus infrà.

3. Dico primò non fuit in Chriſto fomes peccati. Eſt contra Durandum, qui *in* 3. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. vult fomitem peccati non eſſe aliud, quàm ipſam ſimpliciter ſubſtantiam appetitus ſenſitiui, provt circa obiecta ſua ſenſibilia verſatur: quare negat fieri poſſe manente appetitu ſenſitiuo, quin ſit fomes; vultque eum ligari tantùm poſſe, vel impediri ne operetur. Sed probatur concluſio. Nam fomes peccati, ſi ſumatur in actu ſecundo, eſt motus præueniens rationem, & tendens ad obiectum, quod non poteſt liberè acceptari, ſeu amari ſine peccato. Atqui nullus appetitus fuit in Chriſto præueniens rationem, ſeu libertatem eius: nullus item qui tenderet ad peccatum. Cùm enim ex dictis *cap. ſuperiori*, nullum potuerit in Chriſto eſſe peccatum, non decuit eſſe in eo motum, qui ſi liber eſſet, foret peccatum: non decuit Chriſtum iis obnoxium eſſe motibus, ob quos modeſti homines erubeſcunt. Addo nec appetitum ſenſitiuum præueniſſe vnquam in Chriſto rationem

per

Digitized by Google

per motus ad obiecta etiam innoxia, hoc eſt, indifferentia, ſed nec etiam ad honeſta, quia nempe appetitus in eo nunquam agebat niſi imperatus à ratione. Non audiendus itaque Delugo, cum tanquam certum aſſerit, potuiſſe de potentia abſoluta in Chriſto appetitum præuenire rationem circa obiecta non diſſona ipſi rationi. Quicquid ſit de potentia abſoluta, quam hic vix probo, nego fuiſſe conueniens, vt id accideret de facto. Peius eſt quod idem Author putat, non repugnare, quin per potentiam abſolutam humanitas Chriſti vel ob ignorantiam, vel ob amentiam, & delirium ea faceret, diceretve, quæ ſi liberè fierent, forent peccata, cùm habeant tantùm malitiam materialem, & obiectiuam. Abſurdè: nam hæc habent indecentiam indignam Chriſto: quid enim indignius, quàm in Chriſto ſupponere poſſibilitatem ignorantiæ, amentiæ, delirij, & conſequenter illum indecoros habuiſſe actus, aut habere potuiſſe?

4. Sed multò minùs, quàm præcedentia ferendum exiſtimo quod Vaſques *diſp.* 61. *num.* 45. & poſt hunc idem Delugo cenſent, non fuiſſe repugnantiam, quod concupiſcentia præuenerit (etiam citra ignorantiam, & delirium) in Chriſto rationem circa obiecta mala per tales primo primos motus, qui quòd indeliberatè fiant, non magis ſunt peccata, quàm in leone appetitus vindictæ, in equo ferocitas. Quare, vt hi actus non eſſent indecentes, ſi natura leonis, vel equi fuiſſet aſſumpta: ſic, &c. Falsò. Nam in aſſumpta leonis, vel equi natura tales actus non eſſent indecentes, nec aduerſarentur illorum naturæ, aduerſantur autem naturæ rationali. Neque fauet prædictis Athoribus Cyrillus *lib.* 10. *Theſauri, cap.* 30. cùm ait, *fuiſſe in Chriſto commotas paſſiones appetitus; non vt illum ſuperarent, ſed vt vincerent virtute inhabitantis Verbi.* Loquitur enim is Pater de triſtitia, vel timore mortis, ſimilibuſque affectibus innoxiis, quos non ab iis præuentus, ſed eos imperans, admiſit, vt haberet occaſionem patiendi; & vt oſtenderet in his naturæ veritatem humanæ. Hactenus probatum eſt repugnaſſe Chriſto fomitem conſideratum in actu ſecundo.

5. Quod non minùs repugnet ſumptus fomes in actu primo, ex eo probatur, quod (vt ſuprà dictum eſt) fomes habitualis, ſeu in actu primo ſit ipſe appetitus ſenſitiuus, non ſimpliciter, ſed vt paratus ad eliciendos motus illicitos, & habens omnia ad illos cauſandos prærequiſita. Dico autem appetitum in Chriſto nequaquam fuiſſe, aut eſſe potuiſſe ad tales motus paratum, & expeditum. Et quidem conſequenter fateri neceſſe eſt fomitem non modò ligatum fuiſſe, vt voluit Durandus, ſed omninò ſublatum, atque extinctum; hoc eſt, non modò impeditum peculiari Dei prouidentiâ, amouente occaſiones externas, ne inſurgeret illius operatio; ſed etiam ita ſubordinatum rationi, vt ne quidem (obiectis, occaſionibuſque ſe offerentibus) commoueri poſſet, niſi ad ipſius rationis imperium. Quod priuilegium nullus Chriſto denegabit, ſi attendat illud conceſſum fuiſſe Adamo ex omnium Theologorum ſenſu, necnon Beatiſſimæ Virgini. Prætereà fomes conſideratus in actu primo pendet à peccato originali, quod in Chriſto eſſe non potuit. Adde quod non potuit ibi eſſe fomes habitualis, & in actu primo, vbi appetitus ſenſitiuus ſubiectionem, & ſubordinationem ad rationem, & voluntatem liberam eodem modo habet, quo verbi gratiâ, potentia motiua, &c. Dubium autem non eſt, quin Deus potuerit ponere ſimilem quandam ſubiectionem in appetitu, & ſubordinationem ad rationem, libertatemque ipſius Chriſti.

6. Vigilabat ſemper Chriſti ratio, tum per indita variarum cognitionum genera, de quibus *lib.* 8. diſputauimus; tum per gratias præuenientes, tum per continuum præſidium diuinæ prouidentiæ, ſupernaturalem infundentis ſympathiam inter ſuperiores inferioreſque potentias, vt hæ ad illarum vel nutum operarentur, vel renutum ſuſtinerentur, in vtramque dociles partem. Vnde Chriſtum legimus ob mirabilem rationalis, ſenſitiuique appetitus concentum motus in ſe, affectuſque varios ſiue per imperium poſitiuum excitaſſe; vt *Ioan.* 11. *Turbauit ſemetipſum, &c.* ſiue permiſiſſe non impediendo, cùm poſſet; vt in horto, vbi cœpit pauere, & tædere, dicens; *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Mar.* 14. Denique lumen gloriæ, & beatifica fruitio (vt poſt reſurrectionem continget in omnibus Beatis) habebat in illo vim componendi per ſe omnem inordinatum appetitus affectum. Si enim ecſtaſis in via omnem motum inordinatum, quandiu ipſa durat, impedit; cur id non poterit viſio, & fruitio beata? Hæc non ſunt difficilia, & fundamentum habent in ſumma dignitate, & diuinizatione humanitatis aſſumptæ.

7. Dico ſecundò. Chriſti appetitus ſenſitiuus habuit eaſdem paſſiones, ſed innoxias, quas nos experimur, nec inter illas dolor, ſeu triſtitia, timor, & ira quicquam continent, cur ab eo excludantur. Hæc concluſio quæ eſt D. Thomæ *quæſt* 15. *art.* 4. *& ſeqq.* necnon omnium communiter Theologorum, non habet difficultatem quoad primam partem; niſi fortè nomen paſſionum quaſi imperfectionem quandam, & violentiam rationi illatam ſonans, diſpliceat; ac propterea malit quis ob maiorem erga Chriſtum reuerentiam, non paſſiones, ſed cum Hieronymo *in cap.* 26. *Matth.* propaſſiones nominare. Non videtur tamen negandum, quin per eas in Chriſto id permittere volente, cor ſenſibiliter alteraretur. Sanè certum eſt paſſiones non eſſe indignas Chriſto, cùm earum non paucæ Deo etiam aliquo modo tribuantur; & in nobis, quandiu non dominantur rationi, virtutibus ſeruiant: quia tamen poſt peccatum originale magnas vtplurimum turbas cient interiùs, vnde & à Latinis (vt paſſim apud Tullium occurrit) perturbationes appellantur; propterea illas in concluſione Chriſtum dixi habere innoxias, ſubque arbitrio ſubiectas eo modo, quo præcedens explicauit concluſio. *Chriſtus enim* (vt ait Auguſtinus 14. *de ciuit. cap.* 9.) *hos paſſionum motus certiſſimæ diſpenſationis gratiâ ita cùm voluit, ſuſcepit, ſicut cùm voluit factus eſt homo. Per eas verò paſſiones* (ait Hieronymus à Diuo Thoma relatus) *Dominus noſter veritatem aſſumpti probauit hominis, nec enim eas* (cùm ad humanitatis integritatem aliquo modo pertineant, velut quædam eius proprietates) *omittere debuit in quantum nihil habent repugnans rationi.* Quia verò dubium eſſe peculiare potuit de dolore, ſeu triſtitia, de timore, & ira; propterea de iis nominatim hic agimus cum aliis Theologis. Eæque faciunt ſecundam huius concluſionis partem, quam in iis ſingulis iam probo.

8. Dolorem fuiſſe in Chriſto, & quidem ſummum, de fide eſt; Chriſtum enim vocat Iſaias *cap.* 53. virum dolorum, idque conſtat ex tota paſſionis eius hiſtoria. Magnam verò neceſſe eſt, cum tot doloribus iunctam fuiſſe triſtitiam. Etenim dolor, vt ait Vaſqueſius ex ſententia medicorum, eſt ille actus vitalis, qui in membro læſo elicitur ab anima habens pro obiecto læſionem: quem actum ſequitur in ipſius animæ ſenſitiuo appetitu diſplicentia, ſiue triſtitia. Cùm ergo dicimur ſentire dolorem, intelligitur,

Digitized by Google

tur, quod per ſenſum internum percipimus externam ſenſationem, & in appetitu inferiori habemus diſplicentiam ſenſibilem, quam comitatur & ſpiritualis diſplicentia in voluntate. Quare non potuit Chriſtus patiens tot in corpore læſiones, & dolores acerbiſſimos, non ſummopere triſtari; vnde factum eſt, vt antequam in corpore læderetur, ex ſola dolorum apprehenſione dixerit, *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Triſtitiam item aliunde ſuſcepit, & quidem maiorem, quàm ex ſui corporis læſione: vt *Marci* 3. dicitur, contriſtatus ſuper cæcitate cordis Phariſæorum.

9. Difficultas eſt, quomodo potuerit eſſe ſumma triſtitia in Chriſto beato, & habente viſionem eſſentiæ diuinæ. Hac de re aliquid diximus aliàs, & errorem Cani reiecimus, dicentis *libro* 12. *de locis, cap.* 14. Chriſtum non habuiſſe tempore paſſionis fruitionem, & delectationem de Deo viſo, vt nempe locum daret ſummæ triſtitiæ. Non item ſatisfacit difficultati Sanctus Bonauentura, cùm ait, ſummam Chriſti delectationem, & ſummam triſtitiam non fuiſſe contrarias; quoniam vna erat velut materia, & obiectum alterius: poteſt enim aliquis ſic amplecti, velleque dolorem, atque triſtitiam, vt gaudeat de illa. Sed id non poteſt hìc applicari Chriſto, cuius delectatio, & lætitia beatifica erat de Deo clarè viſo; non autem de triſtitia, quam concipiebat ex proxima morte. S. Thomas dicit triſtitiam Chriſti, & delectationem fuiſſe reſpectu diuerſorum; hanc quidem fuiſſe de Deo viſo, illam autem de morte: quare cùm non ſint reſpectu eiuſdem, non eſſe contraria. Sed huic aduertatur, quòd certum ſit ſummam lætitiam incompoſſibilem eſſe cum ſumma triſtitia, de quocumque ſit tam illa, quàm iſta, obiecto. Suares, & Vaſques recurrunt ad Dei miraculoſam diſpenſationem, qua factum ſit, vt Chriſtus ſimul poſſet ſummè, & de ſummo bono lætari, & de morte imminente triſtari. Meliùs hæc difficultas videtur expediri, ſi, vt alibi explicuimus, conſiderentur in humana Chriſti voluntate duæ velut regiones; ita vt in ſuperiori fuerit ſumma lætitia, in inferiori, tanquam in diuerſo ſubiecto, ſumma triſtita, eo modo quo in intellectus ſummo apice reſidet viſio beatifica, & in inferiori eiuſdem intellectus parte locum habet ſcientia infuſa, &c.

10. Timorem in Chriſto fuiſſe, ſeu pauorem teſtatur Marcus *cap.* 14. *Cœpit Ieſus pauere, & tædere, & mæſtus eſſe.* Nec obeſt, quod timor ille Chriſti eſſet de morte certiſſima, & imminenti: quamuis enim timorem Ariſtoteles 2. *Rhetoric. cap.* 5. dicat eſſe de malo non certiſſimo, nec ineuitabili; eoſque qui ducuntur ad extremum ſupplicium non dici propriè timere, ſed triſtari: qui enim timent, inducuntur ex prædicto Philoſopho ad conſulendum de modo euadendi; nihilominus dicendum eſt, timorem quidem ſæpe inducere ad conſulendum; vt illum timorem verbi cauſa, quem habet vrbs aliqua, vel Reſpublica de aduentu hoſtium. At non omnis timor talis eſt, vt ſit eo modo efficax, & inducat ad quærendam viam euadendi: ſumi enim poteſt timor pro ſimplici quodam horrore futuri doloris, & ſic eſt de malo etiam ineuitabili, atque certiſſimo; reperiturque in damnatis rei capitalis, mortique addictis. Sic etiam videmus ægrotum, cui volenti, nec euadere quærenti abſcindendum ſit acerrimo cum dolore membrum putreſcens, gangrænaque tabidum, ad aſpectum chirurgi, & inſtrumentorum, quibus eſt excarnificandus, pauere, ac timorem concipere inefficacem, & quo non moueatur ad vllam conſultationem.

11. Iram denique potuiſſe in Chriſto reperiri & conſentiunt Theologi, & ipſemet Chriſtus oſtendit, quando indignans, & zelo accenſus vendentes eiecit de Templo, & nummulariorum menſas euertit, nec verbi quadam acerbitate abſtinuit, mercaturam illam vocans latrocinium, & exprobrans, quòd Templum verterent in ſpeluncam latronum; ita vt diſcipuli ad hunc repentinum animi æſtum cum admiratione retulerint ea Prophetæ verba, *Zelus domus tuæ comedit me.* Includit autem zelus aliquem iracundiæ motum. Marcus item *cap.* 3. teſtatur *eum fuiſſe ira commotum in Phariſæos; & circumſpiciens eos cum ira dicit homini, &c.* In hoc iracundiæ genere ſuſceptæ ad arcendas, vlciſcendaſque Dei iniurias clarum eſt eximiam, Chriſtoque dignam ineſſe laudem. Nam talis in ipſo Deo vera, & formalis ira, vt Suares, aliique multi cenſent, reperitur. Et quidem præcipuum opus, propter quod Verbum carnem ſuſcepit (mors ſcilicet crucis, & paſſio, in qua Chriſtus tanquam agnus mauſuetus apparuit immolandus) magnum in ipſo Chriſto fuit vt miſericordiæ erga homines, ſic & aduerſus humani generis hoſtes indignationis, iræque facinus. Quare deſcribitur ab Iſaia *cap.* 63. tanquam acerrima pugna contra ipſos humani generis hoſtes cum indignatione pugnata, quam ſequuta ſit valde iracunda victoria: *Calcaui*, inquit, *eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: dies vltionis in corde meo. Circumſpexi, & non erat auxiliator; & ſaluauit mihi brachium meum; & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi, &c.* Sanè cùm ad integritatem naturæ humanæ non minùs faciat appetitus iraſcibilis, quàm appetitus concupiſcibilis, nec minùs illius, quàm iſtius paſſiones poſſint vtiles eſſe ad virtutem; non magis conſentaneum fuit, vt iſte cum ſuis affectibus, motibuſque, quàm ille cum ſuis item affectibus à Verbo aſſumeretur.

12. Dico tertiò. Admiratio nihil in ſe continet, quo minùs in Chriſto locum habere potuerit. Quamuis admiratio non pertineat propriè ad appetitum ſenſitiuum, de quo diſputamus hoc capite; quia tamen eadem ferè ratio de illa eſt, quæ de affectibus vtriuſque appetitus, proptereà Diuus Thomas eam cum paſſionibus in præſenti coniungit; & concluſionem hanc noſtram (ſi Bonauenturam, & paucos alios excipias, quos Maldonatus ſequitur) Theologi communiter amplectuntur. Quam facile eſt probare authoritate ſcripturæ: teſtatur enim Matthæus *cap.* 8. expreſſis verbis, Chriſtum admiratione affectum fuiſſe: *Audiens*, inquit, *Ieſus miratus eſt.* Et *capite* 15. exclamatio qua vtitur Chriſtus admirationem prodit: *O mulier magna eſt fides tua.* Similem oſtendit admirationem in fide Centurionis, &c. Verùm vt intelligatur, quod genus admirationis, & quomodo in Chriſto reperiri potuerit.

13. Notandum eſt admirationem in nobis prouenire vtplurimum ex contemplatione rei, cuius vel ob nouitatem, vel ob ſummam excellentiam ignoremus, ſciteque aueamus cauſam. Cuius vim admirationis Philo Iudæus *in libro de mundi creatione per Moyſem expoſita* deſcribit, illuſtrique proponit exemplo: *Sapientem*, aſſerens, *dum admiratur cæleſtis pulchritudinis ſpectaculum, ſobria quadam mentis ebrietate corripi, & ad ſupremam rerum intellectualium hapſidem velle euehi; atque tenebricoſa nimia lucis vertigine circumactum, percelli deſiderio intuendi, velut perruptis naturæ finibus, quænam, & qualis tot mirabilium cauſa vltra cœlos lateat.* Μέθῃ νηφαλίῳ κατασχεθεὶς ἐνθουσιᾷ, γεμισθεὶς ἱμέρου πρὸς τὴν ἄκραν ἁψῖδα τῶν νοητῶν, καὶ εἰς τὸν μέγαν βασιλέα ἰέναι· ὡς ταῖς μαρμαρυγαῖς

διανοίας

Digitized by Google

θαυμασίας ἔργα ποιοῦσιν. Longè abſuit Chriſtus ab eo quod in nobis experimur admirationis genere, fundato in rei occurrentis excellentia, cuius cauſa ignoretur. Nullos ille nec naturæ, nec gratiæ, quorum cauſa ſe lateret, habere potuit occurrentes effectus. Nihilominus admiſit veram alioqui, propriéque ſumptam admirationem: ad hanc enim nulla eſt opus ignoratione; quemadmodum nec vlla ſubiectione, & quaſi humiliatione, qua is qui admiratur ſe coram obiecto humiliet, eique ſe ſubiiciat, vt voluere Vaſqueſius, & Delugo. Optimè D. Thomas *quæſt.* 15. *art.* 8. cenſet admirationem propriè ſumptam poſſe reperiri, licèt nihil aliud importet, quam nouitatem obiecti extraordinarij, & inexpectatam excellentiam habentis. Quam nouitatem Sanctus Doctor explicat reſpectu Chriſti in ordine ad ſcientiam experimentalem: quamuis enim per ſcientiam & beatam, & infuſam id omne, quod admirabatur, nouiſſet; reſpectu tamen ſcientiæ experimentalis (qua coràm noſcebat actus eorum, cum quibus verſabatur, poterant ei pleraque noua, & inſolita occurrere, quæ ſuperabant id quod ordinariè in aliis illius loci hominibus habebat ſenſuum experimento perceptũ.

CAPVT V.

Vtrum Chriſtus ſuſceperit veram, & propriam rationem ſerui reſpectu Patris.

1. QVANDAM in Chriſto reſpectu Patris reperiri ſubiectionem, ſecundùm quam huic in omnibus obtemperare debeat, indubitatum eſt: nihil enim habet huiuſmodi ſubiectio indignũ Chriſto, ratione naturæ aſſumptæ. Ac paſſim teſtantur ſcripturæ ipſum Patri iubenti paruiſſe, Patrem adoraſſe, oraſſe, illi ſe ſubmiſiſſe, necnon ipſe fatetur Patrem ſe maiorem eſſe, vbi notandum eſt, quòd licèt Chriſtus eo modo, quo eſt minor Patre, ſit etiam minor aliis duabus perſonis, non tamen (etiam cum illo addito quatenus homo) dici poteſt ſubiectus eſſe ſecundæ perſonæ, eſſe minor quàm ſecunda perſona, aut quam Verbum: quoniam illa loquutio videretur ſonare diſtinctionem ſuppoſiti, ratione cuius Chriſtus vt homo eſt idem, quod Chriſtus vt Deus; reduplicatione ſcilicet facta non in naturam, ſed in hypoſtaſin.

2. Dubitari tamen poteſt, vtrum id genus ſubiectionis quod in ſeruitute reperitur, conueniat ipſi Chriſto reſpectu Patris, ſeu Dei. Et quidem Vaſques tota diſputatione 8. fusè contendit non modò certum eſſe, ſed etiam ab Eccleſia definitum, quòd Chriſtus propriè non ſit, nec vocari poſſit ſeruus: eique conſentit Delugo *diſp.* 28. *ſect.* 3. Ex aduerſo Suares *diſp.* 44. Chriſtum propriè eſſe, ac vocari ſeruum, docet tanquam certum, nec dubitat, quin illud velut de fide recipiendum fuiſſet in ſcholis, niſi Adriani ſummi Pontificis, & Concilij Francofordienſis obſcuræ loquutiones fundamentum quoddam opinioni oppoſitæ dediſſe viderentur.

3. Iſti duo ſummi Theologi de nomine ferè ſolo diſputant, non conueniunt quippe in ſignificatione huius termini, *ſeruus.* Ponit Vaſques rationem formalem ſeruitutis in ea re, quam facilè Suares fatebitur non competere humanitati Chriſti, ſiue Chriſto vt homini; nempe in eo quòd aliquis ita ſit ſubiectus alteri, vt cum illo nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet: adducitque primò pro ſe Ariſtotelem, qui 1. *Politicorum*, *cap.* 13. ſeruum definit *eum, qui ſit alterius.* Et ſecundò probat, quia cæteræ omnes ſubiectionis rationes poſſunt eſſe ſine ſeruitute; nam & filius ſubiacet dominio Patris, nec ingenuitatem amitteret, licèt Pater, vt olim, haberet in eum vitæ, neciſque poteſtatem. Filius item non aliquod in rebus exigit habere dominium; imò iure naturali nullum habet de facto: nam bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia à iure Cæſareo introducta ſunt. Quare igitur filius non dicitur Patris ſeruus? nimirum hæc ſola quæ fuit adducta ratio, ſupereſt, quod non careat omni in bonis, & in honore patris communicatione. Suares verò ex altera parte rationem formalem ſeruitutis erga Deum conſiſtere dicit in omnimoda dependentia, ſubiectioneque ſpeciali, quam creatura omnis habet in ſui creatione fundatam; ita vt Deus eam deſtruere poſſit, eaque vti quocumque modo. Eam verò Chriſtum quatenus hominem habere dependentiam, nequidem Vaſqueſius negat; eumque dici ſeruum fatebitur, ſi illud ſit eſſe ſeruum. Tota itaque contentio inter illos Authores in eo poſita eſt, vtrum ſeruitus hoc, vel illo modo debeat definiri: & num hoc nomen, *ſeruus*, poſſit aptari illi ſubiectioni, de qua, quod ad rem attinet, nullus dubitat, quin Chriſto conueniat. Totumque fundamentum huius de nomine diſputationis eſt, quòd modum illum loquendi, quo Chriſtus dicitur ſeruus, Concilium Francofordienſe, & (quod magis eſt) Adrianus Papa damnaſſe videatur.

4. Dicendum eſt Chriſtum, quatenus hominem, propriè vocari, & verè eſſe Dei ſeruum. Ita D. Thomas *q.* 90. *art.* 1 *ad* 2. Paludanus, Caietanus, Durandus, Biſſolis, &c. quos ſequitur Suares. Probatur multis antiqui Teſtamenti locis. *Iſai.* 52. *Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde.* Vbi textus Hebraïcus habet עַבְדִּי, qua voce ſignificatur ſeruitus propriè dicta, humilis, & dura, qualis eſſe non ſolet ingenuorum, vt illius linguæ periti notant. Apud eundem Iſaiam plura ſunt ſimilia loca, quorum aliqua de Chriſto exponuntur in nouo Teſtamento, v. g. *Matt.* 12. exponitur verſus primus capitis 42. vbi, quamuis communis verſio Matthæi habeat loco ſerui puerum; tamen puer, quemadmodum Græcum *παῖς* pro ſeruo propriè dicto ſumitur: & textus Iſaiæ Hebraïcus æquiuocationem tollit, vbi etiam legitur עַבְדִּי; ibique verſio communis non habet puerum, ſed ſeruum. Pro noſtra concluſione faciunt pariter ea loca Euangelij, in quibus Chriſtus Patrem vocat Deum ſuum; ſicut enim nomen, *Deus*, ſignificat ſummum dominium, ſic etiam connotat in ſuo correlatiuo ſummam; propriamque ſeruitutem. Sanè *Matth.* 4. non modò Deum ſuum, ſed etiam Dominum ſuum videtur Patrem vocare, & ſe diſertè ſeruum, cùm ſcripturam malè à dæmone explicatam, ſcripturâ rectè adducta, ceu clauum clauo retundens, ait; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Item; *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Perinde enim eſt, ac ſi diceret adorandum ſibi eſſe Dominum Deum ſuum, & illi ſeruiendum; non ſibi tentandum eſſe Dominum Deum ſuum.

5. Secunda probatio peti poteſt ex Patribus, qui tot, tamque clarè ſententiam noſtram docent, vt vix maior in re theologica debeat expectari probatio. Illorum plura teſtimonia videre potes apud Suarem: Ego vnum, aut alterum proferam. *Quatenus in confeſſo eſt* (inquit Athanaſius *ſerm.* 3. *contra Arianos*) *eum hominem eſſe factum, nihil diſcrimen attulerit ſiue*

Digitized by Google

ſiue ſeruus, ſiue filius appelletur: omnes enim iſtiuſmodi voculæ in ratione humanitatis bene, & propriè competunt. Audi Chryſoſtomum *homil.* 7. in ea verba *Philipp.* 2. *Formam ſerui*, vbi ſic loquitur. *Sicut in forma Dei perfectus eſt Deus, ita in forma ſerui perfectus eſt ſeruus.* Auguſtinus *epiſtola* 178. *In qua infirmitate humanitatis, non ſolum ſubditum, ſed etiam ſeruum euidentiſſimè confitemur, ipſo dicente; Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Conſequenter ad illum Pſalmiſtæ locum ab Auguſtino allatum addere poſſumus, Chriſtum tam propriè fuiſſe ſeruum, quàm eius Matrem fuiſſe ancillam, qualem ſeipſa profeſſa eſt dicens: *Ecce ancilla Domini*: & *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Atqui in ea humilitate par fuit prolem eſſe, in eademque naturali conditione, qua Matrem: ſicut inter homines ius habet, vt partus ſequatur ventrum; neque is eximatur ſeruitute, qui matre eſt natus ancillâ.

6. Tertia probatio ſumitur ex ratione formali ſeruitutis, quæ non bene traditur à Vaſqueſio, quaſi conſiſtat in eo, quod aliquis ita ſit ſubiectus alteri, vt non veniat in communicationem bonorum, honorum, &c. Nam primo ciues ita ſubduntur Magiſtratui, aut vrbis Præfecto, vt non ſint eius ſerui, & tamen quot ſunt qui in bonis, & honore Conſulis, aut Præfecti non communicant? Secundò certum eſt communicationem, & quidem maximam bonorum, honoris, &c. compati ſeruitutem. Nos enim omnes valde communicamus per gratiam & gloriam bonis Dei, & tamen de fide eſt, nos illius eſſe ſeruos. Quod ſi reſpondeat Vaſqueſius, non quamcumque communicationem bonorum repugnare ſeruituti, vrget bene Suares illum, vt nobis dicat, quænam igitur, & quanta ſit illa bonorum communicatio, quæ ſerui conditionem mutat? Non video quid reſponderi poſſit: nam communicatio facta ſummo Angelo, imò, & Beatiſſimæ Virgini, licèt immenſa, compatitur conditionem ſeruilem, quam de fide eſt reperiri etiam in Virgine, quæ ideò ſe iure profitetur ancillam. Porrò nec Vaſqueſium Ariſtoteles ab ipſo adductus iuuat: nam eſto, qui ſeruus eſt, totus dicatur eſſe alterius, quid tum? Nonne & id conuenit filio, qui ſanè totus eſt patris? Quomodo Auguſtinus filium intra Trinitatem, etiam quà Deum, ait non eſſe ſuum, ſed totum Patris. Nec Ariſtoteles ibi mentionem facit communicationis bonorum, vt excluſæ per ſeruitutem.

7. Ex dictis ſequitur rationem formalem ſeruitutis poſitam eſſe in eo, quòd aliquis ſit totus alterius cum certa quadam ſubiectione humillima, & ea vilitate reſpectu domini ſui, quæ nec communicationem vllam in bonis, vel honore, vel ſecretis; nec vllam æqualitatem, vel familiaritatem, aut alia ſimilia, quæ neceſſariò in filiatione, & in amicitia reperiuntur, exigat, quantum eſt de ſe, & niſi aliud ſit: quamuis ea (ſi aliunde inducantur) non excludat, ſed compati poſſit, vt multis inter homines exemplis comprobatur. Quot enim legimus eunuchos, & verè ſeruos, nec manumiſſos, quos domini fecerint ſuorum & bonorum, & ſecretorum, & ſtudiorum, & negotiorum participes? Eoque pertinet quod in ſcriptura legitur & Ioſepho in Ægypto, & Danieli Babylone contigiſſe; cùm ille in ſeruitute, iſte in captiuitate, hoc eſt, mancipij conditione eſſet. Ad ſummum enim à Regibus dominis ſuis euecti fuere auctoritatis, honoriſque faſtigium, nec ideò ſuorum eſſe Regum ſerui deſiere.

8. Dico autem ſeruitutem ſic acceptam conuenire Chriſto ſecundùm naturam humanam, nec poſſe vllo modo ſeparari à conditione creaturæ, quæ traſcendentaliter ſummam dependentiam, & extremam præ ſuo creatore vilitatem, ſubiectionemque includit. Nec verò ſubſiſtentia Verbi, quamuis ipſa per ſe ſummam bonorum omnium cum Deo Patre communicationem, naturæque vnitatem exigat, impedit, quominus humanitatis innatam creaturis omnibus vilitatem Chriſto inuehat, huncque hominem perinde conſtituat vilem, atque mancipium reſpectu Dei, ac eundem conſtituit mortalem, paſſibilem, cibi ac potus indigentem, &c. quemadmodum regia dignitas, quæ Reges omnes independentes, ac eatenus inter ſe pares conſtituit, non impediebat quominus Ducatus Aquitaniæ inueheret Regi Angliæ quandam erga Regem Chriſtianiſſimum ſubiectionem, & clientelaris obſequij ſponſionem, illumque huius propriiſſimum vaſſallum conſtitueret eodem modo, quo ipſum, ſi Rex non eſſet, conſtituiſſet.

9. Supereſt, vt reſpondeamus ad Concilij Francofordienſis, & Adriani authoritatem, qua vehementiſſimis verbis damnantur Felix, & Elipandus Epiſcopi Hiſpani, quòd nomen ſerui dicerent Chriſto conuenire. Sic enim habet Adrian. in ſua epiſtola: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & (quod pudet dicere) ſeruum eum impij non pertimeſcatis venenoſa fauce ſuſurrare? Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles illum ſeruum nuncupare, qui vos de ſeruitute diaboli liberauit? Tales gratiarum actiones infelices ei refertis, vt qui vos honorificè liberos pretio ſanguinis fecit, eum vos iniurioſè adoptiuum, & ſeruum caninis non confundamini linguis latrare?* Hactenus contra Epiſcopos illos Pontifex. Concilium verò *in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ* ſic ait: *Intelligite in hac profeſſione veſtra duplices diabolicæ fraudis latuiſſe dolos, dum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem Deum colimus, & adoramus, ſeruum prædicatis, & adoptiuum.*

10. Reſpondeo: ſunt quidem nonnulli, qui epiſtolarum citatarum, & actorum illius Concilij veritatem in dubium reuocent, cùm ea non ita pridem in lucem ſuſcitata prodierint. Sed illis admiſſis vt veris, pro certo habendum eſt, aduerſarios peſſimè conſulere illius Summi Pontificis, Conciliique authoritati, dum contendunt ab iis fuſſe damnatum illum loquendi modum, quo Chriſtus ſecundùm naturam humanam in ſenſu à nobis explicato ſeruus Patris dicitur in ſcriptura, & qui paſſim vt talis vſurpatur à Sanctis Patribus, & ab omnibus Catholicis. Igitur indubitatum eſſe debet, Epiſcopos illos Hiſpaniæ, cùm damnati ſunt, quòd Chriſtum vocarent ſeruum, eam loquutionem in peſſimo quodam, & hæretico ſenſu, in quo ſolo reiecta eſt, vſurpaſſe.

11. Qui ſenſus hæreticus vt intelligatur, ſciendum eſt ex Baronio ad annos Chriſti 785. 792. & 794. necnon ex hiſtoria Hiſpanica, illos duos Epiſcopos fuiſſe Neſtorianos, & duas in Chriſto agnouiſſe perſonas, quarum vna, quam intelligebant nomine Chriſti, purè humana eſſet, eoque ſeruilis modo, quo nos ſerui ſumus poſt peccatum, licèt faterentur ipſam tandem euectam eſſe per adiunctionem diuinæ perſonæ; ratione cuius adiunctionis dicebant (vt expreſſis verbis habet Elipandus in ſua confeſſione) Deum in vna, eademque perſona Dei, & hominis eſſe deglomeratum, atque carnis veſtimento indutum. Quod non verè vnam hîc, eandemque perſonam, quæ ſimplex eſſet, intelligerent, conſtat ex immediate ſequentibus; addebant enim, non per illum, qui natus eſt de Maria Virgine, viſibilia, & inuiſibilia Deum condidiſſe, ſed per illum, qui

Digitized by Google

qui non eſt adoptione, ſed genere; neque gratia, ſed naturâ filius: & per eum, Dei ſimul & hominis filium, qui eſt adoptiuus humanitate, & non adoptiuus diuinitate, mundum redemiſſe. Ecce manifeſtè duas in Chriſto perſonas. Mirumque eſt Vaſquem in illis Elipandi verbis errorem non agnouiſſe Neſtorij; quem errorem, conſtat in illis duobus Epiſcopis agnouiſſe Adrianum, & Concilium Francofordienſe, quod contra illos diſputans, totum eſt in probanda vnica Chriſti perſona; ita vt ſit verè homo-Deus, & non deificus, Deus-homo, & non humanatus: *In Chriſto*, inquit, *duas credimus naturas, & tres ſubſtantias. Homo deificus, & Deus humanatus in confeſſione Nicani Symboli non inuenitur. Et cur non magis ſimpliciter, ſicut Sancti Patres dixerunt; Confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum verum, & verum hominem in vna perſona?* &c. Nec refert, quòd prædicti Epiſcopi, dum Neſtorij hæreſim per Hiſpaniam propagare contendunt, dicant aliquando vnam eſſe in Chriſto perſonam; id enim eodem modo fraudulenter faciunt, quo Neſtorium ipſum feciſſe teſtatur illud idem Concilium his verbis: *Neſtorius in ſuis expoſitionibus ſimulat ſe dicere vnum Filium, & vnum Dominum; ſed refert filiationem ad ſolum Dei Verbum. Videtur enim Neſtorius dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem.*

12. Ex his patet non audiendos eſſe Vaſqueſium, aliosque poſt ipſum quoſdam, vt Gaſparem, ac Petrum Hurtadum, Delugo, &c. Qui hos duos Epiſcopos hæreſi eximere voluerunt. Sanè ſi liberi fuiſſent ab hæreſi, nunquam illos, nec Pontifex, nec Concilium tam aſperè, acerbéque obiurgaſſet; cùm Felix quidem Vrgelitanus eſſet Epiſcopus, Elipandus autem Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniæque Primas. Denique cogitur Delugo *diſp.* 28. *n.* 28. euertere probationem totam ſuæ ſententiæ, faterique neque Adrianum, neque Concilium ſibi fauere: ſed videri ſupradictos Epiſcopos verè damnatos fuiſſe in ſenſu, quem nos intendimus, hoc eſt, vt hæreticos; non autem in ſenſu, quem intendit ipſe, nempe vt errantes in ſolo modo loquendi: aitque damnationem illorum ſignificare, atque ſupponere ipſos aſſeruiſſe, Chriſtum eſſe ſeruum, vt ſuppoſitum diſtinctum à Verbo, alioqui non potuiſſent reprehendi: nec enim ignorare poterat Adrianus, aliique Patres Concilij, Chriſtum à Sanctis paſſim Doctoribus Eccleſiæ, & in ſcriptura ſacra vocari ſeruum, ſalua vnitate ſuppoſiti. Quæ deinde *à num.* 3. per duas ſectiones Delugo fusè diſputat, ea ſupponunt notionem ſeruitutis, quam *num.* 3. ſupra attulimus ex Vaſqueſio: qua notione à nobis reiecta, & illa alia admiſſa, quam ibidem ex Suarez propoſuimus, concidunt omnia, quæ duabus illis ſectionibus præfatus Author diſſerit.

13. Ad eorum, quæ ſuperiùs dicta ſunt, confirmationem facit, quod tum Adrianus, tum Concilium, eam manifeſtè ſeruitutem, quæ ex peccato Adami contracta eſt, ſignificent à prædictis Epiſcopis adſtrui in Chriſto, quaſi in perſona ab Adamo cum ſeruilibus notis propagata. *Sed & hoc volumus à vobis audire* (inquit Concilium) *an Adam, primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus eſt, liber eſſet conditus, ſiue ſeruus? ſi ſeruus, quomodo tunc imago Dei? ſi liber, quare & Chriſtus quoque non ingenuus de virgine?* Et infra; *Vnde Adam ſeruus factus fuit, niſi ex peccato?* Eadem ratione & Adrianus. *Non veremini*, inquit, *illum ſeruum nuncupare, qui nos de ſeruitute diaboli liberauit? Nos per illum à ſeruitute liberati, non ille nobiſcum ſeruus*, &c. Vbi ſignificatur, illos eam ſeruitutem imputaſſe Chriſto, quæ contracta eſt per Adami peccatum, & per ipſum ſublata Chriſtum, quaque Adamus dum crearetur, caruit. Nullibi autem dicit, nec Concilium, nec Adrianus, eam ſeruitutem, quæ antecedit lapſum Adami, & quæ independens à peccato innata eſt omni creaturæ, amouendam eſſe à Chriſto vt homine; alioqui enim haud dubiè errâſſet; quemadmodum & in aliis rebus Concilium iſtud errauit, vt poſt Vaſquem fatetur Delugo *diſput.* 28. *num.* 28.

CAPVT VI.

Vtrum Chriſtus quà homo dici poſſit Filius adoptiuus? an verò, & quomodo Filius naturalis Dei?

1. CVM certum ſit ex vna parte contra Arianos, Verbum diuinum intra Trinitatem habere veram, ac propriam rationem Filij naturalis, conſubſtantialiſque Patri, & ex alia contra Neſtorianos, non eſſe in Chriſto Deo & homine, niſi vnicam Verbi perſonam, propter diuinitatis, humanitatiſque phyſicam, & hypoſtaticam vnionem, dubitari non poteſt, quin Chriſto homini conueniat eſſe verum, ac naturalem Dei Filium, iuxta illud *Luc.* 1. *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Poſita enim duplici illa ſuperiore veritate, cùm ob priorem quidem, Verbum Filius ſit naturalis, ob poſteriorem autem, homo ſit Verbum, neceſſe eſt, vt idem homo ſit & Dei Filius naturalis. Sed quærendum ſupereſt, num, qui homo ſimul eſt, ac Deus, rationem Filij naturalis habeat, non ſolùm quatenus Deus, ſed etiam quatenus homo formaliter, & non per ſolam communicationem idiomatum. Deindè verò quærendum etiam erit, qualis ſit illa filiatio, quæ Chriſto in quantum homini competere poteſt, adoptiuáne, an naturalis? Si verò naturalis, vtrum ea ſit reſpectu totius Trinitatis, an tantùm reſpectu primæ Perſonæ?

2. Aſſertio prima. Chriſtus non ſolùm abſolutè, ac ſimpliciter ſumptus, non item ſolùm in quantum Deus, ſed etiam cum hac reduplicatione, in quantum homo, dicendus eſt Filius Dei. Hæc aſſertio ſumitur ex Adriano Summo Pontifice, qui id infert ex eo, quod habetur *Romanorum* 8. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Apoſtolus enim teſtatur Chriſtum, proprium, ſiue naturalem eſſe Dei filium, prout fuit pro nobis traditus. *Atqui ſcimus*, inquit, Pontifex, *illum fuiſſe traditum, non ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm quod mori poterat.* Idipſum infrà colligit ex eo *Matthæi* 3. & 17. *Hic eſt filius meus dilectus.* Cùm enim id dicatur ibi de illo, ſuper quem in ſpecie columbæ deſcendit Spiritus Sanctus, interrogat ipſe Pontifex, ac petit, deſcenderitne columba ſuper Deum, an ſuper hominem: & ipſe reſpondet deſcendiſſe vtique ſuper Chriſtum ſecundùm quod homo eſt, non ſecundùm quod Deus, vt per ſe conſtat. Hæc item aſſertio, quòd Chriſtus in quantum homo ſit Filius Dei, clara eſt ex illis Angeli ad Mariam verbis. *Quod naſcetur ex te, vocabitur Filius Dei. Luc.* 1.

3. Aſſertio ſecunda. Chriſtus, in quantum homo, filius eſt naturalis Dei aliter, quàm per communicationem idiomatum. Huic aſſertioni aduerſantur poſt Ricardum *in* 3. *diſt* 10. *artic.* 2. Delugo, & quidam alij. Probari poteſt eorum ſententia ex Concilio

Digitized by Google

Concilio Francofordienſi, quod de Chriſto ſecundùm carnem ſumpto ait: *Si verus Deus, etiam eſt verus filius.* Vnde infert Delugo *diſp.* 31. *n.* 26. Ergo Concilium dumtaxat vult Chriſtum ſecundùm carnem eſſe filium naturalem, ſicut eſt verus Deus: Certum eſt autem, illum ſecundùm carnem non appellari verum Deum, niſi per communicationem idiomatum. Contra illam doctrinam eſt primò quod ipſe Delugo *n.* 22. fatetur hanc propoſitionem; *Chriſtus, in quantum homo, eſt filius naturalis Dei,* admittendam eſſe in ſenſu reduplicatiuo, non omninò improprio, ſi reduplicatio fiat non ſupra naturam, ſed ſupra ſuppoſitum, quod, homo includit. Ergo, inquam, falſum eſt, quòd, vt illi volunt, per ſolam communicationem idiomatum Chriſtus in quantum homo, ſit filius naturalis Dei: & patet, quod nomen concretum, *homo*, non ſolum includit naturam humanam, ſed etiam hypoſtaſin, quæ in Chriſto eſt filiatio æterna. Et quamuis Sanctus Thomas neget, concedendam eſſe ſimpliciter hanc propoſitionem, *Chriſtus, in quantum homo, eſt Deus:* concedi tamen hæc debet ſimpliciter, *Chriſtus in quantum homo eſt filius naturalis.* Ratio diuerſitatis eſt, quia cùm homo non ſonet deitatem, ſonat tamen ſubſiſtentiam, quæ eſt filiatio. Præterea ad huius noſtræ ſecundæ aſſertionis probationem, manifeſtum eſt, quòd quemadmodum gratia habitualis cauſat in nobis aliquam ſanctitatem, quæ coniuncta ſit cum Dei filiatione adoptiua, ſic gratia vnionis cauſat intrinſecè in humanitate Chriſti aliquam ſanctitatem, quæ neceſſariò faciat hominem Chriſtum eſſe filium naturalem Dei. Ac ſicut humanitas, ſi ſupponitur habuiſſe, verbi cauſa, albedinem, fecit Chriſtum eſſe album, quatenus hominem: ſic habens prædictam ſanctitatem, fecit illum in eodem rationis ſigno ſanctum, & filium naturalem Dei, quatenus hominem. Eſt porrò in humanitate ſanctitas illa quid morale infiniti valoris reſultans ex vnione hypoſtaſeos. Denique præſens aſſertio probata manebit euidenter ex ſequente. Cùm enim certum ſit Chriſtum, vt hominem, filium eſſe Dei; ſi non eſt adoptiuus, eſt neceſſariò naturalis aliter, quàm per communicationem idiomatum.

4. Aſſertio tertia. Chriſtus in quantum homo, non poteſt dici Dei filius adoptiuus. Ita Magiſter, Sanctus Thomas, & cum iis communiter alij Theologi, præter Durandum *in 3. diſt.* 4. *q.* 1. cum Baſſolis *ibidem*: quibus fauet Ricardus, & Scotus 3. *diſt.* 10. Probatur huius aſſertionis veritas, ex eo quod filiatio Chriſti diſtinguatur in ſcriptura à filiatione cæterorum cùm hominum, tum Angelorum, quos conſtat filios eſſe adoptiuos. Ita Chriſtus *Ioan.* 20. Quamuis loqueretur vt homo, ſuam filiationem à noſtra, quam reſpectu Dei habemus, filiatione ſeiunxit. *Aſcendo ad Patrem meum*, inquit, *& Patrem veſtrum.* Noluit dicere patrem noſtrum, quo modo filiationem ſuam cum noſtra, qua tantùm adoptiui ſumus, confudiſſet. Valet & illud *Hebræor.* 1. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen* (filij) *hereditauit: cui enim Angelorum aliquando dixit; filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rurſum, *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* Vbi Apoſtolus de Chriſto loquens vt homine, ſignificat eum nobiliùs participare filij nomen, quàm Angelos, qui filij ſunt adoptiui; & filiationem illius deſcribit iis verbis, quæ nullo modo conuenire poſſunt Angelis, à quibus vult illum eo ſuæ peculiaris filiationis nomine adorari intrantem in mundum, hoc eſt, in primo eſſe hominis. Eadem filij notione *Romanor.* 8. dicitur. *Proprio filio non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Appellatur nempe proprius Dei filius, hoc eſt, naturalis, & quidem vt homo, ac prout in mortem traditus. Eodem pertinet illud quod ſupra retuli; *Hic eſt filius meus dilectus*; vbi ſermo eſt de illo viſibili homine, ſuper quem columba deſcendit, tanquam de filio ſingulari.

5. Accedit & Sanctorum Patrum authoritas, quorum aliquos refert Magiſter, Suares *diſp.* 49. *ſect.* 9. & alij. Reliquis omiſſis hic vnus ſufficiat Ambroſius *lib.* 1. *de fide, cap.* 9. *Nos*, inquit, *filij per adoptionem, ille* (Chriſtus, nempe vt homo) *per naturam.* Præcipuè verò in hac materia profertur Adriani Papæ, & Concilij Francofordienſis authoritas, definientis in cauſa Felicis Vrgelitani Epiſcopi, & Elipandi Archiepiſcopi Toletani, non debere dici Chriſtum adoptiuum filium Dei. Quamuis enim certum ſit damnationem illorum hæreticorum accipiendam eſſe de ea ſolùm adoptione, quam ipſi (puta Neſtoriani, & perſonam in Chriſto creatam ponentes) de ipſo Chriſto perſonaliter, ſeu ſub ratione perſonæ accepto intelligebant: atque adeò nullatenus dicendum ſit, opinionem Durandi, qui Chriſtum, non ſecundùm perſonam, ſed ſecundùm naturam humanam acceptum, voluit adoptiuum eſſe eo modo, quo mortalem, quo mortuum, &c. fuiſſe damnatam. Dubium tamen non eſt, quin aliqua Concilium, & Adrianus habeant, quæ multùm Durando derogent.

6. Argumentari validè poſſumus etiam ratione. Nam de conceptu adoptionis eſt, vt is qui adoptatur, ſit perſona extranea, & non præſupponatur eius, à quo adoptatur, eſſe in priori filius, aut habere ius naturale ad eius hæreditatem; qualis perſona extranea reſpectu Patris dici non poteſt Chriſtus in quantum homo; cùm in primo inſtanti, quo per incarnationem exiſtentiam accepit, habuerit vnionem hypoſtaticam, & per hanc factus fuerit perſona diuina, atque de familia ipſa Trinitatis (ſi fas ita cum Zenone Veronenſi loqui) neque concipi poſſit fuiſſe priùs homo, quàm ſecunda Trinitatis perſona. Quare ſi talem hominem Deus Pater adoptaret, faceret eam perſonam eſſe filium ſuum, quæ iam filius ſuus erat; eumque faceret adoptiuum, qui iam erat naturalis, & qui iam non tantùm ius habebat ad omnia bona ipſius Patris, ſed & illa iam quodammodo poſſidebat; vtpote per vnionem hypoſtaticam, ex D. Paulo; *Conſtitutus actu hæres vniuerſorum.* Atqui ineptum eſt, nec in vſu poſitum, vt qui filius naturalis eſt, dicatur adoptiuus, cùm filiatio adoptionis non ſit aliud, quàm participata ſimilitudo, & velut adumbratio filiationis naturalis. *Non enim recipitur, aliquid dici participatiuè, quòd per ſe dicitur,* vt ſcitè pronunciat Diuus Thomas *quæſt.* 23. *art.* 4.

7. Obiicies. Eſto Chriſtus, ſeu hic homo, non ſit, vt probatum eſt, filius adoptionis; verumtamen humanitas in priori rationis exiſtens, aſſumitur per gratiam vnionis, & verè eatenus adoptatur, cum ſit natura omninò extranea, & bonorum Dei, ad quæ nullum ius habebat, fiat hæres. Reſpondeo per gratiam vnionis non fit adoptio, ſed traditio filiationis naturalis; ſitque ex abſtracto concretum, hoc eſt, fit homo, qui per diuinam perſonalitatem ſit ſecunda perſona diuina, & Filius Dei Patris. Adde quod, cùm humanitas, vt in priori rationis exiſtens, antequam aſſumatur, non ſit perſona, incapax eſt vt dicatur adoptari: per adoptionem enim (vt ex Iuriſconſultorum definitione patet) homines intelligunt acceptationem, non cuiuſcumque rei extraneæ, ſed perſonæ. Neque vſus fert,

vt

Digitized by Google

vt abſtractæ naturæ dicuntur filij, aut filiæ.

8. Vrgebis. Atqui humanitas Chriſti, prout concipitur exiſtere in priori rationis, quàm aſſumeretur, potuit deliberare, & à Deo petere, vt ſe adoptaret. Cumque id de Chriſto, vtpote qui non potuerit præexiſtere vnioni, id neget Concilium Francofordienſe, fideſque catholica, nullibi tamen id negatur de humanitate. Confirmatur: nam potuit humanitas obtinere in illo priori, & mereri de congruo infuſionem gratiæ habitualis, & ſanctificantis. In quo caſu habuiſſet formalem illius gratiæ effectum, qui eſt ſanctificatio, & filiatio adoptiua; vt patet in nobis, quos adoptiuos gratia conſtituit filios. Quo poſito ſequitur & ipſum Chriſtum (quandoquidem recipit omnia prædicata, quæ reperiuntur in humanitate aſſumpta) poſſe dici æquè filium adoptiuum, ac dicitur paſſibilis, mortalis, paſſus, mortuus. Reſpondeo: humanitas prout concepta in priori exiſtere ante vnionem hypoſtaticam, potuiſſet quidem & deſiderare, & per ſupernaturalem aliquem actum obtinere, mererique de congruo infuſionem gratiæ ſanctificantis; non tamen diuinam adoptionem, cùm non ſit, vt iam diximus, huius capax. Nec porrò adoptio eſt primarius, ac neceſſarius effectus gratiæ ſanctificantis, cum qua connexionem habet ex ſola inſtitutione Dei; eſtque aliquid morale longè quàm ipſa gratia præſtantius; neque poteſt recipi, niſi in perſona extranea, qualis non eſt neque humanitas in abſtracto, cùm non ſit perſona, neque homo Chriſtus, cùm non ſit extraneus. Quare nequidem loquendo de poſſibili, quicquam valet quod vrgebatur, argumentum quoad filiationem, adoptionemve humanitatis. Loquendo autem de facto, negandum eſt humanitatem accepiſſe gratiam ſanctificantem in priori, quàm vniretur perſonalitati diuinæ, vt docuimus aliàs. Non igitur humanitas, ſed homo (perſona nimirum Deo nequaquam extranea) infuſionem accepit gratiæ ſanctificantis, quæ cùm hominem illum inuenerit eſſe iam in priori per vnionem hypoſtaticam filium naturalem, non potuit ipſum defectu extraneitatis conſtituere adoptiuum.

9. Nihilominus gratia illa ſanctificans (quæ Chriſtum faceret filium adoptiuum, niſi eum inueniret eſſe iam naturalem) dat illi nouum titulum, & nouum ius ad hæreditatem. Atque adeò non videtur mihi eſſe inconueniens fateri, gratiam habitualem afferre quandam in Chriſto ſpecialem dignitatem aliquatenus ſimilem noſtræ filiationi, excepta ratione adoptionis, quæ nullo modo ipſi competit. Si inſtes, illam dignitatem, quæ fundatur in gratia habituali, & eſt poſterior filiatione fundata in vnione, debere eſſe vel adoptiuam, vel naturalem, dico ipſam debere vocari naturalem: gratia enim habitualis Chriſto eſt debita, & quodammodo naturalis; atque adeò omnis relatio, aut denominatio, quam ſecum trahit.

10. Atque ex dictis fundamentum omne Durandi, eiuſque ſequacium corruit, cùm ex eo, quod Chriſtus gratiam habitualem receperit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, ſic inferunt: Ergo quemadmodum noſtra nos facit filios adoptiuos, ſic & ſua Chriſtum vt hominem. Peccant hi Authores in eo, quòd non attendant eſſentiam adoptionis: ea enim locum habere non poteſt in perſona, quæ in natura hominis eſt eadem, quæ in natura diuina; ac per conſequens eſt Trinitati intranea. Vnde bene Concil. Francofordienſe ad Epiſcopos Hiſpaniæ; *Vnitas*, inquit, *perſona, quæ eſt in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit iniuriam.* Non validior eſt altera, qua Durandus vtitur, ratio, nempe quod cùm Chriſtus, vt homo, ſit Filius Dei, non poteſt eſſe niſi adoptiuus, quia non poteſt eſſe naturalis: nam vt homo non prodiit per æternam generationem. Reſpondeo filiationem Dei naturalem, quam Chriſtus habet vt homo, fundari non in generatione æterna, ſed in vnione hypoſtatica, vt probabitur aſſertione quarta; & eſſe relationem, qua Chriſtus ad Deum Patrem refertur, non velut ab eo genitus, vt homo, vera generatione; ſed velut habens vnitam ſibi perſonalitatem ab eius paternitate productam; atque ita poſſidens ius naturale ad hæreditanda bona illius, quod ex infra dicendis intelligetur meliùs.

11. Antequam hinc exeamus, petes, cur Chriſtum filium adoptiuum negemus eſſe, qui ſeruum antea eum pronunciauimus. Nam & Concilium Francofordienſe æquè vnum negat, ac alterum; & videtur eſſe vtriuſque par ratio: imò indignius apparet Chriſtum eſſe ſeruum, quàm filium adoptiuum, vt ex eo loquendi modo colligi poteſt, quo Adrianus vtitur contra Elipandum, & Felicem. Reſpondeo, diſcrimen eſſe in eo, quod ſeruitus ſit attributum connaturale humanitati (quemadmodum dependentia, quam eſſentialiter habet à creatore, & quemadmodum paſſibilitas, mortalitas, &c.) atque ſit attributum naturæ ſolius aſſumptæ; ita vt non includat, aut requirat perſonalitatis ipſius vilitatem, ſiue à Deo extraneitatem. Itaque non minùs dicere poſſumus, Chriſtum in quantum hominem eſſe ſeruum, quàm eundem dicamus eſſe creatum, eſſe mortalem, eſſe paſſibilem, &c. At verò nomen filij adoptiui reſpicit formaliter perſonã vt extraneam; eſt enim ſecundùm Iuriſc. adoptio, aſſumptio perſonæ extraneæ. Patet autem neſtorianum eſſe, quòd Chriſtus ſit perſona à Deo extranea. Quamuis porrò prædicta inter ſeruitutem, & adoptiui conditionem differentia ſit ex voluntaria hominum inſtitutione, ei tamen ſe SS. Patres accommodarunt. Addi debet hîc conſideratio ſuperiùs tacta, quæ locum non habet in ſeruitute: nempe quòd filiatio adoptiua oritur ex vnione hypoſtatica, vel ex gratia ſanctificante, ſeu habituali: atqui non ex vnione, hæc enim dando hypoſtaſin, dat formaliter filiationem naturalem: non item ex gratia habituali; hæc enim non datur niſi poſteriùs vnione, & poſtquam humanitas diuinam accepit hypoſtaſin: homo autem ex illa conſurgens, incapax eſt adoptionis, vtpote naturalis filius.

12. Cùm ex hactenus probatis habeamus, dici non poſſe Chriſtum eſſe filium adoptiuum, ſed dicendum eſſe, etiam quatenus hominem, filium naturalem, ſupereſt vt videre debeamus quodnam ſit filiationis illius naturalis fundamentum: deinde quem terminum reſpiciat illa filiatio, ſolumne Deum Patrem, an totam etiam Trinitatem; ità vt Chriſtus dicendus ſit totius eſſe Trinitatis filius naturalis. Sunt nonnulli, vt Petr. Hurtad. &c. qui putent ſimilitudinem illam Dei naturalem, ad quam *cap.* 1. *Gen.* creatus eſt homo, ſufficiens eſſe fundamentum, vt omnes poſſimus dici aliquo modo filij naturales totius Trinitatis, iuxta id, quod generationis definitio importat originem viuentis à viuente principio cum ſimilitudine. Verumtamen iidem fatentur, quod ſi de perfectiſſima filiatione loquamur, ad eam ſimilitudo qualiſcunque non ſufficit, ſed neceſſarium prætereà eſt, vt ſit origo à principio coniuncto: quæ coniunctio deeſt reſpectu Dei puris hominibus. Volunt Tamen illam in Chriſto inueniri, propter vnionem hypoſtaticam, quæ illi tribuit diuinam & hypoſtaſin, & naturam. Quare ipſum Chriſtum vt hominem totius aſſerunt eſſe Trinitatis propriiſſimè filium naturalem, ſecundùm quam ſententiam fundamentum diuinæ

Digitized by Google

-uinæ filiationis naturalis, & pluſquam adoptiuæ, quam in omnibus agnoſcit hominibus, eſt origo viuentis hominis à viuente Deo creatore, cum aliquali diuinæ naturæ participatione ſimilitudinaria: ſic tamen, vt in Chriſto homine perfectior ſit filiatio naturalis, accedente vlteriori fundamento, ſcilicet vnione hypoſtatica, importante altiorem quà ſimilitudinem, quà coniunctionem cum diuinitate. Sed reiicienda eſt omninò ea ſententia: nam Dei ſimilitudo, quam per creationem habemus, non eſt quid ſupernaturale: quare non eſt fundamentum niſi filiationis diuinæ, quæ ſit ordinis naturalis, neque det vllum ius ad ſupernaturalem hæreditatem. Et ſanè cùm leo, vel equus ſit viuens à viuente Deo, à quo ſuum eſſe viuentis cum aliqua Dei ſimilitudine poſſidet, ſequeretur quod aliquo modo poſſet vocari naturalis filius Dei. Quod ſi naturam leonis, vel equi Deus hypoſtatice aſſumeret, nihil deeſſet, quin talis leo, ſeu equus diceretur propriè filius naturalis Dei, non tantùm per communicationem idiomatum, ſed ſecundùm ipſam naturam bruti, eodem modo, quo Chriſtus ſecundùm naturam humanam; quod nullatenus ferendum eſt, quandoquidem nec filius, nec hæres eſſe poteſt ſine natura intellectuali: nam quemadmodum gratia, quæ nos facit filios adoptiuos Dei, ſi poneretur in leone, non conſtitueret eum filium adoptiuum Dei cum iure ad hæreditatem cœleſtem; ſic nec vnio hypoſtatica faceret eum filium naturalem aliter, quàm per communicationem idiomatum.

13. Aſſertio quarta. Fundamentum filiationis naturalis perfectiſſimæ, quam Chriſtus, in quantum homo habet, eſt gratia vnionis hypoſtaticæ, prout ſecum importat, & annectit humanitati generationem æternam, ſeu perſonalitatem ſecundam Trinitatis. Sumitur ex Diuo Thoma *quæſt. 39. art. 3.* vbi ait, Chriſtum non debere dici Filium Dei, niſi ſolùm ratione generationis æternæ. Atqui generatio æterna, quæ eſt ipſa hypoſtaſis, aut in hac includitur, non communicatur humanitati, ſeu Chriſto, in quantum homini, niſi per gratiam vnionis. Confirmatur: nam omnis filiatio naturalis debet fundari in generatione naturali. Ergo Chriſtus non poteſt eſſe filius naturalis Dei, niſi quatenus communicatur illi generatio naturalis diuina: hæc autem non communicatur niſi per vnionem ad humanitatem, vt iam dictum eſt. Ad huius aſſertionis probationem etiam facit, quod gratia vnionis ſit fundamentum iuris, quod Chriſtus habet, vt homo, ad hæreditatem Dei.

14. Vt intelligatur hæc aſſertio, notandum eſt, filiationem naturalem diuinam poſſe intelligi primò quidem propriiſſimè pro filiatione naturali, ac perſonali, qua conſtituitur ſecunda Perſona Trinitatis; & eo modo certum eſt Chriſtum non poſſe ratione humanitatis dici Filium Dei proprie per eſſentiam, & conſubſtantialitatem, ſicut eſt Filius ratione diuinitatis. At ſecundò naturalis filiatio diuina intelligi poteſt per vnionem hypoſtaticam, quatenus filiatio æterna, qua Verbum in Trinitate productum eſt, communicatur, & vnitur humanitati: tunc enim ex eo quod humanitas adiunctam, & vnitam ſibi habeat filiationem naturalem diuinam, debet conſtituere neceſſariò hominem in concreto, qui ſit filius naturalis Dei; per vnionem enim hypoſtaticam efficitur vt ipſa humanitas verè, ac propriè ſit ſubſtantialis natura filij Dei naturalis: ac per conſequens oportet Chriſtum vt habentem talem naturam eſſe Filium Dei naturalem.

15. Aſſertio quinta. Chriſtus, vt habens naturalem filiationem diuinam fundatam modo iam dicto in vnione hypoſtatica, qua humanitati connectitur ſecunda Trinitatis hypoſtaſis, & generatio æterna, non eſt eatenus filius totius Trinitatis, ſed tantùm Patris æterni. Probatur: nam ſecunda Trinitatis hypoſtaſis, ſeu generatio æterna in fieri, quam communicat humanitati, ſeu Chriſto vt homini, non habet relationem, niſi ad Patrem. Ergo conſtituit Chriſtum, in quantum eſt homo, Filium ipſius tantummodo Patris. Probatur item ex Diuo Thoma *quæſt. 32. art. 3.* vbi pronunciat, Chriſtum non debere dici filium, niſi ſolùm ratione operationis æternæ, ſecundùm quod eſt filius Patris, & ideò non eſſe dicendum filium Spiritus Sancti, aut totius Trinitatis. Item Concilium Toletanum II. in confeſſione fidei dicit, Chriſtum nullo modo dici poſſe filium Spiritus Sancti, ſed ſolius Patris. Explicatur. Humanitas quatenus habet hypoſtaſin, habet (quod idem eſt) generationem in fieri, quæ ſolùm reſpicit Patrem; illa enim hypoſtaſis includit fluxum à Patre, ſeu generationem paſſiuam in fieri: atque hinc fit, vt concretum ex humanitate, & tali generatione (nempe homo) ſit Filius æternus Patris, vtpote includens generationem æternam; non quaſi terminatam ad humanitatem, vt productam per illam, ſed quaſi coniunctam, & communicatam ipſi humanitati per vnionem hypoſtaticam.

16. Quare ſi Spiritus Sanctus aſſumeret humanitatem, cùm tunc humanitati non vniretur generatio, ſed ſpiratio paſſiua; talis homo (concretum ſcilicet ex humanitate, & illa tertia hypoſtaſi) non foret filius, ſed Spiritus Sanctus velut in fieri. Ille autem Spiritus Sanctus, foret quidem hæres, etſi non filius; latiùs enim patet hæres, quàm filius. Infertur quidem, ſi filius, & hæres: non tamen, ſi hæres, & filius. Si verò Pater aſſumeret humanitatem, hæc vniretur paternitati, ſeu generationi actiuæ, prout eſt in actu ſecundo, & eatenus concretum inde conſequens foret hæres, atque poſſet eodem modo dici Pater Verbi, quo nunc Chriſtus Filius Patris.

17. Aſſertio ſexta. Licèt, quatenus humanitas habet effectum formalem vnionis cum perſonalitate filij, ſiue (quod idem idem eſt) cum æterna generatione in actu ſecundo Chriſtus in quantum homo non ſit filius totius Trinitatis, ſed ſolius primæ perſonæ; & ad hanc habeat ſimpliciter perfectam relationem filiationis naturalis, atque eatenus tribui nequeat illi filiatio perfecta ad alias perſonas; tamen loquendo de filiatione minùs propria, minuſque perfecta, & conſiderando quod gratia vnionis facta eſt à tota ſanctiſſima Trinitate, dici poteſt Chriſtus, in quantum homo, eſſe filius totius ipſius Trinitatis. Nam vt nos, quòd à Deo, & creatore exiſtentiam, & ſanctificatore gratiam habitualem, ac ſanctitatem habeamus, filiationis relationem habemus ad omnes perſonas: ita debet eſſe idem de Chriſto, qui à tota Trinitate & exiſtentiam, & gratiam vnionis, ſanctificationiſque accepit; cum ea differentia, quod eius ad totam Trinitatem relatio non poteſt eſſe filiationis adoptiuæ, ſed filiationis ſpecialis cuiuſdam naturalis, cùm non ſit perſona extranea. Confirmatur: nam Chriſtus, quatenus in humanitate habet ius filiale ad hæreditatem, &c. id habet à tota Trinitate, & ius illud eſt ad viſionem totius Trinitatis.

18. Quamuis hoc ita ſit, eſt tamen (vt iam indicatum eſt) valde impropria, & imperfacta illa ad omnes perſonas filiatio, & ab alia mirabili, quæ fundatur in generatione æterna ita obſcuratur, vt præ hac vix debeat vocari filiatio. Vnde, vt vidimus,

Digitized by Google

dimus, Diuus Thomas, & alij negant debere vocari Chriſtum filium Spiritus ſancti, aut filium Verbi. Præſertim cùm quicquid gratiæ collatum eſt à Trinitate humanitati, proueniat quaſi formaliter à filiatione illa perfectiſſima, & æterna, quæ fuit ipſi humanitati vnita, & reſpicit ſolum Patrem.

CAPVT VII.

Quomodo Chriſtus, vt nos ſibi diuinitatis participatione ſimiles redderet, voluerit ſuſceptis naturæ humanæ defectibus ſimilis nobis eſſe. Moralis conſideratio.

1. CVM ea ſit veræ, perfectæque amicitiæ conditio, vt ſimiles, æqualeſque, ſi non inuenerit, faciat; & in ea, quam inter amicos inducit, ſimilitudine maximè eluceat, conſentaneum fuit, vt Chriſtus perfectiſſimam cum humano genere neceſſitudinem, amicitiamque iuncturus, in mundum introduceret admirandam duplicem ſimilitudinem; alteram quidem, qua nos illius ſimiles foremus diuinarum participatione perfectionum; alteram, qua ille noſtri ſimilis foret per humanorum ſuſceptionem defectuum. Atque ita myſterio incarnationis peracto, quemadmodum Deus fuit inuentus vt homo, ſic homines ſuo modo per gratiam inueniantur vt Dij. Quas porrò ex ſua diuinitate in homines Chriſtus perfectiones deriuarit, vt illos ſibi ſimiles, & quodammodo æquales faceret, nullus eſt, qui vel cogitatione, nedum ſermone, aſſequi poſſit.

2. Primò enim incarnati Verbi præcipuus effectus, maximuſque fructus eſt, quòd in nos diuinitatem transfuderit, & coniunctos in ſimilitudinem naturæ, fecerit eius eſſe filios adoptiuos, cuius ipſe naturalis eſt filius. Ex illa diuinæ ſimilitudine naturæ orta eſt & aliarum diuinarum ſimilitudo, participatioque perfectionum, cùm earum, quæ in intelligentia, tum earum, quæ in voluntate ſedem habent. Quod ad intelligentiam attinet, fatetur Dauid ipſius incarnati Verbi parens, *incerta & occulta ſapientiæ diuinæ ſibi ab illo manifeſtata fuiſſe*: ſperatque ſuo in cantico anima pia (vtpotè filia ſimul, & ſponſa eiuſdem Verbi incarnati) ſe recondita ſponſi ſui eruditione, doctrinaque inſtituendam. *Ducam te*, ait, *in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebis. Cantic.*8. Atque idem illud eruditionis, & doctrinæ genus, quod & Dauid accepiſſe ſe, & ſponſa ſperare teſtatur, nullus eſt, qui obtinere in tantum non poſſit, quantum ſe Chriſti diſciplinæ ſubmittere voluerit. *Non eſt ſponſus tuus arrogans* (inquit Hieron. ad Euſtochium) *ſtatim vt audire volueris ſapientiam veri Salomonis, confitebitur tibi cuncta quæ nouit.* Cui conſonat illud Baſilij *lib. de vera virginitate. Anima quæ Chriſto copulata eſt tanquam ſapientiæ Verbi Dei, ſponſa ſapiens, ac prudens ſit neceſſe eſt, vt ſapientia, cui coniuncta eſt, ornetur pulchritudine, donec æternam ſapientiam ſibi penitus iungat, vnumque cum eo, cui inhæſit, effecta, fiat ſapientiſſima, tanquam Verbi coſta.* Quod verò ad voluntatem attinet; ex prædictis intelligentiæ perfectionibus oriri aſſerit Origenes *homilia 2. in caput 25. Numerorum*, perfectiones eas voluntatis, quæ nos Chriſto faciunt eſſe conſimiles. *Dum anima adhæret ſponſo ſuo*, inquit, *& audit verbum eius, ab ipſo ſemen ſuſcipit, & inde naſcitur generoſa progenies, inde pudicitia oritur, inde iuſtitia, inde patientia, inde manſuetudo, & charitas, atque omnium virtutum proles veneranda ſuccedit.* Hactenus oſtenſum eſt, quomodo nos per incarnationem ſimiles Deo facti ſimus.

3. At non ſatis habuit Chriſtus nos ſibi ſimiles reddere, ſuarum facta communicatione virtutum, niſi & ſe mutuò nobis ſimilem redderet noſtrorum ſuſceptione defectuum. Et quidem primò, quantum illud eſt, quod noſtri ſimilitudinem appetens, in creaturarum ordinem ſe deponere voluerit, & ſerui accipiendo formam, vt Apoſtolus loquitur, *ſemetipſum exinaniuerit*, ſiue (vt loquitur Tertullianus) *ſemetipſum exhauſerit*? cùm enim plenitudinem diuinitatis, & omnem entitatis perfectionem ſeu formaliter, ſeu eminenter poſſideret in ſinu Patris, id omne quod erat, velut exuit in vtero matris, & ſe rebus omnibus ſola humanitatis ignobilitate contentus per incarnationem vacuum fecit. Modico quàm Angeli minoratus, nequaquam confunditur nos vocare fratres ſuos. Quoniam ergo nos omnes communicamus carni, & ſanguini, voluit & ipſe ſimiliter participare eiſdem. Vt paſſibilis poſſet pro nobis omnibus guſtare, & (vt ait Diuus Petrus) etiam deglutire mortem; & per ipſam mortem eum deſtruere, qui mortis habebat imperium, debuit planè per omnia, quæ humanæ naturæ communia ſunt, fratribus ſimilari. Quapropter & nutrimento ſicut & nos, indiguit; & laborem ſuſtinuit, & anxio fuit animo, & fleuit. Cunctas denique paſſiones, ac naturæ infirmitates admiſit, quæ neceſſariæ erant, vt & vitæ laborioſæ experiri poſſet ærumnas, & mortis acerbiſſimæ diritatem ſubiret.

4. Noluit igitur Chriſtus aſſumere corpus impaſſibile, ac cæleſte, quale Valentiniani finxerunt; ſed terreſtre, mortale, & ſicut in nobis eſt, paſſibile, fami, ſiti, frigori, æſtui, laſſitudini obnoxium; quod & virgis concidi, & ſummorum dolore cruciatuum confici poſſet, vt infirmitates noſtras iis ipſis, quas à nobis ſuſcepiſſet, infirmitatibus ſanaret, tentatus per omnia pro ſimilitudine, verumtamen abſque peccato. Qui enim peccatum in aliis aboliturus, extincturuſque venerat, quomodo in ſemetipſo peccatum tueri, fouereque potuiſſet? Sic eſſe voluit homo, vt diuinæ ſuæ dignitatis rationem habuerit: nec ita quod hominem deceret, ſuſcepit, vt quod Deum dedeceret, admiſerit. Itaque quemadmodum peccatum à ſe reiecit, ſic & omnem peccati cauſam: qualis eſt ignorantia, & in iudicando error, necnon in appetendo perturbatio, quæ rationem anteuertat, & obruat, peccandique ſit fomes. Qui enim lux erat vera, quæ illuminat omnem hominem, quique ad hoc venerat, vt mundo craſſis ignorantiæ tenebris circumfuſo cæleſte veritatis lumen præferret, non poterat in earum rerum, quarum ſcholam erat explicaturus, ignoratione verſari. Illi autem, qui locum habuere in Chriſto affectus iræ, audaciæ, timoris, triſtitiæ, &c. non fuere peccatorum illecebræ, neque tales, vt quemadmodum in nobis, aciem virtutis obtunderent, hanc in illo acuebant potiùs, & ad omnes honeſtos impetus rationi præſtò ſemper erant longè magis, quàm in Adamo fuerint nondum lapſo. Itaque cùm Apoſtolus ait, *Chriſtum fuiſſe tentatum per omnia*, nequaquam id genus tentationis intelligit, quod a concupiſcentia, ſeu ab interno, vitiatoque principio, ſed illud dumtaxat, quod ab externis cauſis oriretur, à Iudæorum ſcilicet nequitia, qui ſummam illius in docendo, moribuſque hominum componendis laudem inuidentes, clara eius facinora

maledico dente rodere non deſtiterunt, donec à populo tandem obtinuerunt, vt profuſis per ſeditionem clamoribus, & armata rogatione, mortem ei in cruce poſtularet inferri.

5. Quamuis autem neque ignorantiam, neque peccati fomitē, neque illos admiſerit defectus, aut morbos, qui tantùm in aliquibus oriūtur hominibus, ſiue ex intemperantia, ſiue ex cauſarum naturalium vitio, & imbecillitate; admirationem nihilominus magnam habet, quod, vt nobis ſimilis fieret, nullam carum repudiārit infirmitatum, quæ nobis omnibus communi naturæ lege conueniunt; quodque item ſe propter nos impiorum malitiæ, crudelitatique opportunum obiecerit, vltra omnes quodammodo ſapientiæ limites vi charitatis abreptus. *Ego in tantum dilexi* (ſic eum loquentem inducit Hieronym. *in cap. 9. Oſeæ) & tam demens paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis portarem, mea paſſione curarem.* Poterat & altiore, quàm Paulus myſterio dicere; *Placeo mihi in infirmitatibus meis propter vos; infirmitate potens ſum, factus ſum inſipient, vos me coegiſtis. 2. Corinth.* 12. Stupendæ planè in Deo viſum eſt genus inſipientiæ, quòd pro nobis reum ſe ſubſtituerit, non tantùm ad pœnæ ſolutionem, ſed etiam ad ipſius culpæ velut ſimilitudinem, & infamiam.

6. Certè illam culpæ velut ſimilitudinem fatebatur, cùm perſonam peccatoris in cruce ſuſtinens diceret; *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Fatebatur & ſuæ charitatis vitra ſapientiæ quodammodo leges exceſſum his verbis; *Deus tu ſcis inſipientiam meam.* Illud nempe eſt ſtultum Dei, quod S. Dionyſ. *epiſt.* 9. vocat τὴν φρενῶν ἔκστασιν καθ' ἣν Θεὸς ἐξήρηται τοῦ νοεῖν ὑπὲρ τὸ νοεῖν ὤν: hoc eſt, *dimotionem mentis, & ſenſus, qua Deus ab intelligendo deiectus eſt, omnem ſuperans intelligentiam.* O ſapientia in myſterio, quæ abſcondita cùm fuiſſet à ſæculis, & generationibus in Deo, prodididit ſe tunc maximè, cùm ſub peccatoris hominis ſimilitudine, & ſub integumentis myſticæ cuiuſdam dementiæ latuit! O Dauidem per inſaniæ ſimulationem ſaluti ſtudentem non ſuæ, ſed alienæ! O Noëmum vino amoris obrutum! eaque confectum crapula charitatis, quam nudus, nec ſatis decorè ante ſuorum oculos publico ludibrio expoſitus edormiuit, exhalauitque in cruce!

8. Cùm & Angelos, & homines attendo initium inde peccandi feciſſe, quòd Dei ſimilitudinem appetierint, non poſſum, quin admiratione defixus hæream tuum Chriſte conſilium intuens, quo per eam ipſam ſimilitudinem, ex cuius appetitione peccatum primò prodierat, peccatum ipſum exterminare, delereque volniſti. Nec poſſum quin ſtupiditatem hominum demirer, quòd poſtquam eſſe ſicut Dij, quando id optare ſine impietate non poterant, voluerunt; eam ipſam ſimilitudinem, in qua iam ſalus eorū vertitur, negligant; immemores nempe illius beneficij, quo tu naturæ humanæ defectus, noſtrique ſimilitudinem ſuſcepiſti; eamque ſpernentes gratiam, qua ipſi diuinitatis participes, & Dij quodammodo eſſe poſſunt.

9. Denique vnum hîc ſupereſt conſiderandum animæ piæ: omnem ſalutis humanæ rationem eo nunc tandem contineri, vt poſtquam Chriſtus voluit hominibus eſſe ſimilis in eorum infirmitatibus, homines viciſſim ei ſimiles eſſe ſtudeant, non ſolùm in earum participatione, communioneque perfectionum, quæ propriæ diuinitatis ſint, ſed etiam in modo, quo ipſe noſtras infirmitates à ſe ſuſceptas tolerauit, & vt mortalem eius vitam, quam, vt ipſis viuendi foret exemplar, degere voluit, imitentur. Non enim Deus alios præſciuit Sanctos, *quàm quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*; hoc eſt, illi ſoli, qui communicauerint Chriſti paſſionibus ſecundùm prænotionem Dei in reuelatione gloriæ eius gaudebunt exultantes; ſi compatimur, & glorificabimur: atque ſicut abundauerint paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundabit conſolatio noſtra. Denique prout quiſque in terra conformem ſe, ſimilemque præſtiterit patientis humanitati Chriſti, ita & in cœlo diuinitati eius per gloriam ſimilis erit, cùm videbit eum ſicuti eſt in throno æternitatis ſuæ.

LIBER DVODECIMVS.

De propriis in hoc Myſterio loquendi modis, & variis Chriſti officiis.

NON ſatis eſt ſcire, quid in hoc Myſterio contineatur, ſed magni præterea refert, quibus loquendi modis, ſuppoſita eius contra Neſtorianos, aliosque hæreticos veritate, illud oporteat explicari. Vt enim quælibet artes, ac ſcientiæ verba quædam, & loquutiones habent, quibus vtantur vt ſuis; ita in hoc præcipuè tractatu quemadmodum & in eo, qui eſt de Trinitatis Myſterio, Theologia proprias habet voces, à quibus abſque errationis periculo, hæreſeoſve ſuſpicione diſcedi non poßit. Quare poſtquam ipſius ſubſtantiam Incarnationis in præcedentibus libris expoſuimus, ſupereſt vt hoc tandem libro, quibus

bus vtendum, abſtinendumve ſit loquendi modis, admoneamus. In totius deinde huius operis clauſula omitti non debuit, quænam Verbum incarnatum, quandiu mortalem in mundo vitam egit, exercuerit officia, & quem religionis cultum à nobis exigat.

CAPVT PRIMVM.

An, & quomodo Chriſtus dicendus ſit habere vnitatem quoad eſſe, velle, & operari.

1. EX eo quòd Chriſtus, vt in loco probauimus, duas habeat verè diſtinctas, & inconfuſas naturas, ſequitur manifeſtè illum habere duas exiſtentias, duas voluntates, & duorum generum operationes duabus illis naturis reſpondentes. Itaque, quod ad rem ipſam attinet, controuerſia eſſe non poteſt; nihilominus, quod ad modum concipiendi, atque explicandi tantam ſimul rerum & diuerſitatem, & ex coniunctione, ſeu ſubordinatione vnitatem, difficultas eſſe poteſt non exigua. Explicandum itaque ſupereſt, an Chriſtus debeat, aut quo modo poſſit dici habere vnum eſſe, vnum velle, & vnum operari.

2. Aſſertio prima. Chriſtus dici poteſt aliquo quidem modo habere vnum eſſe, aliquo autem modo habere plura: nihilominùs non poſſumus dicere tam aptè, Chriſtus eſt plura, & multò minùs, Chriſtus eſt plures. Dicendum ergo propriè, Chriſtus eſt vnus, vel, Chriſtus eſt vnum. Hæc aſſertio quinque habet partes; & primam quidem partem non eadem ratione interpretor, & probo, quo Thomiſtæ, qui humanitatem Chriſti vulgò dicunt non habere connaturalem exiſtentiam, ſed volunt illam formaliter exiſtere per exiſtentiam increatam Verbi. Ex qua quidem doctrina ſequitur, Chriſtum, quatenus eſt quid compoſitum ex humanitate, & verbo, habere duntaxat vnum eſſe diuinum, ac increatum. Sed iſti Authores nituntur falſis principiis Metaphyſicis; & fingunt exiſtentiam ſeparari poſſe ab entitate actuali humanitatis, ſimiliaque plura inuoluunt abſurda, vt quòd anima Chriſti, quæ ex Diuo Thoma, in priori quàm aſſumatur, creatur, non habeat in illo priori exiſtentiam creationis; & quòd humanitas non ſupponatur exiſtere in priori ante vnionem hypoſtaticam; cuius tamen ad productionem ipſa humanitas, iuxta illos concurrit, &c. Alio igitur modo probanda eſt hæc prima pars, quæ eſt Diui Thomæ *q.* 17. *art.* 2. & explicandum quomodo, cum humanitas ſuam habeat exiſtentiam, & Verbum item ſuam; Chriſtus tamen ex humanitate, Verboque compoſitus vnicam dicatur habere exiſtentiam, ſeu habere ſolùm vnum eſſe. Ratio ergo ſumenda eſt ex modo coniunctionis, quo geminæ prædictæ exiſtentiæ vniũtur. Cùm enim omnis vnio, & compoſitio inter illa quę diuerſa, ac diuiſa in priori concipiuntur, introducat formaliter aliquod genus vnitatis, accidit in præſenti, vt duæ exiſtentiæ (creata humanitatis, & increata Verbi relatiuè, ac perſonaliter ſumpta) vniantur eo genere compoſitionis, ex quo exſurgat aliquod totum, quod ſit verè, ac per ſe vnum ſubſtantiale; nimirum perſona vna ſimplex (non enim compoſitio eſt in hac perſonalitate) duarum naturarum. Talis verò duarum naturarum perſona ſignificatur nomine Chriſti; nec illo genere vnitatis datur vllum ſtrictius, ac magis proprium, ſi ſemel ab vnitate, quæ per ſimplicitatem eſt, diſceſſeris. Poſſumus ergo rectè dicere, Chriſtum, vt perſonam talem, habere vnum eſſe: imò non tantùm poſſumus, ſed etiam modus ille loquendi melior eſt, ac ſimpliciter vſurpandus. Eo enim modo quælibet res habet vnum eſſe, quo eſt vnum ens: Atqui Chriſtus abſolutè, ac ſimpliciter eſt vnum ens perſonale.

3. Verumtamen ſecunda pars aſſertionis noſtræ vera eſt, quæ adſtruit poſſe etiam aliquo modo dici quòd Chriſtus habet duo eſſe: & probata ſatis manet ex iis quæ antè obiter diximus contra Thomiſtas: nam cùm humanitas ſuum habeat eſſe, ſuamque propriam exiſtentiam, ſubſiſtentia etiam Verbi ſuam; & per conſequens eatenus totus Chriſtus non habeat vnum eſſe, ſiue exiſtere, niſi per compoſitionem eo modo, quo ſupra explicuimus; neceſſarium eſt affirmare duas in Chriſto veras res, ſeu duo eſſe quaſi partialia reperiri; atque hoc vlteriori declaratione non indiget. Aduerte dumtaxat, quod Chriſtus duobus modis poteſt ſumi, vno quidem præciſè, prout dicit tantùm humanitatem, & proprietatem Verbi à diuinitate virtualiter diſtinctam: & hoc modo Chriſtus, cùm abſolutè, & ſine maiori explicatione loquimur, debet magis propriè dici habere vnum eſſe, vt ſuperiùs monui: eſt enim ſimpliciter vnum ens ſubſtantiale, quemadmodum in aliis compoſitis accidere videmus, quæ quamuis multas habeant entitates, & exiſtentias partiales, ſeu eſſentiales, ſeu integrantes; tamen abſolutè dicuntur habere vnum eſſe. Quod hîc magis habet locum, quandoquidem totalitas integra ſe tenet ex parte ipſius increatæ ſubſiſtentiæ attrahentis ad ſe ipſam humanitatem, eo ferè modo quo ſubſtantia ſuum attrahit accidens.

4. Secundo modo Chriſtus ſumi poteſt prout continens in ſe cum humanitate non tantùm ſubſiſtentiam diuinam præciſè, ſed etiam ipſam naturam diuinam. Atque ſic maior eſt ratio dicendi cum Scoto, Durando, Gabriele, aliiſque multis *in* 3. *diſt.* 6. Chriſtum habere duo eſſe, ſeu duas exiſtentias, ſicut enim ſimpliciter dicitur habere duas naturas, ita vt non poſſit dici habere vnam naturam (cùm ſcilicet ambæ naturæ non inter ſe immediatè vniantur) ita etiam dicetur habere duas exiſtentias, quamuis vna ſic alteram ad ſe trahat, vt eius perſonalitatem abſumat. Non verò placet, quod aliqui, teſte Vaſquezio *diſp.* 71. *c.* 2. aſſeruerunt; quamuis in Chriſto ſint duæ naturæ, quæ non poſſint ambæ per exiſtentiam increatam exiſtere; tamen propriè non dicendas in Chriſto duas exiſtentias: quòd putent exiſtentiam creatam humanitatis dicendam potiùs eſſe inexiſtentiam, eo quòd in alio ſit. Non placet, inquam: nam humanitas Chriſti abſolutè, & ſimpliciter exiſtit, cùm ſit verè ſubſtantia: & quamuis in alio ſuppoſito ſit, non tamen proptereà habet ineſſe, ſeu inexiſtentiam, qualis eſt propriè formarum inhærentium.

5. Tertia pars aſſertionis, quæ negat nos poſſe tam aptè dicere, Chriſtus eſt plura, recipitur com-

muniter iam ab omnibus ſcholis, inquit Vaſques *diſp.70.cap.3.* Sunt qui eam variè, & aliqua non ita certa inuoluendo probent. Ego exiſtimò propter cautelam, & propter communem Patrum, ac Doctorum vſum, nunquam dicendum eſſe ſimpliciter, quòd Chriſtus ſit plura, ſiue quod ſit duo: nomen enim plura, vt & nomen duo, videtur negare vnionem in ſuppoſito. Nam vnio in ſuppoſito facit verè vnum ex duabus naturis; atque adeò tollit abſolutam pluralitatem, & dualitatem. Naturæ autem diuina & humana non poſſunt ambæ prædicari de Chriſto, vt non vnitæ ſuppoſito, ſiue vt ſumptæ in abſtracto, & vt non ſubſiſtentes. Non enim dicimus in ſenſu formali, Chriſtus eſt humanitas; nec, vt ego exiſtimo, Chriſtus eſt diuinitas: quo modo conſequenter rectè dici poſſet, Chriſtus eſt plura, cùm diuinitas, & humanitas verè ſint plura: prædicationes tamen hæ bonæ ſunt; *Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo.* Clarum autem eſt quod hic Deus, & hic homo non habent pluralitatem vllam ſuppoſiti: quare non ſunt plures vllo modo maſculinè: naturarum autem pluralitatem non habent niſi vt vnitarum, & in eodem exiſtentium ſuppoſito. Itaque non ſunt abſolutè, & ſine vnione plura neutraliter. Ergo bonæ erunt omnes eæ de Chriſto loquutiones, quæ pluralitatem ſignificabunt eſſe cum aliqua vnione, & non meram, quales ſunt, *Chriſtus eſt plura ſimul vnita*; ſiue, *Chriſtus eſt plura aliquo modo*; ſiue, *Chriſtus eſt vnum & plura*; & ſimilia.

6. Vult ſuprà citatus Vaſques rectas eſſe has prædicationes ab Auguſtino, Euthymio, Anſelmo, & aliis, quos adducit, vſurpatas: *Chriſtus eſt aliud, & aliud: Chriſtus eſt hoc, & illud: Chriſtus eſt vtrumque: Chriſtus eſt vnum, & alterum:* quia putantur huiuſmodi prædicata conuenire naturis Chriſti in concreto ſumptis, hoc eſt, Deo, & homini: nam Deus & homo eſt aliud, & aliud; eſt item hoc, & illud; eſt vtrumque, &c. Et quamuis non videatur eſſe magnum diſcrimen inter has loquutiones; *Chriſtus eſt plura*; *Chriſtus eſt duo*: & iſtas, *Chriſtus eſt aliud, & aliud, hoc & illud, vnum & aliud*; ex vſu tamen Patrum aliquod eſt agnoſcendum, cùm ij nunquam illas, iſtas verò ſæpiùs vſurparint: quaſi nempe iſtæ non negent vnionem naturarum in ſuppoſito, ſiue vt ſubſiſtentium, aut concretarum; negare autem videantur illæ. Quod eſt dicere, in Chriſto Deum, & hominem, vt dici plures non poſſunt (ſic enim ſuppoſita numerarentur) ita etiam non dici plura, aut duo abſolutè (ſic enim numerarentur naturæ vt non habentes vnitatem ſuppoſiti,) dici tamen abſolutè vnum & aliud, hoc, & illud, &c. ſic enim numerantur naturæ ſimpliciter ſumptæ, & vt non excludentes vnitatem ſuppoſiti.

7. Quarta pars aſſertionis, quæ negat dici poſſe Chriſtum eſſe plures in maſculino, longè certior eſt, quàm præcedens, quæ vetabat Chriſtum dici plura in neutro. Eſtque definita in Conciliis Alexandrino, Chalcedonenſi, Lateran. ſub Martino I. & in VI. Synodo, vt refert Vaſques *diſp.70. cap. 2.* Quemadmodum enim optimè notauit Damaſcenus *lib. 3. de fide, c. 7.* quem ſequitur Nicetas *lib. 3. theſauri, cap. 35.* Anſelmus *lib. de incarnatione, cap. 5.* conſentiuntque omnes Doctores; *Adiectiuum maſculini generis refertur ad perſonam; quod verò eſt generis neutrius, refertur ad naturam.* Quare in Trinitate dicimus eſſe alium, & alium, non aliud, & aliud: atque hanc regulam ſequuti ſunt Patres. Athanaſius *in Symbolo* ſic ait, *Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus*: vbi nomen, *duo*, eſt maſculini generis, vtpute oppoſitum nomini, *vnus*, quod ſtatim ſequitur. Et in epiſtola ad Epictetum damnat eos, qui dicunt non eſſe eundem Chriſtum Deum, & hominem. Leo Magnus *epiſtola 95. ad Leonem Imperatorem. cap. 1.* damnat eum, qui dixerit, Chriſtum eſſe alterum, & alterum, & non vnum in Verbo Dei, & carne. Cyrillus Alex. *lib. de recta fide ad Theodoſium*, ſæpiùs Chriſtum oſtendit non eſſe duos, ſed vnum. Præſtat idem Damaſcenus *libro 3. de fide, cap. 5. 7. & 11.*

8. Aduerte autem quòd illa regula, qua diximus adiectiuum maſculinum referri ad perſonam, intelligenda eſt de maſculino, quod abſolutè, & ſine adiuncto ſubſtantiuo ponitur. Nam ſi verbum duas humanitates aſſumeret, dici deberet eſſe duos homines, eſſe vnus, & alter homo; non tamen dici poſſet ſimpliciter eſſe duo, eſſe vnus, & alter. Ita ſi Verbum aſſumpſiſſet Angeli naturam, non deberet dici abſque ſubſtantiuo eſſe plures, aut duo; diceretur tamen eſſe ſpiritus creatus, & ſpiritus increatus, ac per conſequens duo ſpiritus, ſeu plures ſpiritus; eo modo quo iam de Chriſto dicimus eum eſſe ſubſtantiam creatam, & ſubſtantiam increatam, ſiue eſſe duas ſubſtantias.

9. Quinta denique pars, quæ aſſerit has propoſitiones eſſe legitimas, *Chriſtus eſt vnus, Chriſtus eſt vnum*; ſequitur neceſſariò ex duabus immediatè præcedentibus. Si enim, vt in quarta parte oſtendimus, Chriſtus non eſt plures maſculinè, neceſſarium eſt vt ſit tantùm vnus. Item ſi vt explicuimus in tertia parte, non eſt plura neutraliter, neceſſarium eſt vt ſit vnum. Inter pluralitatem enim, & vnitatem non datur medium; & eo modo quo aliquid excludit pluralitatem, oportet vt admittat vnitatem. Exempla Sanctorum Patrum affirmantium, Chriſtum eſſe vnum tum in maſculino ἕνα, tum in neutro ἕν, frequentia non deſunt. Ita ſæpiùs apud Athanaſium vnus vocatur, vt in ſymbolo; Non duo (inquit) ſed vnus eſt Chriſtus. Et, ibidem: Nam ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. Item, Vnus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. Vnum autem neutraliter Chriſtum vocat Nazianzenus, qui refertur, & approbatur in Concilio Chalcedonenſi *act. 4.* *Aliud, & aliud ſunt*, inquit, *ex quibus* (eſt) *ſaluator; non tamen alius, & alius; ambo enim hac connexione vnum ſunt.*

10. Aſſertio ſecunda. Licèt phyſicè duæ voluntates Chriſti ſuas habeant vnaquæque ſeorſim operationes, tamen propter ſubordinationem, & conformitatem inter operandum dici poſſunt facere vnam vnitate morali volitionem, quam in bono, ac vero ſenſu poſſumus theandricam nuncupare. Explicatur. Monothelitæ licèt, vt eſſe probabilius ſuo loco docuimus, agnoſcerent in Chriſto duas potentias appetitiuas intellectuales, diuinam, & humanam, & diuerſas vtriuſque actiones: negabant tamen in vtraque eſſe ſupremam libertatis determinationem, & motionem eam efficacem, à qua pendet proximè applicatio: atque hanc motionem, ſeu determinationem libertatis intelligebant ſpecialiter nomine operationis, ſeu voluntatis; cùm affirmabant in Chriſto eſſe tantùm vnam ſimplicem operationem, ſeu voluntatem diuinam: huic autem operationi diuinæ ſubordinabant actiones omnes humanitatis, quas non appellabant operationes, ſed motus, & opera. Atque eandem operationem ſimplicem in ſe, & diuinam coniungebant, non quidem operationi, ſeu ſupremæ determinationi alteri humanæ (quam nullam in Chriſti libertate creata ponebant) ſed humanitatis operi per illam operato: & ex prædicta operatione diuina, opereque humano

Digitized by Google

mano vnam totalem, compoſitamque operationem faciebant; quam in ſenſu peſſimo theandricam nuncupabant.

11. Fides verò catholica de vnitate voluntatis Chriſti aliter ſentit: agnoſcit enim duas diſtinctas libertatis in Chriſto determinationes, diuinam, & & humanam; illiſque motus, & opera potentiarum, membrorumque humanitatis ſubordinat. Dico autem ego in præſenti, duas illas determinationes tantùm inter ſe habere conſenſum, tantam conformitatem, & ſubordinationem, vt ambæ ſine vlla vnione phyſica, quæ ad ipſas terminetur, faciant quodpiam compoſitum quod vocari poſſit vna operatio partim diuina, partim humana, & in catholico ſenſu, theandrica: quo vocabulo primus eſt vſus Sanctus Dionyſius *epiſtola* 4. *quæ eſt ad Caium*; atque hoc maiori explicatione non indiget.

12. Quæri tamen poteſt circa ſubordinationem, quam dixi, vtrum ſemper fuerit humana Chriſti voluntas conformis diuinæ. Videtur enim cùm orabat in horto, & ex apprehenſione, triſtitiaque trepidabat, ac ſanguinem ſudabat, voluntatem habuiſſe contrariam voluntati diuinæ. Reſpondeo nullam fuiſſe contrarietatem in allato caſu inter voluntates diuinam, & humanam, ſed potiùs fuiſſe perfectam ſubordinationem. Qua de re fuſiùs diſputauimus *lib.9.cap.*1. nunc breuiter dico, attendendum hîc eſſe, non actum inefficacem voluntatis Chriſti, ſed actum efficacem per quem timori ſuo, actuique inefficaci reſtitit, & diuinæ adhæſit voluntati, cùm dixit, *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat*: qualem item efficacis voluntatis actum oſtendit *Luc.*11. cùm dixit; *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* Cùm igitur Chriſto mors à Patre iuberetur vt efficaciter amplectenda ſub ea præciſè ratione, qua erat generis humani remedium, non autem ea ratione, qua erat malum humanitatis, certè Chriſtus, cui mors placuit efficaciter, & acceptata eſt prout erat remedium generis humani; diſplicuit verò neque ſub ea ratione qua iubebatur, neque efficaciter, ſed inefficaciter, & prout erat malum ſuæ naturæ, hoc eſt prout non iubebatur; non eatenus habuit vllum affectum diuinæ iuſſioni contrarium. Nec enim iubebatur abſtinere ab inefficaci repugnantiæ naturalis actu. Quod autem repugnantiæ affectum non habuerit efficacem, conſtat ex eo quòd illius oratio, quantumvis vrſiſſe, & terna repetitione inſtitiſſe videatur, vt calix paſſionis à ſe tranſiret, non fuerit abſoluta; ſed merè conditionata: quod ipſe Chriſtus ſignificauit cùm ſubdidit; non mea voluntas, ſed tua fiat.

13. Aſſertio tertia. In Chriſto ſunt actiones duûm generum; diuinæ ſcilicèt, ac humanæ, realiter diſtinctæ: licèt autem humanas actiones multiplices Chriſtus habeat, eæ tamen vnitatem quandam ſortiuntur in ordine ad actum libertatis ipſas imperantem. Prima pars traditur à Diuo Thom. *q.*19. *art.*1. & clara eſt: diuerſitas enim naturarum diuerſitatem tum potentiarum, tum actionum importat. Secunda pars ſumitur ex eodem Sancto Doctore *art.* 2. nec maiori explicatione indiget: notum enim eſt actiones humanas imperatas moraliter idem cenſeri cum actu libertatis, per quem imperantur.

14. Aduerte primò, quando actiones, ſeu opera humanitatis Chriſti imperabantur per voluntatis humanæ actum, cum hoc actu ſimul fuiſſe alterum actum voluntatis diuinæ, qui duo actus duarum voluntatum, iuxta ea quæ ſuperiori aſſertione diximus, coniuncti inter ſe per concordiam, & ſubordinationem vnum totalem actum moraliter faciebant theandricum. Cui actui totali & theandrico ſubordinatæ actiones aliæ humanitatis, cum eo vnum magis compoſitum faciebant moraliter; & ipſæ ob ſuam ſubordinationem conſequenter theandricæ eatenùs vocari poterant, quatenùs à diuina ſimul, humanaque voluntate per imperium procedebant, atque inde nouum ſplendorem, ac velut infinitatem moralem contrahebant.

15. Aduerte ſecundò, videri docere D. Thomam *illo art.* 2. cunctas Chriſti actiones fuiſſe liberas, ac verè humanas, ac per conſequens aliquam rationem vnitatis habere; quod ſanè difficile eſt. Nam multas actiones habuit Chriſtus neceſſarias, putà actiones nutritiuæ facultatis, &c. Sed nihil vult Sanctus Doctor aliud (quemadmodum interpretatur Suarez *in commentario*) quàm actiones humanitatis omnes pependiſſe à voluntate ipſius, ſaltem vt Verbi organo, quatenus eas etiam maximè naturales potentiarum vegetatiuarum actiones poterat, ſi voluiſſet, Chriſtus vt homo ſuſpendere, cùm ad illius nutum omnipotentia Verbi non fuiſſet defutura. Quod autem ſpectat ad actiones earum potentiarum, quæ ex ſuo genere libertati ſubiacent quoad ſui applicationem ad obiecta, quales ſunt ipſamet voluntas, intellectus, appetitus ſenſitiuus, ſenſus interni, & quoad plurima ſenſus externi; dicendum eſt quod nihil vnquam in illis contigit Chriſto, quod non eſſet voluntarium, ac verè humanum, excepta ſola viſione, fruitioneque beatifica, & cogitatione, ſeu illuſtratione præueniente; ſi verum eſt quòd Chriſtum vt viatorem Spiritus Sanctus per gratiam excitaret, ac præueniret. Probatur: nam adeò ſemper circa omnia vigilabat illius ratio, vt nullum actum primo primum in aliqua illarum facultatum, excepto fortè intellectu, pateretur. Imò ſunt, qui nec intellectum ab hac tam generali regula excipiant: quamuis enim non videatur prima intellectio, cùm neceſſariò antecedat voluntatem omnem, poſſe eſſe actio humana, & libera; tamen Suarez putat dici poſſe, non fuiſſe primam aliam intellectionem præter viſionem beatificam, qua ſuppoſita omnis alia intellectio, ſeu conſideratio potuit eſſe ex motione, vel conſenſu voluntatis eius: qui modus, inquit, operandi, cùm ſit perfectior, tribuendus videtur eſſe Chriſto.

CAPVT II.

De communicatione idiomatum.

1. COMMVNICATIONEM Idiomatum vocant Theologi, quando in Chriſto idiomata (hoc eſt proprietates, ſeu attributa) diuinitatis prædicantur de homine; & viciſſim idiomata humanitatis enunciantur de Deo; cùm enim per Incarnationem natura diuina, & natura humana in vnam conuenerint perſonam; inde conſequenter factum eſt, vt & diuina de homine, & humana de Deo permixtim affirmentur; hanc verò communicationem ex myſterio Incarnationis reipſa conſequutam eſſe certum eſt in orthodoxa fide, vt docent omnes *in* 3. *diſt.*4. ſumiturque ex Concilio Epheſino, ex S. Cyrill. *in anathematiſmis, & alibi*; item ex D. Leo. *epiſt.* 10. & *ſermonib. de natiuitate, ac paſſione*, Aug. 1. *de Trinit. cap.* 13. Ambroſ. *lib.* 2. *de fide, c.*4. & Damaſceno *lib.* 5. *de fide, cap.* 4. Petitur item eadem veritas ex ipſa praxi ſcripturarum ſacrarum, quæ de eadem perſona ſimul enunciant naturam diuinam, & naturam

Digitized by Google

humanam, ac ſimul vtriuſque proprietates. Probatio denique iſtius rei ſecundùm Logicæ regulas habetur manifeſta: nam quando duæ formæ, vel naturæ in eodem ſuppoſito realiter vniuntur, de illo poſſunt prædicari; vnde fit vlterius, vt in ordine ad illud idem ſuppoſitum, ſub nominibus concretis poſſit quælibet illarum formarum, proprietateſque eius de altera forma, ipſiuſque proprietatibus prædicari.

2. Primum porrò totius huius doctrinæ fundamentum eſt, quia cùm omne concretum ſignificet in recto ſuppoſitum, ſeu ſubiectum formarum, quas exprimit; neceſſarium eſt, vt omnes ipſæ formæ, quæ in eodem ſubiecto recipiuntur, & de eo prædicantur, queant in concreto de ſe etiam inuicem prædicari: ſic enim eæ non intelliguntur in recto prædicari de alio, quàm de ſuo ſubiecto, ſeu ſuppoſito, cui reipſa conueniunt. Quo modo non poteſt non eſſe recta prædicatio. Nam eſt axioma logicum, ſubiecta concreta propoſitionum ſupponere materialiter, non formaliter; quemadmodum è contra prædicata propoſitionum ſupponunt non materialiter, ſed formaliter. Idque in formis accidentalibus conſtat. Calor enim, & albedo, ſi eidem Petro inſunt, de ſe inuicem in concreto enunciantur; & ritè dicitur, hoc album eſt calidum; ſiue, hic albus eſt calidus, & è conuerſo. Atqui in hoc incarnationis Myſterio duæ naturæ vniuntur ſubſtantialiter eidem ſuppoſito. Ergo nomina ſignificantia illas naturas in ordine ad hoc ſuppoſitum, ſiue (quod idem eſt) in concreto, dicuntur non ſolùm de illo ſuppoſito, ſed etiam de ſe mutuò. Probatur, & explicatur magis. Ex eo enim, quòd humanitas, & diuinitas in eodem ſuppoſito Verbi ſunt vnitæ, clarum eſt poſſe nos Deum, & hominem de tali ſuppoſito prædicare per has duas propoſitiones; *ſuppoſitum Verbi eſt Deus, ſuppoſitum Verbi eſt homo.* Iam verò ſi has duas, vt iacent, propoſitiones ſumas pro maiore, & minore ſyllogiſmi expoſitorij, legitimè, neceſſarioque concludes; *Ergo homo eſt Deus.* Quo modo exſurget hic ſyllogiſmus; Suppoſitum verbi eſt Deus: Suppoſitum verbi eſt homo: Ergo homo eſt Deus. Atque ita per ſyllogiſmum expoſitorium, in quo idiomatum communicatio fundatur, oſtenditur manifeſtè poſſe hominem, & Deum non tantùm de ſuppoſito, cui inſunt, ſed etiam de ſe inuicem prædicari in concreto; & ſimiliter de ſe inuicem vtriuſque attributa.

3. Obiicies, ſyllogiſmum proximè factum non videri eſſe in forma, quandoquidem in eo medius terminus non diſtribuitur. Nam Verbi diuini ſuppoſitum, cùm duas naturas terminet, æquiualet duobus ſuppoſitis. Sumitur autem in maiori prout ſolùm terminat naturam diuinam; in minori autem prout humanam. Quare prædictus ſyllogiſmus eodem vitio laborat, quo iſte; Diuinitas eſt paternitas: diuinitas eſt filiatio: Ergo filiatio eſt paternitas. Reſpondeo ſuppoſitum Verbi diuini non eſſe virtualiter duo ſuppoſita, quamuis duas naturas terminet: manet enim vnum, & idem, licèt multis applicetur. Neque quoties aliquid diuerſis applicatur, propterea diuerſitatem virtualem contrahit, alioqui nullum medium vnquam diſtribueretur. Nam ita ſemper virtualiter eſſet aliud prout maiori extremo, & aliud, prout minori extremo applicatur. Neque eadem eſt ratio de diuinitate in ſyllogiſmo, quem obiectio propoſuit: nam diuinitas applicatur paternitati, itemque filiationi non quocumque modo, ſed per veram identificationem, omnimodamque ſimplicitatem. Cùm ergo paternitas, & filiatio realiter diſtinguantur, neceſſarium eſt diuinitatem in illis realiter virtualiter diſtingui, ac per conſequens æquiualere duabus naturis.

Vt naturam huius idiomatum communicationis dilucidè tradamus, & omne errandi periculum auferamus, proponendæ hîc videntur aliquæ regulæ, quæ ſi obſeruentur, communicatio non poterit non eſſe legitima, & ad quas examinandæ ſunt omnes propoſitiones, quas vel Sanctus Thomas *quæſt.* 18. affert, vel quilibet alius in hac materia producere poteſt.

Prima Regula.

4. PRima ergo Regula ſit. Tantum abeſt, vt ad veram communicationem idiomatum neceſſe ſit vnius naturæ proprietates communicari formaliter, & immediatè alteri naturæ, vt potiùs requiratur contrarium, erroneaque ſit omnis ea idiomatum communicatio, ſeu prædicatio, in qua huiuſmodi proprietatum commixtio vel ſignificatur, vel ſupponitur. Patet hanc regulam Eutychianæ impietati aduerſari, ſed & noſtri temporis Vbiquiſtis contradicit, qui communicationem idiomatum ita interpretantur, vt in Myſterio Incarnationis dicant omnia diuinitatis attributa communicata fuiſſe non ſolùm Chriſto, ſed etiam ipſi humanitati, per quandam realem transfuſionem: ita vt humanitas ipſa, ſeu (quod idem eſt) Chriſtus quatenus homo, & ſecundùm naturam aſſumptam ſit verè perſona diuina, ſit verè Deus, ſit vbique per omnipræſentiam, ſit omnipotens, omniſcius, creator, &c. Sed primò peto ab his hæreticis, quomodo intelligant in humanitatem proprietates diuinas fuiſſe transfuſas? Si enim ſolùm per aſſiſtentiam quandam, & coniunctionem moralem, & per dona accidentalia id fieri volunt, nihil abſunt à Neſtorio, & longè minorem, quàm catholici introducunt diuinarum proprietatum communicationem. Si autem realiter (vt ſonare videntur) & ſubſtantialiter huiuſmodi transfuſionem factam eſſe volunt, ſunt in ſinu Eutychetis, qui humana, diuinaque confudit in Chriſto. Atque ita non in perſona, ſed etiam in natura vnionem, atque vnitatem ponunt.

5. Secundò clarum eſt reperiri quædam in Deo attributa, quorum effectum formalem natura aſſumpta recipere non poteſt; vt eſſe actum ſimplicem expertem omnis compoſitionis, fuiſſe per omnem retrò æternitatem, &c. Quomodo flagellato, & dolenti? quomodo mortuo Chriſti corpori communicari potuit formalis effectus impaſſibilitatis, & vitæ diuinæ? Tertiò probatur valdè noſtra doctrina ex eo quòd communicatio idiomatum, quæ ſequitur vnionem hypoſtaticam, ſit mutua; ita vt proprietates tam humanitatis Deo, quàm diuinitatis homini tribuantur. Oportebit igitur cunctas humanitatis infirmitates in diuinitatem transfundi formaliter, & modo quodam ſupra Eutychianam hæreſim impio, diuinitatem exinaniri, atque deſtrui.

6. Maneat ergo certum, erroneam eſſe illam communicationem idiomatum, quæ fundatur in reali, & immediata vnione attributorum, vel diuinorum cum humanitate, vel humanorum cum diuinitate. Fundatur autem, quoties ita vnius naturæ attributum de altera natura prædicatur, vt in ipſa prædicatione non ſignificetur ex parte ſubiecti ſuppoſitum. Exempli gratia cùm dicitur, humanitas eſt omnipotens, æterna, immenſa, &c. diuinitas eſt paſſibilis, ſitit, moritur, &c. Nam cùm huiuſmodi propoſitiones per ſua ſubiecta in abſtracto ſignificata non

Digitized by Google

non importent ſuppoſitum Verbi, ratione cuius ſolus ſecundùm orthodoxam fidem conuenire poſſunt, & vniri illis naturis ea attributa, quæ prædicantur, neceſſarium eſt, vt ſignificent aliquod aliud genus vnionis, quod immediatè factum ſit inter ipſas naturas, & inter attributa, quæ de iis mixtim prædicantur; id autem eutychianum eſt. Hinc intelligis eas multo magis falſas eſſe vi huius primæ regulæ propoſitiones, in quibus poſitiuè, expreſſeque deſignatur vnio inter naturas humanam, & diuinam: vt ſi quis dicat reduplicando ſuper naturam, Chriſtus in quantum homo eſt Deus, eſt omnipotens, &c. vel Chriſtus in quantum Deus eſt homo, eſt riſibilis, &c. Atque hoc per ſe clarum eſt; ita vt mirum ſit hæreticos huius temporis hîc cæcutire. Dices aliquas actiones humanitatis orthodoxè tribui Chriſto vt Deo reduplicatiuè. Chriſtus, enim in quãtum Deus, meretur; Chriſtus, quà Deus, ſatisfacit: conſtat autem meritum, & ſatisfactionem eſſe attributa humanitatis: Ergo eadem ratione poterit dici, Chriſtus quà Deus, patitur, eſt riſibilis, moritur, &c. Reſpondeo non eſſe eandem rationem, quare negatur conſequentia: vt enim aliqua ſunt humanitatis attributa, ad quæ diuinitas nihil conducit, verbi cauſà, ridere, mori, &c. ſic etiam ſunt nonnulla, quæ præter phyſicum quod habent ab humanitate, perfectionem moralem important, & includunt, quam in Chriſto habent ratione ſuppoſiti, & ob quendam diuinitatis influxum. Talia ſunt meritum infinitum, & ſatisfactio pro peccatis rigoroſa. Atque hæc, cùm prout ſpectantur, & moraliter ſimul, & phyſicè, non ſint humanitatis ſolius, ſed etiam diuinitatis, dicuntur conuenire Chriſto cum reduplicatione vtriuſque ſimul iunctæ naturæ. Vnde Chriſtus dicitur mereri, & ſatisfacere non ſimpliciter inquantum homo, nec ſimpliciter in quantum Deus, ſed inquantum homo ſimul & Deus. Quo pacto bene intelligitur doctrina Cyrilli *in epiſt. ad Acacium*, quæ refertur in Concilio Epheſino, vbi triplicia Chriſti attributa diſtinguit: quædam quæ conueniunt ratione humanitatis, quædam quæ ratione diuinitatis, quædam quæ ratione vtriuſque.

7. Contra doctrinam præcedentem obijci poſſunt aliquæ propoſitiones, quibus vna natura, & eius attributa orthodoxè prædicantur de altera natura in abſtracto ſumpta. Nam vera eſt hęc propoſitio, humanitas eſt deificata: ac per conſequens etiam iſta; humanitas eſt Deus. Eſt enim ille modus conformis Sanctis Patribus, Sophronio in epiſtola quæ habetur *in 4. Synodo, act.* 11. Nazianzeno *orat.* 42. vbi vocat *humanitatem diuinitate delibutam, idemque effectam quod id à quo vncta eſt; & vt* (inquit) *audacter dicam ὁμόθεον, hoc eſt, ſimul Deum.* Damaſceno, qui *lib.* 2. *de fide, cap.* 19. ſic habet, *Ob perſonalem vnionem caro deificata, ac Deus facta eſt, diuinitatiſque cum Verbo ſocia dicitur.* Secundò vera etiam eſt iſta enunciatio; Deitas eſt incarnata, quemadmodum & iſta, Deitas humanitatem aſſumpſit: ac per conſequens dici poteſt, deitas eſt homo. Ideò enim Verbum eſt homo, quia eſt incarnatum, & quia humanitatem aſſumpſit. Confirmatur per hunc ſyllogiſmum expoſitorium. Verbum eſt homo: Sed Verbum eſt deitas: Ergo deitas eſt homo. Reſpondeo ad primum humanitatem non eſſe deificatam ſubſtantialiter, & intrinſecè, quaſi accipiat proprium effectum formalem à deitate, ſitque facta Deus. Quare oportet Patres allatos benignè interpretari, quaſi ſolùm velint humanitatem vnitam eſſe in perſona Verbi, ſuntque intelligendi in ſenſu cauſali, quia ſcilicèt ita eſt humanitas vnita diuinitati, vt inde eueniat hominem deificari, & eſſe Deum. Ad ſecundum dico deitatem vocari quidem incarnatam, ſed non eodem modo, quo Verbum. Nam Verbum dicitur incarnatum terminando immediatè in ſe vnionem hypoſtaticam; Deitas autem mediatè ſolum. Quæ diſparitas eſt cauſa cur deitas non perinde, ac Verbum poſſit dici homo. Non enim habet Verbum iſtam appellationem ex eo ſimpliciter, quòd ſit incarnatum, ſed quòd ſit incarnatum per immediatam vnionem. Syllogiſmi verò expoſitorij in confirmationem adducti nego minorem; eſt enim falſa in ſenſu formali, in quo nimirum debet ſumi, & non in ſenſu identico, vt ſeruetur forma argumenti, nec mutetur ſuppoſitio. In maiori Verbum ſumebatur vt à deitate virtualiter diſtinctum, in minori autem non eo modo ſumitur, & peccatur contra formam; vel ſi eo modo ſumatur, falſa eſt ipſa minor.

Secunda Regula.

8. AD veram communicationem idiomatum obſeruari debet, vt cùm attributa vnius naturæ de altera prædicantur, ſignificetur ea vnio, quam habet vtraque natura in eodem ſuppoſito. Ratio huius regulæ conſtat ex ſupradictis: nam in hypoſtatica vnione vtriuſque naturæ fundatur tota communicatio idiomatum, & naturarum de ſe inuicem prædicatio. Ergo debet talis vnio in prædicatione ſignificari: quia niſi ea vnio ſignificetur, debuit intelligi aliqua alia falſa, & hæretica.

9. Ex hac Regula primò vides legitimas eſſe illas omnes propoſitiones, in quibus Deus, & attributa Dei in concreto, & quidem (ſi eſſentialia ſint) ſubſtantiuè ſumpta prædicantur de Chriſto, ſiue hoc homine. Item eas, in quibus Verbum, ſeu Filius Dei, & omnia eius attributa perſonalia in concreto item, & ſubſtantiuè de Chriſto homine enuntiantur. Quod patet exemplis: nam ſecundùm fidem catholicam ſunt veriſſimæ hæ propoſitiones; Chriſtus, ſeu hic homo, eſt Deus, æternus, omnipotens, &c. necnon, Chriſtus, ſeu hic homo, eſt Verbum, eſt Filius Dei, ſapientia, & imago Patris, procedens à Patre, ſpirans tertiam Perſonam, &c. dixi autem prædicata illa omnia debere ſumi ſubſtantiuè; quia, vt videbimus infrà, ſi in ſenſu ſolùm denominatiuo, & adiectiuè ſumerentur, vt, Chriſtus eſt diuinus, ſapiens, &c. periculum eſſet erroris Neſtoriani.

10. Secundò ex eadem Regula vides veras eſſe propoſitiones eas, in quibus homo, & quicquid vel eſſentialiter, vel accidentaliter homini conuenit, prædicatur in concreto, non tantùm ſubſtantiuè, ſed etiam adiectiuè de Deo, ſeu de Filio Dei. Nam orthodoxè dicimus; Deus, ſeu Verbum eſt homo, eſt rationalis, riſibilis, Deus redemit Eccleſiam ſanguine ſuo, crucifixus eſt, in terris viſus eſt. Eodemque modo alia omnia prædicantur attributa, ſeu opera, quæ ſic humanitati competunt, vt non inuoluant imperfectionem ſuppoſiti creati. Dixi porrò prædicari poſſe de Deo, & Verbo hominem, & hominis attributa non ſolùm abſolutè, & ſubſiſtantiuè, ſed etiam purè denominatiuè, ſeu adiectiuè. Non enim ſolùm dicimus, Deus eſt homo, ſed etiam, Deus eſt humanatus, incarnatus, &c. Ratio eſt, quia ſuppoſitum, quod eſt homo, non conſtituitur ſimpliciter in ſuo eſſe per humanitatem, ſed præſupponitur. Solùm enim per humanitatem conſtituitur in eſſe hominis; ſuppoſitum autem, quod præſupponitur conſtitutum in priori ante aliquam formam, vel naturam, quę poſteà illi vnitur, non ſolum abſolutè, ſed etiam denominatiuè

Digitized by Google

tiuè poteſt à tali forma nuncupari: quandoquidem ea illi in ſuo eſſe priùs conſtituto aduenit, & quaſi accidit. In quo vides diſcrimen eſſe inter naturam diuinam, & naturam humanam. Illa enim non poteſt, quemadmodum hæc de Chriſto prædicari denominatiuè, quoniam ſuppoſito Chriſti non concipitur aduenire vt priùs conſtituto.

11. Contra hanc regulam peccant primò illæ propoſitiones, quibus naturæ de ſe inuicem prædicantur in abſtracto; ita nempe, vt vel prædicatum ſimul & ſubiectum, vel dumtaxat alterutrum exprimatur cum abſtractione metaphyſica: verbi gratiâ ſi quis dicat; Diuinitas eſt humanitas, vel contrà. Item, Deus eſt humanitas; diuinitas eſt homo, & ſimilia. Clarum enim eſt non ſignificari his propoſitionibus ambas naturas vt ſubſiſtentes in eodem ſuppoſito, ſeu vt vnitas hypoſtaticè. Aduerte quòd quando diuinitas in abſtracto de homine in concreto enunciatur, poteſt aliquo modo propoſitio habere veritatem identicam, quatenus homo, quod eſt propoſitionis ſubiectum, includit ſuppoſitum, quod in Chriſto eſt Verbum identificatum cum diuinitate: ſubiecta autem propoſitionum iuxtà logicæ regulas ſumi ſolent non formaliter, ſed materialiter, & pro ſuppoſito. Vera igitur erit in ſenſu identico hæc propoſitio; Chriſtus, ſeu hic homo, eſt diuinitas: & per conſequens, hæc; Chriſtus eſt diuinitas, & humanitas ſimul. Videri poteſt Suarez *diſp.35.ſect.2.* non autem erit ſimiliter verum identicè, ſi vice verſa homo de diuinitate prædicetur, & aliquis dicat, Diuinitas eſt homo. Ratio ſumi debet ex præ1ato axiomate logico, quòd ſcilicet prædicata concreta non ſupponant materialiter ſicut ſubiecta, ſed formaliter. Quare in ea propoſitione nequaquam de diuinitate prædicaretur hominis ſuppoſitum, ſed natura humana. Dices vera eſt hæc propoſitio identicè; Diuinitas eſt Verbum, ſiue, Diuinitas eſt Filius Dei: ergo & iſta, Diuinitas eſt homo; vtrobique enim concretum de abſtracto prædicatur, & ſupponit formaliter, non autem materialiter. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, cùm enim enunciatur Verbum, aut Filius Dei de diuinitate, prædicatum identificatur adæquatè cum ſubiecto; atque ita in quocumque ſenſu ſumptum, hoc eſt, tam formaliter, quàm materialiter ſupponens, de illo verificatur identicè. At in hac propoſitione; Diuinitas eſt homo, prædicatum non identificatur cum ſubiecto adæquatè, ſed tantùm ratione ſuppoſiti, & vt ſumitur in ſenſu materiali, in quo nimirum prædicata non ſumuntur.

12. Secundò peccant contra iſtam Regulam eæ propoſitiones, in quibus prædicata vel diuina de homine, vel humana de Deo ſic enunciantur, vt prærequirant, aut in ſe importent perſonam creatam: atque ita reiiciendus erit qui dicet cum Neſtorio, Chriſtus, ſeu hic homo, eſt θεοφόρος, hoc eſt, deifer. Eodem modo Cyrillus Alex. *lib. de Incarnatione, c. 11.* damnat eum qui diceret; hic homo eſt deificatus, ſeu quod idem eſt, hic homo eſt factus Deus. Idemque cenſeri debet de his propoſitionibus; Chriſtus, ſeu hic homo, eſt dominicus, eſt diuinus, &c. licèt eas aliqui Patres ſyncero animo vſurparint. Ratio eſt quoniam hæc nomina, deifer, deificatus, dominicus, diuinus, adiectiuè ſumpta prædicantur de Chriſto quaſi aduenientia illi priùs conſtituto in ratione perſonæ, & ita ponitur in Chriſto perſona creata, & diuinitas in prædicato ſignificatur non vnita ſubſtantialiter humanitati in vno ſuppoſito, ſed ſolùm accidentaliter in pluralitate ſuppoſitorum. Quare Auguſtinus retractans quod aliàs dixerat, ſic habet *lib. 1. retract. cap. 19. Non video vtrum rectè dicatur, homo dominicus, cùm ſit vtique Dominus: Et hoc quidem vt dicerem, apud quoſdam legi tractatores Catholicos. Sed vbicumque hoc dixi, dixiſſe me nollem, poſteà quippe vidi non eſſe dicendum.* Reiiciendus item erit qui dicet; Chriſtus, ſeu verbum, eſt purus homo; eſt homo ſimpliciter, eſt peccabilis, eſt filius adoptiuus, eſt alius à Deo, & ſimilia: quoniam hæc humanitati competere non poſſunt, niſi vt ſubſiſtenti in ſuppoſito creato.

Tertia Regula.

13. QVamuis, ſi abſolutè in ſeipſa, & ſecundùm meram rei veritatem conſideretur idiomatum communicatio, ſeu naturarum de ſe permixtim prædicatio, non ſit opus vlla tertia regula, ſed duæ iam explicatæ ſufficiant ad iudicandum de omnibus propoſitionibus; tamen, quia in modo loquendi oportet non ſolùm falſitatem, ſed etiam omnem falſitatis ſpeciem, & ſuſpicionem cauere, propterea tertiam hanc Regulam addo ad prudentiam; vt ſcilicet quando aliquæ propoſitiones occurrent, quæ licèt in rigore orthodoxæ ſint, poſſunt tamen in malam accipi partem, ob vſitatos ab hæreticis loquendi modos; tunc eæ non vſurpentur crudè, & paſſim coram quibuſcumque ſine additione quadam, ſeu breui explicatione, vt tollatur omnis æquiuocatio, & ſcandalum. Tales ſunt; Chriſtus eſt creatura; Verbum eſt creatura, eſt ens creatum; Verbum incepit eſſe; Chriſtus incepit eſſe, & ſimiles, quæ licèt (vt ex ſuperioribus liquet) theologicè, & in ſe conſideratæ veritatem continere poſſint orthodoxam propter communicationem idiomatum; nihilominus, quoniam illas ipſas, non per communicationem idiomatum, ſed in ſenſu hæretico Ariani vſurpabant, propterea, ne cum his ſentire videamur, neceſſarium eſt ita eas condire, vt Chriſtum, ſeu Verbum dicamus eſſe creaturam ſecundùm naturam aſſumptam; Verbum incepiſſe eſſe, quatenus hominem, &c.

CAPVT III.

Examinatur opinio Durandi circa hanc propoſitionem, Deus eſt homo; *necnon quædam alia de Chriſto propoſitiones controuerſæ.*

1. DVRANDVS *in 3. diſt. 4. q. 2. n. 9.* quamvis ab hæreticorum mente procul abſit, & hanc propoſitionem, *Deus eſt homo,* veram, & propriam eſſe fateatur: negat tamen ita eſſe propriam, ac iſtam; Petrus eſt homo: & in rigore ſermonis ait magis propriam fore loquutionem, ſi diceremus, Deus eſt humanatus, quemadmodum ſi ſolam carnem Deus aſſumeret, potiùs dicendus foret carneus, quàm caro. Probat autem ſuam ſententiam primò, quia inter Petrum, & hominem eſt maior identitas, quàm inter Deum, & hominem: cùm Petrus & homo habeant identitatem in primo modo dicendi per ſe: homo enim de Petro prædicatur eſſentialiter, de Deo autem prædicatur ſolum per accidens: quandoquidem Petrus per eandem naturam eſt homo, per quam eſt Petrus. At Deus per aliam naturam conſtituitur Deus, & per aliam homo, neque cum hac coniungitur niſi per accidens, poſſet enim ea carere. Secundò, homo non poteſt vnquam aliter prædicari propriè, quàm

quàm in quid. At non prædicatur de Deo in quid; nam quærenti quid ſit Deus, non reſpondetur, eſt homo, ſed tantùm reſpondetur Deum eſſe in Chriſto humanum, ſiue humanatum; vnde ſumitur confirmatio. Nam quod prædicatur adiectiuè; non poteſt prædicari ſubſtantiuè; non enim dicimus Petrus eſt albedo, quandoquidem dicimus, eſt albus. Ergo cùm dicamus, Deus eſt humanatus, non poſſumus dicere, eſt homo; neque quia eſt incarnatus, dicimus, eſt caro. Proprium autem eſt accidentium prædicari adiectiuè, quoniam ipſa non conſtituunt ſuppoſitum, ſed ſupponunt conſtitutum, & adueniunt illi. Ergo quandoquidem natura humana inuenit in Chriſto ſuppoſitum conſtitutum independenter ab ipſa, debet ad modum accidentium adiectiuè prædicari, non ſubſtantiuè; hoc eſt, dici potiùs debet Deus humanatus, quàm Deus homo.

2. Bene quidem oſtendit Durandus diſcrimen eſſe inter iſtas duas prædicationes, Petrus eſt homo, Deus eſt homo: ſed ſatis illi fuiſſet concludere, hominem de Deo prædicari ſpeciali quodam, & non vſitato modo. Nec debuiſſet præferre iſtam loquutionem; Deus eſt humanatus, huic alteri; Deus eſt homo; cùm hanc loquutionem catholica doctrina & approbet, & ſæpiùs, quàm illam, vſurpet. Non probo quod hîc addunt aliqui, Durandum cùm hanc loquutionem; Deus eſt humanatus, magis probet, debere conſequenter admittere vt probatiſſimam, hanc propoſitionem, quam vulgò Theologi reiiciunt; Hic homo eſt deificus, ſeu diuinus in ſenſu denominatiuo: non enim eſt paritas, quandoquidem, cùm Deus dicitur humanatus, ſignificatur in ſubiecto diuinum ſuppoſitum: cùm autem dicitur homo deificus, ſignificatur ſuppoſitum, cui deitas adueniat.

3. Ad primam rationem Durandi reſpondeo; Licèt verum ſit non prædicari eſſentialiter, nec per ſe hominem de Deo, quemadmodum prædicatur de Petro; nec ſit tanta, tamque naturalis connexio inter Deum, & hominem, quanta eſt inter Petrum, & hominem; non tamen propterea impeditur proprietas illius propoſitionis, Deus eſt homo. Aliud enim eſt quòd enunciatio quædam propria ſit, & aliud quòd eſſentialis, ac neceſſaria. Nec minùs propria eſt ea qua dicitur; homo eſt albus, quàm illa, qua dicitur; homo eſt animal. Quare quoad proprietatem enunciationis nihil intereſt, verum eſſentialis, ſeu per ſe ſit; an verò contingens, ſeu per accidens.

4. In hac porrò propoſitione, de qua in præſenti agitur, *Deus eſt homo*, agnoſcunt contra Durandum prædicationem per ſe Caietanus, Ricardus, & alij, quos affert Vaſqueſius *diſp.* 68. *cap.* 1. Contrarium verò cenſent, Durandoque in hoc ſuffragantur Bonauentura, Gabriel, aliique, quibus aſſentitur Vaſqueſius, eaque opinio mihi magis probatur. Prima ratio eſt, quia in ea propoſitione prædicatum non dicitur neque primo, neque ſecundo modo perſeitatis Ariſtotelico; de tertio enim modo, & quarto non eſt hîc quæſtio. Quandoquidem propoſitiones quæ ſunt in primo modo per ſe, habent prædicatum de eſſentia ſubiecti; quæ autem ſunt in ſecundo, habent prædicatum, quod non primariò quidem, ſed tamen neceſſariò pertineat ad ſubiectum, vt ſuppono ea Logica. Certum verò eſt, quòd homo in ea propoſitione, de qua diſputamus, non pertineat neceſſariò ad Deum. Secunda ratio ſumitur ex ipſo Durando; quia propoſitio, quæ eſt per ſe, inuenitur vera in ſenſu reduplicatiuo, addita particula, *in quantum*, aut, *ſecundùm quod*: vt homo in quantum homo eſt rationalis, eſt riſibilis. Atqui non poteſt dici Deus, in quantum Deus eſt homo. Tertia ratio ſit, quia omne quod prædicatur per ſe de aliquo, prædicatur etiam per ſe de quocumque contento ſub illo. Sed homo non poteſt prædicari de quolibet, qui dicitur Deus; non enim de Patre. Ergo homo non prædicatur de Deo per ſe. Nec obiicias: Eſſe trinum dicitur de Deo, Deus enim eſt trinus, & tamen cuilibet qui dicitur Deus, non conuenit eſſe trinum, cùm Pater non ſit trinus, nec Filius, nec Spiritus ſanctus. Reſpondetur enim, quòd Deus ſumitur in ſuppoſitione ſimplici, & quaſi vniuerſali, cùm dicitur trinus: de quolibet autem (putà Patre) qui trinus dici non poteſt, prædicatur in ſuppoſitione ſingulari. Quod ſi dicas eodem modo Deum (quando dicitur eſſe homo) ſumi in ſuppoſitione ſingulari pro ſola ſecunda perſona, ſeu pro Deo vt filius eſt; non tamen obtinebis, vt Deus ita ſumptus poſſit dici homo prædicatione per ſe. Conſtat enim eſſe planè per accidens ipſi Deo Filio, vt factus fuerit homo. Effugium item Caietani non valet, dicentis, quòd in hac propoſitione, Deus eſt homo; ſubiectum eſt Deus Filius, non abſolutè, ſed prout ſubeſt duabus naturis, quo modo prædicatio erit per ſe. Contra hoc eſt, quod iuxta hunc philoſophandi modum omnes propoſitiones forent per ſe, & nulla contingens. Nam eodem modo aſſeri poſſet, quòd quando dicitur, homo eſt albus, ſubiectum ſupponit pro homine non qualicumque, ſed prout habente albedinem, cui ſub ea conſideratione albedo per ſe conuenit. Nota quod licèt hæ propoſitiones; Deus eſt homo; homo eſt Deus, non habeant prædicationem per ſe, vt hactenus dictum eſt; hæ tamen Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, ſunt omninò per ſe, nec in iis eſt communicatio idiomatum. Subiectum enim earum, *Chriſtus*, continet verè formaliter naturam, quæ in illis prædicatur.

5. Ad ſecundam rationem, qua Durandus ſuperiùs probare intendit prædicationem hanc, *Deus eſt homo*, eſſe reiiciendam, vt minùs propriam; reſpondetur. Quamuis homo non poſſit vnquam prædicari propriè, niſi in quid, falſum tamen eſt non poſſe propriè, ſed tantùm impropriè prædicari de Deo Filio. Quare dum petitur quid ſit Deus Filius, reſponderi optimè poteſt, homo; & quidem meliùs quam, humanus, ſiue humanatus. Et quamuis natura humana præſupponat in Dei filio ſuppoſitum conſtitutum independenter ab ipſa; non tamen ea ſuppoſito aduenit per modum accidentium; & per conſequens non eſt verum quod debeat prædicari ſolùm adiectiuè, ſeu denominatiuè; cum vniatur ipſi Dei Filio vt ſubſtantia per vnionem, non quamcumque, ſed hypoſtaticam: hoc eſt, ſic præſupponit diuinam Verbi perſonalitatem, vt ipſi perſonalitati immediatè vniatur phyſicè; atque ita ſumi poſſit ac ſignificari ſimul cum ipſa vnione concreto ſubſtantiuo. Patet autem, quòd natura humana, ſi ſimul cum perſonalitate ſibi vnita ſumatur, faciat vnam perſonam, quæ vocari debeat homo: Perſona enim omnis coniuncta naturæ alicui facit tale concretum, quod ſit per ſe ſubſiſtens, verumque ſuppoſitum. Dices. Quando vas argenteum auro ſuperinducto illinitur, non vnitur auro vnione accidentali, ſed ſubſtantiali; cùm ambo extrema vnita, nempè argentum, & aurum ſint ſubſtantiæ, veraque ſuppoſita: & tamen vnio illa etſi ſubſtantialis, non ſufficit vt vas illud dicatur eſſe aurum: ſeu verum auri ſuppoſitum; dicitur enim tantùm adiectiuè, ſeu denominatiuè deauratum. Ergo licèt humanitati Verbum vnione ſubſtantiali copuletur, non debet vocari homo ſubſtantiuè, ſed humanatum adiectiuè. Reſpondeo: vnio illa auri cum vaſe, quamquam ſit

inter

Digitized by Google

inter duas ſubſtantias, & ſubſtantialis, non eſt hypoſtatica, ſed aurum ſe habet ad argentum per modum adiacentiæ: quare mirum non eſt, ſi vas cui aduenit, nequeat dici aureum, ſed dicatur ſolummodo deauratum.

6. Aduertendum hîc occurrit, ſi comparatio fiat inter duas iſtas propoſitiones, Deus eſt homo, & homo eſt Deus; poſſe intelligi aliquod inter eas diſcrimen; licèt enim perinde vnam atque alteram Durandus pronunciet eſſe impropriam, quia in neutra fiat prædicatio per ſe; multique ſic de iis ambabus, vt vel vtraque, vel neutra per ſe ſit, philoſophari videantur; nihilominus (quandoquidem, vt iam ſuprà notauimus, omnia ſubiecta propoſitionum ſumuntur materialiter, prædicata verò formaliter) aſſerendum eſt, quòd in hac propoſitione; Homo eſt Deus, terminus qui ſubiicitur, nempe, homo, ſumi debet pro ſuppoſito, & quatenus importat perſonalitatem diuinam; terminus autem qui prædicatur, nempe, Deus, ſumitur formaliter pro diuinitate, quam vt formam importat, diſtinctèque ſignificat. Vnde fit, vt eatenus prædicatio illa ſit per ſe, cùm perſonalitas diuina (quæ in recto per nomen, *homo*, ſubiicitur) & diuinitas (quæ per nomen, *Deus*, ſignificatur expreſsè, & prædicatur) per ſe iungantur. Et ex aduerſo aſſerendum eſt, quod in altera propoſitione, Deus eſt homo; cùm Deus in ſuppoſitione ſit materiali, vt importans perſonalitatem, homo autem ſupponatur formaliter vt importans humanitatem; humanitas porrò, & perſonalitas diuina non coniunguntur per ſe, ſed per accidens, hinc fit vt illa propoſitio non habeat prædicationem per ſe.

7. Aduertendum prætereà occurrit, ſi comparatio fiat harum propoſitionum (quas Durandus vt minùs proprias reiicit) Deus eſt homo, homo eſt Deus, cum aliis propoſitionibus (quas idem Durandus approbat) habentibus prædicatum adiectiuum, nempe ex vna parte, Deus eſt humanus, Deus eſt humanatus, quæ reſpondent illi propoſitioni, Deus eſt homo: & ex altera parte, homo eſt diuinus, homo eſt dominicus, quæ reſpondent huic alteri, homo eſt Deus, dicendum videtur, Durandum, licèt non ſit audiendus, quatenus duas priores propoſitiones habentes prædicatum ſubſtantiuum improbat, non tamen eſſe omninò reiiciendum (ſicut eum aliqui reiiciunt) quatenus alias habentes prædicatum adiectiuum admittit, vt in rigore veras. Non enim deeſt bonus ſenſus, in quo Chriſtus dici poſſit Deus humanus, Deus humanatus: quamquam tales propoſitiones vtplurimum non ſint vſurpandæ ſimpliciter, & ſine aliqua explicatione, quandoquidem eas ſolebant Neſtoriani defendere in ſenſu hæretico, & purè denominatiuo; aſſerentes nempe Deum per intimam dumtaxat aſſiſtentiam, moralemque vnionem eſſe coniunctum humanitati, & non identificari cum homine, ita vt eſſet homo ſubſtantialiter. In aliquo item bono ſenſu dici poteſt Chriſtus eſſe homo diuinus, & eſſe homo dominicus: dummodo non intelligatur in ſenſu Neſtoriano, & purè denominatiuo, vt nempe Chriſtus ſolam habeat ſpecialis ſimilitudinis, familiaritatis, amicitiæ relationem ad diuinitatem, Dominumque Deum. Quomodo propter ſimilem rationem ſolemus appellare verbi causâ, Paulum diuinum, Prophetaſque, ac Sanctos alios diuinos: dicimus eodem ſenſu gratiam diuinam, Scripturam diuinam, &c. Præter illos ſenſus iam dictos, qui omninò vitandi ſunt, cùm de Chriſto eſt ſermo, intelligi poteſt alius orthodoxus ſenſus, nempe quod Deus ſit humanus, & humanatus, ita vt humanitas, & Deus vnionem habeant intrinſecam, phyſicamque. Sicut dicimus naturam diuinam, naturam humanam, Patrem diuinum, &c. vbi prædicatum non ſumitur denominatiuè, & vt ſe habens extrinſecè ad ſuum ſubiectum: eodemque ſenſu, qui non ſit purè denominatiuus, dicere poſſumus loquentes de Chriſto cum quibuſdam Sanctis Patribus, homo diuinus, homo dominicus.

8. Non autem verum eſt quod ait Vaſques, Verbum, ſeu Filium in Trinitate poſſe dici diuinum, & dominicum, ob eam tantùm rationem, quia procedit à Patre, qui eſt Deus, & Dominus; atque ita ad Deum, ac Dominum pertinet ſecundùm originem. Item ſpiritum ſanctum dici pariter diuinum, atque dominicum, quoniam procedit à ſpiratore. Nomen verò filij, & Verbi eſſe impoſitum ad ſignificandam relationem ad Patrem, vt nomen Spiritus Sancti ad ſignificandam relationem ad ſpiratorem: vnde ait, quia nomen Ieſu non eſt impoſitum ad talem aliquam relationem ſignificandam, non poſſe nos dicere Ieſum diuinum, ſeu Ieſum dominicum. Quemadmodum licèt dicamus Petrum eſſe perſonam humanam, non tamen dicimus, Petrum humanum. Hæ, inquam, Vaſquis ſubtilitates non videntur ſolidæ. Nam primo rectè dicimus eſſentiam diuinam, licèt eſſentiæ nomen non ſignificet relationem vllam originis ad Deum, ſed dicatur diuina intranſitiuè. Secundò, ſi Filius, & Spiritus Sanctus dici poſſit diuinus, quia procedit à Deo, & ad Deum à quo procedit, pertinet; nonne Ieſus vt homo eſt productus à Deo, & ad Deum pertinet? Tertiò clarum eſt, nos poſſe de Filio Dei loquentes dicere, Deus humanatus, Deus humanus, ad diſtinctionem Dei Patris, & Spiritus Sancti non incarnati. Item loquentes verbi causâ de Ieſu Sirac, poſſumus, vt diſtinguamus eum à IESV Chriſto, dicere, Ieſus purè humanus: Ergo loquentes de Ieſu Chriſto, poſſumus dicere, Ieſus diuinus. Eodemque modo ad diſtinctionem cuiuſlibet ſeu Regis, ſeu Prophetæ, ſeu Sacerdotis, qui paſſim in Scriptura vocatur Chriſtus, poſſumus loquentes de Ieſu Chriſto redemptore noſtro dicere, Chriſtus non purè humanus, ſed etiam diuinus.

Quædam alia de Chriſto propoſitiones controuerſæ.

9. Reperiuntur aliquæ aliæ de Chriſto propoſitiones affines quodammodo præcedentibus, & inter Theologos controuerſæ, quæ vt meliùs explicentur, & intelligantur, recolendum eſt quod aliàs admonuimus, in terminis concretis (ſiue adiectiui, & purè denominatiui illi ſint, ſiue ſubſtantiui) expreſsè quidem eorum formam ſignificari, in recto autem ſubiectum, vel ſubſiſtentiam; ita vt albus, verbi gratiâ, ſonet in recto non albedinem, ſed eum qui eſt ſubiectum albedinis; homo ſignificet eum qui habet humanitatem, Deus illum qui habet diuinitatem. Id tamen non valet in hoc nomine, *perſona*, quod concretum eſt ex natura, & perſonalitate: non enim in recto ſignificat id quod habet perſonalitatem. Ratio eſt quia id quod habet perſonalitatem, non poteſt ſumi (ſub hoc nomine, *perſona*) pro eo, cui perſonalitas adueniat, vt conſiderato per mentem in priori: ſed ſumi debet pro eo quod ſe habeat permixtim, & intranſitiuè cũ ipſa perſonalitate. Si enim ſumeretur vt hanc non includens formaliter, non ſumeretur vt ſubiacens huic nomini, *perſona*: alioqui cùm ſint tres perſonæ diuinæ, aſſerendum

Digitized by Google

dum foret eſſe in Trinitate tres qui habeant adiunctam perſonalitatem diuinam, ſeu qui affecti ſint perſonalitate diuina, per eamque ſubſiſtant, quod falſum eſt: quandoquidem licèt tres ſint perſonalitates diuinæ, tamen vnus eſt ſolùm Deus, qui eas habeat. His prænotatis.

10. Difficultas primò eſſe poteſt circa id quod iam diximus, nomina concreta ſubſtantiua ſignificare in recto ſuppoſitum, non autem formam ipſam, quam expreſsè exhibent; itavt cùm dicimus hominem, exempli gratiâ, non ſignificemus in recto humanitatem, qua formalitèr homo conſtituitur; ſed ſignificemus id ſuppoſitum quod habet humanitatem. Si enim ita eſt, ſequitur quod in caſu, quo tres perſonæ diuinæ aſſumerent hypoſtaticè vnam humanitatem, deberent dici tres homines; forent enim tres habentes humanitatem. Reſpondendum eſt negari hanc ſequelam. Concretum enim, *homo*, quemadmodum & *Deus*, licèt in recto ſuppoſitum ſignificet; tamen ex eo quòd expreſsè, ac diſtinctè ſignificat formam, quà conſtituitur, nempe humanitatem, ac diuinitatem, cenſeri debet eſſe nomen naturæ, non autem ſuppoſiti, ſeu perſonæ, vt habetur ex Concilio Francofordienſi affirmante hunc terminum, *Chriſtus*, eſſe naturæ nomen, non autem perſonæ: Eſt autem vtriuſque huius termini, *Chriſtus*, & *homo*, eadem ratio. Ita in Trinitate dicendum eſt, Deum eſſe nomen non perſonæ, ſed naturæ: vnde fit vt, quia eſt vna tantùm diuina natura, vnicus ſit Deus; licèt tres ſint Perſonæ, & in recto Deus perſonam ſignificet: atque pari modo, ſi tres perſonæ vnam ſolùm aſſumerent humanitatem, clarum eſt, quòd non tres deberent dici homines, ſed vnus tantùm homo. Inſtabis: vbi ſunt tres habentes humanitatem, ibi ſunt tres homines. Reſpondeo diſtinguendo: vbi ſunt tres humanitatem habentes, ſinguli ſuam, & in ſenſu ſubſtantiuo; concedo: vbi ſunt tres habentes humanitatem, omnes eandem, & in ſenſu velut adiectiuo; nego. Atque ſic in Trinitate licèt ſint tres Perſonæ habentes diuinitatem, omnipotentiam, &c. Quia tamen non habent ſingulæ ſuam propriam, ſed omnes eandem, eſt tantum vnus Deus, vnus omnipotens, & non tres Dij, nec tres omnipotentes ſubſtantiuè: ſunt tamen tres diuini, Pater diuinus, Filius diuinus, Spiritus ſanctus diuinus; tres item omnipotentes, in tali ſenſu adiectiuo, qui non multiplicet formam ſignificatam.

11. Difficultas ſecundò eſſe poteſt, num vera ſit hæc propoſitio, *Deus factus eſt homo*? Ad quod reſponderi debet, non poſſe eſſe ea de re dubium, cùm Ioannes *cap. 1.* dicat, *Verbum caro factum eſt*. Quamuis enim ſuppoſitum, ſiue Verbum non ſit abſolutè factum; tamen factum eſt, quatenus habens humanitatem: quod eſt dicere, factum eſt, vt Verbum haberet humanitatem. Quo ſenſu dicimus, Petrus factus eſt Conſul, &c. hoc eſt, habet dignitatem, quam anteà non habebat. Non poſſumus tamen conuerſa propoſitione dicere, homo factus eſt Deus, quoniam ad hoc oportuiſſet hominem præexiſtere, & poſteà hypoſtaticè fuiſſe aſſumptum, amiſſa propria, quam haberet, ſubſiſtentia.

12. Petes, quamuis fides doceat, rem ita fuiſſe de facto, vt Chriſtus non priùs homo, quàm Deus extiterit: quid tamen, ſi loquamur de poſſibili, & in caſu, quo Deus alicuius Angeli, aut hominis præexiſtentis naturam ſibi hypoſtaticè copulaſſet? poſſetne tunc dici; hic Angelus, hic homo factus eſt Deus? Reſpondeo affirmatiuè: tranſiuiſſet enim de pura creatura in Deum. Quamuis ob mutatam hypoſtaſin non deſineret eſſe idem Angelus, ſiue homo, qui ante. Quemadmodum in Trinitate non deſinit eſſe idem Deus ſub diuerſis hypoſtaſibus.

13. Difficultas eſt tertiò, verane ſit, an falſa hæc propoſitio; Chriſtus in quantum homo eſt Deus. Reſpondendum eſt illam non debere admitti, ſi reduplicatio fiat ſuprà naturam humanam, vt per ſe conſtat: non enim poteſt natura humana eſſe ratio cur Chriſtus ſit Deus. At ſi quis reduplicationem faceret ſuprà Verbi perſonalitatem, videtur quòd tunc vera foret eo modo, quo ſi diceremus, Chriſtus quatenùs habet ſecundam perſonalitatem, eſt Deus. Confirmatur authoritate Diui Thomæ, qui ait veram fore propoſitionem, ſi addatur particula, *hic*, & dicatur Chriſtus, in quantum hic homo, eſt Deus. Atqui ſi reduplicatio fiat in prædicta propoſitione ſupra hypoſtaſin, perinde eſt, ac ſi dicatur, Chriſtus in quantum hic homo: nam hic homo, qui vocatur Chriſtus, non alius videtur eſſe, quàm diuinam inuoluens hypoſtaſin: quare ſuper hanc videtur neceſſariò reduplicare qui dicit, Chriſtus vt hic homo, ſiue vt talis homo. Huic ſimile eſt quod aliàs diximus, Chriſtum quatenus hominem reduplicatione facta ſuprà perſonalitatem, eſſe Deo Patri tam gratum, quàm eſt ipſe ſibi Pater: non tamen ſi reduplicatio fiat ſuprà naturam humanam. Eodem modo ſi reduplicetur ſuprà perſonalitatem, vera erit hæc propoſitio, Chriſtus vt homo eſt ſubſiſtens, eſt perſona: quemadmodum ſi reduplicetur ſupra naturam, veræ erunt iſtæ propoſitiones, Chriſtus vt homo eſt creatura, non eſt æternus, incepit eſſe, eſt paſſus, eſt mortuus, &c. quæ falſæ erunt ſi reduplicetur ſuprà perſonalitatem.

14. Difficultas poteſt eſſe quartò, debeatne Chriſtus dici eſſe duo, an vnus. Ad quod dicendum eſt primò Chriſtum non eſſe duos, quia id ſonat eum eſſe duas perſonas, non eſt autem niſi vna perſona; & ideò dicitur in Symbolo Athanaſij, *Non duo, ſed vnus eſt Chriſtus*: contra Neſtorium, qui volebat hominem, & Deum eſſe duas in illo perſonas ſeorſim. Dicendum ſecundò, ipſum non eſſe vnum in neutro, quia id ſignificat eum non eſſe duas res. Certum autem eſt, quòd conſtet intrinſecè duabus rebus inter ſe vnitis, natura diuina, & natura humana. Debet igitur aſſeri, ipſum eſſe duo in neutro; ſicut Petrus eſt corpus, & anima, hoc eſt, duæ res. Nec obeſt quod vnio intercedat inter duo illa extrema, & ita fiat vnum compoſitum: omne enim ex duabus rebus compoſitum nihil eſt aliud, quàm duæ res vnitæ, & ſimul ſumptæ. Vbi notandum, quod in Chriſto duo extrema (duæ ſcilicet naturæ) non vniuntur inter ſe immediatè, quemadmodum corpus, & anima vniuntur in Petro. Quare Chriſtus potiori iure dici debet duæ res, quàm Petrus.

15. Difficultatem quintò facit Vaſquez poſt Scotum circa hanc propoſitionem, Deus incepit eſſe; quam negat veram eſſe. Quia cùm ſit Deo accidentale eſſe hominem, non poteſt abſolute dici ideò incepiſſe, quòd inceperit eſſe homo. Contra hos Authores eſt, quia ſi ob rationem allatam ab illis, non poteſt Deus dici incepiſſe, ob eandem rationem non poſſet dici natus ex Beatiſſima Virgine, tunc (& non ante) cùm Herodes in Iudæa regnaret: atque ita nec ipſa Virgo dici poſſet Deipara, ſeu Mater Dei: non poſſet item

Digitized by Google

dici Deus eſſe mortuus, ſeu deſiiſſe. Prudentia tamen dictat, cauendam ſpeciatim eſſe illam propoſitionem, qua Verbum abſolutè aſſeritur incepiſſe, neque eſſe æternum, ne videamur illam in ſenſu Arianorum proferre.

CAPVT IV.

De Christo vt capite & mediatore.

1. NOMEN Capitis vſurpamus hîc per metaphoram deſumptam ab eo corporis humani membro, quod nobiliſſimum, ac præcipuum eſt, & in quo tria, quæ ad noſtrum inſtitutum iam faciunt, conſiderantur. Primum eſt dignitas, & eminentia præ reliquis membris: atque hoc modo palàm eſt, Chriſtum qua hominem eſſe creaturarum omnium caput; eſt enim creatura omnium perfectiſſima. Secundum eſt influxus internus, quo cætera membra ad functiones animales, & ſenſuum operationes exercendas iuuantur, fouentur, & quodam modo animantur per ſpirituum animalium irradiationes, quibus deficientibus omnia torperent immota, ac velut mortua. Ex quo intelligitur, Chriſtum reſpectu eorum, qui per ipſum ſanctificantur, aut gratia quocumque modo excitantur, & iuuantur, dicendum eſſe Caput. Tertiò denique aduertendum eſt, quod caput vniuerſa corporis membra regit per directionem ſenſuum, quà internorum, quà externorum, qui potiſſimùm vigent in capite; vt quando oculo præcipitium vidente, vel aure periculum aduentans audiente, pedes ad ambulandum diriguntur, &c. Clarum verò eſt hanc rationem capitis in Chriſtum conuenire, qui Eccleſiam regimine gubernat, tum inuiſibili per Spiritum Sanctum, tum viſibili, ſiue per ſe (vt fecit viuens) ſiue poſt aſcenſionem ſuam per Paſtores, & Prælatos. Atque hinc patet cur Chriſtum potiùs caput noſtrum, quàm cor appellemus. Quia nimirum cordi vix competit aliud, quàm internus influxus per ſpiritus vitales, cùm de reliquo, nec ſupereminentiam dignitatis, nec gubernationem, directionemque exerceat in reliquum corpus. De capite igitur hic diſputamus explicato metaphoricè ſecundùm tres prædictas conſiderationes, excellentiæ, influxus, gubernationis.

2. Dubitatur primò, quarum creaturarum, & quomodo Chriſtus ſit dicendus caput? Sunt enim qui negent illum eſſe caput Angelorum, niſi quatenùs excellentiam dominatiuam habet. Sic Antiſiodorenſis, Gabriel, Soto, Driedo, &c. Sunt qui fateantur illum eſſe caput tum hominum, tum Angelorum, negent tamen aliarum creaturarum, vt Alenſis, Ricardus, Paludanus, Durandus, &c. Dicendum verò eſt, Chriſtum eſſe caput, cùm hominum, quos Eccleſia militans, triumphanſque comprehendit; tum Angelorum, tum etiam aliarum creaturarum, quamquam eorum omnium non eodem modo. Prima pars quoad homines certa eſt de fide, traditurque ſæpiùs à Diuo Paulo, vt *Epheſ.* 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Idem de hominibus explicatur fuſiùs *cap.* 4. vbi inter alia dicitur; *Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Habetur etiam *cap.* 5. de hominum Eccleſia; *Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſaluator corporis eius?* Eodemque ſenſu dicitur *Coloſſ.* 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis.* Ratio autem eſt manifeſta. Nam in Eccleſia hominum tam militante, quàm triumphante, Chriſtus ſic homogeneitatem habet cum reliquis membris, vt tamen ſupereminea; gratias, quæ illis conferuntur per influxum originet; variamque tanquam ſummus Rector gubernationem exerceat. Ad Eccleſiam militantem reducuntur omnes infideles, ac ethnici, quatenùs adhuc ſunt in via, & quodam modo militant, ad fidem inuitantur, gratias præuenientes per Chriſtum habent. Reprobi autem poſtquam damnati ſunt, & non continentur ampliùs in Eccleſia, non poſſunt dici habere caput Chriſtum; cùm nullum influxum alicuius boni ab eo habeant, nullam gubernationem. Nec refert quod habeant influxum conſeruationis, hæc enim non eſt illis bonum, & beneficium, ſed pœna; nec per Chriſtum. Subſunt tamen illius poſcentis ab eis pœnas iuriſdictioni, voluntati, atque omnimodæ dominationi eodem modo, quo dæmones, eſtque eatenus horum, & illorum par ratio. Quòd autem homines reprobi antequam damnati ſint, Chriſtum habeant pro capite, ita vt ab illo gratias ad gloriam obtinendam ſufficientes accipiant, fide diuina certum eſt, atque definitum contra hæreſin Ianſenianam, aſſerentem, quòd Semipelagianum ſit dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. Quam propoſitionem quintam, inter damnatas ab Innocentio X. frequentiſſimè, & affirmatiſſimè protulit, ac ſtabilire conatus eſt Ianſenius *lib.* 3. *de gratia Saluatoris*, *cap.* 21. Nam poſtquàm initio procaciſſimè contra Leſſium, doctrinamque catholicam inſaniit, nihil agit toto illo capite, quàm vt prædictam propoſitionem confirmet: & inter alia ſic habet *pagina* 164. *columna* 2. (editionis Rotomagenſis anni 1643.) *Iam ſatis arbitror patere, argumentum iſtud, quo Chriſtus pro omnibus mortuus dicitur, nihil omninò pro auxilio ſufficienti omnibus ſuppeditando facere: Nec enim iuxta doctrinam antiquorum pro omnibus omninò Chriſtus mortuus eſt, cùm hoc potius tanquam errorem à fide catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Item *pagina* 166. *col.* 2. ſic ait; *Sciuit enim Chriſtus, quò quiſque iam ab æternò prædeſtinatus erat.* (vbi nota Ianſenium ſenſiſſe cum Caluino, Deum ita quoſdam prædeſtinaſſe ad damnationem, vt nollet eis dare gratias ad ſalutem neceſſarias.) *Sciuit hoc decretum, neque vllius pretij oblatione mutandum eſſe, nec ſeipſum velle mutare. Ex quo factum eſt, vt iuxta Sanctiſſimum Doctorem* (Auguſtinum) *non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum* (reproborum) *quàm pro diabolo deprecatus fuerit.* Hæc apud Ianſenium nemo eſt præter Ianſeniſtas (negantes ea vllibi apud eum authorem inueniri) qui non legat.

3. Petes, num Chriſtus ſit caput puerorum, qui in vtero matris clauduntur; præſertim eorum, qui nunquam baptizandi ſunt, ſed antè damnandi, quàm naſcituri. Reſpondetur omnium huiuſmodi puerorum Chriſtum eſſe caput. Nam primò, ſi de iis ſermo ſit, qui peruenturi ſunt ad baptiſmum, non eſt dubium, quin ex meritis Chriſti ordinaria, & ſæpè extraordinaria per Angelos, & aliter exerceatur erga eos prouidentia, vt de facto baptizari poſſint. Illorum autem puerorum qui ſine baptiſmo decedunt, aſſero nullum eſſe, in quem Chriſtus non habeat aliquem influxum ſufficientem, vt baptizari poſſet, quatenùs Deus ita cauſas propter Chriſtum diſpoſuit, vt & ipſe viuere donec baptizaretur, poſſet, & alij eum baptizare deberent, ac omnia ad id

agendum

Digitized by Google

agendum neceſſaria ſuppeterent. Quod ſi moriatur abſque baptiſmo, intercedit aliqua hominum culpa. Id verò, cùm per accidens ſit, non debet impedire, quo minùs talis puer dicendus eſſet antequàm de facto moriens damnaretur, membrum Chriſti. Poſtquam verò ſupponitur iam mortuus, & ſuo modo damnatus, poteſt etiam aliquo modo dici Chriſtus eſſe eius caput ratione creationis (omnia enim per ipſum Chriſtum, & propter ipſum creata ſunt.) Præterea fortè ratione alicuius alius beneficij naturalis, propter eundem Chriſtum ipſi conceſſi. Eſt verò diuerſa ratio eorum qui ob peccata ſua perſonalia torquentur in inferno, his enim iam neque conſeruatio, nec quicquam aliud tribuitur, niſi in pœnam, & independenter à Chriſti meritis.

4. Secunda pars ſuperioris concluſionis quoad Angelos non eſt tam certa, ac præcedens : habet tamen apud me gradum quemdam certitudinis non multò inferiorem. Et probatur ex *Coloſſ. cap. 2. Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis Principatus, & Poteſtatis.* Dixerat verò Apoſtolus in eadem epiſtola *cap. præcedente; Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: & ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ.* Vbi duo ſupponenda ſunt vt ſatis manifeſta. Priùs eſt, loqui Paulum de Chriſto vt homine, non enim eſt in quantum Deus Caput creaturarum velut membrorum ſuorum, cùm Deus non habeat illam homogeneitatem cum ipſis creaturis, quam caput requirit cum ſuis membris. Alterum eſt, nomine Eccleſiæ, quæ Corpus eſt Chriſti, comprehendi etiam debere Angelos. Id vtrumque clarè patet ex *cap. 1. ad Epheſios: Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit Caput ſuprà omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Vides eo loco ſermonem eſſe de Chriſto vt homine, & vt à mortuis ſuſcitato. Item cum dicitur eſſe ſupra omnem Eccleſiam, eos etiam comprehendi ſpiritus Angelicos, qui ibidem ſunt enumerati. Conſule Cornelium à Lapide in prædicta verba.

5. Chriſtum eſſe Caput Angelorum, non quocumque modo, ſed vt cauſam meritoriam ſanctificationis eorum, & glorificationis, omniumque gratiarum, quas acceperunt, probatum ſatis manet ex iis quæ libro quinto docuimus, oſtendentes ipſum Chriſtum, licèt Adam non peccaſſet, fuiſſe venturum propter motiua Angelis, hominibuſque communia : vbi aſſeruimus gratiam in Adamum innocentem, & in Angelos à Chriſti meritis omnem defluxiſſe. Porrò multas nunc in cœlis habere Angelos à Chriſto irradiationes, ac reuelationes, eatenuſque hunc illorum eſſe Caput, nemo negauerit. Et quidem Sanctus Dionyſius ait, Chriſtum eſſe primum Hierarcham Angelorum. Certum item eſt Angelos ab ipſo regi, mitti, &c.

6. Tertia pars, quòd Chriſtus ſit Caput omnium creaturarum, patet ex eo quòd ipſum Deus Dominum, Regem, ac Ducem impoſuerit omnium rerum vniuerſitati. Quare non dubito quin tanquam cauſa finalis in omnium rerum creationem influxerit. Eas item iam creatas gubernat, in ipſas quemdam ſplendorem immittit moralem, quem non haberent, ſi Incarnatio non fuiſſet. Non eſſe autem Chriſtum, vt vltimò in concluſione monuimus, eodem modo caput omnium creaturarum, per ſe conſtat. Nam in homines influit cauſando non ſolùm gratiam habitualem, ſed etiam remiſſionem peccatorum, & in iis operatus eſt redemptionem ; quod dici non poteſt reſpectu Angelorum, quos tamen ſanctificauit ſuis meritis, glorificauit, & iam variè illuminat, ac dirigit, vt paulò antè diximus. Cæteras autem res irrationales nec ſanctificat, nec regit eo modo ; ſed eſt ipſarum caput quodam alio longè diuerſo. Dices: quamuis poſſit vocari Dominus omnium creaturarum ratione carentium, nullo tamen modo vocari poteſt earum caput. Quemadmodum Rex caput quidem eſt hominum ſibi ſubditorum, at non eſt caput equorum, alitum, lapidum, arborum, &c. Reſpondendum eſt non poſſe Regem dici caput lapidum, arborum, &c. quia ſic ea poſſidet quaſi Dominus, vt in ea nihil influat, neque illis quicquam communicet; quod ratio capitis importat. Chriſtus autem quaſi primum exiſtens in prædeſtinatione Dei, fuit cauſa meritoria cur cætera omnia crearentur, & ita dedit illis aliquo influxu exiſtentiam.

7. Dubitatur ſecundò, quænam ſit forma, per quam Chriſtus conſtituitur in eſſe capitis. Reſpondeo. Diuus Thomas *quæſt. 8. art. 5.* & quidam alij putant, gratiam capitis in Chriſto eſſe gratiam habitualem : alij eſſe gratiam vnionis. Dicendum eſt dignitatem capitis non eſſe quippiam phyſicum, ſed eſſe formam moralem, quæ fundatur in gratia vnionis, quemadmodum *lib. 7. cap. 4. num. 10.* docuimus ; non autem in gratia habituali : quaſi nempe ſine hac non poſſet eſſe, nec exerceri munus capitis, & quaſi nequiret ad id gratia vnionis ſufficere. Nihilominus quandoquidem aliunde conueniens fuit gratiam habitualem in Chriſto reperiri, ea non fuit inutilis ad functionem capitis. Suppeditauit nempe phyſicos eos actus humanos, per quos infinitam à gratia vnionis nobilitatem habentes redemptum eſt genus humanum, & ad Dei amicitiam reſtitutum. Cùm enim tales actus oporteret eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales, id eis præſtitit gratia habitualis, & ei annexæ virtutes, quod in harum defectu præſtitiſſet Spiritus ſanctus fungens pluſquam officio cauſæ primæ. Porrò ex dictis colligi facilè poteſt, dignitatem capitis, quæ fundatur in gratia vnionis, & ad quam gratia habitualis non omninò impertinenter ſe habuit, conuenire Chriſto & quà Deo, & quà homini : actus enim meritorios, quibus nos redemit, & vt homo elicuit, & vt Deus dignificauit, vt per eos pro nobis infinitè mereretur, ac ſatisfaceret. Præterea ipſi, quà homini diuinam hypoſtaſin habenti, data eſt, vt Summo Capiti, omnis poteſtas in cœlo, & in terra.

8. Dubitari poteſt ſecundò, quæruntque nonnulli, vtrum Chriſtus ſit caput noſtrum dumtaxat quoad ipſius animam, an verò etiam quoad corpus; & vtrum dumtaxat animarum noſtrarum, an etiam noſtrorum corporum. Reſpondeo : patet quòd ex parte Chriſti, non ſola ipſius anima, ſed etiam corpus contulit ad noſtram redemptionem, & ad ea exercenda meritoria, ſatisfactoriaque opera, quæ in nos ſalutis influxum habuerunt. Ex parte verò noſtra, non in ſolas animas, ſed etiam in corpora Chriſtus, vt caput, influxus varios habet, ad paſſiones ſenſuales mitigandas, ad conſeruandam caſtitatis integritatem, ad infundendas ſanctis in reſurrectione cum gloria dotes corporis, & ad ipſius glorioſæ reſurrectionis ius tribuendum.

9. Dubitatur quartò, num præter Chriſtum vlla ſit, aut eſſe poſſit creatura, cui dignitas capitis

Digitized by Google

noſtri conuenire queat. Reſpondeo. Certum quidem eſt, Adamum fuiſſe caput generis humani eo pacto, vt ſi fidem Deo ſeruaret, nec de fructu vetito comederet, iuſtitiam originalem nobis omnibus, aliunde quàm ex ipſius Adami merito deſtinatam, non eſſemus amiſſuri: contra verò illa cariturí eſſemus, ſi is poſterorum ſuorum perſonam publicam ſuſtinens, Dei transgrederetur præceptum. Certum item eſt, quod in aliquo ſenſu Pontifex Maximus Caput eſt omnium Chriſtianorum, quoad gubernationem ſcilicèt, applicationem remediorum, ſeu mediorum ad ſalutem, &c. Verumtamen eo modo, quo Chriſtus dicitur caput quoad ſatisfactionem pro peccatis condignam, meritumque item condignum infuſionis gratiæ, &c. de fide eſt non alij, quàm Chriſto rationem capitis conuenire. Sed & alibi docuimus nulli, quantumvis perfectæ creaturæ, poſſe de potentia Dei abſoluta competere; quamuis aliqui ſint, in quibus Vaſques, & Ariaga, qui putent non repugnare, quin per potentiam abſolutam creatura quædam ſanctiſſima conſtituatur caput ad promerendam gratiam iis, qui non ſint in ſtatu peccati mortalis, hoc eſt, qui vel iam iuſti, vel in pura ſint natura.

10. Dubitatur quintò, num Chriſtus dicendus propriè ſit membrum Eccleſiæ, cùm ſit illius caput. Reſpondendum eſt, non eſſe propriè. Sic enim ex illa eminet, vt potiùs fideles omnes, qui illam componunt, dicantur membra ipſius Chriſti; & ipſa Eccleſia dicitur 1. *Corinth. cap.* 12. eſſe *corpus eiuſdem Chriſti.* Quemadmodum ergo tu non potes dici eſſe membrum corporis tui, ſic nec Chriſtus Eccleſiæ. Adde quòd hæc vox, *membrum*, ſonat rationem partis imperfectam, & aliquid incompletum. Videtur & ſonare talem partem, quæ recipiat quempiam ab aliis influxum; præſertim ab eo quod in corpore ſit præcipuum: vnde non ſolemus caput vocare hominis membrum. Quod autem ait Apoſtolus 1. *Corinth.* 12. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membrum de membro*; non ſignificat fideles comparari ad Chriſtum quaſi membrum vnum ad alterum commembrum; ſed ſignificat quoſlibet fideles eſſe membra ad inuicem, & componere corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia.

11. Supereſt vt explicemus ſecundam partem tituli, qui præfixus eſt huic capiti; quam vt meliùs percipias, aduerte Mediatorem poſſe intelligi pluribus modis. Nam quiſquis interuenit alicui negotio alterius, poteſt mediator nuncupari; quo modo illi qui mero internunciorum officio funguntur, mediatores dici poſſunt. Et multò magis illi, qui vt arbitri, cauſam vtriuſque partis iudicando decidunt. Neutro nos horum modorum Chriſtum hìc mediatorem appellamus, ſed duobus aliis modis, quatenus nempè pro nobis apud totam Trinitatem & ſuam gratiam interpoſuit, vt bona nobis impetraret, & quatenus (quod magis eſt) Patri ſoluit ad æqualitatem, imò & ſuperabundanter noſtra debita, ſicque nobis illum placauit. In quo ſenſu nullus alius ſiue hominum, ſiue Angelorum poteſt dici noſter mediator, vt docet Paulus 1. *ad Timothæum c.* 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Cùm autem ſpecialiter ratio mediatoris propria ſit Sacerdotis, elucet ea præcipuè in Chriſto, quatenus (vt ſequenti capite exponemus) Sacerdos extitit, cùm pro nobis orauit, & in cruce obtulit ſe in ſacrificium. Pertinent enim maximè illa duo ad munus Sacerdotij, offerre ſcilicet Deo orationem, & ſacrificium. Verùm aliquo imperfectiore modo poſſunt alij eſſe mediatores. *Ego ſequeſter* (inquit *Moyſes Deuteron.* 5.) *& medius fui inter Dominum, & vos, vt annunciarem vobis verba eius.* Ita Sancti in cœlo, & quilibet in terra, maximeque Sacerdotes, poſſunt eſſe noſtri mediatores ſuis apud Deum ſupplicationibus. Aduertis ex iis quæ paulò antè in hoc ipſo capite dicebamus, Chriſtum non modò hominum, ſed etiam Angelorum dicendum eſſe mediatorem: quamuis non eadem penitus ratione; cùm non hos, ſed illos redemerit.

CAPVT V.

De Chriſto Sacerdote, atque Propheta.

1. QVÆ in Chriſto poſſunt conſiderari officia, & munera, reuocantur ferè ad hæc tria, Sacerdotis, Prophetæ, & Regis: quæ tria cùm haberent in veteri lege id peculiare, vt vnctionis myſtica adhibita ceremoniâ, conferrentur, cenſeri debent ei præcipuè conuenire, qui præ cæteris Sacerdotibus, Prophetis, ac Regibus tantò differentius Chriſti, ſiue vncti nomen hæreditauit, quantò diuiniorem vnctionem habuit, non oleo ad vnius lecythi menſuram inſtillato, ſed totius diuinitatis in ipſum effuſa plenitudine. Nos igitur hìc de illo primùm vt Sacerdote, dein vt Propheta, denique vt Rege diſſeremus.

Licèt Sacerdotis nomen in Scriptura largius, minuſque propriè vſurpatum reperiatur, & vox כֹּהֵן quæ illi apud Hebræos reſpondet, extendatur ad primarios quoſcumque Règni, politicæque gubernationis miniſtros, quo modo *cap.* 41. *Gen.* Putiphar Ioſephi ſocer dicitur Sacerdos, quòd Præfectus eſſet Vrbis On, & 2. *Regum cap.* 20. Ita Iarites vocatur Sacerdos Dauidis, כֹּהֵן לְדָוִד; nihilominus Sacerdotem propriè nos hìc ſumimus pro perſona legitimè conſtituta, vt media ſit inter Deum, & homines, atque pro his illi offerat ſacrificium, in hocque ſenſu;

2. Dicendum eſt Chriſtum eſſe Sacerdotem, idque fides catholica ſancit, & habetur ex Apoſtolo *ad Hebræos cap.* 5. vbi aptat Chriſto verba illa Pſalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et paulò poſt; *Appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech.* Item cap. 7. *Hic autem quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Et quidem ſi proprium eſt Sacerdotis offerre hoſtias, vt habetur *Hebr.* 5. clarum eſt Chriſtum obtuliſſe Deo veriſſimam hoſtiam ſeipſum. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Epheſ.* 5. Idque habetur definitum in epiſtola Concilij Alexandrini *anathematiſmo* 2. quam epiſtolam recepit Epheſinum. Porrò debitum eſt vnioni hypoſtaticæ tanquam eius proprietas, vt Chriſtus à Deo conſtitutus ſit Sacerdos, alioqui non minùs violenter feciſſet Deus, quàm ſi proprietates alieni enti phyſico denegaret. *Chriſtus* (ait Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſi* 10.) *non ex corporea ſucceſſione accipiens ſacerdotium, neque factitio oleo vnctus, ſed ante ſæcula à Patre.* Dixerat autem idem Sanctus Pater anteà, *propter illius diuini olei æternitatem Chriſtum eſſe ſummum Sacerdotem, & immutabile habere ſacerdotium, quod nec à tempore cœpit, nec eſt vnquam deſiturum.*

Excellen

Digitized by Google

3. Excellentiam huius, quod Chriſtus fortitus eſt, Sacerdotij proſequitur Paulus *cap. 7. epiſtolæ ad Hebræos.* Æternitatem eius inde ait ſignificari, quòd ſit ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui in Scriptura eſt ἀγενεαλόγητος, hoc eſt, abſque recenſito Patre, & Matre, & abſque vllo poſtero, vel ſucceſſore: atque ita velut æternus, ac neque initium, neque finem dierum habens. Ex eodem Melchiſedecho, cui Abrahamus (& in Abrahamo Aaron, vtpote latens in eius lumbis) decimas obtulit; & qui Abrahamum ipſum (& in eodem Aaronem) benedixit, infert Apoſtolus, *Sacerdotium Chriſti eſſe præſtantius ſacerdotio Aaronis. Nam Leuitici Sacerdotes ſumebant decimas à populo, hoc eſt, à fratribus ſuis, Abrahamique prognatis: at Melchiſedech, cuius generatio non annumeratur in eis, decimas ab ipſo anteà ſumpſerat Abrahamo, in quo Leui, & Aaron decimatus eſt; & hunc, qui habebat repromiſſiones, vt inferiorem benedixerat vt ſuperior. Quantus ergo fuit is, cui & decimas dedit, & à quo benedictionem accepit tantus Patriarcha, ob præſtantiam ſacrificij Melchiſedech, & infirmitatem Sacerdotij Aaronici, neceſſe fuit iſtud quidem ceſſare, nouum autem illud oriri, vt conſequenter tranſlato ſacerdotio extra Tribum Leuiticam, tranſlatio fieret totius legis propter inutilitatem veteris, quæ nihil ad perfectum adduxit.*

4. Præterea nouum Chriſti Sacerdotium fuit omnium gentium, & non tantùm Iudæorum: quemadmodum Melchiſedech fuit Sacerdos & gentium, quia gentilis, ſiue Cananæus; & Iudæorum, quia ſacrificium obtulit pro Abrahamo Iudæorum Patre. Ad huius noui Sacerdotij firmitatem, collatum ipſum eſt Chriſto cum Dei iuramento. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum.* Nullus autem vnquam Aaronicorum Sacerdotum inſtitutus fuit adhibito Dei iuramento. Adde quòd Chriſtus fuit vnicus, & abſque ſucceſſore in nouo Teſtamento, ſacerdotium ἀπαράβατον habens, *ſemper viuens ad interpellandum pro nobis, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus:* atque ſacrificium ſuum crucis vnicum offerens, cùm in cœlo per omnem deinceps æternitatem, vt olim quidem factum, ſed in ſuis effectibus moraliter præſens; tum in terra vſque ad finem mundi iuge, & myſticè repetitum. Ipſe enim eſt, qui quotidie in terra per Sacerdotes mortales pronunciat verba conſecrationis; *Hoc eſt corpus meum:* & quia mentiri non poteſt, verificat ſtatim quod ore ſuorum Miniſtrorum dixit, operando per ſuam omnipotentiam transſubſtantiationem, hinc panis in corpus, & hinc vini in ſanguinem ſuum: qua in operatione conſiſtit formaliter ratio ſacrificij. Poſt diem verò iudicij Chriſtus erit per totam æternitatem Sacerdos, vt ſic dicam, in actu primo. Quamvis enim poſt mundi finem non offerendum ſit vnquam nouum ſacrificium; Eius tamen offerendi ſi neceſſitas, vel occaſio ſe oſtenderet, poſſet ille ſuo ſacerdotio vti, quod fundatur in vnione hypoſtatica, & ei datum eſt in ipſius perpetuum ornamentum. Non eſt autem eadem ratio in aliis Sacerdotibus, & Pontificibus: nam licèt character ſacerdotij nouæ legis perſeueraturus ſit in æternum; non tamen perſeuerabit deputatio, & ius ad ſacerdotalia munia. Quare ſi Pontifex aliquis, etſi ſummus, qui mortuus iam eſt, reſurgeret, non dicendus foret ampliùs nec Sacerdos, nec Pontifex defectu deputationis. Hactenus egimus de Chriſti Sacerdotio ſecundùm ſe, nunc de eius ſacerdotij diſſerendum eſt vſu.

5. Qui vſus duplex eſt præcipuè; ſacrificium, & oratio. Et quidem quod ad ſacrificium ſpectat, duplici modo ſe Chriſtus per illud obtulit, nimirum in cruce, phyſicè moriens, & myſticè moriens in Euchariſtia. Quod ſe in cruce ſacrificauerit, teſtatur Paulus *ad Hebræos cap. 9.* his verbis; *Per proprium ſanguinem introiuit in ſancta;* vt alij quondam Sacerdotes per ſanguinem hircorum & vitulorum. Nec obeſt quod ipſe non ſe occiderit, ſed tantùm permiſerit ſe occidi. Vbi reiiciendi ſunt, qui aiunt, Chriſtum, vt Deum, ſe immolaſſe, ac occidiſſe; quatenùs ceſſauit ab actione phyſica, qua conſeruabat vnionem inter ſuum corpus, & animam. Abſurdè: nam ſic Deus, quà talis, fuiſſet Sacerdos, & ſibi ipſi ſacrificaſſet. Verùm dicendum eſt, vt aliquis Sacerdotis officium impleat, verèque ſacrificet, non eſſe opus ab ipſomet victimam occidi (hoc enim officium poparum erat vt plurimùm, atque cultrariorum) ſatiſque eſt, ſi eam per alium occidi vel faciat, vel permittat, cùm poſſet impedire, & ipſam dum ita occiditur, offerat Deo; per eam occaſionem intendens proteſtari ſummam Dei excellentiam. Sic enim Chriſtus fuit hoſtia, ſecundùm quod vnio ſubſtantialis inter animam, & corpus deſtruebatur. Nec ſequitur inde, quòd Martyres in ſuo martyrio fuerint Sacerdotes, & ſeipſos ſacrificarint. Nullus enim in noua lege deputatus eſt Sacerdos, niſi ad ſacrificandum corpus Chriſti, præter quod nulla iam admittitur hoſtia. Circa ſacrificium oblatum in cruce dubitari poteſt, num id fuerit ſecundùm ordinem Aaronis, an ſecundùm ordinem Melchiſedech. Ad id Reſpondetur, quod quemadmodum ſacrificium in Euchariſtia dicitur ſecundùm ordinem Melchiſedech; quia eſt incruentum, & ſub ſpecie aliena, nec propria ipſius victimæ, ſed ſub ſpecie panis, & vini: ſic ſacrificium in cruce dici poteſt ſecundùm ordinem Aaronis, ob aliquam cum Aaronico ſacrificio ſimilitudinem; quòd nempe fuerit & cruentum, & in propria, naturalique ſpecie victimæ oblatum.

6. Quæri item hic ſolet, vtrum Chriſtus in cruce ſacrificium pro ſe obtulerit, aut offerre potuerit? Ad quod reſpondendum eſt negatiuè: nam Sacerdos ſacrificans, prout talis, mediator eſt inter Deum, & inter illum, pro quo ſacrificat, vtpote indigentem alterius interuentu; cùm ipſe fiduciam non habeat ad Deum per ſe accedendi. Vnde Chriſtus dicitur *ad Hebræos cap. 3. Apoſtolus, & Pontifex confeſſionis noſtræ;* vt ponderat Concilium Alexandrinum *in epiſtola ad Neſtorium*, approbata in Conciliis Epheſino, & Calcedonenſi. Atqui Chriſtus non indigebat vllum mittere mediatorem ſiue Apoſtolum, aut interuentorem ad Patrem: eſſetque ridiculum, & contradictorium dicere, quòd indigeret interuentore, & mediatore ſemetipſo; hoc eſt, quòd indigeret, vt ipſe non immediatè per ſe, ſed mediante ſeipſo ageret apud Patrem. Nec obſtat, quòd, vt Scriptura teſtatur, Chriſtus pro ſe Patrem orauerit, atque ita videatur fuiſſe mediator inter ſe, & Patrem: *In diebus carnis ſuæ* (inquit *loco citato* Paulus) *preces, ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Id, inquam, non obſtat. Nam aliud eſt orare, ſeu petere (quod qui-

Digitized by Google

libet facere poteſt per ſeipſum) aliud mittere legatum, ſeu adhibere mediatorem, qui aliquid petat ab eo, ad quem ſufficiens non habeatur acceſſus. Dico autem, quòd Sacerdos, quatenùs ſacrificans, ſonat miſſum, Apoſtolum, internuncium, mediatorem pro eo qui non per ſe acceſſerit ad petendum. Quare dicendum eſt Chriſtum, quando in actuali crucis ſacrificio cum clamore valido, & lacrymis Deo preces offerebat, vt Sacerdos, & vt ſe immolans, id feciſſe vt mediatorem, hoc eſt, non pro ſe, pro quo non moriebatur, ſed pro nobis, pro quibus ſolis mortem obibat, vt benè Diuus Chryſoſtomus explicat. Sic enim iuxta D. Paulum, *Conſummatus factus eſt* (non ſibi ſed) *omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech. Vides* (ait hæc exponens verba Chryſoſtomus) *quoniam nihil aliud facit Apoſtolus, niſi quòd curam de nobis Chriſtum habere aſſerit, & excellentiam charitatis eius oſtendit.* Ex dictis collige, quod nunc dum Sacerdos quiſpiam pro ſe ipſo Miſſam celebrat, non facit hoc niſi quatenus verè mediatorem pro ſe adhibet Chriſtum, vt præcipuum, ac verum Sacerdotem, qui ſe illius miniſterio ſuper Altare ſacrificat propriè, & immolat. Miſſa enim eſt ſecundus, quem ſuprà propoſuimus, ſacrificij vſus; quem vſum Chriſtus per ſemetipſum in Eccleſia continuat, de quo aliquid breuiter iam dicendum.

7. In hoc Sacerdotij Euchariſtico vſu, ob eius cùm ſublimitatem atque excellentiam, tum mortalium vtilitatem, dignitas Religionis Chriſtianæ elucet maximè: quæ enim fuit aliquando natio, quæ haberet Deos ſuos appropinquantes ita ſibi, vt adeſt nobis Deus noſter? aut quod vnquam opus extitit, vbi tot ſimul omnipotentiæ diuinæ ſigna conuenerint; quot in hoc ſacrificij genere, in quo Chriſtus miraculis, prodigiiſque circumfuſus habitat magnificentiùs quodammodo, ac ſupernaturaliùs, quàm in cœlo? Ad dexteram enim Patris occupat ſedem ſibi naturalem; in hoc autem ſacrificio manſionem nactus eſt vndecumque ſupernaturalem, vim inferens rerum naturæ: quam in ſubſtantiis panis, & vini funditùs deſtruit, in accidentibus ſuſpenſam tenens eludit, vim ſuæ etiam humanitati inferens, quam multiplicata præſentiâ à ſe ipſa loco diſcludit, cuius membra penetratione confundit, &c. Quod ſi vtilitates, quæ ex hoc ſacrificio Euchariſtico percipiuntur, attendamus, valet illud in primis ad gratias Deo referendas, vt ipſum Euchariſtiæ nomen oſtendit. Quæ enim beneficia poteſt nobis Deus conferre, quæ inferiora non ſint iis gratiis, quas per hoc ſacrificium illi referimus? Valet item æquè ad impetranda beneficia, cùm tantidem ſit quælibet huius diuinæ victimæ oblatio, quanti ſimul omnia, quæ à Deo ſperare poſſumus, vel optare. Prætereà eſt ἱλαστικὸν, & valet ad condonationem peccatorum, vt docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. & *can.* 3. quoad culpam quidem mediatè, obtinendo præuenientia auxilia, & contritionem; quoad pœnam verò immediatè, ſine vlla phyſica mutatione peccatoris, ſed tantùm cum mutatione morali per extrinſecam Dei condonationem. Valet etiam ad pœnas huius vitæ, flagellaque Dei auertenda, ac denique ad cuilibet ſubueniendum neceſſitati. Ex his apparet vnum hoc ſacrificium tribus veteris legis ſacrificiis æquiualere; nimirum ei quod holocauſtum, ei quod pro peccato, & ei quod pacificum dicebatur, atque illa quodam nobiliori modo in ſe includere.

8. Porrò ſacrificij huius vtilitates latiſſimè patent: prodeſt enim non tantùm iis, pro quibus (licèt abſentibus, ac neſcientibus) illud offert Sacerdos priuata, & peculiari intentione; ſed ex natura ſua extenditur ad vniuerſam Eccleſiam, & ad omnes fideles viuos, atque defunctos; iiſque vtile eſt vi ſua, & quaſi ex opere operato; debetque illud omnis Sacerdos intendere iuxtà mentem Eccleſiæ, vt patet ex oblatione cùm panis, tum vini, quam ait ſe facere pro omnibus Chriſtianis viuis, atque defunctis, oratque vt ſua oblatio pro noſtra, & totius mundi ſalute aſcendat. Cùm tanta ſit virtus huius ſacrificij, determinat Deus fructum, qui applicetur illis, pro quibus peculiariter Sacerdos celebrat: determinat pariter illum, qui ad omnes, ac ſingulos viuos, defunctoſque extenditur: non enim extenditur vnquam ſecundùm omnem omninò virtutem, quam habet infinitam. Nam ſic vnico ſacrificio expedirentur omnes difficultates Eccleſiæ, & plenè cunctis ſatisfieret neceſſitatibus viuorum, atque defunctorum. Cùm autem omnibus communiter viuis, atque defunctis applicatur, non minorem fructum ſinguli fideles, tam viui, quàm defuncti percipiunt, licèt omnes ij ſint multi, quàm ſi eſſent pauci. Eodem modo ex circumſtantibus non minùs ſinguli percipiunt, ſi plures ſint qui ſacrum audiant, quàm ſi pauciores. Maior tamen ſemper applicatur fructus iis, pro quibus nominatim intentione ſpeciali celebrare vult Sacerdos. Putant nonnulli (vt Caietanus, & Vaſques) quando ſpecialiter ſacrum fit pro pluribus, non minorem fructum percipi ab horum ſingulis, quàm ab vnico, ſi pro eo ſolo fieret, perciperetur. Non tamen ideò Sacerdos qui pro tribus ſacris, v.c. à totidem hominibus ſtipendium accepiſſet, poſſet vno ſacro pro omnibus ſatisfacere: quilibet enim eorum, à quibus pro ſacro faciendo ſtipendium accipitur, vult ſibi applicari non modò fructum præciſè ſacrificij, ſed fructum etiam orationum, diuinarum laudum, & cæremoniarum, quæ ipſi ſacrificio adiunguntur, & quarum fructus non eſt infinitus, ſed quò extenditur ad plures, eò minor eſt in ſingulis.

9. Cùm oratio, vt *num.* 5. diximus, ſit etiam peculiaris, neceſſariuſque vſus Sacerdotij, Chriſtus eam ſæpiùs, dum viueret, vſurpauit. Et quamuis omnia facere potuiſſet abſolutè ſine oratione; non enim orauit quaſi ipſe (Deus exiſtens, & homo) eſſet impotens, ſicut ait Sanctus Thomas *quæſt.* 21. *art.* 1. *ad* 1. Tamen vi ordinationis diuinæ aliqua fuere, quæ non niſi per eius vt hominis orationem erant exequutioni mandanda. Dubium verò hìc eſt primò, vtrum ſemper eius oratio fuerit exaudita. Negat Caietanus cum aliquibus recentioribus Thomiſtis *in art.* 4. *quæſt.* 21. quemadmodum & Bonauentura *in* 3. *diſt.* 17 *art.* 2. Ricardus, Maior, Durandus *ibidem.* Hi enim volunt duplicem in Chriſto fuiſſe orationem; vnam quidem inefficacem, quæ eſſet explicatio deſiderij inefficacis, qualis illa fuit *Matth.* 26. *Tranſeat à me calix iſte*: & illa *Luc.* 23. *Pater dimitte illis.* Atque huiuſmodi orationem aſſerunt non obtinuiſſe quod petebat, vt conſtat. Alteram agnoſcunt orationem efficacem, per quam nempe Chriſtus deſiderium ſuum efficax propoſuerit Patri, volens illud impleri: hoc autem orationis genus volunt fuiſſe ſemper exauditum. Sed probabiliùs videtur omnem Chriſti propriè dictam orationem fuiſſe exauditam. Sic Vaſques *diſp.* 82. *cap.* 5. vbi Sanctum Thomam, Alexandrum, & Paludanum pro ſe citat. Vt id probetur, aduerte quòd poteſt quidem conſiderari in Chriſto deſiderium duplex; vnum inefficax, efficax alterum: atque rurſus efficax deſiderium,

Digitized by Google

deſiderium, ſeu efficax voluntas bifariam ſubdiuidi poteſt, vt diximus *libro* 9. *cap.* 11. *ſub finem*: deſiderium enim aliquod poteſt eſſe impropriè efficax, quatenùs licèt ſit valdè accenſum affectiuè, & pluſquàm permiſſiuum; tamen tale eſt vt non curet ſuperare omnem difficultatem, nec procurare omnia, quæ poſſet media; atque adeò non eſt abſolutè efficax. Præterea reperitur aliud deſiderij genus abſolutiſſimè efficax: nihilominùs non videtur ſimiliter admittenda duplex oratio. Nulla enim eſt, quæ non ſit perfectè, & abſolutè efficax, quantum eſt ex ſe, & ex parte orantis. Quandoquidem non propriè, & ſeriò id petimus, quod nobis concedi, quantum in nobis eſt, non omninò, abſoluteque volumus: ſi enim remittimus, & oblatam difficultatem ſuperari, aut medium neceſſarium adhiberi non curamus; catenus non petimus, ſed nos à petitione abſtinere ſignificamus. Quod ſi quis aliter opinari velit, & contendat id eſſe veram petitionem, diſputatio erit de nomine, & ſignificatione orationis, ſeu petitionis.

10. Ex dictis conſtat, Chriſtum tunc tantùm propriè oraſſe, quando habuit deſiderium abſolutè, proprieque efficax, atque illud ſeriò, vt tale, Patri propoſuit. Cùm autem fateantur aduerſarij, ipſum fuiſſe tunc ſemper exauditum, certa manet noſtra ſententia, omnem Chriſti propriè dictam orationem fuiſſe exauditam. Quomodo autem Chriſtus in horto per hæc verba; *Si fieri poteſt tranſeat à me calix iſte*, non patefecerit deſiderium abſolutè efficax, cùm illud ſtatim per alterum voluntatis actum abſolutè efficacem *ſuperiùs* allatum retuderit, explicuimus *lib.* 9. *c.* 1. *num.* 12. Petitionem autem illam ſuperiùs allatam *ex cap.* 23. *Lucæ*; *Pater dimitte illis*: certum eſt non ex deſiderio abſolutè efficaci profectam eſſe, vt fatentur omnes: conditionatum enim fuit tantùm, quamuis verè ſyncerum. Iuxta ſuperiùs dicta explicandum eſt illud, quo Chriſtus *Pſalmo* 21. in ſua perſona loquens videtur ſignificare orationem ſuam non ſemper exaudiri; *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Dico enim aliud eſſe clamare, & aliud verè petere. Clamare potuit Chriſtus, cùm timorem mortis vicinæ, & huius vitandæ inefficax deſiderium; cùm item ſuam de Iudæis damnandis, quos conuerſi gratiſſimum habuiſſet, triſtitiam patefecit; verumtamen propterea non eſt cenſendus propriè oraſſe.

11. Dubium eſt ſecundò, vtrum iam in cœlo Chriſtus pro nobis verè oret. Affirmat Suares, qui multos pro ſe citat, idemque cenſet Ariaga. Negat Vaſqueſius, & Becanus, qui & ipſi multos ſibi ſuffragantes adducunt, iiſque conſentit Hurtadus. Horum videtur probabilior ſententia propter duas rationes. Vna eſt, quæ deſumitur ex Nazianzeno, Chryſoſtomo, & Ruperto, quia Chriſtus ob eminentiam ſcientiæ, quam habuit, præuidit nos omnes, dum viueret, & vel minimas in negotiis noſtris circumſtantias agnouit: quare nihil eſt ad nos ſpectans, quod non Patri commendarit; ita vt nihil ſupereſit, cui cum iam de nouo prouidere oporteat. Secunda ratio eſt, quia Chriſto data fuit omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Ergo non eſt opus, vt per orationem recurrat ad Deum Patrem, cùm vti poſſit ea, quam habet, poteſtate. Confirmatur hæc ſententia ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolet petere à Chriſto, vt Patrem oret. Quis enim vnquam in Eccleſia audiuit, *Chriſte ora pro nobis*; & non potiùs, *Chriſte audi nos, exaudi nos, miſerere nobis, &c.* Vt iis quæ pro contraria ſententia proferri poſſunt reſpondere facilè poſſis.

12. Aduerte, Chriſtum in cœlo, quandoquidem ſemper conditionem creaturæ ſeruat, multos exercere actus veræ religionis, & Patrem adorare ſupremo cultu per actus etiam externos. Inter illos tamen actus propter rationes allatas non habet locum oratio. Fatendum item eſt Chriſtum offerre Deo ſua vulnera, ſeu cicatrices; & cùm ſe illi obiicit, commemorare quodammodo, proponereque obiectiuè ſua erga ipſum merita pro nobis: quod cenſeri poteſt quoddam genus orationis impropriæ, ac interpretatiuæ, de qua ſola intelligi debet Paulus *Rom.* 8. dicens; *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et Ioannes 1. 2. cùm ait, *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum.* Poteſt etiam dici, vt animaduertit Hurtadus *diſp.* 79. Chriſtum in cœlo, quamuis non habeat vllum nouum actum orationis, retinere tamen eundem numero actum eius orationis, quam pro nobis, dum in terris eſſet, obtulit Patri. Quandiu enim beneficia, pro quibus, verbi causà, mihi conferendis orationem olim protulit, collata mihi nondum fuere, non reuocauit illam ſuam orationem, ſed ſemper offert Patri.

13. Quemadmodum hactenus oſtenſum eſt, Chriſtum extitiſſe verè Sacerdotem, ita etiam oſtendendum à nobis eſt, ipſum verè fuiſſe Prophetam: quod cùm poſſit expediri paucis, includimus hoc ipſo capite, vt propoſuimus in eius titulo.

Nemo Chriſtianus dubitare poteſt, quin Chriſtus extiterit Propheta longè reliquos omnes Prophetas ſuperans; & qui potiori iure, quàm Ioannes Baptiſta, dici poſſit pluſquàm Propheta, vt ipſum Chriſtum vocat Abulenſis. Nec verò Meſſias apud Iudæos expectabatur alius, quàm excellentiſſimus quidam, inſigniſque Propheta. Quare qui Ioannem in deſerto, num Meſſias eſſet, interrogarunt, petierunt an eſſet Propheta, non quicumque, ſed ille tantoperè expectatus. Quod in Græco exprimitur per additionem articuli ὁ προφήτης: quem Prophetam omnes alij Prophetæ ſuis non modò oraculis prædixerunt, ſed & perſonis quodammodo adumbrarunt. Quare illum ſibi fore ſimilem Moyſes *Deuteron.* 18. affirmauit; *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. Ipſum audies.* Quod & refert Diuus Petrus *Actor.* 3.

14. Sanè Chriſtus omnes Prophetæ partes perfectiſſimè adimpleuit; cùm enim proprium officium Prophetæ ſit docere, & populum in Dei cultu inſtituere, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, conuertere corda mortalium ad Dominum Deum ipſorum, & incredulos ad prudentiam iuſtorum; arguere, & obiurgare peccantes, vt Samuel reprehendit Saülem, Nathan Dauidem, Helias populum claudicantem in duas partes, Daniel duos ſenes, Ioannes Herodem: cùm item Prophetæ ſit patrare miracula, quo ſenſu prophetaſſe dicuntur Eliſæi oſſa, cùm mortuum ſuſcitarunt; & de ipſomet Chriſto poſt ſuſcitatum viduæ filium turbæ exclamarunt, *Propheta magnus ſurrexit in nobis. Luc.* 70. Denique cùm præcipuum munus Prophetæ ſit prædicere futura (vnde & nomen Hebraïcum נָבִיא, qui nempe euentura prænunciat, à verbo נוא, quod eſt euenire; & Græcum nomen προφήτης) ac inſuper cognoſcere, prodereque ſecreta, etiam cordis; clarum eſt ex Euangelica hiſtoria, Chriſtum hæc omnia eo feciſſe modo, quo nullus vnquam fecit. Nec opus eſt hac in re diutiùs immorari.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Chriſto Rege.

1. SICVT Melchiſedech, vt ſuperiori capite vidimus, figura Chriſti fuit in eo, quod Sacerdos erat; ſic etiam in eo quod Rex, quemadmodum ſignificat Paulus *Hebr. 7.* cùm ait de illo vt adumbrante Chriſtum; *Hic enim Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi*; primùm quidem, qui interpretatur Rex iuſtitiæ (Melchiſedech enim id ſonat) deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis. De illo vt Rege ſic ſcribit Ioſephus: *Primus Hieroſolymæ conditor fuit Chananæus Dynaſta, qui patria lingua iuſtus appellatus eſt, erat quippe talis.* Vnctio igitur, quæ Chriſto nomen dedit, ipſum non modo Sacerdotem, & Prophetam conſtituit, ſed etiam Regem. Dubium primò eſſe non poteſt, quin Chriſtus ſecundùm diuinitatem, ſecundùm quam vocatur ab Epiphanio ὁμόθρονος Patri, verè cum Patre, & Spiritu ſancto regnet. Dubium etiam non eſt, quin ſecundùm humanitatem acceperit imperium, ac regnum ſpirituale, quod in Summo illius Pontificatu includitur: nam & leges ſpirituales, & Sacramenta in Eccleſia conſtituit, & Eccleſiam ipſam fundauit, eamque per ſuos vicarios temperat, ac regit: quæ omnia ſunt effectus humanæ cuiuſdam iuriſdictionis, & principatus ſpiritualis. Dubium denique non eſt, quin ratione prædicti ſpiritualis principatus indirectam quandam acceperit poteſtatem in temporalia, quatenùs iis poteſt vti in ordine ad ſpiritualem finem. Quia ſicut poteſtates, & regna ex finibus præcipuè diſtinguuntur, vt Ariſtoteles docet *lib. 3. Politicorum.* Ita in ordine ad ſuum finem vnaquæque poteſtas, ſi perfecta eſt, vim habet efficacem circa omnia inferiora, quæ poſſunt impedire, vel conuenienter promouere finem illum.

2. Sed vlteriùs diſputari ſolet hoc loco, num Chriſtus acceperit à Patre Regnum politicum, & Imperium directum circa temporalia, ratione cuius Rex, & Imperator eſſet. Ac primò reiicienda eſt, vt hæretica, Marſilij cuiuſdam Patauini, & Ioannis de Ianduno ſententia; quòd Chriſtus fuerit Principibus huius mundi ſubditus, illis ex iuſtitia tributum debuerit pendere, eorumque iuriſdictioni in cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus ſubiacuerit: fuit hic error damnatus à Ioanne XXII. *in Extrauag. Licèt iuſtè*, & repugnat Euangelio. Nam Chriſtus *Matth. 17.* cum ab ipſo exigeretur tributum, ſignificauit ſe ad illud ſoluendum non teneri, & ſolùm ſcandali vitandi causâ voluiſſe ſoluere; atque in hoc omnes Doctores conſentiunt. Vtrùm autem, & quomodo Chriſtus ipſe Rex mundi fuerit, inter ſe diſputant.

3. Sunt enim aliqui, vt Armacanus, & Ioannes Baccho, qui exiſtimarint Chriſtum iure ſucceſſionis naturalis fuiſſe hæredem Regni Iudaïci, quod ad Beatiſſimam Virginem, deficiente prole maſculâ, fuerit deuolutum. Poteſt pro illa ſententia aſſerri quod aliqui Patres dixerint Regnum Chriſti perſeueraturum in æternum in familia Dauid: & *Pſalmo 88.* id ipſum aſſeratur his verbis, *Ponam thronum eius ſicut dies cæli, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum.* Idemque Mariæ confirmauit *Luc. 1.* Angelus: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Sed prædictorum Authorum opinio falſa eſt. Nam primò poſt Iechoniam Deus omnibus Dauidis poſteris ademit ius in regno ſuccedendi, *Hieremiæ 22.* Secundò nec B. Virgo à Dauide per Salomonem (quod ad regni ſucceſſionem neceſſarium fuiſſet) deſcenderat; prognata enim erat per aliam lineam ex Nathan: nec in Salomonis gente proles eo tempore maſcula deerat, vt patet ex Ioſepho Mariæ coniuge, qui ex Salomonis poſteris erat, *Matth. 1.* Per Ioſephum autem non potuit Chriſtus regni habere ſucceſſionem; nam nec Ioſephum conſtat ortum fuiſſe a Salomone per continuos eius primogenitos. Et quamuis id eſſet, non poterat in Chriſtum ius regni per ſolam adoptionem transfundi, quamdiu alij naturales poſteri Salomonis fuiſſent. Ad authoritatem Patrum, & Scripturæ dicendum eſt, non aliud ſignificari, quàm quòd Chriſtus in domo Iacob, & familia Dauid eſſet regnum æternum poſſeſſurus, non tamen quale Dauidis fuit, & temporale, & valde limitatum; ſed ſpirituale, & ſimul temporale, longè ſuperioris ordinis, illimitatius, atque perfectius, & æternum, quale dicemus infrà.

4. Videndum ergo ſupereſt, vtrum aliquo alio titulo, quàm ſucceſſionis, Chriſtus fuerit adeptus regnum temporale, cùm Iudæorum, tum aliarum gentium. Reſpondet negatiuè Abulenſis in illud Matthæi *caput 21. Ecce Rex tuus venit tibi*: Sotus, Victoria, Driedo, Maldonatus, &c. quia ſcriptura non commendat aliud Chriſti regnum, quàm ſpirituale, cum humilitate, & paupertate coniunctum: vt *Zachar. 9. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator, & ipſe pauper, ſedens ſuper aſinam.* Imò Chriſtus viſus eſt negare ſe eſſe Regem temporalem. *Regnum meum*, inquit, *non eſt de hoc mundo.* Et per totam vitam ab omni ſpecie principatus, & iuriſdictionis temporalis abſtinuit. Atque cùm Rex non fuerit iure ſucceſſionis, non apparet aliud ius ſiue electionis, ſiue belli, ſiue ſpecialis à Deo Patre factæ donationis. Confirmatur. Nam ſi Chriſtus Rex temporalis fuiſſet; Ergo alij Reges per natiuitatem illius perdiderunt regiam ſuam poteſtatem; cùm in quolibet Regno non ſit niſi vnus Rex, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς: Atque ita quos Reges vocamus, dicendi tantùm erunt Proreges, quod eſt falſum.

5. Sed melior, & omninò vera eſt ſententia Antonini, Almaini, Turrecrematæ, Durandi, Nauarri, & aliorum, quos ſequuntur Suarez, & Vaſques, aſſerentium Chriſtum vt hominem fuiſſe totius mundi Regem, ac Imperatorem temporalem. Ratio petitur ex vnione hypoſtatica. Certè quicumque benè concipiet quid ſit humanitatem à Verbi hypoſtaſi terminari, & ad faſtigium diuinum euehi, intelliget ſtatim Chriſtum vt hominem abſque vlla alia electione, conceſſione, ſucceſſione, Dominum abſolutè effectum omnium rerum; atque adeò Regum, Imperatorum, ac regnorum: ita vt ab omnibus Principibus, etſi per eum redempti non eſſent, deberet adorari cum omnimoda ſubiectione, atque obedientia. Et certè ſi tanta eius eſt maieſtas, vt multi negauerint ipſum, quatenus hominem, ſeruum eſſe Dei Patris, nullus inficiari debet omnes Principes ſeruos illius eſſe, etiam temporaliter. Denique

Digitized by Google

nique poteſtas Regia, eaque ſumma (qualis apud Ariſtotelem παμβασιλεία dicitur) debetur Chriſto ratione redemptionis humanæ; pertinereque poteſt ad exaltationem nominis à Patre illi promiſſam. Significatur verò ſufficienter hæc veritas in ſcriptura, cùm ait Chriſtus *Matth. vltimo*, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Sanè ſi omnis, ergo Imperatoria, & Regalis. Item cùm reſpondens Pilato roganti, *Ergo Rex es tu?* ait, *Tu dicis quia Rex ſum ego:* vſurpans vtique ſine æquiuoco nomen Regis in eodem ſenſu, in quo vſurpauerat Pilatus, qui loquebatur haud dubiè de Regno temporali, quale cum offenſione Cæſaris affectaſſe Chriſtus accuſabatur. Neque ſubdidit (vt ponderat Diuus Auguſtinus) *Regnum meum non eſt hîc*, ſeu in hoc mundo; *ſed non eſt hinc*, ſeu de hoc mundo; quaſi diceret, non fundatur terreno titulo electionis, ſucceſſionis, &c. ſed ſolo titulo cæleſti vnionis hypoſtaticæ.

6. Vt autem intelligatur qualis ſit regia hæc in Chriſto dignitas, aduertendum eſt illam, licèt ſit verè politica, & circa temporalia, tamen excellentiſſimam eſſe, nec eiuſdem ſpeciei, ac ordinis cum cæterorum Principum dignitate, quam eminenter continet: fundatur enim cæterorum Principum dignitas in ſucceſſione, vel in electione, vel in iure belli, vel aliquo ſimili titulo, qui poteſt, poſtquam in tali perſona acquiſitus eſt, deficere, & ceſſare; cùm Chriſtus regnaturus ſit in æternum, & regni eius non ſit futurus finis: *Luc.* 1. & regnum eius ſit regnum omnium ſæculorum, ex Daniele, & Apocalypſi Ioannis. Deinde prædicta Regia cæterorum poteſtas eſt limitata, & valdè anguſtis intribus continetur, eſtque imperfectionibus ſimilibus admixta. At verò poteſtas Chriſti regia fundatur in vnione hypoſtatica, atque ex ſuppoſitione quod Chriſtus ſit talis perſona, non poteſt impediri, nec auferri poteſtas prædicta.

7. Ad fundamenta contrariæ ſententiæ allata *num.* 4. nego ſcripturam tacere Chriſti Regnum temporale; nec ſequitur caruiſſe illum iure temporaliter regnandi, quamuis nunquam illo vti voluerit; ſed potiùs quoad vſum, & exercitium ſe velut depoſuerit in priuatum, & pauperem. Cùm autem aduerſarij à nobis petunt titulum, in quo ius Chriſti Regium fundetur, videntur obliti vnionem hypoſtaticam. Quid? eſſe Filium Dei naturalem, non videtur ſufficiens titulus ad inueſtituram Imperiorum omnium huius mundi? Ad inconueniens, quod ex noſtra doctrina inferebant, negandum eſt quicquam tale ſequi. *Chriſtus enim* (vt habet Sedulij carmen contra Herodem) *non eripit mortalia, ſed regna dat cæleſtia.* Tantum abeſt vt Reges ſuis priuet Imperiis, & in Proreges redigat, vt potiùs illos ſtabiliat, ac firmet. Ait enim Sapientia diuina, qui Chriſtus eſt; *Per me Reges regnant.* Et quamvis non debeant eſſe ſimul duo vnius regni Reges, quando ſunt ambo eiuſdem rationis, & habent merè humanum dominium; poſſunt tamen eſſe, quando ſunt diuerſæ rationis, & habent iura diuerſi ordinis. Dominium enim excellens, ac ſupereminens, quod habet Chriſtus, non magis officit propriis mortalium Regum iuribus, quàm ſupremum illud, & increatum, quod in Deo reperitur.

8. Iam ſupereſt vt videamus, num Chriſtus, quemadmodum habuit in omnia temporalia mundi bona ius aliquod regium; ita inſuper habuerit dominium proprietatis in ſingulas res vniuerſi: quæ duo valdè differunt, vt ſuppono, & clarum eſt. Ad hanc quæſtionem ſunt qui reſpondeant negatiuè, in quibus eſt Vaſques, & amplectitur tandem Arriaga, licèt inefficacem aſſerat eſſe probationem Vaſquis deſumptam ex eo, quod duo non poſſint eſſe in ſolidum domini eiuſdem rei: & Chriſtus non abſtulerit cuilibet dominium in res ſuas. Sanè conſtat argumentum illud Vaſquis non valere: atque illo æquè concluderetur contra ipſum Vaſquem, non potuiſſe Chriſtum habere ius regium in omnia mundi bona; cùm non magis poſſint eſſe vnius regni duo Reges, quàm vnius prædij duo domini proprietarij. Aſſerendum igitur eſt, Chriſtum habuiſſe in ſingulas res vniuerſi dominium proprietatis, non quale habent cæteri homines, ſed eminentius, & ſuperioris ordinis, quod non ſit incompatibile cum cæteris dominiis humanis. Quemadmodum dominium proprietatis, quod Deus habet in res omnes, non impedit quo minùs tu verè, ac propriè ſis tuarum dominus poſſeſſionum. Verus autem eſt Chriſtus ſummo illo, & eminenti dominio proprietatis ſine iniuria vllius inferioris proprietarij, cùm legionem dæmonum immiſit in porcos protinus perituros. Neque probabile eſt, quod Vaſques reſpondet, Chriſtum id feciſſe, non quia dominium proprietatis habebat in porcos, ſed quia nouerat id velle Deum ſupremum Dominum. Nam quòd Chriſtus verum in res omnes ius proprietatis habeat, quo poſſit illas deſtruere, ac de iis diſponere in quemlibet vſum, eodem fundamento probatur, quo ſuperiùs eum probauimus habere ſuper omnes creaturas poteſtatem regiam: vnionem enim hypoſtaticam decet etiam prædictum proprietatis dominium, abſtrahens à noſtrorum Dominorum imperfectionibus, & præualens reliquis omnibus.

9. Aduertendum porrò eſt Chriſtum præter eiuſmodi dominium eminens, quod in omnes res habuit, aſſumpſiſſe quoddam aliud particulare, & merè humanum (hoc eſt titulo merè humano acquiſitum) in quaſdam res paucas; quas nempe vel donatione à variis, vel iure à Matre ſua, cuius erat hæres, deriuato accepit, & quaſi ſuas poſſedit. Tales fuerunt eius veſtes, aliqui loculi ad ſuas, & ſuorum diſcipulorum neceſſitates. Ita Ioannes XXII. *in extrauag. Cùm inter nonnullos, de verb. ſignif.* definiuit Chriſtum habuiſſe paucarum rerum dominium.

CAPVT VII.

De ſpirituali Chriſti Regno, deque politico eius Numine in ciuitate Dei gubernanda. Moralis & pia conſideratio.

1. IAM inde à primo rerum exortu, mundique creatione, duarum ait Sanctus Auguſtinus ciuitatum fundata fuiſſe imperia; vnius quidem cæleſtis & diuinæ, cui Abel initium dederit; terrenæ autem alterius, & mundanæ, cuius conditor Cainus fuerit, qui illius fundamenta fraterno ſanguine cruentauit. Quod tantò poſt, haud abſimili facinore, nec ſine quadam accommodatione myſterij (vt idem Sanctus Doctor interpreta

interpretatur) conditor vrbis Romæ, quæ erat illius ipſius à Caïno inſtitutæ Reipublicæ caput aliquamdiu futura, imitatus: eo tamen diſcrimine quòd fratrem Remum eiuſdem ſecum ciuitatis participem Romulus occidit; Abelem Caïnus alterius ciuem à ſua longè diuerſæ; vt per Caïni fratricidium intelligatur duas, cæleſtem Dei, & terrenam impiorum, ciuitates inimicitias inuicem habere: per fratricidium autem Romuli, nec ipſam ſecum terrenam ciuitatem conuenire, ſed inteſtinas ciuium ſuorum alere diſcordias. Nec enim minùs cum malis ipſos malos, quàm cum bonis pugnare contingit. Terrena ciuitate à dæmonibus in ea regnantibus occupata, Chriſtus alteram ciuitatem Dei, cæleſtemque Rempub. ſuis excolendam ſuſcepit, gubernandamque inſtituit.

2. Princeps Regum terræ Chriſte, qui lauans nos in ſanguine feciſti nos Deo Patri Regnum, benedictus es, ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in tuo Diuinitatis ſolio, qui eſt ſinus Patris, vbi viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum, beatiſſimam degens cum eodem Patre, & Spiritu ſancto æternitatem. Tui enim iſtius ſupremi Regni non erit finis, vt nullum fuit initium. Suam habent humana regna ſingula inceptionem, & exitum; ſuam, quam vocant, epocham, ſuam æram. Terrenorum numerantur anni Regum, & ad vltimum per varias rerum conuerſiones denique peruenitur, in quo præſtò ſint ſucceſſores, quorum orientem lucem adorent omnes, occidente ſole deſpecto. Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum, non diſſipabitur. Æternùm regnans, æternum naſceris, ſemper oriens, & in ſplendoribus Sanctorum ſemper matutinus, ſemper nouus: quia ſemper ante luciferum, & ſemper hodie genitus. Nec in te reperitur aliud quàm *Eſt*, & *hodie*, & *nunc perpetuum.*

3. Cui porrò Pater cum toto ſuo nomine ſummam in æternitate regnandi, imperandique maieſtatem conceſſit, quam Sanctus Dionyſius vocat *cap. 10. de diuin. nominib.* παντοκράτορα θεαρχίαν: eidem regnum in hoc mundo dedit, vt homo factus homines regeret; atque ex illis ad ſanctæ vitæ ſocietatem conuocatis, Eccleſiam, Deique ciuitatem in terris pulcherrimam conſtitueret, non aliis, quàm charitatis conſtringendam, temperandamque legibus. *Venit ergo* (inquit Iſaïas *cap. 33. Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter:* Deus ille carne veſtitus; ille, inquam, homo nobilis è ſummo cœli vertice ad nos deſcendit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reuerti, circulo, ſeu orbe charitatis peracto, ad Patrem; eritque rerum omnium deinde finis, cùm Regnum à ſe feliciter adminiſtratum ipſi tradiderit Deo, & Patri, qui eum in terras cum ſummo legauit imperio, vt eius nutu, & ditione quæcumque ad mundi huius curationem pertinent, gererentur. *Ego autem*, inquit ipſe, *conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius.* Vnxit nempe Deus Chriſtum ſuum oleo lætitiæ, illumque myſtico ſummæ poteſtatis chriſmate per vnionem hypoſtaticam conſecrauit, vt timeant illum omnes Reges terræ, Principes, & omnes populi; & in manu eius ſint omnes fines terræ, euacuato omni dæmonum, ac huius mundi principatu, & poteſtate.

4. Porrò diuina ipſius Chriſti in rebus adminiſtrandis ſapientia non eam gubernandi rationem ſequuta eſt, quàm in iis mundus experitur Principibus, qui ſummam authoritatem in ſuperbia ponunt, in faſtidio, in arrogantia. Cùm enim geminum à Patre accepiſſet imperium; ſpirituale quidem alterum, in res animi: alterum verò externum, in res temporarias; huius poſterioris (externi nempe) omni ferè ſe abdicauit vſu. Non conſcripſit exercitus, non armigeros, ſtipatoreſque corporis habuit, qui ſe formidoloſum obuiis redderent; non tributa exegit, ſpiritualia contentus exercere iudicia, ac mentes hominum ſub ſuam poteſtatem ſubiungere; captiuando omnem intellectum, & omnem rationis humanæ ſuperbiam in obſequium doctrinæ ſuæ, infinitorum miraculorum authoritate conſignatæ. Eam verò gubernandi rationem mortales, qui Principis dignitatem faſtu Aulæ metiebantur, aſpernati ſunt. Cumque ſpiritualis vſum iuriſdictionis, quo is peccantium facta liberiùs increpabat, contumeliam interpretarentur; ab illius imperio deficientes, ſe nunquam illi parituros profeſſi ſunt, iuxta illud ex euangelica parabola; *Nolumus hunc regnare ſuper nos. Luc. 19.*

5. Quænam tanti Principis fuerit in hoc defectionis articulo prudentia politica, animis quàm maximè intentis conſiderandum eſt. Si quis humanæ effata ſapientiæ attenderit, non cunctabitur pronunciare, malos illos, qui ab ipſo deſciuerant, malè fuiſſe perdendos: atque iudicabit illius terreni Regis in eadem euangelica parabola iram fuiſſe iuſtiſſimam, qui inimicos ſuos morti addixit his verbis; *Inimicos meos, qui me noluerunt regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.* Verùm politico lumine Chriſtus longè diuerſo illuſtratus, nouum vltionis modum in Chriſtianos mores inducere voluit. Morte tam capitale ſubditorum facinus vindicare quidem ſtatuit, ſed ſua, non illorum. Noluit debellandis impiis, exercitus ex veteranis (vt ita dicam) in cœlo militibus ſtipando ſuo Numini aſſuetis, conflare. Noluit eas pluſquam duodecim legiones Angelorum, quas aliquando dixit ſibi à Patre, ſi petiiſſet, exhibendas, aduocare. Quid ergo? Noua bella elegit Dominus. Seruile bellum commouentibus mortalibus, ipſe pacis certamen inaudito hactenus charitatis iure indixit, amoris in eos impetu inuaſurus atrociter. Hoc magnum huius Regis ſacramentum eſt, quod non abſcondere bonum ſit. Hæc, inquam, crucis ſapientia in myſterio, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, in gloriam noſtram; quam nemo Principum huius ſæculi agnouit.

6. Præcipua verò ſapientiæ illius ſuæ capita ſuper montem explicauit in ea luculenta coram diſcipulis apud Matthæum diſputatione, vbi aperiens os ſuum, & prima crucis elementa tradens, paupertatem, atque rerum humanarum, ſuique deſpicientiam, & ad condonandas iniurias placabilitatem, atque alia ſimilia, quæ ad ſummæ beatitudinis faſtigium extulit: præſertim verò fortitudinem in perſequutionibus euexit ſupra cœlos. Hæc ſunt effata prudentiæ politicæ, quam inſtituendis fidelibus à Patre accepit, & in terras detulit. Quibus aſſimilanda nunquam habuere ſcita vllæ ciuitatum, aut regnorum Reſpublicæ, quantumvis ad magnam laudem inſignes. Quid enim in Platonis Republica? quid in Ariſtotelis politicis? quid in Cretenſium, Spartanorum, Athenienſium, Carthaginenſium, vel Romanorum legibus inuenias, quod non præ ſupradictis effatis inutile ſit, plerumque vanitatis, vel etiam impium? At Scribæ, Iudaïcarumque

Digitized by Google

quæ legum Doctores tantam cœleſtis huius Legiſlatoris in docendo, componendiſque moribus laudem inuidentes, quantam potuere conatu ſunt illi inferre infamiam; & poſtquam ſuum eſſe Regem negauerunt, crucem ei tanquam bipedum nequiſſimo denique ſtatuerunt.

7. Nec tamen potuit, qui eum cruci affigi permiſit iniuſtus Præſes, quin eidem titulum Regis in ipſo ſupplicio adſcriberet: atque etiam carnifices, per quandam laſciuiæ contumeliam, myſticumque ludibrium, veſtem ei purpuream, & coronam ſanguineis guttis velut gemmis illuminandam imponentes, genuque coram ipſo flectentes, dum proprio interuiunt ſceleri, maieſtatem illius per dedecoris ænigma, & per quoddam impietatis ſacramentum, cuius ſignificationem ignorabant, illuſtrarunt; ac verè illum eſſe Regem, coram quo genu omne flecti oporteat, quodam modo declarunt. Procedit ille ad ſupplicium, regnaturus à ligno, Princeps decorem indutus, ac fortitudinem, cuius imperium ſuper humerum eius. Egredimini filiæ Ieruſalem, & videte mentes piæ Regem veſtrum, verumque Salomonem in diademate quo coronauit eum nouercali odio Synagoga mater ſua, & ſimul pro ſua in eum dilectione Pater ſuus. Sumu hinc, & inde facinus Chriſtus, & Iudæi; ille quidem glorioſum, ſubeundæ; iſti verò impium, inferendæ mortis exequebantur. Ille ex Patris præcepto non vt ad furcam reus, ſed vt ad trophæum Deus acceſſit. Quem iſti ſua opinione vt mancipium viliſſimum, & vt patibuli ſpolium habuerunt, eum reuerà vt Dominum gloriæ (inquit Apoſtolus) crucifixerunt. Quidquid enim dignitatis, quidquid laudis, & honoris, vel in terra mortalibus, vel in cœlo immortalibus tributum eſt; quicquid ipſi nominatim Chriſto, quidquid & ſummæ Trinitati à creaturis omnibus vnquam acceſſit gloriæ, id totum ex crucis merito profectum eſt.

8. Porrò ſupra Caluariæ montem Rex iſte iudicium ſupremæ iuriſdictionis exercuit; & quidem ita, vt vnicuique quod ſuum erat, tribueret; in cruce, quaſi in libra iuſtitiæ, ponderans merita ſingulorum. In vnam eius libræ lancem cuncta mortalium crimina impoſuit; in alteram ſuæ paſſionis merita. Illam verò lancem tantùm propendere compertum eſt, vt non vnius duntaxat mundi, ſed omnium, quotquot eſſe poſſunt, mundorum onera deprimat. Duorum item hinc & inde prædonum paribus affectorum crucibus impares ſenſus, & mentes examine caſtigatiſſimo appendit; nutumque iuſtitiæ ſequutus, merita hinc quidem alterius bona, inde verò alterius mala remunerauit, eadem crucis ſuæ librâ noſtras omnium actiones ponderaturus. Ita vt de cruce iudicium omne prodeat: verè enim de Caluaria exibit lex, qua iudicabuntur gentes. Dicereque meritò poteſt Chriſtus; Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Caluariam montem ſanctum eius. Sed & cauſam dæmonum in eodem crucis tribunali diſceptauit. Namque illos omni contra fas vſurpato in homines dominatu ſpoliauit, ex inferno, vt ita dixerim, tabulario ſubducens, delenſque quod erat contra nos chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: atque expolians Principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans in ſemetipſo. Atque ita infernus leo cùm putaret vorare ſe Chriſtum, ſenſit hamum viſceribus ab illo ſibi infixum, & mortem quam inferre non potuit, in ſemet ipſe cepit.

9. Poſtquam Summus Imperator Chriſtus ita feliciter in Caluariæ iugo cum omnibus inferorum copiis ſigna contulit, victoriamque conſequutus, ibidem ſalutis humanæ trophæum erexit; admirabilem ille ſui cùm terrorem ſenſibus mortalium iniecit, tum amorem excitauit. Et quidem, vt primùm de terrore dicam: Tu Domine virtutum fortis, & potens, in tuæ gloria Maieſtatis verè terribilis es: iudicans in nationibus deponis potentes de regali ſede; ſuperbos confringis in die iræ tuæ Reges; & complens ruinas, conquaſſas capita tyrannorum. Quid iam tandem Nerone factum? quid Domitiano? quid Diocletiano? quid Apoſtata Iuliano? quid magnis illis Cæſareæ impietatis nominibus? Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt. *Habacuc cap.* 1. Chriſtus ſcilicet de Regibus triumphauit, & tyranni ridiculi eius ſunt, quos Deus Pater poſuit ſcabellum pedum eius, vt non tantùm terram lingant, ſed & in inferos proiecti iaceant, quandiu productus ignis de medio eorum comedet eos; vt omnes qui viderint, obſtupeſcant ſuper eos nihili factos, qui non erunt in perpetuum. *Ezech.* 28.

10. Cùm Chriſtus ſupplicia, mortemque perferret, tanquam agnus in laniario non aperiens os ſuum; id ſcilicet agebatur, vt hoc ipſo omnem iuſtitiæ ſuæ furorem in hoſtes ſuos infunderet. Qui agnus occidebatur, ſurrexit, ac vicit Leo. Quem cernis venientem de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, ſi roges cur rubrum ſit indumentum eius; *Torcular*, inquiet, *calcaui ſolus. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea; & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea. Dies vltionis in corde meo. Saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Conculcaui populos in furore meo, & detraxi in terram virtutem eorum.* Vtinam Chriſte mortales omnes, qui iudicant terram, noſſent poteſtatem iræ tuæ; & præ timore tuo iram dinumerarent, furoremque prouiderent, quo in die extremi iudicij, cùm terribiliter magnificaberis, Reges etiam ipſos alligatos in compedibus diſcerpes, & tanquam figuli vaſa confringes.

11. Nihilominus terror, quem ſuis hoſtibus Princeps hic inicit, non eum amorem exæquat, quo bonorum ad ſe animos allicit. Politicum illud eſt effatum ſapientiæ tyrannicæ; *Oderint, dum timeant.* Et cùm in ſola poteſtate ſubditorum ſit, vt ament; in ſola verò Principis, vt timeant, talem teneri debere à Principe rationem, vt id potiùs eligat quod à ſua, quàm quod à ſubditorum pendeat voluntate: at Chriſtus ex aduerſo maluit beneuolentiæ artibus homines gubernare: ita vt *ſummè amabilis* (inquit Dionyſius 10. *de diuin Nominib.*) *iugum omnibus voluntariæ captiuitatis imponat.* Ἡ θεαρχία πάντων ἐράσμιος ἐπιβάλλει ἐθελουσίας ζυγὸν ἔρωτος. Secum anima pia conſideret, quantò mortales omnibus ſæculis in Chriſtum amore, poſt auditam Apoſtolorum de illius in humanum genus beneuolentia prædicationem, flagrarint; tracti in funiculis huius ſecundi Adæ, in vinculis charitatis. *Oſeæ cap.* 11. Quis Regum formidoloſis bellis aliquando potuit vel pauca tam breui tempore oppida in ditionem ſuam redigere, ac Apoſtoli vniuerſum orbem, nullo fragore, terroreque, ſed ſolo ſedatæ Chriſti charitatis nomine? idque tanta ſubactorum populorum fide, atque conſtantia, vt

infinitis

Digitized by Google

infinitis licèt ſollicitati modis nequaquam ab ipſo defecerint: ſed ſe beatos putarint, cùm pro illius nomine in rotam, aut crucem agerentur. Quæ conſtantia tam vulgaris inter omnes cuiuſcunque ſexus, ætatis, & conditionis Chriſtianos extitit, vt numerum eorum, in quibus illa eminuerit, nullus inire valeat.

12. Altè ſcilicet mentibus fidelium inhæſit illud à Paulo traditum velut præcipuum chriſtianæ veritatis axioma; vt, *ſi quis non amat Dominum Ieſum, ſit anathema*. Cui anathematis denunciationi Apoſtolus hanc ex Syrio-Hebraïca formula clauſulam adiecit, *Maran-atha*, hoc eſt Dominus, ac Princeps noſter venit. מרנו אתה. Quæ duæ voces, inquit Sanctus Chryſoſtomus, rationem, & motiuum proponunt, cur Ieſus amari debeat; quia nimirum ille ſumma charitate, humilitateque ad nos ſaluandos venit; iterumque veniet glorificari in Sanctis, & admirabilis fieri in iis qui in ſe crediderunt. Sed & comminationem duæ illæ voces, conteſtationemque continent diuini iudicij, cùm Chriſtus ſecundò veniet, etiam vt vindex, ab iis, qui ſe amare noluerint Dominum ſuum, ac Regem, pœnas expetiturus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM OBSERVATIONE DIGNARVM,

Quæ in hoc Tractatu de Diuini Verbi Incarnatione continentur.

Numeri nota Romana, quæ primo loco ponitur, librum; cæterarum notarum (quæ Saracenæ ſunt) prior Caput, poſterior paragraphum, vltima paginam deſignat: vbi verò vnica ſolùm nota ponitur, ea paragraphum indicat capitis proximè notati ſuperiùs.

A

ACTIO vnitiua, ſeu incarnatiua, à tota eſt Trinitate; ſic tamen, vt nihil ponat in Deo, nequidem modum indiſtinctum; ſed ſolam in omnipotentia denominationem extrinſecam. vi.2.1. p.119

Actualem Chriſtus habuit in primo conceptionis inſtanti notitiam circa omnia obiecta, quorum habuit ſcientiam habitualem infuſam. Quin & probabiliter habuit actum ſcientiæ, quæ per ſe debet pendere à phantaſmatis. ix. 8. 4. & ſeq. p.204

Poſteà in decurſu ætatis certum videtur illum fuiſſe vſum phantaſmatis; & ſic profeciſſe (vt ait Lucas) in ſapientia. 5. ibid.

Quomodo Chriſtus ex omnibus obiectis, quorum ſpeciem habebat, potuerit eligere certa quædam obiecta, vt ad eorum actualem cognitionem ſe determinaret. 3. p.205

Actus quibus Chriſtus cognoſcebat obiecta omnibus paſſim obuia, & cognita, naturales erant quoad ſubſtantiam, & quoad modum. ix. 8.2. & ſeq. p.203

Actus omnis ſcientiæ infuſæ debet eſſe certus, nec vlla dari poteſt opinio ſupernaturalis. 9. p.205

Actus prudentiæ non poteſt eſſe ita ſolùm probabilis, vt non ſit certum eum eſſe verè probabilem, & vt præterea non nitatur eo iudicio tanquam certo, quo iudicemus poſſe nos abſque errandi periculo ſequi hîc & nunc talem opinionem, quæ probabilitatem habeat non tantùm probabilem, ſed certam. 10. ibid. & ſeq.

Adriani Papæ mens explicatur, damnantis eos qui Chriſtum aſſerebant eſſe Dei ſeruum. xi. 5. 11. & ſeq. p.262. & ſeq.

Aduentus Chriſti manifeſtè conuincitur multis confertim antiqui Teſtamenti locis, poſt expoſitum locum ex cap. 9. Danielis, & 49. Geneſeos. ij. 3. 3. p.253

Aduentus idem oſtenditur ex idololatriæ ſubuerſione non aliter facta, quàm per ipſius Chriſti cultum ab Apoſtolis mirabiliter introductum. ij. 4. 1. & ſeq. p.258. & ſeq.

Agathonis Papæ explicatur, & defenditur ratiocinatio probans duas in Chriſto voluntates. x. 13. 13. p.258

Aggæi locus explicatur, quomodo nempe templum, quod Chriſtus præſentiâ ſua nobilitauit, dici poſſit ipſum, quod fuit Zorobabelis. ij. 3. 2. p.26

ſi Amoris actum alium non habuit Chriſtus, quàm beatificum, aut elicitum vi cognitionis infuſæ nimis claræ, & reddentis talem actum neceſſarium, nihil nobis meruit per charitatis actus: meruit tamen, ſi vi cognitionis infuſæ non nimis claræ actum habuit charitatis liberum. x. 12. 15. & ſeq. p.244

Angelus, qui Chriſto apparuit in horto confortans eum, nihil ei dicere potuit, quod non ſciret ille ab inſtanti ſuæ conceptionis. ix. 7. 15. p.203

Anſelmi de incarnationis neceſſitate ſententia. iij. 1. 3. p.37

B

BEatificam per viſionem Chriſtus non intuetur ſimul omnia Dei attributa; ſed quot potentia eius intellectiua obedientialis capere poteſt

Digitized by Google

poteſt. ix.5.5.& ſeq. p.190
per Beatificam viſionem Chriſtus cognoſcit in eſſentia diuina creaturas poſſibiles. ix.4.5. & ſeq. p.192
Non tamen omnes cognoſcit, ſed quot capere ſimul valet potentia obedientialis intellectus humani. 10.& ſeq. p.193
Habet Chriſtus lumen aliquod diſtinctum à beatifico lumine gloriæ, per quod omnes poſſibiles creaturas in eſſentia diuina incluſas cognoſcat habitualiter: ita vt illas diſtributiuè ſumptas (quaſcunque, & quotcunque citra infinitatem voluerit) poſſit actualiter intelligere, eas variè velut peragrando. 11. pag. 194
Beata Chriſti anima cognoſcit rerum exiſtentiam in eſſentia Dei per viſionem beatificam non formaliter, ſed cauſaliter. ix. 5.1. & ſequent. p.194
Videt item cauſaliter in Deo exiſtentiam omnium rerum, quæ ab initio mundi vſque ad finem vel factæ ſunt, vel fient. 5. & ſequent. p.195
Eadem beata Chriſti anima in Deo nouit cauſaliter omnia, quæ poſt mundi finem exiſtent per totam æternitatem; ita vt ſpeciem habeat, qua omnia collectiuè ſciat habitualiter: poſſit autem ſe actualiter applicare ad quæcunque citra infinitatem voluerit. 8. & ſeq. p.196
Beata in Chriſto viſio, licèt videat ſeipſam in æternitate duraturam, non eſt opus vt formales habeat ſupra ſe reflexiones, quæ in infinitum in ſemetipſas referantur. 13. & ſequent. p.197
Quod attinet ad complacentiam ſupra viſionem, &c. ad viſionem ſupra complacentiam, & ſic in infinitum ad viſionis complacentiam; & rurſus ad complacentiæ viſionem, idem in Chriſto, cæteriſve mentibus beatis dicendum eſt quod in Deo, in quo res hæc eſt inexplicabilis. 16. ibid.
Non eſt inconueniens, vt viſio beatifica ex eo quod videat ſe in æternum duraturam, & falſa eſſe nequeat, ſit ab intrinſeco talis, vt à Deo non poſſit deſtrui. 19. p.198
in Beatifica viſione intenſa verbi causâ vt quatuor, in qua ſinguli gradus videant (ita vt falli non poſſint) omnes alios illius gradus eſſe in æternum duraturos; impoſſibile eſt vt Deus ex ſuppſitione primi gradus vllum graduum ſequentium deſtruat. Vnde ſequitur quippiam notatu dignum circa doctrinam diſtinctionum. 20. p.199
Bonitas diuina cùm intra Trinitatem, tum extra ſui diffuſiua eſt. I. 6.2. p.17
Extra Trinitatem hypoſtatica in humanam naturam diffuſio ſummæ bonitatis, & curioſiores arcet aſpectus, & eo eſt credenda certiùs, quò magis ab opinione naturali abhorret. 7. & ſeq. p.18
Pij quidam affectus circa miram bonitatem Dei, quòd Angelorum neglecta redemptione, pro hominibus incarnari voluerit. iv. 2. 1. & ſequent. p.69
Bonum nullum eſt vnione maius res inter omnes, quà creatas, quà increatas. vi. 7. 1. & ſequent. p.135
Illam natura procurat, & quantum poteſt, conſeruat. In illa ſtatus gratiæ, in iſta ſtatus gloriæ conſiſtit: quod oſtenditur per totum illud caput. ibid.

C

Caput eſt omnium hominum Chriſtus, etiam reproborum, in Eccleſia militante. xij.4.2. p.278
Eſt item caput puerorum, qui in vtero matris clauduntur; eorum etiam, qui nunquam baptizandi ſunt. 3. ibid.& ſeq.
Eſt prætereà caput Angelorum, vt cauſa eorum iuſtificationis, &c. 4. & ſeq. p.279
Caput eſt denique omnium creaturarum. 6. ibidem.
Capitis dignitas (quæ non eſt quid phyſicum, ſed morale) fundatur in vnione hypoſtatica. Et quamquam ad id vtilis ſit gratia habitualis, non tamen eſt neceſſaria. 7. p.279
Chriſti opera ſuperabundantem ad ſatisfaciendum Patri valorem habuerunt ex intrinſeca condignitate. iij.6.3. & ſeq. p.50
Chriſtus non ſatisfecit vt homo, ſi ea reduplicatio non cadat etiam in hypoſtaſin. Plus Deo placuit, quàm diſplicet peccatum. 7. & ſeq. p.51
Admiſſa ſuppoſitione valde violenta, quod per impoſſibile Chriſtus peccaſſet mortaliter, non magis poſſet is per humanitatem ſolam ſatisfacere, quàm per naturam leoninam aſſumptam. 10. p.52
Chriſti opera valorem habuerunt ſimpliciter infinitum; idque multis nominibus. iij.6.11. & ſeq. ibid.
Licèt de Chriſto quædam dicantur ſecundùm diuinam, quædam ſecundùm humanam naturam; tamen omnia indiſcretè & de ipſo Chriſto, & de ſe inuicem prædicantur in concreto. 19. p.54
Infinitus valor operum Chriſti ſumitur ex dignitate ipſius vt non agentis: non autem vt obiectiuè ſe habentis, & tanquam rei oblatæ. 23. p.55
Non item ſumitur ex eiuſdem amabilitate. 24. ibid.
Chriſti opera ſunt infinita ſimpliciter, tam in ratione meriti, & ſatisfactionis, quàm in ratione valoris, & pretij. 25. p.56
Chriſtus abſolutè ſatisfecit pro omni hominum debito: neque gratis condonatum eſt debitum carendi Redemptore, in eo ſenſu, in quo homines illud incurrebant. iij.7.1. per totum cap. nouo modo excogitata, ſolutaque quæſtione. p.57
Poſtquam Chriſtus conſtitutus eſt Redemptor, meruit vt redemptoris conceſſio fieret etiam formaliter ex ipſorum hominum dilectione. 12. p.59
Chriſti ſatisfactiones fuerunt non modò condignæ pro peccatis hominum, ſed etiam ex rigida iuſtitia. iij.8.10.& ſeq. p.61
Chriſti ad Deum iuſtitia eſt verè ad alterum. 13.& ſeq. p.62
Etſi valor infinitus ſatisfactionum Chriſti ſit à diuinitate, & perſonalitate Verbi; id non facit vt idem ſatisfecerit ſibi ipſi. 15. & ſeq. p.63

In

Digitized by Google

In Chriſto iuſtitiam rigidam non impediebat, quòd ſatisfactionum eius acceptatio fuerit aliqua gratia. 17. ibid.

Non etiam quòd ſolutio fundata ſit in Dei liberalitate, aut ſit ex ipſius Dei bonis, aut ex aliunde ipſi debitis. 18. & ſeq. ibid.

Non opus fuit vt Chriſtus ſatisfaciens ex iuſtitia, operaretur formaliter ex motiuo iuſtitiæ: quamuis reuera operatus ſit ex formali motiuo cuiuſdam iuſtitiæ commutatiuæ altioris: cui viciſſim in Deo ſatisfactiones Chriſti remunerante, & peccata hominum condonante, reſpondet iuſtitia item commutatiua. 22. & ſeq. pag. 64

Chriſti dignitas æſtimanda eſt non tantum ex naturarum ſingularum diuinitatis, humanitatiſque perfectionibus; ſed & ex compoſitione, ambarumque coniunctione, ſeu totalitate. v. 11. 3. & ſeq. p. 113

Chriſtus eſt tale compoſitum, vt conſtet ex duobus extremis, quorum vnum trahat ad ſe alterum, & habeat rationem totius. vi. 2. 3. & ſeq. p. 119

Pij ergo Chriſtum affectus, quòd nos ſibi fecerit ſimiles. xi. 7. 2. p. 267

Et quòd nobis ſimilem ſe mutuò fecerit. 3. ibid.

Quàm mirabiliter ſe nobis ſimilem fecerit. 6. & ſeq. p. 268

Quomodo Chriſtus dici poſſit habere vnicum eſſe: quomodo habere plura eſſe. quomodo dici poſſit vnus, & vnum, potiùs quàm plura, vel (quod minùs eſt vſurpandum) plures. xij. 1. 2. & ſeq. p. 269

Quomodo & quo ſenſu Chriſtus duas habens phyſicas volitiones, ac determinationes voluntatis, diuinæ ac humanæ, dici poſſit habere vnam operationem, ſeu volitionem theandricam. 10. & ſeq. p. 270

Chriſti Sacerdotium Aaronico Sacerdotio præſtantius eſſe ex eo conſtat, quod eius typus fuerit Sacerdotium Melchiſedechi. x j. 5. 3. & ſeq. p. 280. & ſeq.

de Chriſti ſacrificio phyſicè morientis in cruce. 5. & ſeq. p. 281

de ſacrificij Euchariſtici excellentia, vtilitate, &c. 7. & ſeq. p. 282

Communicatio idiomatum quid ſit? xij. 2. 1. p. 271

Quod ſit eius fundamentum. 2. p. 282

Vt vera propriaque ſit communicatio idiomatum, neceſſarium eſt, vt vnius naturæ proprietates non recipiantur formaliter in altera natura. 4. & ſeq. p. 272

Explicantur aliquæ propoſitiones, in quibus videtur vna natura de altera in abſtracto prædicari. 5. p. 273

In vera communicatione idiomatum debet vnio duarum naturarum ſignificari; quod fit ſolùm per nomina concreta. 8. & ſeq. ibid.

Quæ dici debeat comprehenſiua notitia. ix. 3. 1. & ſeq. p. 253

Creatura pura non poteſt pro ſuo peccato mortali ſatisfacere condignè. iij. 4. 7. & ſequent. p. 45

Non item pro alieno peccato mortali. 13. & ſeq. p. 47

Sed nec pro alieno veniali. 15. ibid.

Poſſet tamen creatura illa, in qua nullum peccatum mortale (quale fuit originale) præceſſiſſet, pro ſuo veniali ſatisfacere abſque eo quod neceſſaria fuiſſet incarnatio. iij. 5. 2. & ſeq. pag. 48

D

DEus non neceſſitatur ad faciendum, quod ſit in ſe, & ſecundum ſe optimum; licet aliquo ſenſu id quod facit, optimum ſemper ſit omnium, ſi non in ſe, ſaltem omnibus penſatis. I. 4. 1. & ſeq. p. 10

Hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, quamuis non ſit eſſentialis, vt iſta, *Petrus eſt homo*; non tamen debet dici eſſe minùs propria. xij. 3. 2. p. 275

Deus eſt homo, non eſt propoſitio per ſe. Hæ tamen ſunt per ſe; *Chriſtus eſt homo*; *Chriſtus eſt Deus*; *homo eſt Deus*. 4. ibid.

Hæ propoſitiones *Deus eſt humanus*; *Deus eſt humanatus*, *Chriſtus eſt homo diuinus*; *Chriſtus eſt homo dominicus*: dummodo non ſumantur in ſenſu denominatiuo, & Neſtoriano; ſed in ſenſu, in quo vnio inter ſubiectum & prædicatum phyſica importetur, habent ſenſum verum, & catholicum: eo modo, quo rectè dicimus Patrem diuinum, naturam humanam: non autem in ſenſu denominatiuo; quo dicimus Paulum diuinum, &c. 7. & ſeq. p. 276

Vt hæc propoſitio vera eſt, *Deus factus eſt homo*; ſic iſta falſa eſt, *homo factus eſt Deus*: quæ tamen vera foret, ſi alicuius hominis præexiſtentis naturam Deus aſſumpſiſſet. 12. & ſequent. p. 277

Quid de hac propoſitione; *Chriſtus, in quantum homo, eſt Deus*. 14. ibid.

Quid de iſta; *Deus incepit eſſe*. 16. p. 278

Defectus, qui ſunt omni naturæ humanæ communes, aſſumpſit Chriſtus, eaque in re imperator Iuſtinianus, & (quod mirum eſt) ſanctus Hilarius errauit. Morbis, vt alij, tentari potuit, quamquam nullis obnoxius fuit. xi. 1. 3. p. 250. & ſeq.

Defectus huiuſmodi non dicitur Chriſtus contraxiſſe, ſed aſſumpſiſſe. Beatiſſima virgo ſic illos habuit; vt nec contraxiſſe, nec aſſumpſiſſe dici debeat. 4. p. 251

Qui deformationem habuit cruentam in paſſione, extra paſſionem formoſiſſimo corpore fuit. 6. ibid.

Decipi non potuit Chriſtus ludibrio vllo ſenſuum externorum, quorum defectus ſapientia intellectuali corrigebat. xi. 2. 5. p. 252. & ſeq.

Nullos etiam potuit errores habere in intellectu, quamuis inculpabiles, & ex ignorantia inuincibili. 3. & ſeq. ibid.

Defectus qui maximus eſt in voluntate, peccatum ſcilicet, componi cum vnione hypoſtatica nullo modo potuit. Repugnatque Deum dici, per communicationem etiam idiomatum, peccare, ſicut dici potuit mori. xi. 3. 2. p. 253

Impoſſibile item fuit Chriſtum ita peccare, vt peccatum extingueret vnionem hypoſtaticam. 12. p. 256

Id probatur nouo quodam inuento argumento. 18. & ſeq. p. 257

Peccati habitualis macula incompatibilis eſt cum vnione hypoſtat. Reatus etiā pœnæ ob culpam

commiſſam à natura nondum aſſumpta. 20. & ſeq.
Non poteſt aſſumi hypoſtaticè natura, quæ commiſerit peccatum, quamuis remiſſum & iam extinctum. 22. & ſeq. p. 258
Diſcurſus formalis non reperitur in Chriſti ſcientiâ infusâ, ſed tantum virtualis.ix.8.8. p.205
Dominium non poteſt eſſe inter duos in ſolidum; ne quidem per vnum inſtans: nec inter Deum & creaturam. iij. 8.7. p.60

E

ERror, licèt inculpabilis, in iudicando repugnabat penitus, & abſolutè Chriſto. Et fuiſſet aliquo modo culpabilis Verbo, cuius officium erat potentias humanitatis ſibi ſubditæ moderari, ac regere.ix.8.11. p.206
Experimentalis in Chriſto ſcientia, quæ dicatur? ix.10.1. & ſeq. p.209.& ſeq.
Quomodo in experimentali ſcientia Chriſtus profecerit? 4. & ſeq. p.210
Proponitur nouus modus explicandi ſcientiam Chriſti experimentalem.9. ibid.

F

FIliatio naturalis, quam Chriſtus habet vt homo, fundatur in vnione annectente humanitati æternam generationem paſſiuam Filij, ſeu hypoſtaſin Verbi. xi.6.13. p.266
Per eam naturalem filiationem ortam ex vnione hypoſtatica Chriſtus eſt filius ſolius Patris, non tius Trinitatis. 15. ibid.
Filius, in quantum homo, eſt filius naturalis Dei aliter quàm per communicationem idiomatum. xi.6.2. & ſeq. p.263
Non poteſt dici vllo modo eſſe filius adoptiuus. 4.& ſeq. p.264
Humanitas, prout concipitur in priori naturæ quàm aſſumatur, non poteſt dici habere filiationem adoptiuam. 7. & ſeq. ibid.
Finis, ad quem decreta fuit incarnatio, eſt excellentia intrinſeca ipſius myſterij, & nobilitas Chriſti. v.2.2.& ſeq. p.97
Proponitur, & explicatur argumentum Scoti, ſumptum ex propinquiſsima et immediata, quam Chriſtus habet ad gloriam Dei.5.& ſeq. p.98
Reiiciuntur aliqui modi, quibus aſſeritur Chriſtum, licet decretus ſit vt Redemptor poſt præuiſionem peccati; eſſe tamen volitum priùs redemptione, & ante omnes creaturas, vt earum finem.10. & ſeq. p.99
Præter intrinſecam Chriſti excellentiam, finis ſufficiens & totalis incarnationis fuit etiam, vt Chriſtus eſſet Caput Angelorum.v.3.1. p.100
Contradictionem inuoluunt, qui aſſerunt Chriſtum eſſe poſteriorem peccato Adami; & tamen eſſe priorem ſanctificatione Angelorum, vt pote huius cauſam.2.& ſeq. ibid.
Finis item incarnationis ſufficiens & totalis fuit hominum ſanctificatio ante peccati conſiderationem.v. 4.2.& ſeq. p.101
Qui id negant, expedire ſe nequeunt, quin contradictionem admittant. 4. & ſeq. p. 102
Defendi non poteſt Beatiſſimam Virginem exemptam fuiſſe peccato Adami, ſi finis incarnationis non fuit alius, quàm hominum ab Adami peccato redemptio. v.5.1.& ſeq. p.103
Habetur ex Scriptura finem incarnationis non fuiſſe ſolam extinctionem peccati.v.6.1.& ſeq. pag. 104
Item v 9.1. & ſeq. p.109
Habetur idem ex Patribus. v.7.1. & ſeq. p.106
Item v.10.5. & ſeq. p. 111
Propria ſententia Suaris conantis doctrinam ſancti Thomæ, & Scoti circa finem incarnationis conciliare, improbatur. v.8. 1. & ſeq. p.107
Reſpondetur eorum, qui volunt finem incarnationis eſſe ſolam extinctionem peccati, argumentis ex ratione ſumptis.v.10.1.& ſeq. p.112
Fomes peccati quid ſit? xi.4.1. p.258
Non habuit is in Chriſto locum ſiue ſumptus in actu primo, ſiue ſumptus in actu ſecundo. 3. & ſeq. ibid.
Non potuit concupiſcentia in Chriſto præuenire rationem. 4. p.259
Fuerunt in Chriſto paſſiones ſimiles noſtris, ſed innoxiæ. 7. ibid.
Triſtitia, timor, ira, necnon admiratio fuere in Chriſto. 8. & ſeq. ibid.

G

GRatus in Deum non minùs eſſe debet animus ob ea beneficia, quæ nobis parauerat in eam ſeriem, quæ futura erat Adamo non peccante, quàm ſi verè illis fruiti eſſemus. v.11.10. p.114
Gloria cœleſtis hominum, & beatitudo, in quo conſiſtat? ix. 2.1. & ſeq. p.187
Eam gloriam Chriſtus habuit à primo conceptionis inſtanti. 3. & ſeq. p.183

H

HAbitus præter ſpeciem in actibus ſcientiæ, quà per ſe, quà per accidens infuſæ, requiritur. ix.9.2. & ſeq. p. 207
Habitus, & ſpecies ad ſcientiam infuſam in Chriſto multiplicantur; ſed minùs, quàm in Angelis, cùm ſint minus in iſtis, quàm in illo vniuerſales.5.& ſeq. p.208
Hebdomades 70. Danielis ſumunt initium à ſeptimo Artaxerxis poſt Patrem regnantis anno, id eſt à priore illius edicto, quod habetur cap.7. Eſdræ: ſiue ab octogeſima Olympiade. Et deſinunt in Chriſti mortem, quæ ſub medium vltimæ hebdomadis contigit, Olympiade ducenteſima ſecunda.ij.1.12.& ſeq. p.22
Hebdomades illæ propheticæ annorum ſunt ſolarium, non lunarium. 16. p.23
Quomodo Chriſtus, quà homo, dicendus ſit eſſe aliquid; & homo prædicari de ipſo debeat in quid. Explicatur definitio Alexandri III. vi. 6.3. & ſeq. p.132
Humanitas fuit vnita Verbo ſecundùm rationem ſolam perſonalitatis; non tamen ſumptæ in omni latitudine virtualium perfectionis graduum, quos continet; ſed tantum finito modo, & quantum fert obedientialis capacitas creaturæ. vij. 3.4.& ſeq. p.146
Fatendum tamen eſt non tantùm integram perſonalitatem, ſed & totam naturam diuinam vnitam eſſe identice, & humanizatam.11. p.148

Quamuis naturâ diuina dicatur ſimpliciter incarnata, vnirique mediatè propter identitatem, quam habet cum perſonalitate Verbi; non tamen dicitur generare, aut ſpirare (ne quidem mediatè) propter identitatem cum paternitate, & principio generandi, aut ſpirandi. 14. & ſeq. ibid.

Perſonalitates Patris, & Spiritus ſancti non poſſunt dici eſſe humanitati mediatè vnitæ; licèt identitatem habeant cum natura diuina incarnata. 17. p.149

Humanitas in eodem cum diuinitate faſtigio eminet, dum in eodem conſidet hypoſtaſeos throno: & creaturam, nouo incarnationis iure, communiter cum ſupremo numine licet adorare. vij. 1. 1. 2. p.166

Hominis diuina per charitatem adoptio fit ſub aliquo incarnationis exemplo. 6. & ſequent. p.167.

Homo poſt peccatum quàm miſerabiliter ſapientiæ iacturam fecerit. ix. 1. 1. 1. p.211

Quanta, quove progreſſu ignoratio, contemptioque rerum diuinarum humanum genus occuparit ante diluuium. 3. ibid.

Quales extiterint Philoſophi: quales Legiſlatores inter ethnicos ante Chriſtum. 8. & ſequent. p.212

Chriſtus mundum cœleſti ſapientia illuminauit: quo ſucceſſu dæmonum cultum, idololatriamque depulerit. 9. & ſeq. ibid.

Hypoſtaſis quid ſonaret, controuerſia fuit Græcos inter & Latinos, quam tandem Athanaſius compoſuit. vij. 1. 2. p.138

I

Incarnationem eſſe impoſſibilitem demonſtrari non poteſt. I. 1. 1. p.2

Sed neque citra reuelationem cognoſci eſſe poſſibilem. 3. ibid.

Suppoſita reuelatione excogitantur rationes congruæ. 10. p.4

Incarnatio includitur in veri Meſſiæ conceptu. I. 2. 1. & ſeq. p.5

Incarnatio fuit conueniens Deo. I. 3. 2. & ſequent. p. 14. Ipſi peculiariter Verbo. 9. p. 15. Angelicæ naturæ, & humanæ. 19. p. 16. Vniuerſo mundo. ibid.

Eorum ſententia exploditur, qui dixerunt incarnationem, vtpote indecentem Deo, non potuiſſe per ſeipſam, & niſi neceſſaria ad redemptionem hominum fuiſſet, expeti. v. 2. 6. p.113

Inditam, & infuſam ſiue per ſe, ſiue per accidens ſcientiam habuit Chriſtus. ix. 6. 3. p.200

Infuſam per ſe ſcientiam naturæ diuinæ, necnon perſonalitatum abſtractiuè habuit Chriſtus per propriam ſpeciem. ix. 7. 1. p.200

Item quidditatis vnionis hypoſtaticæ: necnon ſupernaturalium omnium formarum, quarum exiſtentia, vel producta fuerit vnquam intra æternitatem, vel manſura ſit in mera poſſibilitate: dummodo non ſit ſimul infiniti cognitio actualis, & pluſquam habitualis. 3. & ſeq. p.201

Infuſa ſcientia, qua Chriſtus cognoſcit liberos ſupernaturales actus, tam ſuos, quàm aliorum, præſupponit in eodem Chriſto ſcientiam infuſam alteram, ſine quâ dirigente exerceri non potuiſſent actus illi ſupernaturales in Chriſto liberi; ac per conſequens nec actus liberi aliarum creaturarum, vtpote fundati in meritis Chriſti, hoc eſt, in actibus liberis ſupernaturalibus ipſius Chriſti. 7. p.202

Habuit Chriſtus infuſam item ſcientiam rerum, quas Angeli & animæ ſeparatæ naturaliter norunt, nempe ſubſtantiarum, & accidentium ſpiritualium; formarum etiam ſubſtantialium corporearum. Eaque in Chriſto ſcientia ſupernaturalis quoad modum, poteſt eſſe naturalis quoad ſubſtantiam, ſimilis ſcientiæ Angelicæ. Poteſt illi adiungi & altera ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quæ tendat ad eadem obiecta. Actus internos, & cogitationes cordis eorum, cum quibus verſabatur, videbat ſemper Chriſtus. 9. p.202

Infuſas habuit Chriſtus ab inſtanti conceptionis omnes ſcientias, quas homines longo ſtudio comparant. 10. ibid.

Noſcebat ſemper actu omnia quæ fiebant in mundo. 12. ibid.

Intellectum non modò diuinum, ſed etiam humanum habuit Chriſtus. Nec vt homo potuit intelligere per intellectionem diuinam. ix. 1. 1. & ſeq. p.185

Quomodo ſceptrum non ablatum ſit à Tribu Iuda, nec à ſemine Iudæ vſque ad Chriſti aduentum. ij. 2. 6. & ſeq. p.25

de Iudæ femore noua explicatio coniecturalis. ij. 2. 9. ibid.

Iudæorum quanta fuerit calamitas in excidio Ieroſolymorum, & deinceps in diſperſione, vitaque per orbem vaga in pœnam occiſi Chriſti Domini. ij. 5. 1. & ſequent. per totum caput p.28

Iudæis quot, & quanta olim collata fuerint beneficia in Chriſti ex iis naſcituri gratiam. ij. 6. 1. & ſeq. p. 20

Eorundemm animus in Deum truculentè ingratus. 12. p.32

Quanta Dei ſit iam à Iudæis alieanatio. ij. 6. 13. & ſeq. ibid.

Iudæorum immane, obſtinatumque in Chriſtum, & Chriſtianos odium. ij. 7. 1. & ſeq. per totum caput. p.33

Iuſtitia propria, rigidaque dari poteſt Deum inter & creaturam: & quæ ſit vera eius rei ratio. iij. 8. 2. p.59

Quanta poſt diluuium. ibid.

L

Libertatem non impedit præuiſio, quam habet infallibilem aliquis de ſuo futuro actu. ix. 5. 21. p. 199. x. 3. 2. & ſeq. p.218

Libertatem, quæ non opponatur neceſſitati, ſed ſoli coactioni, ad meritum, vel demeritum ſufficere, hæreſis eſt Ianſeniana. x. 2. 3. p.217

Licèt poſita præuiſione, quam quis habeat ſui actus, infallibile ſit actum eſſe futurum, hoc non eſt ideò quia præuiſio determinet voluntatem, ſed potiùs quòd ſupponat talem eſſe futuram determinationem libertatis: quare dici debet illum, cui reuelata fuiſſet impœnitentia finalis, atque damnatio, habere potentiam antecedentem, & obligationem pœnitendi. 7. &

& ſequent. p. 215

Libertatem non item impediuit in Chriſto ſumma eius ſanctitas, atque perfectio. 11. & ſeq. p.220

Nec perfecta eius impeccabilitas; ea ſcilicet, quæ incompatibilis erat non tantùm cum peccato, ſed etiam cum peccandi potentia.x.4.1. p.221. & ſeq.

Non bene Thomiſtæ conciliant impeccabilitatem cum libertate Chriſti.x.4.6.p.222.x.5.1.& ſeq. p. 223

Non bene item Scotus cum aliis quibuſdam. Non etiam Gaſpar Hurtadus. Non Caietanus,& alii qui eum ſequuti.7. & ſeq. p.224

Libertas Chriſti cum impeccabilitate, quatenus hæc non oritur ex beatitudine, ſed ex vnione hypoſtatica, conciliatur facilè per diuinum vſum ſcientiæ mediæ.x.6.3.& ſeq. p.225

Libertas Chriſti cum impeccabilitate, quatenùs hæc fundatur in viſione beatifica, conciliatur ponendo in Chriſto viatore duas quaſi regiones mentis, vel voluntatis; & ponendo cum actu amoris beatifici amorem, qui ſequatur ſcientiam infuſam.x.8.3.& ſeq. p.230

Libertas in Chriſto cum impeccabilitate quocumque modo ſpectatâ (hoc eſt fundatâ ſiue in vnione, ſiue in beatitudine) conciliatur per indifferentiam circunſtantiarum, putà temporis &c. x.8.3. ibid.

Proponuntur, & ſoluuntur quædam contra eam doctrinam obiectiones.4.& ſeq. ibid. & ſeq.

Libertas non bene cum impeccabilitate conciliatur ab iis, qui volunt non datum fuiſſe abſolutum Chriſto præceptum, ſed tantùm ſub ea conditione, ſi acceptare vellet. x. 9. 1. & ſeq. p.232

Non etiam ab iis, qui volunt non datum fuiſſe rigidum & obligans præceptum Chriſto, ſed tantùm quandam velut ordinationem, ſeu regulam.4.& ſeq. ibid.

Aſſimilis quædam Anſelmi ſententia.7. p.233

Etſi non careat probabilitate ſententia aſſerens relictam fuiſſe Chriſto poteſtatem petendi diſpenſationem à præcepto rigido mortem v. c. ſubeundi: atque ita ſi liberè non petat, liberè morietur. Tamen hæc ſententia nec ſolidè fundatur, & non relinquit libertatem, quæ directè cadat in mortem ſubeundam; ſed tantùm eam quæ cadat in petitionem, vel non petitionem diſpenſationis. 9. & ſeq. p.233.& ſeq.

M

MEdia ſcientia cur ſic dicta; & quid per illam intelligatur? x.7.1. p.226

Qui, quomodo, & cur eam impugnent. Eam ſancti Patres paſſim ſupponunt, & eam grauiſſimi Theologi propugnant. 3. p.227

Quænam fuerit veterum Dominicanorum in hac contentione palæſtra.4. ibid.

Recens aduerſariorum ſchola decretum aliquod comminiſcitur, ſine quo Deum poſſe futura libera conditionata cognoſcere, inficiatur. 6. ibid.

Decretum illud impugnatur, quia nouum eſt inuentum.7. p. 228

Quia repugnat libertati.8. ibid.

Quia eſt indignum Deo.9. ibid.

Quia non ſatis recedit ab hæreticis, qui ſe eodem modo quo Thomiſtas, ſentire profitentur. 10. & ſeq. ibid.

Scientia per illud decretum, non foret ſcientia media.12. p.229

In omni ſcientia media intelligitur aliquod decretum longè diuerſum ab illo quod aduerſarij fingunt.13. ibid.

Quam veritatem cognoſcat Deus per ſcientiam mediam in eo obiecto, quod ſupponitur exiſtentiam nec habere, nec habuiſſe, nec vnquam habiturum eſſe.14.& ſeq. p.229

Quàm dignum ſit Deo iſtud ſcientiæ genus. 16. ibid. & ſeq.

Meriti non ſunt ſancti Patres aut Prophetæ incarnationis prædeſtinationem; nec mereri potuerunt.iv.3.2. p.71

Mereri quidem aliquo modo illos eius executionem non repugnabat abſolutè. Nequaquam tamen de condigno meruerunt. iv. 3.3. & ſeq. ibid.

De congruo illos meruiſſe probabile eſt executionem huius myſterij, tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circunſtantias.7. p. 72

Magis repugnat hominem per naturales actus eleuari vt mereatur gloriam, ſiue vt attingat per fidem humanam myſterium incarnationis, prout ſubiacens ei diuinæ reuelationi, quæ eſt obiectum formale fidei: quàm antiquos Patres mereri executionem incarnationis quoad ſubſtantiam.8. & ſeq. ibid.

Merita ſanctorum Patrum obtinentium executionem incarnationis non fundabantur in executione ipſa; ſed tantùm in eiuſdem incarnationis prædeſtinatione, certaque futuritione abſtrahente à circunſtantia taliter futuræ executionis. 14. & ſeq. p.73

Nec valet hic ſubtilitas Ariagæ.12. ibid.

Aut Ioannis Delugo.13. ibid.

Incarnationis acceleratio, quam ſancti Patres meriti ſunt, facta eſt abſque mutatione diuini prioris decreti. 17. p.74

Beatiſſima Virgo, vt prædeſtinationem incarnationis nullo modo potuit mereri, ſic eius executionem & circumſtantias merita eſt de congruo. Eaſque dotes habuit, per quas foret digna Mater Dei. Quam maternitatem merita eſt de congruo, potuiſſetque de condigno. iv. 4. 2. & ſeq. p.74

Proponuntur contra id & ſoluuntur quædam obiectiones difficiles. 15. per totum caput. p.77. & ſeq.

Non omnes, ſed multos habuit Chriſtus actus liberos & meritorios; etiam obedientiæ, etiam charitatis. Fundamentum meriti poteſt eſſe charitas habitualis, necnon actualis in Chriſto perpetua, licèt non libera; & multò magis vnio (etſi ſola) hypoſtatica. x.10.1. & ſeq. p.240. & 241

Omnes Chriſti actus liberi, quamquam in morali honeſtate inæquales eſſent; erant tamen in ratione meriti æquales ob vnionem hypoſt. Meritus eſt Chriſtus à primo inſtanti conceptionis vſque ad inſtans mortis excluſiuè. 5. & ſeq. p.241. & ſeq.

Potuiſſet mereri ſuam primam exiſtentiam. Gloriam in inſtanti quo eam accepit probabiliter meritus eſt. Quod ad gloriam attinet corporis

certum

certum eſt illum eam meruiſſe, quemadmodum & exaltationem nominis. Meritus eſt tam Angelis quàm hominibus iuſtificationem, & omnes ad hanc diſpoſitiones, gloriam, &c. 10. & ſeq. p.242.& ſeq.

Modus vnionis hypoſtaticæ non eſt ab humanitate, quam ſolam afficit diſtinctus à parte rei pluſquam virtualiter, & ratione ratiocinatæ vi.4.5. p.125

Vbi fusè per totum caput probatur nullos dari modos, ſeu entitatulas in re diſtinctas à ſuis ſubiectis. ibid.

Monothelitarum hæreſis qualis fuerit, & in quo propriè conſiſteret. x.1.2. p.214

Eorum euertitur fundamentum. 7. pag. 215. & ſeq.

N

NAtura diuina non poteſt incarnari per vnionem factam in abſoluta & eſſentiali ſua ſubſiſtentia, cùm talis nulla exiſtat ſubſiſtentia. vij. 4.3. & ſeq. p.150

Poſſibilis eſt naturæ diuinæ, vt abſtrahentis ab omni ſubſiſtentia, vnio immediata cum aliqua natura creata.6.& ſeq. p.151

In eo caſu natura creata ſuam perderet ſubſiſtentiam.8. ibid.

Vniretur immenſitati ſubſtantiali, hoc eſt radicali diffuſioni per omnia loca: ſicut & nunc humanitas Chriſti vnita eſt immediatè Verbi immenſitati perſonali, & mediatè immenſitati diuinæ naturæ. ibid. & ſeq.

Quòd natura creata vniatur phyſicè diuinitati in omnia loca diffuſæ, non impedit quominus ſine mutatione vnionis, quam habet cum Deo in hoc loco, moueri poſſit ad alium locum.10. p.151

De abſoluta (ſed morali ſolùm) neceſſitate incarnationis ſententia Granadi. I. 3. I. & ſeq. pag. 7

De neceſſitate phyſica incarnationis non abſoluta, ſed poſt factam aliquam ſuppoſitionem quid ſenſerit Lullius. iij.1.2. p.36

Quid Anſelmus. 3. Quid Ricardus Victorinus. 4. pag. 37

Quid verè ſentiendum.6. & ſeq. ibid. & ſeq.

O

ORatio fuit peculiaris, neceſſariuſque vſus Sacerdotij Chriſti. Qui quamuis omnia potuiſſet abſque oratione: quædam tamen fuerunt ex ordinatione diuina per eius orationem obtinenda. xij. 5.9. p.282

Non cenſetur propriè oraſſe Chriſtus, niſi quando abſolutum, efficaxque deſiderium obtulit Patri. Quod cùm fecit, ſemper exauditus eſt, & obtinuit quod voluit.10. p.283

Quamuis nullum actum nouum orationis exerceat; obtinet tamen in cœlo nunc nobis gratias, retinendo eos actus orationis quos habuit in hac vita, & quos cenſetur ſemper conſeruare, donec conceſſum fuerit, quod per illos petiit.12. ibid.

P

PEccati mortalis grauitas non eſt propriè infinita, ſed ſuperioris cuiuſdam ordinis, tum quoad culpam, tum quoad pœnam. iij. 4.4. & ſeq. p.45

Peccatum veniale ſuo modo ſuperioris etiam eſt cuiuſdam ordinis. iij. 5.2. p.48

Poſt oblatam pro illo ſatisfactionem condignam, neceſſaria eſt ad eius extinctionem libera Dei remiſſio.4. & ſeq. p.49

Si ſupponeretur Deum nullam tuliſſe legem, aut ab homine legem Dei inuincibiliter ignorantè peccari contra ſolam rationem, nulla opus foret ſatisfactione pro tali peccato, quod non poſſet remanere habitualiter. iij.5.9. p.49

Illa tamen ſuppoſitio nullo modo debet admitti. 10. p.50

Peccati mortalis grauitas intelligi debet ex ſummo odio & pœnis, quibus Deus illud proſequitur. iij.9.3.& ſeq. p.65

Variis modis Deus à peccato originali eripere poteſt.iv.5.1. p.79

Peccati originalis immanitas.3. ibid.

Si peccatum originale Beatiſſima Virgo contraxiſſet, non potuiſſet eſſe digna Mater Dei. 4. ibid. & ſeq.

Fusè probatur per totum caput. ibid.& ſeq.

Vt eſſet digna mater Dei debuit non tantùm eximi à contrahendo peccato originali, ſed etiam à debito contrahendi: nec debuit in Adami pacto comprehendi.iv.6.1. Per totum caput & per ſequens. p.82. & ſeq.

Peccati tam perſonalis, quàm originalis extinctio fuit cauſa finalis decernendæ incarnationis. iv. 10. 4. & ſeq. p.93

Perſonæ etymon,& ſignificatio. lib.vij.cap.1. §.3. p.139

Perſona importat aliquam incommunicabilitatem, vt proprietatem. Quæ ſit illa incommunicabilitas.4.& ſeq. ibid.

Ea perfectio poſitiua, in qua conſiſtit ratio perſonæ, non eſt modus aliqua realitate, licet minore, diſtinctus à natura.9. & ſequent. p.140

Perſonæ creatæ ratio formalis conſiſtit in totalitate, ſeu in ratione totius, & in ſtatu non pertinentis ad aliud, ſed ſeorſim exiſtentis. 13, & ſeq. p.141

Ratio perſonæ in diuinis eſt perfectio quædam, ſeu entitas relatiua ſuperaddita naturæ: eaque triplex.19.& ſeq. p.143

Humanitas hoc ipſo, quòd vnita Verbo phyſicè, ad illudque pertinens, non eſt ſeorſim, & ſui velut iuris; caret propria perſonalitate. vij. 2. 1. & ſeq. p.144

Perſonalitas Chriſti non eſt compoſita, ſed ſe tenet ex parte ſolius Verbi; & eodem modo ſe habens, quo antequam Verbum vniretur, humanitatem ad ſe trahit, facitque ſuam; quemadmodum ſubſtantia creata formam accidentalem: ſed ita vt Verbum per illam nullo modo perficiatur.5. & ſeq. ibid.

Plures perſonæ diuinæ poſſunt vnam humanitatem aſſumere. In quo caſu non forent plures homines, ſed vnus homo. vij.5.3. & ſeq. p.152

Vna Perſona diuina poſſet plures ſimul humanitates aſſumere, ſorentque tunc plures homines. Quid verò ſi tres perſonæ diuinæ aſſumerent ſimul tres humanitates; ita vt harum cuilibet vnirentur omnes? 6. & ſeq. p.153

Non repugnat, quin aliquo certo modo fiat vnio perſonalitatis creatæ cum aliena natura. vij. 6. 3. p.154

Potentia conſtans, & permanens datur in Chriſto ad patranda mirabilia. Quam & nunc in cœlo exercet, ſupernaturales mittens gratias, producendo ſuum corpus in Euchariſtia, &c. Hæc potentia obedientialis non diſtinguitur à naturali entitate; neque concurrit pluſquàm moraliter ad effectus miraculoſos. x. 13. 2. & ſeq. p. 246

Potentia illa moralis nunquam caruit effectu in iis, quæ Chriſtus, ſiue per ſe, ſiue per alios fieri voluit efficaciter. 11. & ſequent. p. 248

Propheta perfectus quomodo Chriſtus fuerit. xij. 5. 1 3. p.283

R

REgnum Chriſto non tantùm vt Deo, ſed etiam vt homini competere ſcriptura teſtatur. Regnum eius ſpirituale eſt abſolutum, efficaxque directè in ſpiritualia, & eatenus in omnia temporalia. xij. 6. 1. p.284

Sed & Regnum Politicum, imperiumque directum habet, quà homo, in omnia temporalia. Iudaici Regni hæres non fuit iure naturalis ſucceſſionis. Sed Rex fuit, & Monarcha totius mundi in temporalibus iure vnionis hypoſtaticæ. Regia poteſtas ſumma, ſeu παμβασιλεία debetur illi iure etiam Redemptionis humanæ. 5. ibid.

Regnum eius temporale, cùm ſit ordinis ſuperioris, quàm poteſtas eorum Regum, qui iure purè humano regnant, non impedit horum iura; nec eorum maieſtatem magis minuit, quàm ius quod Deus, vt ſummus Rex, habet in omnia Regna. 6. & ſeq. p.285

Præter ius illud Regium habet Chriſtus, vt homo, dominium ſuperioris, & eminentioris ordinis; quod ſit proprietatis in omnia bona temporalia; quod non impedit particulare cuiuſlibet in res ſuas dominium. 8. ibid.

Habuit & particulare dominium ipſe in res paucas ſibi, vel donatas à variis, vel à matre acceptas. ibid.

Duarum ciuitatum, quæ (vt Auguſtinus ait) fuerunt ab initio mundi fundatæ, terrenam dæmones, cœleſtem Chriſtus adminiſtrandam, regendamque ſuſcepit. xij. 7. 1. p.285. & ſeq.

Quale ſit Regnum Chriſti, vt filij conſubſtantialis in æternitate. 2. p. 286

Quale in hoc inferiori mundo ad conſtituendam Eccleſiam imperium acceperit: & quamnam ſecutus ſit in gubernando rationem politicam. 3. & ſeq. ibid.

Quomodo in cruce regnarit à ligno; in paſſione ſupremam iuriſdictionem exercuerit, erecto in Caluaria trophæo: ſummum terrorem impiis incuſſerit, ſummoque pios amore ſibi conciliarit. 7. & ſeq. p.287

S

SAnctitatem ſubſtantialem habet Chriſtus, quatenus homo, prouenientem ab ipſius ſubſiſtentia. viij. 1. 6. p.169

Humanitas ſecundùm ſe ſumpta contrahit ex contactu diuinitatis vnitæ ſanctitatem infinitam, diſtinctam à ſanctitate diuina. viij. 2. 1. & ſeq. ibid.

Hæc verò ſanctitas non facit, vt humanitas Deo tam placeat, ac Verbum: nec ſufficit ad conſtituendum Filium Dei naturalem filiatione æterna. 1 1. p.172

Humanitas non eſt formaliter ſancta per ſanctitatem increatam, quamuis huic vniatur phyſicè. Quemadmodum nec eſt immenſa, nec æterna, quamuis vniatur immenſitati, & æternitati. 5. p.170

Præter ſanctitatem prouenientem à perſonalitate diuina Chriſtus habet alteram, quæ eſt per infuſionem gratiæ habitualis, qualem nos habemus. viij. 3. 2. & ſeq. p.173

Hæc ſanctitas non eſt infinita, ſed tanta, vt in humanitatis potentia obedientiali maior eſſe non poſſit, & ſuperet incomparabiliter omnem quà hominum, quà Angelorum ſimul ſumptorum ſanctitatem. Non eſt ad conſtituendum Chriſtum caput electorum neceſſaria, nec ſufficiens. viij. 4. per totum. pag. 175. & ſeq.

Cum ea ſanctitate habet Chriſtus virtutes illas omnes & Theologicas, & morales, quæ non ſupponunt vllam in ſuo ſubiecto imperfectionem: omnes item gratias gratis datas, dona Spiritus ſancti, &c. viij. 5. per totum caput. p.178. & ſeq.

Circa ſanctitatem, perfectionemque Chriſti, quà Dei, quà hominis, conſideratio moralis, & pij affectus. viij. 6. per totum caput. pag.183. & ſeq.

Sanguis fuit aſſumptus hypoſtaticè. vij. 8. 6. p. 157

Num autem vnio hypoſtatica in eo poſtquam in cruce effuſus fuit, perſeuerauerit, indeciſum eſſe voluit Pius ſecundus. 7. ibid.

Satisfactio propter offenſam quomodo differat à reſtitutione. iij. 2. 2. p.38

Satisfactio ex iiſdem capitibus decreſcit, vnde creſcit iniuria. iij. 2. 4. p.39

Ad condignam ſatisfactionem iniuriæ, à vili etiam perſona illatæ, ſufficit ſi perſona ſatisfaciens pro perſona offendente ſit æqualis perſonæ offenſæ. iij. 2. 7. ibid.

In ſatisfactione neque condignitatem, neque ſummum rigorem iuſtitiæ impedit, quod neceſſe ſit illam acceptari. iij. 3. 2. & ſequent. pag. 40

Caſus, in quo acceptatio liberè facta impediat in ſatisfactione rigoroſam iuſtitiam. iij. 3. 7. & ſeq. pag. 41

In ſatisfactione non eſt opus ad rigorem iuſtitiæ, vt fiat ab eadem perſona, quæ offendit. iij. 3. 9. p. 41. & ſeq.

Neque

Neque vt ſit æqualitas perſonarum inter ſatisfacientem, & offenſum. 10. ibid.
Neque vt nullam ſupponat à creditore gratiam. 11.& ſeq. p.42
Rigoroſa fieri poteſt pro iniuriis ſatisfactio per eos actus ſubmiſſionis, qui ſubiaceant offenſi dominio. iij.3.14. p.43
Per eos actus item, qui alio titulo, etiam iuſtitiæ exigi poſſunt. 15. ibid.
Satisfactio iuſta quomodo debeat eſſe ad alterum. iij.3.18.& ſeq. p.44
Chriſtus, quatenus homo, eſt verè, ac propriè Dei ſeruus. xi.5.4. p.261
nomen S loh in Iacobi oraculo Meſſiam ſignificat. ij.2.1.& ſeq. p.23
in Solution s puncto res quæ ſoluitur eſt ſoluentis; immediatè autem poſt eſt accipientis. iij.3.12.& ſeq. p.42

T

Termini concreti ſignificant in recto quidem ſubiectum, vel ſubſiſtentiam; expreſsè autem formam. Excipitur hic terminus, *perſona*, licèt concretus ſit ex perſonalitate, & natura. xij.3.9. p.276
Licèt hic terminus, *homo*, (vtpote concretus) ſignificet in recto perſonam; tamen ſi tres perſonæ diuinæ aſſumerent vnam humanitatem, non foret niſi vnus homo. Quia terminus ille nomen eſt naturæ, quæ ſi non multiplicatur, non multiplicantur homines; ſicut in tribus Perſonis Diuinis non multiplicantur Dij. Nec verum eſt, vbi ſunt tres habentes humanitatem, ibi eſſe tres homines; niſi tres habentes humanitatem, habeant ſinguli ſuam. 10. p.277
Timor, & triſtitia locum habuerunt in Chriſto. xi.4.8.& ſeq. p.259.& ſeq.
Triſtitia ſumma quomodo potuerit eſſe in Chriſto beato. ix. 2.6.& ſequent. p.188. xi. 4.9. p.260

V

Vnionem hypoſtaticam repugnat ab vlla produci creatura. iv. 1.2. p.67. Etiam inſtrumentaliter. 5. p.68
Illam tota produxit Trinitas. 7. ibid.
Chriſtus non meruit ſuam primam vnionem hypoſtaticam, nec primam ſuam exiſtentiam. iv. 6.8. p.83
Non apparet tamen vlla, quin eam in exequutione conſideratam mereri potuerit, contradictio. iv.6.11. p.84
Quæ obijci poſſunt contradictiones proponuntur, & ſoluuntur toto ſequenti capite 7. p.85 & ſeq.
Anima Chriſti conſiderata in priori rationis, quàm vniretur Verbo, potuiſſet mereri de congruo hypoſtaticam vnionem: quamuis id de facto non contigerit. iv.6.7. p.83
Nulla fuit ad vnionem hypoſtaticam cauſa diſpoſitiua, neque phyſica, neque moralis. Gratia ſanctificans, & alia quæ Chriſtus habuit ſumma ornamenta, non diſpoſitiones, ſed proprietates fuerunt vnionis hypoſtaticæ. iv. 2.8.& ſeq. p.70
Thomiſtarum explicatur, & refutatur ſententia ſerentium vnionem hypoſtaticam, & humanitatem eadem actione produci: ſiue incarnationem non eſſe merè vnitiuam, ſed productiuam etiam eſſe humanitatis. vi.1.4.& ſeq. p.116
Vnionis hypoſtaticæ quis ſit terminus totalis. vi. 2.2. p.119
Quis item formalis terminus ad quem. ibid.§.6. p.120
Quis terminus à quo. 12. p.121
Vnio hypoſtatica nec facta eſt inter naturam diuinam immediatè, naturamque humanam; ita vt ex duabus facta ſit vna natura. vi. 3.3. p.123.
Nec etiam facta eſt ſecundùm quædam accidentia. Sed eſt merè ſubſtantialis, & phyſica inter naturam humanam, & ſubſiſtentiam diuinam immediatè. 5. ibid.
Vnio hypoſtatica humanitatem quidem informat, modificat, & perficit; at Verbum attingit duntaxat, vt terminum, & purum (quare non immutat) & intrinſecum (quare apprehendit, & verè vnit.) vi. 5. 4. & ſequent. p.130
Intrinſecus in hac vnione terminus is intelligi debet, qui ab illa nullam habet dependentiam, cùm ab ea nihil perfectionis vel acquirere poſſit, vel perdere; & tamen talis eſt, vt ex ipſo intimo, & copulato tam vnio, quàm ſubiectum vnionis pendeat; ita vt inde exurgat vnum compoſitum per ſe. lib.vi. cap.5.§.6. ibid.
Cur ratio intrinſeci termini non deſtruat rationem puri termini; & cur Verbum non mutetur cùm intrinſecè apprehenditur, inexplicabile eſt; & recurrendum ad incomprehenſibilem Verbi ſupereminentiam. Mitigari poteſt vtcunque quibuſdam exemplis hæc difficultas. 10.& ſeq. p.131
Denominatio vniti poteſt dici eſſe Verbo extrinſeca, poteſt & intrinſeca; meliùs tamen intrinſeca. 15. p.132
Vnio hypoſtatica eſt humanitatis modus ſubſtantialis ab ea indiſtinctus realiter. vi.6.2. & conſequenter toto hoc capite explicatur natura huius vnionis. p.132.& ſeq.
Vnitum fuit priùs naturâ Verbum animæ, & corpori, quàm humanitati totali. vij. 9.9. & ſeq. p.161
vt poſt Vnionem hypoſtaticam animæ, & corporis in priori factam, humanitas totalis aſſumeretur à Verbo, non fuit opus vlla noua vnione, per quam totalis hypoſtatica ex duabus præſuppoſitis exurgeret. 15. p.162
Vniones naturales, quæ reperiuntur inter hominis partes eſſentiales, integrantes, &c. non indigent peculiari vnione hypoſtatica, vt aſſumantur à Verbo. 16. ibid. & ſeq.
Quid ſentiendum de formis materialibus ſanguinis, capillorum, vnguium, &c. 17. & ſeq. p.163.
Quid ſi anima cuiuſpiam hominis ſola vniretur Verbo, non autem corpus informatum ab illa anima. 19. ibid.
Vniri Deo hypoſtaticè non poteſt natura creata ſeruans ſuam propriam hypoſtaſin: poſſet tamen ſeruans alienam quampiam diuinam præſuppoſi

ſuppoſitam.vij.10.5. p.164

Non repugnat vniri hypoſtaticè Deo quamcunque naturam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem.6. & ſeq. ibid.& ſeq.

Voluntatem in Chriſto fuiſſe voluntati Patris contrariam, non ſignificant ea ab ipſo prolata verba: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* lib. x. cap.1. §. 9. & ſequent. p. 216. xij. 1. 12. p.271.

Perpendere debet anima pia, quantum Chriſti voluntati, quæ ad ſalutem noſtram procurandam ſuum flexit arbitrium, obſtricti ſimus? quomodo voluntatum omnium humanarum libertas per primum Adam prophanata, per ſolam ſecundi Adami libertatem ſanctificata conſecrataque ſit. lib. x. cap. 12. §. 13. & ſeq. p.241.

Quàm liberalis, prolixaque Chriſti voluntas fuerit in ſuſcipienda genus humanum redimendi prouincia. 5. & ſeq. ibid.

Sua in nos voluntate, charitateque Chriſtus omnium ad ſe traxit voluntates, eaſque ſibi cùm in terra, tum in cœlo conſecrauit. 8. & ſeq. p.242

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google